R. P.

PETRI ALOIS NEAPOLITANI

E' SOCIETATE IESV
SACRÆ SCRIPTVRÆ
IN NEAPOLITANO COLLEGIO
Professoris.

COMMENTARII IN EVANGELIA QVADRAGESIMÆ.

TOMVS III.

Complectens iuxta sensum Literalem, & Moralem Sanctissimæ Eucharistiæ institutionem, & Passionem Domini nostri IESV CHRISTI, præcipuè secundùm Matthæum : præterea Paschatis, & post Pascha Fer. II. & III. Euangelia.



LVTETIÆ PARISIORVM,
Sumptibus SEBASTIANI CRAMOISY, Regis & Reginæ Architypographi, & GABRIELIS CRAMOISY, viâ Iacobæâ, sub Ciconijs.

M. D.C. LVIII.
CVM PRIVILEGIO REGIS CHRISTIANISSIMI.



INDEX COMMENTARIORVM IN EVANGELIA QVADRAGESIMÆ,

Qui hoc tertio Tomo continentur.

SVMMA PRIVILEGII
Regis Christianissimi.

CAVTVM est auctoritate Regis, ne quis in regno eius, aliísve locis ditioni suæ subditis, librum qui sic inscribitur, R. P. PETRI ALOIS *Commentarij in Euangelia Quadragesimæ, tribus Tomis diuisi*, quouis charactere, aut forma excudere, alióve quolibet modo distrahere possit, intra annos septem, computandos à die absolutæ primæ Editionis, præter SEBASTIANVM CRAMOISY, Regis ac Reginæ Architypographum, Regiæ Typographiæ Gubernatorem, necnon Vrbis Exconsulem. Qui secus fecerit, mulcta est indicta, prout fusiùs in diplomate regio continetur. Datum Parisijs die 23. Decembris 1656. Sic signatum.

De Mandato Regis, CRAMOISY.

Hæc prima Editio absoluta fuit die 22. Septembris 1657.

R. P. PETRI



R. P.
PETRI ALOIS NEAPOLITANI, E SOCIETATE IESV.
COMMENTARII IN EVANGELIA QVADRAGESIMÆ.
TOMVS III.

Cap. 26 & 27.

PASSIO DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI
præcipuè ſecundum Matthæum.

1. DAVID prophetico ſpiritu ſecundum Domini aduentum præuidens dixit: *Montes exultabunt à conſpectu Domini, quoniam venit iudicare terram* Cur tanta exultantibus montibus erit lætitia? Quia veniet Chriſtus Dominus Dei Filius, *& Filius hominis in maieſtate ſua, & omnes Angeli eius cum eo: tunc ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ* Sed in primo aduentu cum ſuæ proximus Paſſioni pro humana redemptione crucis mortem ſubiturus Dominus venit; tunc quoniam non venit iudicare terram; ſed vt à terra, nempe à terrenis iniquis iudicibus ad acerbiſſimam mortem damnaretur; tunc quia non *ſedit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ*, ſed ignominioſum crucis patibulum aſcendit; nec cum Angelis ſuis aſſeclis venit; ſed à diffamatis latronibus hinc inde aſſociatus; tunc, inquam, non *montes exultauerunt à conſpectu Domini*; ſed lugubri caliginis veſte contecti montes mœruerunt à conſpectu Domini: mons ſcilicet Oliueti; mons Sionis, in quo Ieroſolyma aſſurgebat; mons denique Caluariæ reorum morti deſtinatus. Squalidus primo mœruit Oliueti mons, in cuius horto præ immaniſſima crucis imminente morte Chriſtus Dominus ſanguineo ſudore conſperſus eſt; ibique *cœpit pauere, tædere, & mœſtus eſſe.* Vbi impij & ſatellites Dei Filium, vt ſceleſtum reum comprehendentes vinculis alligarunt: vbi à fugientibus diſcipulis in impiorum manibus infidiſſimè eſt derelictus. Secundò luctuoſus mœruit Sionis mons; cum in eo cælorum Rex ad Pontificis, Præſidis, & Herodis tribunal eſt tractus; ibique alba veſte indutus, ſpinis coronatus, flagellis cæſus, impiorum ſatellitum illuſionibus, ſputis, alapis ſæuiſſimè eſt cruciatus. *Magnus Dominus & laudabilis nimis in ciuitate Dei noſtri, in monte ſancto eius. Lætetur mons Sion*, Dauid olim dicebat. Sed Dominicæ Paſſionis tempore

Marginal notes: Pſal. 97. 8. — Paſſio Domini tribus in montibus perfecta. — Matt 25. 31. — Matth. 28. v. 35. — Marci 14. v. 35. — Pſal. 47.

dici potuit: Abiectus Dominus, & vituperatus A nimis in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius. Tristetur mons Sion. Caluariæ denique mons repentina noctis vmbra obuolutus mœruit; cum in eo Dei Filius cruci affixus pependit acerbissimaque morte sanctissimum spiritum emisit. Quam bene Habacuc Prophera de patiente Domino vaticinatus ait: *Viderunt te, & doluerunt montes.*

Habac. c. 3. 10.

Tres hos montes mentis, cordisque passibus conscendamus cum Isaia dicentes: *Ascendamus ad montem Domini, & docebit nos vias suas:* Vias scilicet, quas pretioso suo Dominus sanguine respersit; vias, quibus *æterna redemptione inuenta* animæ salus reperitur; vias, quibus patuit ad cæli regnum ascensus.

Isa. c. 2. 3.

Ad Hebr. c. 9. 12.



PARS PRIMA

DOMINICÆ PASSIONIS IN OLIVETI MONTIS HORTO.

Math. 26.

Dixit Iesus discipulis suis: Scitis quia post biduum Pascha fiet, & filius hominis tradetur, vt crucifigatur.

1. PRIMO de Paschatis triplici significatu dictum est fer. 5. maioris hebdomadæ. Secundò cur frequenter se Christus Dominus Dei Filius Filium hominis nominet, dictum est fer. 4. Dom. 2. Quadrag. Tertio dicente Domino: *Post biduum Pascha fiet*, cum id feria 3. sub vesperam dixerit; hinc bene refellitur sententia asserentium Dominicæ Passionis tempore à Iudæis in Sabbatum Paschatis solennitatem fuisse translatam; quod quidem si factum esset, Dominus post triduum, non *post biduum Pascha fiet*, dixisset. Sed de hoc fusè dictum est fer. 2. maioris hebdomadæ.

2. *Filius hominis tradetur vt crucifigatur.* Petrus Apostolus salutare Ecclesiastici cap. 21. monitum bene seruauit: *Fili peccasti non adijcias iterum.* Cum enim antea Matth. 16. etiam suam Dominus mortem prædixisset dicens: *Oportere eum ire Ierosolymam, & multa pati à Senioribus, & Scribis, & Principibus sacerdotum, & occidi: assumens eum Petrus cœpit increpare illum dicens: Absit à te Domine; non erit tibi hoc. Qui conuersus dixit Petro: Vade post me, Satana; scandalum mihi es, quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea, quæ sunt hominum.* Lapsus igitur Petrus ex inordinato amoris affectu in humanum prauæ prudentiæ errorem, rerumque diuinarum inscitiam, in hoc à Domino correctus ne in eundem errorem iterum incideret, sibi in posterum bene cauit. Ideo cum hîc Dominus iterum se crucifigendum prædiceret, quamuis ardentissimo erga Dominum amore afficeretur; contra eius de ipsius morte verba, hiscere non est ausus.

Petrus Apostolus Christi monito emendatus.

Tunc congregati sunt Principes Sacerdotum, & Seniores populi in atrium Principis Sacerdotum, qui dicebatur Caiphas: & consilium fecerunt vt Iesum dolo tenerent, & occiderent. Dicebant autem, non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo.

4. SAcerdotum Principum nomine qui intelligantur, dictum est Sabbato post Dominicam Passionis. Ibidem dicitur, Sacerdotum Princeps cum absolute, & singulariter ponitur, significare summum Sacerdotem, seu Pontificem; quod munus tunc temporis Caiphas obtinebat: eamque supremam dignitatem pretio à Romanis emerat teste Iosepho lib. 18. antiquit. c. 3. vt diximus fer. 6. post Domin. Passionis. Porrò seniores populi erant Magistratus, seu Senatores, ad quos Iudæorum regimen, causarumque iudicium pertinebat. Quare quos Seniores hîc Matthæus vocat, Lucas Magistratus appellat dicens cap. 22. *Iudas abiit, & locutus est cum Principibus Sacerdotum, & Magistratibus.* Hoc Magistratuum collegium Deus constituit Num. 11. v. 16. vbi *Dominus dixit ad Moysen: Congrega mihi septuaginta viros de Senibus Israel*, seu de Senioribus, vt est in Regiis Bibliis: *quos tu nosti,* C *quòd senes populi sint, ac Magistri, & duces ad ostium tabernaculi fœderis, faciesque ibi stare tecum. vt descendam & loquar tibi; & auferam de spiritu tuo, tradamque eis; vt sustentent onus populi, & non solus graueris.* Vbi cum dicitur; auferam de spiritu tuo; non diminutio spiritus in Mose, sed eiusdem spiritus communicatio significatur iuxta Augustinum q. 18. & communem aliorum sententiam. His septuaginta viris additus est Eldad, & Medad; ita vt hi seniores septuaginta duo fuerint; & seni è singulis tribubus fuerint electi; cum enim v. 24. dicatur: *Venit Moyses congregans septuaginta viros de senibus Israel, quos stare fecit circa tabernaculum. Cumque requieuisset* D *in eis spiritus, prophetauerunt:* deinde v. 26. dicitur: *Remanserunt in castris duo viri, quorum vnus vocabatur Eldad & alter Medad, super quos requieuit Spiritus; nam & ipsi descripti fuerant, & non exierant ad tabernaculum.*

Caiphas pretio summum Sacerdotium emit.

B

Seniores populi erant Magistratus, seu causarum iudices septuaginta, additis duobus aliis.

5. Hoc seniorum collegium *Synedrion* Græco vocabulo dictum est; Hebraicè verò *Sanhedrim*, de quo vide Iosephum, & Galatinum l. 4. cap. 5. Quales esse debuerant hi seniores benè explicat Greg. 19. Mor. cap. 13. dicens: *Iuuenes dici solent qui nulla consilij quantitate fulciuntur: senes vero non eos Scriptura sacra vocare consueuit, qui sola quantitate corporum, sed morum grandæ-* E *uitate maturi sunt. Vnde per Sapientem dicitur: Senectus venerabilis est, non diuturna, neque numero annorum computata: cani enim sunt sensus hominis; & ætas senectutis vita immaculata. Vnde rectè quoque Dominus ad Moysen dicit: Congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israel; quos tu nosti, quod senes populi sunt. In quibus quid aliud, quàm senectus cordis requiritur; cum tales iubentur eligi, qui senes esse sciuntur? Si enim senectus in-*

Magistratuum Iudæorū Collegium dicebatur Synedrion.

Magistratus dicti sūt Seniores populi, quòd non iam ætate, quam moribus maturi esse debebant.

eis corporis quæreretur; à tantis sciri poterant, à quantis videri. Dum vero dicitur: Quos tu nosti quod senes populi sunt, profectò liquet, quia senectus mentis, non corporis eligenda nunciatur. Idem antea docuerat Hieronymus ep. 13. ad S. Paulinum; vbi pro senioribus, vsurpat Græcum vocabulum, *Presbyteros*; & ait: *Noli, frater charissime, annorum nos æstimare numero, nec sapientiam canos reputes, sed canos sapientiam: Salomone testante: Cani hominis prudentia eius. Nam & Moyses septuaginta Presbyteros iubetur eligere, quos ipse sciret esse Presbyteros; vtique non ano, sed prudentia iudicandos: & Daniel adhuc puer longæuos iudicat, atque impudicos senes ætas lasciua condemnat.* Noli fidem pensare temporibus. Idem Hieronymus in cap. 8. Zachar. ait: *Senectus honorabilis non tanti temporis, nec numero annorum æstimabilis. Cani autem sunt hominum prudentia, & senectus vita immaculata. De quibus & Dominus loquitur ad Moysen: Constitue tecum septuaginta senes, quos ipse nosti quoniam senes sunt. Quamobrem ante Abraham nullus appellatus est senex, de quo scriptum legimus: Deficiens Abraham mortuus est, nutritus in senectute bona, senex, & plenus dierum. Gloria enim senum cani sunt, de quibus dicitur: Cani hominis sapientia eius.* Quamuis enim ab Adam vsque ad Noe homines vixissent nongentos & amplius annos; Abraham verò quamuis priscis Patribus comparatus, multò pauciores vixisset annos; nihilominus non propter annorum multitudinem, sed propter eximiam fidem, & virtutem, venerabile senis nomen ei primo est reseruatum. Audi Philonem lib de verbis, Resipuit Noe. *Satis demonstratum puto iuuenem in sacris litteris sæpè vocari non ætate vigentem; sed eum, qui habet animam temerariam, & nouarum rerum cupidam. Iam ostendemus non ætate, sed honore præstantes nominari seniores. Quis enim versatus in sacris libris ignorat, quòd ille sapientissimus Abraham breuioris æui, quã vllus pene omnium maiorum suorum, inducitur? Illorum tamen, qui diutissime vixerunt; nemo quod sciam, sed solus hic scribitur senior. Dicunt igitur sacra oracula, quod Abraham erat senior ætatis prouecta: & Dominus benedixit Abrahamo, rebusque eius omnibus. Quod mihi videtur subiunctum, tamquam causa præcedentium; cur senior dicatur ille sapiens. Cum enim à benigno Deo benè afficitur anima pars rationalis; nec vnam modo, sed omnes benedictionis species accipit, similiter sapit, atque ita fit senior. Sic chari Deo populi consistorium, quod cogitur ex decies septeno numero, seniores solent nominari, &c.* Hinc benè soluitur quæstio 1. Paralip. c. 10. vbi de Roboamo dicitur: *Reliquit consilium senum, & cum iuuenibus tractare cœpit, qui cum eo nutriti fuerant* Cũ Roboam quadragesimo primo ætatis suæ anno regnare cœpisset, consequenter qui cum eo nutriti erant, eiusdem ferè, vel maioris erant ætatis. Cur ergo quadragesimum annum excedentes, iuuenes appellantur, nisi quia tale ex moribus, non ex annis nomen eis tribuebatur? Similiter Act. 7. de lapidantibus Stephanum dicitur: *Deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus. Saulus autem erat consentiens neci eius.* Idem tamen resipiscens, & à Deo illuminatus ab Anania non adolescens, sed vir vocatur cap. 9.

Sap. 4.
Dan. 13.
Gen. 25.
Iuuenes interdum dicuntur non tam ætate, quam temeritate, & audacia: hic, & num. 469. Abraham primus Senioris nomẽ habuit.
Saulus cur modico interiecto tẽporis spatio, adolescens prius, deinde vir appellatur.

6. Quamuis autem, vt hactenus vidimus, seniores potius ex morum maturitate, quàm ex annorum numero dicti fuerint; nihilominus quia teste Iob 12. *In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia*; ideo ætatis etiam habenda ratio erat; & propterea nisi eximia virtus suppleret ætatem; vel nisi ambitio, & auaritia legem peruerterent, non omnino iuuenes in magistratus eligebantur; ita tamen, vt nec eos plane senes esse oporteret; cum satis esset eos ad prouectam ætatem vergere: id enim senioris nomen significat; nam huiusmodi comparatiua nomina, cum absolutè sine vllo comparationis termino ponuntur, suum potius significatum attenuant, quàm augent. Dicitur enim pallidior facies, non quæ valde, sed quæ aliquantum pallida est. Simili significatu delicatior temperies, aura frigidior dicitur. In his ergo comparatiuis nominibus aduerbium *aliquantum* subintelligi debet; quod etiam interdum expressè ponitur: vt apud Comicum: *Eius frater aliquantùm ad rem est auidior.* Populi ergo seniores, non præ aliis magis senes, sed ad maturam senectutis ætatem vergentes intelligi debent.

Nomina cõparatiua interdum significatũ minuunt, non augent.
Terent. in Eunucho. Act. 1. Scen. 2.

7. De huiusmodi populi senioribus Hilarius in Psal. 2. ait: *Moyses quamuis veteris Testamenti verba litteris condidisset; tamen separata quædam, & occulta legis secretiora mysteria septuaginta senioribus, qui Doctores deinceps manerent, intimauerat. Cuius doctrinæ etiam Dominus in Euangelio meminit dicens: Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi.* Pharisæi ergo, & Scribæ, siue Sacerdotum Principes forent, siue Magistratus, & seniores, consilium vt Christum morti traderent, facientes dixerunt: *Non in die festo*, nempe Paschatis, in magna hominum frequentia id exequamur. Horum Pharisæorum, & Scribarum sæpe Dominus hypocrisin arguit: *Væ vobis, Scribæ, & Pharisæi hypocritæ.* De hypocritis illud Isaiæ 59. Gregorius intelligit: *Telas aranearum texuerunt.* De araneis ait Plinius: *Sereno non texunt, nubilo texunt*, ideo *non in die festo*, non in luce, & publica frequentia, sed per dolum in occulto ad Dominum apprehendendum suas Pharisæi, & Scribæ insidias inferendas esse statuerunt. Hoc malignantium concilium magnam consultantium multitudinem continebat. Cùm enim vt Paralip. 1. cap. 24. habetur, Sacerdotum classes à Dauide institutæ viginti quatuor forent; totidem Sacerdotum Principes erant, quibus additis septuaginta duobus senioribus, & Anna, & Caipha, qui iuxta Augustinum, & Euthymium simul Pontificatum administrabant; maligni huius concilij numerus ex nonaginta octo constabat. Propterea quamuis secreto consultarant, non in abditum superius conclaue, sed in atrium conuenerunt. Vtinam tunc fuisset, *sicut populus sic sacerdos.* Populi Israëlitici turbæ Dominum, *sicut Prophetam habebant*, & venerabantur, dicentes: *Propheta magnus surrexit in nobis, & Deus visitauit plebem suam.* Contra vero Sacerdotes, & seniores Dominum morti tradendum decreuerunt. Verè tunc *egressa est iniquitas à senioribus iudicibus*: & ipsa quidem iniquitas senior fuit; cum id multò antea machinati essent; vt Ioan. 5. *Miserunt Principes, & Pharisæi ministros, vt apprehenderent Iesum.*

Matt 23.13.
Gregor. 15. Mor. c. 7. & 8.
Hippocritæ cur araneis similes.
Plin. 11. c. 24.
Aug. tract. 49 in Ioan. Euthym. in c. 3. Luc.
Concilium ad Domini mortẽ procurandam coactum ex nonaginta octo constabat.
Osea c. 4. v. 9.
Matth. 21. c. 46.
Luc. 7.
Dan. 13. v. 5.

Cum autem Iesus esset in Bethania in domo Simonis leprosi, &c. Vbicunque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit in memoriam eius.

HÆc explicata sunt fer. 2. maioris hebdomadæ.

Tunc abiit vnus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iscariotes ad Principes Sacerdotum, & ait illis: Quid vultis mihi dare? & ego vobis eum tradam.

8. Hieronymus in Matth. 10. ait: *Ischariotes vel a vico, aut vrbe, in qua ortus est; vel ex tribu Issachar vocabulum sumpsit: Vel à patre.* Addit idem Hieron. in Psal. 108. Sed sicut *Homerum Colophonij ciuem esse dicunt suum, Chij suum vendicant, Salaminij repetunt; Smyrnaei verò suum esse confirmant; multi alij praeterea pugnant inter se, atque contendunt:* ita è contrario locus nullus est, aut gens, quae à se Ischarioten Iudam nomen accepisse velint; simulque non clament: *Deleatur nomen eius.* Si à tribu Issachar tale nomẽ deducitur, corrupto vocabulo Ischariotes dictus est, cum Isschariotes dici debuisset; seu potius Issacharites. *Issachariotth merces interpretatur, & pretium. Igitur Iudas, qui proditurus erat Dominum, & pretium accepturus, de pretio nomen accepit,* ait Hieronymus in citatum Psalmum 108. Ex eodem Hieron. de nomin. Hebraicis Issachariotth interpretatur etiam *memoria mortis.* Quare sicut ex venenata vipera medicina conflatur; ita ex pestilente illo Iudae nomine, si mortis memoriam habeamus, ad aeternam perditionem vitandam, salutare antidotum eliciemus.

Cic. pro Archia. Ischariotes vnde dictus est Iudas: & quid tale nomen significet. Psal. 108. Hieron. in Psal. 108. & de Hebraicis nomin. ex Matth.

9. Caninius cap. 13. de locis noui Testamenti, & cum eo Baronius, Ischarioten dictum censent ab vrbe Charioth apud Moabitas: Isch enim Hebraicè virum significat, adeoque Ischariotae nomine vir Chariotensis significatur. De ciuitate Charioth tanquam scelesta dicitur Ieremiae 48. *Iudicium*. hoc est Dei vindicta, *venit super Charioth, & super omnes ciuitates terrae Moab.* Ex ciuitate igitur scelesta Moabitarum, scelestus Iudas originem traxit.

Iudas ex patria scelesta originem duxit.

10. De Iuda, & auaritia, quae eum ad Dominum prodendum impulit, plura dicta sunt feria 2. maioris hebdomadae.

Iudas dicendo: *Ego vobis eum tradam*, abstinuit à salutari Iesu nomine pronunciando: primo quòd eum vel impudentem puderet expressè Saluatorem perditum velle. Secundò, quia, vt Apostolus ait, 1. ad Cor. 12. 3. *Nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto.* Cum autem Iudas non à Spiritu sancto, sed ab immundo spiritu ageretur, teste S. Luca cap. 22. *Intrauit Satanas in Iudam, & locutus est cum Principibus Sacerdotum, & Magistratibus, quemadmodum illum traderet;* hinc veluti daemoniacus Iesum nominare non potuit. Iudam imitantur Caluinistae, qui teste Renato Benedicto insigni Sorbonensi Theologo, *Vt tollant à Christo Diuinitatem, non Iesum Christum appellant, vt mos antiquissimus est, vel Iesum; sed tantùm Christum.*

Iudas cur à Iesu nomine abstinuit.

In exposit. epist. de Circumcis. Iesu à nomine haeretici abstinent.

11. *Vae, qui praedaris, nonne & ipse praedaberis?* dicitur Isaiae 33. Hoc miserrimo Iudae accidit. Nam Matthaei 10. de Domino dicitur: *Conuocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, vt eijcerent eos.* Iudas ergo qui sicut alij Apostoli daemonia eiecerat, postea intra se Satanam accepit: *Intrauit Satanas in Iudam*, Lucae 22. Neque hoc mirum; nam teste Apostolo ad Ephes. 6. 12. In hac mortali vita ad prauas daemonum suggestiones superandas, contra immundos spiritus strenuè luctari debemus: *Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem; sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae.* Luctatores, ne ab aduersario arctè apprehendantur, & deijciantur, oleo se inungere solent. Mysticum oleum, ne in spirituali lucta sternamur, nobis Christus Dominus est, *Christi nomen à Chrismate dictum est: Chrisma Latinè Vnctio nominatur. Ideo autem nos vnxit, quia luctatores contra diabolum fecit,* ait Augustinus. Iudas ergo dicens. *Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam?* proprium Domini nomen reticendo, à beato Christi nomine se abhorrere ostendit; ideoque sine Christi nomine, & adiutorio facilè ab inuadente Satana in profundum proditionis, & obstinationis barathrum est deiectus.

Iudas cur in daemonũ potestatem incidit, cum antea daemones eiecisset?

Augustinus tract. 33. in Ioan.

12. Matthaei 8. 31. *Daemones rogabant Dominum: Mitte nos in gregem porcorum. Illi exeuntes abierunt in porcos* Iterum hîc Deo permittente in porcum introire diabolo est datum. Habacuc 2. de peccatore dicitur: *Vsquequo aggrauat contra se densum lutum?* Iuxta Gregorium, *Denso se luto aggrauat, qui per auaritiam terrena multiplicat.* Hoc in luto veluti sus immundus volutabatur Iudas; ideo in eum agendi Satanae est permissum. De auaritia plura dicta sunt feria 4. Cin.

Auaritia Iudam Satanę habitaculũ fecit.

Greger. 14. Mor. c. 9.

13. Iudas ad Apostolatum vocatus, templum Dei constitutus est. Verè enim Apostolis diuino cultui dedicatis dici potuit, *Vos estis templum Dei viui.* Hoc templum Iudas ex auaritia, proditione excogitata, iam profanauerat: ideo ex Dei templo factus est immundorum spirituum spelunca. *Proditor templum Dei factus speluncam daemonum*, ait Bernardus ser. 3. de Dedic. Eccl. Ideo de Iuda ad proditionem perficiendam pecuniamque ex ea acquirendam profecturo, Lucas ait: *Intrauit Satanas in Iudam.* Benè ergo reddito iam diaboli domicilio Iudae, qui antea daemonia eiecerat, exprobrat S. Leo ser. 16. de Passione dicens: *Tu impiissime homo, semen Chanaan, & non Iuda, nec iam vas electionis, sed filius perditionis, & mortis, vtiliora tibi diaboli incitamenta credebas, vt facibus inflammatus auaritiae, ad triginta argenteorum lucrum inardesceres, & quid diuitiarum amitteres, non videres? Quae fuit ratio, vt tantillus pecuniae modus praeponeretur acceptis à Domino beneficiis? Imperabas daemoniis, & medebaris infirmis; honorabaris cum Apostolis, & vt finem tuae cupiditatis expleres, patebant tibi furta de loculis.* Porrò Satanas in Iudam ingressus, ita in eius ore insedit, vt eum Iudaeis multa de Christo Domino mala dicere non puduerit. Quare Euthymius in Psalmi 54. verba: *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique: & si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo,* ait: *Haec ex Christi persona proferenda sunt aduersus Iudam, & quod ait: Maledixisset, posuit pro spreuisset, & calumniatus esset. Quod verò ait: Magna locutus fuisset: expone pro impudenter, & minaciter locutus esset: vtrumque enim ille scelus commisit; nam apud Iudaeos probra retulit de Christo, & comminatus est se eum illis ad necem daturum.*

2. ad Cor. c. 6. v. 16. Auaritia Iudam ex Dei templo, daemonũ speluncam reddidit.

Lucae 22.

Iudas de Christo maledicus obtrectator.

At illi constituerunt ei triginta argenteos.

14. Videtur Iudaeos existimare debuisse, Iudae ductu ad Dominum apprehendendum se non indigere; cum Dominus saepè palam apud Iudaeos versaretur; quod quidem Dominus infra Iudaeis exprobrauit: *Tanquam ad latronem existis cum gladiis, & fustibus comprehendere me: quotidie apud vos sedebam docens in templo.* Respondetur Iudaeos Domino infensos auditis eius

Iudae ductũ cur Iudaei ad Christũ apprehendendum voluerint?

verbis antea prolatis Ioan. 8. 22. *Ego vado, & quæretis me, & quo ego vado, vos non poteſtis venire*, putaſſe Dominum in abdito aliquo loco eis ignoto, diſcipuliſque tamen noto, ab eorum inſidiis ſe celaturum; ideo Iudæ indicium, & ductum libenter pretio emerunt, ei triginta argenteos ſtatuentes. Infra Chriſto Domino à Iudæis Barabbam prælatum videbimus; hîc ex nardo expreſſus liquor intra modicum vas concluſus pretioſo Chriſti ſanguini à Iuda præfertur: nam liquorem illum trecentis denariis vendi poſſe Iudas exiſtimauit dicens: *Quare hoc vnguentum non veniit trecentis denariis?* Domini vero ſanguinem non trecentis, ſed triginta denariis vendendum eſſe mercator peſſimus iudicauit. Hinc benè exclamat Ambroſius: *O Iuda proditor, vnguentum paſſionis eius trecentis argenteis æſtimas; & paſſionem eius triginta argenteis vendis?* Verè *neſcit homo pretium eius. Quid eſt vendere?* ait Bernard. ſerm. 1. de Cœna Domini, & reſpondet: *Alienare: Dominum vendit, qui a ſe dominum alienat. O diſcipule Chriſti, te diabolus quærit auellere, te extrahere de grege Domini. Vide ne conſentias ei. Te vult occidere; caue à marſupiis; foueæ diaboli ſunt. Iudas dum ſitit lucrum, tendit ad laqueum; dum perdit vitam, lucratur mortem.*

Iudas quàm vili pretio Dominum vendi it *Ioan. c. 12. 5*

Ambroſ. l. 3. de Spir. S. c. 18.

Iob 28. 13.

Marſupia nummorũ, foueæ diaboli.

15. Geneſ. 37. Ioſeph, qui iuxta communem Patrum ſententiam Chriſtum Dominum Iudæis venditum præfigurauit; viginti argenteis, hoc eſt ſiclis, iuxta Chaldæum, Iſmaëlitis eſt venditus. Siclus enim ſubintelligi debet, quoties nummus, vel aureus, vel argenteus dicitur. Chriſtum ergo triginta argenteis, hoc eſt ſiclis, Iudæis Iudas vendidit. Huiuſmodi nummi genus triplici nomine dicitur, nempe ſiclus, ſtater, & tetradrachmum. Dicitur autem tetradrachmum; quia continebat argenti quatuor drachmas, quæ conficiebant ſemiunciam. Æquiualebat huiuſmodi nummus quatuor circiter Hiſpanis regalibus, vel quatuor Romanis Iuliis, vel Neapolitanis quatuor Carolenis, vel vni apud Belgas Floreno. De ſiclis, aliiſque Hebræorum numiſmatis vide Vilalpandum in Ezech. to. 3. l. 2. Apparatus diſp. 4. c. 22. Qui argenteos, quibus Chriſtus eſt venditus, minoris pretij fuiſſe aſſerunt; itaut ſinguli duobus tantùm Regalibus, ſeu Carolenis reſponderint; laborant deinde in explicando, quomodo argenteis illis ager in ſepulturam peregrinorum ſit emptus.

Siclus, ſtater, & tetradracumum quod genus nummi fuerint.

16. Iſychius Epiſcopus Ieroſolymitanus Beatam Virginem auri fodinæ comparat: ideo ſanctiſſima mater cum ei Iudæ proditio pro triginta argenteis innotuit, auaro proditori, vt à ſcelere eum auerteret, benè Prouerb. verba, ipſi B. Virgini ab Eccleſia, & à S. Bonauentura tributa, dicere potuit: *Melior eſt fructus meus auro, & lapide pretioſo, & genimina mea argento electo.* Cur ergo, Iuda, tam vili pretio *benedictus fructus ventris mei*, non præfertur? Magdalena, vt ſanctiſſimum Chriſti corpus, quod exanime credebat, ſibi tolleret; ei, quem illud rapuiſſe putabat, dixit: *Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi, vbi poſuiſti eum, & ego eum tollam?* vbi ſi à Magdalena quæreretur, cur pro tam pretioſo theſauro à raptoris manu auferendo, illi profuſiſſimè argentum, aurumque non obtulerit? vtique Sapientis verbis reſpondebit: *Diuitias nihil eſſe duxi in comparatione illius; nec comparaui illi lapidem pretioſum: quoniam omne aurum in comparatione illius, arena eſt exigua; & tanquam lutum æſtima-*

Iſychius in Leuiticum. B. Virgo auri fodinæ ſimilis.

Prouerb. 8. 19.

Ioan. 20. 15. Magdalena cur ei, quẽ hortulanũ credidit, ad Domini corpus habendũ pretium non obtulerit? *Sap. 6. 7.*

A *bitur argentum in conſpectu illius.* Terrenæ namque res pretio, prece diuinæ res ſunt acquirendæ. Præter pretij vilitatem magnam etiam ignominiam Iudæ venditio Chriſto Domino attulit. Indicauit enim rebellis diſcipulus familiariter cum Domino verſatus, aliquid in eo notaſſe, ob quod ab eo recedere, eumque Magiſtratibus tradere, iuſtum, & Reipublicæ vtile iudicaret. Propterea cognita Iudæ prodendi Chriſtum voluntate, Sacerdotum Principes, & Magiſtratus, vt ait S. Lucas, *gauiſi ſunt; non ſolùm quia illum comprehenſuri erant; verum etiam, quia ſuis diſcipulis odio haberi inciperet*, ait Euthymius.

B 17. Apocalypſ. 3. 18. Laodiciæ Epiſcopo Dominus ait: *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum.* Sua pecunia Iudas ignitum ſulphur emit. Cumque triginta argenteos malo dolo acquiſiuiſſet, triginta maledictiones eſt conſecutus. Quod benè patet ex Pſal. 108. vbi iuxta Auguſtinum imprecationes, & maledictiones omnes ibi contentæ, propheticè in Iudam complendæ dicuntur. Si quis autem maledictiones eo in Pſalmo contentas numeret, triginta ſanè inueniet; quibus bene totidem Iudæ argentei compenſantur.

Iudæ triginta argenteis triginta maledictiones reſponderunt.

Et exinde quærebat opportunitatem, vt eum traderet.

C 18. Opportunitatem hanc Iudas inuenit in horto Gethſemani, nocturno tempore, quo Dominus à populi frequentia, qui eum venerabatur, ſecedere conſueuit. In horto diabolus opportunitatem inuenit, qua primos parentes, alioqui immortales, vetiti pomi comeſtione morti traderet. In horto ſimiliter Iudas Dominum morti traditurus reperit opportunitatem. Benè de Iuda proditore Dominus dixit: *Ex vobis vnus diabolus eſt* hoc eſt diaboli imitator.

Iudas in quo diaboli imitator fuit. *Ioan. c. 6. 7.*

19. Lucæ 16. 8. quàm benè à Domino dictum eſt: *Filij huius ſeculi prudentiores filiis lucis in generatione ſua ſunt*, hoc eſt in ſuo genere. Vtinam ſicut opportunitatem homines diligenter ad peccandum quærunt; ita ad reſipiſcendum, & ad

D benè operandum quærerent opportunitatem. Pudeat Chriſtianos ſe à Deo tẽporalibus negotiis diſtineri; & cum ad orandum, cum ad peccata pœnitentiæ ſacramento expianda; cum ad conciones, & templa frequentanda, vel interius inſpirationibus, vel à ſpiritualibus magiſtris excitantur, ſibi ad huiuſmodi opera opportunum tempus non ſuppetere dicant: vel ſi templa frequentent, ibi irreuerenter, & laſciuè verſentur, Iudam imitantes, qui Gethſemani hortum, quem Dominus ad orationem elegerat, ad proditionem elegit. Circa allatam Luc. 16. Domini ſententiam quærit Hugo: *Quomodo vident clarius filij tenebrarum, quam filij lucis; cum nihil videri poſſit, niſi in luce?* Reſpondet: *Bubo, & murilegus clarius vident in nocte, quam homines; non litteras ad*

Iudam imitantur, qui in templis irreuerenter ſe gerunt.

E *legendum, ſed mures ad capiendum. Secularia enim groſſa ſunt, & palpari poſſunt etiam de nocte; ſpiritualia autem ſubtilia ſunt, & vix videri poſſunt etiam luce.* Cum ergo Domini paſſionis tempore eſſet *poteſtas tenebrarum*; in iis tenebris benè Iudas, veluti funeſtus bubo proditionis tempus dignoſcere potuit. Bubonem *noctis monſtrum* appellat Plinius. Vere cum Dominus captus eſt, noctis illius monſtrum viſus eſt Iudas, cum ſimul & Domini diſcipulus, & ſatellitum dux, veluti monſtroſum quid videretur.

Plinius lib. 10. cap. 12. Iudas velut bubo noctis monſtrum fuit.

Prima autem die Azymorum accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes: Vbi vis paremus tibi comedere Pascha?

20. CVm ipso primo Azymorum die pane azymo, hoc est, non fermentato paschalis agnus comederetur; consequenter eo die paschalis comestio iam facta præsupponebatur: cur ergo discipuli vbi ea paranda foret, à Domino quæsierunt? Respondetur. Primum hunc azymorum diem tunc incidisse in feriam quintam; qui dies primus azymorum hic dicitur, non quòd secundùm totum, sed secundùm vesperæ tempus dies azymorum foret. Solemnes enim huiusmodi dies à vespere ad vesperam celebrabantur. Opportuno ergo tempore ante vesperam, vbi paranda foret paschalis cœna, à discipulis quæsitum est. Sed de hac Domini Paschali cœna plura dicta sunt feria quinta maioris hebdomadæ.

Azymorum primus dies, non fuit Paschatis dies.

B

At Iesus dixit: Ite in ciuitatem ad quemdam, & dicite ei: Magister dicit: Tempus meum prope est: apud te facio pascha cum discipulis meis.

21. DIcens Dominus *in ciuitatem*, Ierosolymam designauit: ibi enim, & non alibi pascha celebrandum erat ex lege lata Deut. 16. *Non poteris immolare Phase in qualibet vrbium tuarum; sed in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus; vt habitet nomen eius ibi*: scilicet vbi Domini templum, vel Tabernaculum erit. Porro dicens *in ciuitatem ad quemdam*, futuri hospitis nomen reticuit, eumque per signa tantùm indicare voluit dicens: *Occurret vobis homo lagenam aquæ baiulans; sequimini eum; & quocumque introierit dicite domino domus, quia Magister dicit: Vbi est refectio mea; vbi pascha cum discipulis meis manducem? & ipse ostendet vobis cœnaculum grande stratum, & illic parate nobis. Et abierunt discipuli, & venerunt in ciuitatem, & inuenerunt sicut dixerat illis*, vt habetur Marci 14. Cur Dominus hospitis nomen reticuerit, plures afferuntur rationes. Prima est Ambrosij dicentis: *Sciebas, Domine, nomen eius, cuius sciebas ministeriũ, cuius sciebas occursum. Sed ideo sine nomine designatur vt ignobilis æstimetur.* Sed contra est primo, quia non ita ignobilis erat, vt amplas ædes non habuerit, in quarum superiore loco *cœnaculum grande stratum* iam parauerat. Secundò licet talis hospes pauper fuerit, adhuc bene Gregorius homil. de diuite Epulone, & paupere Lazaro ait: *Notandum est, quia in populo plus solent nomina diuitum, quam pauperum sciri: Dominus autem nomen pauperis dicit, & nomen diuitis non dicit; quia Deus humiles nouit, atque approbat, superbos ignorat*; hoc est tales æstimat, vt velut ignoti, & ignobiles noto nomine apud eum indigni sint. Ex paupertatis ergo causa hospitis illius nomen à Domino non reticendum, sed exprimendum potius erit.

Ierosolymæ tantùm Pascha erat celebrandum.

C

Ambros. in Lucam c. 22. Nomẽ hospitis Dominus Pascha celebraturus cur reticuit? hic, & sequentibus.

D

Lucæ c. 16. Pauperum potius, quã diuitum nomina Dominus exprimit.

22. Secunda ratio affertur ab Hilario dicente: *Hominem, cum quo pascha celebraturus esset, non nominat; non enim Christianus honor credentibus erat præscitus*, id est præcognitus, & manifestus. Sed ex hac Hilarij ratione multa alia nomina in Euangelio fuissent reticenda.

E

23. Tertia ratio est Chrysostomi: *Dicendo ad quemdam, ostendit, quòd ad ignotum hominẽ mittit, monstrans hinc quoniam poterat non pati; qui enim menti huius persuasit, vt eos susciperet; quid non operatus esset in his, qui eum crucifigebant; si tamen voluisset non pati? ego autem non admiror so-*

A

lùm, quòd eum suscepit ignotus existens; sed quòd suscipiendo Christum, multorum odium contempsit. Sed contra hanc Chrysostomi rationem est, quòd ex infra dicendis hospes ille non antea plane discipulis ignotus fuisse probabilius videtur: præcipue cum discipuli tanquam de magistro hospiti iam noto dixerint: *Magister dicit: Tempus meum prope est* &c.

24. Quarta ratio Rabbani mystica potius, quàm litteralis est: *Nomen prætermittit, vt omnibus verum pascha celebrare volentibus, Christum hospitio suæ mentis suscipere facultas danda designetur.*

25. Quinta ratio similiter mystica est Hugonis Card. dicentis: *Ad quemdam indeterminatè, quia nullus est, ad quem Dominus aliquando discipulos suos non mittat.* Ad id affert verba, quæ habentur Iob 37. *Nubes spargunt lumen suum, quæ lustrant per circuitum, quocunque eas voluntas gubernantis duxerit; ad omne quod præceperit illis super faciem orbis terrarum: siue in vna tribu, siue in terra sua, siue in quocunque loco misericordiæ suæ eas iusserit inueniri.*

26. Sexta ratio probabilior videtur, nempe Dominum futuri hospitis nomen reticuisse, eumque tantùm futuris indiciis præsignificasse; primò, vt suam futurorum præscientiam discipulis indicaret; & ex ea suam passionem vitare posse ostenderet. *Maiestatem Diuinitatis aduerte: cum discipulis loquitur. & iam nouit quid alibi sit futurum*, ait Ambrosius. Secundò, vt discipulorum obedientiam exerceret, cum ad incertum ipsis hospitem mitterentur.

Ambros. in Lucam lib. 10. c. 22.

27. Quinam fuerit hic in paschali cœna Domini hospes, varia est auctorum sententia. Nicephorus lib. 1. Hist. 28. & Cedrenus in annalibus censent fuisse Ioannem Euangelistam. Sed contra est, quia Luc. 22. de Domino dicitur: *Misit Petrum & Ioannem dicens: Euntes parate nobis pascha, vt manducemus. At illi dixerunt: Vbi vis paremus? Et dixit ad eos: Ecce introeuntibus vobis in ciuitatem, occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans; sequimini eum in domum, in quam intrat; & dicetis patrifamilias domus: Dicit magister: vbi est diuersorium, vbi pascha cum discipulis meis manducem? Et ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum.* Ex quibus verbis satis patet domum illam non Ioannis fuisse; neque ei bene notam: sed illius patrisfamilias, de quo ibi dicitur. Neque dici potest patremfamilias illum fuisse Zebedæum Ioannis patrem: à patre enim in paterna domo satis sibi nota non quærendum erat à Ioanne: *Vbi est diuersorium* &c. Neque Zebedæus tanquam ignoto, ostendisset filio cœnaculi locum. Vbi notandum est non patremfamilias, sed eius famulum amphoram aquæ portasse. Quamuis Ambrosius aliter sentiat dicens: *Vtinam mihi contingat amphoram aquæ portare, quam portat paterfamilias habens in superioribus stratum magnum.*

Hospes Domini in vltima cœna quinam fuerit? hic, & sequentibus.

Ambros. supra.

28. Secundò alij teste Theophylacto paschalis cœnæ domum asserunt fuisse Simonis illius leprosi, quem falso apochryphi libri, vt apud Nicephorum legitur, Patrem Lazari fuisse tradunt. Sed contra est, quia cum Dominus ad parandam cœnam discipulos misit, in Bethania erat; ibique ante sex dies Paschæ in domo Simonis leprosi cum Apostolis cœnauerat; ideoque Simon leprosus satis Apostolis notus erat; & consequenter ad eum Apostolos mittens Dominus non dixisset: *Ite in ciuitatem ad quemdam*; tanquam eos ad ignotum hospitem mitteret.

Nicephorus lib. 1. c. 27.

29. Tertiò Euthymius, Iansenius, & Maldonatus censent domus illius dominum fuisse vel Iosephum ab Arimathêa, aut Nicodemũ, aliumue ex occultis Domini discipulis. Quæ sententia si admittatur, talem hospitem non amplius occultum Domini discipulũ esse voluisse dicendum est: de eo enim bene Chrysostomus ait: *Suscipiendo Christum multorum odium contempsit.* In proficiente enim sub Christi magisterio *perfecta charitas foras mittit timorem.* (Epist. 1. Ioa. cap. 4. 18.) Ideo idem Ioseph ab Arimathêa prius *discipulus Iesu occultus propter metum Iudæorum*: vt dicitur Ioan. 19. 38. postea *audacter introiuit ad Pilatum, & petiit corpus Iesu*, vt dicitur Marci 15. 43.

30. Quartò Alexander in vita Sancti Barnabæ apud Surium to. 3. probabilius asserit cœnaculi domum fuisse Mariæ, cuius filius fuit Ioannes cognomento Marcus Barnabæ consobrinus: de qua domo dicitur Actor. 12. 12. Petrus ab Herodiano carcere liberatus, *Venit ad domum Mariæ matris Ioannis, qui cognominatus est Marcus, vbi erant multi congregati, & orantes.* Alexandro subscribit Baronius anno Christi 34. Ioannes ergo cognomento Marcus paterfamilias fuit, de quo Dominus dixit: *Dicetis patrifamilias domus: vbi est diuersorium, vbi pascha cum discipulis meis manducem?* Pater autem familias dicitur, qui primus est, & imperium habet in familiam, quamuis conjugem, liberosque non habeat; talis in domo materna Ioannes cognomento Marcus erat. Huius meminit Apostolus 4. ad Coloss. 10. dicens: *Salutat vos Aristarchus concaptiuus meus, & Marcus consobrinus Barnabæ, de quo accepistis mandata: si venerit ad vos, excipite illum: & Iesus, qui dicitur Iustus; qui sunt ex circumcisione. Hi soli sunt adiutores mei in regno Dei, qui mihi fuerunt solatio.* Et 2. ad Tim. 4. *Marcum assume, & adduc tecum; est enim mihi vtilis in ministerium.* Ad Philemonem vers. 23. *Salutat te Epaphras concaptiuus meus in Christo Iesu, Marcus, Aristarchus, Demas, & Lucas adiutores mei.* Actor. 15. 39. dicitur: *Facta est dissensio; ita vt discederent ab inuicem: & Barnabas quidem assumpto Marco nauigaret Cyprum; Paulus verò electo Sila profectus est.* Vbi bene Chrysost. ait: *In hac quæstione audiendum, non quod diuersi fuerint in sententiis; sed quod alteri morem gessit. Vnde ex discessione magnum bonum fuit*: Scilicet communicatio Euangelicæ lucis in diuersis prouinciis. Quare subdit Chrysostomus: *Mihi videtur etiam consultò consentio illa facta; & quòd inter se dixerint: Quoniam ego non volo, nec tu vis; ne pugnemus: distribuamus prouincias. Et ita sibi multum cedentes hoc fecerunt. Vtinam & nos tales secessiones faceremus, & sic ad prædicandum abiremus.* Hæc autem ad tempus dissensio, & secessio non impedimento fuit, quominus iterum simul ad fructificandum in animarum salute maxima concordia, & charitate non conuenerint; vt ex supra citatis Apostoli locis patet. Baronius contra sententiam Origenis, Oecumenij, Euthymij, & aliorum, bene probat Ioannem cognomento Marcum, alium esse à Marco Euangelista. Huius solemnitas celebratur 25. Aprilis: illius verò Septembris 25. his verbis in Martyrologio: *Biblis in Phœnicia S. Marci Episcopi, qui & Ioannes à B. Luca nominatur.*

Ioannes cognomento Marcus, Domini hospes in vltima cœna alius ab Euangelista Marco.

31. De sanctissimo illo cœnaculo, vbi sanctus Ioannes cognomēto Marcus, Dominum excepit Adrichomius in descriptione Ierusalem num. 6. ait: *Cœnaculum Sion situm circa medium montis Sion, magnum stratum, & ornatum erat: in quo* A *Christus in vltima cœna agnum paschalem cum Apostolis comedit, eorum pedes lauit, & mensæ accumbens sub panis, vinique speciebus corporis, & sanguinis sui sacramentum instituit. Inibi die resurrectionis ianuis clausis ingressus, stans in medio discipulorum eis sui lateris, manuum, & pedum vulnera conspicienda præbuit, & coram illis comedit: deinde insufflando dedit eis Spiritum sanctum; simul & potestatem remittendi, & retinendi quorumcumque peccata. Octauo post die hic Thomæ Apostolo lanceæ, & clauorum vestigia videnda, & palpanda exhibuit. Isthic, & post ascensionem Domini Matthias in Iudæ proditoris Apostolatum sorte subrogatus est. Ibidem die Pentecostes Spiritus sanctus* B *vehementi cum sonitu ignearum linguarum specie super centum viginti credentes descendit: ac prima Petri concione ter mille Iudæi conuersi sunt, & baptizati. Ibidem Iacobus frater Domini cognomento Iustus primus Ierosolymorum Episcopus ab Apostolis est creatus: atque Stephanus, & reliqui sex Diaconi sunt ordinati. Ibidem Apostoli primum celebrasse concilium, & in sua diuisione Apostolicum catholicæ fidei Symbolum condidisse videntur. Eodem hoc loco Helena Constantini Imperatoris mater amplissimum longè, latéque extruxit templum.* Addit ibidem Andrichomius, quod Christianis profectò, in templis, sacrisque locis venerandis maximam verecundiam inicere potest; *In præfato cœnaculi loco ædificatum est monaste-* C *rium Franciscanorum. Anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo primo Turcæ Franciscanis in aliud cœnobium intra vrbem translatis, ex eodem monasterio palatium sibi fecerunt; locumque hunc in tanta habent veneratione, vt non nisi discalceati eum intrent.*

Nos vltimũ pascha celebrauit, vbi fuerit; & quæ in eo facta sint.

Sacra Christianorum loca etiam Turcis venerationi sunt.

32. Cœnaculum in superiori domus parte construi solitum habetur ex Festo lib. 3. & Varrone lib 5. de Latina lingua. De mystico cœnaculo dictum est feria 5. maioris hebdomadæ num. marginali 33. Mysticè etiam de hoc in superiori domo cœnaculo Ambros. lib. 10. in Luc. c. 22. ait: *Quomodo in superioribus habes stratum magnum? Vt meritum eius aduertas; in quo Dominus cum discipulis sublimium virtutum eius delectatione requiesceret.* D

Magister dicit: Tempus meum prope est: apud te facio Pascha cum discipulis meis. Et fecerunt discipuli sicut constituit illis Iesus, & parauerunt pascha.

33. Tempus suum passionis suæ tempus vocat: eodem sensu iuxta Chrysost. fer. 5. Dominicæ passionis Dominus dixit: *Tempus meum nondum venit*: & fer. 5. Dom. 4. dicitur: *Nondum venerat hora eius.* Vide ibi dicta.

34. Marci cap. 6. 21. dicitur: *Cum dies opportunus accidisset, Herodes natalis sui cœnam fecit* E *Principibus &c. Et misso spiculatore præcepit afferri caput Ioannis in disco.* Conuiuali ergo Herodis tempore sanctus Domini præcursor vita est spoliatus. Præterea apud Hebræos cum oues suo vellere nudarentur, conuiuia celebrabantur 2. Reg. 13. *Vocauit Absalom omnes filios Regis, venitque ad Regem, & ait ad eum: Ecce tondentur oues serui tui: veniat ergo Rex cum seruis suis. Feceratque Absalom conuiuium quasi conuiuium Regis.* Dominus similiter, qui oui ad necem ductæ, & agno cum tondetur comparatur Isaiæ 53. *Sicut ouis ad occisionē ducetur, & quasi agnus corā tondente se obmutescet*; cum sẽ spoliis, pelle, & vi-

Paschatis die cur Dominus mori voluit.

Isaiæ c. 53.

Cœnaculũ, vbi Domi-

ta per flagella, & crucem nudandum nosceret; id solemni Paschatis conuiuio celebrare voluit; quo mansuetus, & innocens Dei Agnus futuræ suæ detonsioni præluderet.

Verba realia pro mentalibus ponuntur.

35. *Apud te facio pascha cum discipulis meis*, id est facere statuo. Nam in Scriptura sacra ex Hebræa phrasi sæpe verba realia pro mentalibus ponuntur. Sic Eccli. 24. de sanctissima Christi humanitate dicitur: *Ab initio, & ante sæcula creata sum, id est præuisa creari quoad humanitatem, cuius pars fuit anima à Deo creata*, vt ait Hugo in Apocalypſ. 13. Sic 2. ad Timoth. c. 1. 9. Apostolus ait: *Secundùm gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora secularia*: data, id est dari decreta. Sic Exodi cap. 5. 10. dicitur: *Non do vobis paleas* id est non dare decerno. Similiter Apoc. 13. Christus Dominus dicitur: *Agnus occisus ab origine mundi*, id est præuisus, & prædestinatus ab æterno occidi in tempore; vt ibi explicant Hugo Gagnæus, Valentia 3. par. q. 19. disp. 1. puncto 3. Vasquez 3. par. par. disp. 77. num. 66. & alij. Sed cur ab origine mundi; cum ab æterno fuerit Dei præuisio, & decretum? *Ab origine*, id est *ante originem* interpretatur Hugo. Vel iuxta eundem Hugonem, Dei agnus dicitur ab origine mundi occisus in Abel, & cæteris membris suis: vel significatus est occidi in morte Abel, & aliorum; vel in agno quem immolauit Abel. Occisus ergo Christus dicitur non in se, sed in suis typis, & figuris; vt præter Hugonem interpretatur Ambrosius, Anselmus, Ausbertus. & Paulinus epist. 25. ad Aprum, dicens: *Ab initio seculorum Christus in suis patitur, & triumphat. In Abel occisus est à fratre: in Noe irrisus est à filio: in Abraham peregrinatus; In Isaac oblatus; in Iacob famulatus: in Ioseph venditus: in Moyse expositus & fugatus: in Prophetis lapidatus, & sectus; in Apostolis terra, marique iactatus: in Martyribus toties, & tam varie occisus.* Quare cum hic dicitur, *Fecerunt discipuli sicut constituit illis Iesus, & parauerunt Pascha*, id est paschalem agnum; tunc in paschali agno tanquam in sua figura Christus Dominus corpore absens, sed cognitione præsens, futuram suam passionem meditabatur. Cum agnus excoriabatur, se coram persequentium Iudæorum multitudine suis vestibus spoliandum recogitabat: cum acuto ferro transfixus prunis assandus exponebatur agnus, se clauis, & lancea transfigendum, illorumque odio expositum, & opprobriis præuidebat, de quibus iam antea Psal. 115. dixerat: *Exarserunt sicut ignis in spinis.*

Agnus occisus ab origine mundi quomodo Christus dicatur.

Vespere autem facto discumbebat cum duodecim discipulis suis.

Paschatis solemnitas, & celebrandi ritus.

36. DE Paschatis celebritate, de ritu immolandi, & comedendi Paschalem agnum egregie disserit Ribera lib. 5. de Templo cap. 3. Præterea aliqua dicta sunt fer. 5. maioris hebd. num. marginali 53. & 55. & fer. 5. Dominicæ pass. num. 65. de discumbentium situ apud veteres est dictum. Insurgit hic ex allatis Matthæi verbis difficultas. Cum Exod. 12. de paschali agno præcipiatur: *Sic comedetis illum: renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus vestris, tenentes baculos in manibus, & comedetis festinanter*. Ex his verbis colligi videtur à stantibus, non à recumbentibus paschalem agnũ esse comedendum. Quod expressè docet Philo lib. de sacrificio Abelis, & Caini dicens: *Præceptum est, vt accincti lumbos Pascha celebrent; & induti calceamenta. Itemque recti firmatis pedibus habentes virgam in manibus*. Huic ritui consona non videntur, Matthæi verba de Domino in paschali cœna dicentis: *Discumbebat cum duodecim discipulis suis.* Respondet primò Ribera citato loco in fine: *Vnde nonnulli dixerint illos stantes comedere agnum solitos esse, nescio. Dixit id quidem Philo: Sed si id verè sensit, ne ille errauit: nam neque ex Hebræo, neque ex Græco id colligi potest: & Ioannes 13. cum ex multorum consensu de cœna agni locutus fuerit, inquit: Surgit à cœna, & ponit vestimenta sua: postea: Cum recubuisset iterum, dixit eis &c.* Sed pro sententia Philonis, & aliorum dici potest standi situm ex eo colligi, quia ad significandum festinũ ex Ægypto egressum, calceamenta in pedibus, & baculos in manibus haberi, & festinanter comedere præcipitur: ad hoc autem exequendum standi, non recumbendi situs aptus videtur. Verba autem Ioan. 13. non de cœna legali, sed de communi intelligenda esse diximus fer. 5. maioris hebdomadæ.

Agnũ Pascha⁊ Dominus an discumbẽs an stans comederit.

37. Respondetur igitur secundò verba interdum non secundum proprium specificum, sed secundùm genericum significatum esse accipienda. Sic stare quamuis propriè pro recto situ accipiatur; nihilominus interdum tantùm præsens esse significat, vt probauimus fer. 5. Dom. pass. num. marginali 64. Sic inaugurare, dicare, & consecrare significat; quia apud ethnicos nefas erat quempiam in dignitatem aliquam, aut sacerdotium assumi; aut ædem alicui Deorum consecrare; nisi ex auibus propitio sumpto augurio: nihilominus adhuc sine tali auium augurio eumdem dicandi, & consecrandi significatum retinet. Idem dicendum de verbo auspicandi, quod etiam ex auium obseruatione olim est dictum. Cruciare non tantum cruce, sed qualibet pœna aliquem afficere significat. Præterea quoniam olim sponsæ dum viro tradebantur, nubere, hoc est caput velare solebant; factum est vt nubere vsurpetur pro viro tradi; etiam si caput sponsa non velet, sed ornet. Ex sacra Scriptura exempla duo afferri possunt. Psal. 49. 14. dicitur: *Immola Deo sacrificium laudis.* Ad quod sacrificium ridiculè aliquis dixerit adhiberi molam, hoc est ex farre tosto, & sale conspersionem; eo quòd immolare, eo propriè ritu sacrificare significet. Libare est primis labris degustare; quod fiebat antequam in sacrificio liquor aliquis effunderetur. Nihilominus 2. Reg. 23. cum Dauid suæ ne siti vllo modo satisfaceret, allatã e Bethlemia cisterna aquã *Noluit bibere, sed libauit eam Domino*: tunc eam, ne summis quidem labiis degustasse censendum est. Quare libauit, idem ibi est, ac absolutè sacrificauit. Quo significatu etiam ab Apostolo dicitur: *Ego enim iam delibor* hoc est sacrificor, 2. ad Tim. 4. Simili modo cum ab Euangelista de Domino dicitur: *Discumbebat cum discipulis suis*; verbum discumbere, ad mensam se sistere absolutè significat. Discumbendi autem verbum potius Euangelista vsurpauit, eo quòd præter agni esum prolixiorem communem cœnam significare vellet: in qua Dominus cum discipulis propriè discubuit.

Stare interdum non rectum situ significat, sed tantum esse præsens. Verba interdum non primũ proprium significatum retinent.

Et edentibus illis, dixit: Amen dico vobis, quia vnus vestrûm me traditurus est.

38. IVdæ suppresso nomine, eius famæ benignè Dominus consulere voluit; vt sic eum tum benignitate; tum ob excogitatam proditionem ipsi Domino iam notam, ad resipiscendum alliceret.

Famæ Iudæ Dominus benignè consuluit.

alliceret. Eiuſdem proditoris famæ bis antea etiam Dominum conſuluiſſe vidimus; nempe Sabbato poſt Domin. 1. prope initium: & fer. 2. maior. hebdom. num. margin. 58. Porrò allata Domini verba de proditore Matthæum per figuram Prolepſim, hoc eſt, anticipationem, retuliſſe aliqui cenſent; cùm eadem verba poſt ſacræ Euchariſtiæ inſtitutionem Lucas referat cap. 22. 21. Sed probabilius cenſeo ea verba ſuo loco ante Euchariſtiam Matthæum retuliſſe: nam antequam Euchariſtiam ſumeret Iudas, ad reſipiſcendum, & pœnitendum verbis illis erat excitandus. Quod ſi verba eadem poſt Euchariſtiam à Luca referuntur; ea iterum à Domino repetita fuiſſe bene autumat Auguſtinus. Cum Dominus ſuo exemplo non ſemel, ſed ſæpe peccatores monendos eſſe docere voluerit: idque etiam iuxta Apoſtoli monitum Timotheo dicentis: *Argue, obſecra, increpa in omni patientia.*

Auguſt. lib. 3. de conſenſu Euangeliſt. cap. 1.
Epiſt. 2. c. 4.

39. Quæri hîc poteſt cur ab Apoſtolo Dominus prodi permiſerit; & cur Iudam, quem proditorem futurum nouerat, in Apoſtolum elegerat? Reſpondet Cyrillus eodem modo à Deo quæri poſſe: *Cur in Regem Saulem elegiſti, quem ſciebas gratiam tuam eſſe ſpreturum? Immo cur primum à terra hominem formaſti, quem non ignorabas mandatum non ſeruaturum? Cur Angelorum naturam creaſti, cum vt Deus preuideres futuram nonnullorum rebellionem?* His reſpondet Cyrillus: *Rationali creaturæ liberam poteſtatem Creator largitus eſt, & ſuæ voluntatis habenas cuique commiſit; vt in eo ſit quidquid probauerit eligere. Qui ergo ad meliora flexi ſunt, hi gloriam, atque retributionem electioni ſuæ conſentaneam inuenient: qui verò improbis cogitationibus ſeipſos deprauauerunt, cupiditatum fluctibus ad ſcelera deducti, non iniuriá, vt ingrati, atque improbi æternis vexabuntur ſupplicijs. In hoc ſtatu libertatis fuit Angelorum natura conſtituta. Quare qui principium ſuum ſeruarunt, in gratia confirmati, ſtabilem, atque firmam bonorum poſſident ſedem. Qui autem principio relicto ſuo ad peiora delapſi ſunt, catenis tenebrarum ſeipſos adſtrinxerunt, & perpetuæ damnationi ſeruantur, ſic primus parens in Paradiſo, & ſpiritualibus delicijs, ac gloria poſitus ſeruaſſet prima profectò naturæ bona, niſi crimine inobedientiæ mandata ſibi diuinitus neglexiſſet. Sic Saulem vnxit in Regem; fuit enim primò non improbus; cumque poſtea ſolitam ſibi probitatem non ſeruaret, non iniuria vexabatur. Sic Iudam ipſum elegit, & cum duodecim collocauit; aptus enim initio erat, qui ad ſequendum Chriſtum eligeretur. Verùm quia poſtea ſenſim turpi quæſtu victus diabolo adhæſit; & ad prodendum vſque perlapſus eſt, meritò repulſus fuit. Nihil ergo in eum poſſumus dicere, qui probum elegit; qui ſi voluiſſet, non cecidiſſet.*

Cyrillus in Ioan. l. 9. c. 10
Iudam proditorem futurum, & vt talem à Domino præcognitũ cur in Apoſtolum elegit.
Iudas initio non improbus.

40. Reſpondens ſecundo Ambroſius loquens de Adamo, quem præuaricaturum Deus ſciens, ei tamen præceptum dedit; & de Iuda, quem proditurum ſciens, elegit, ait: *Accipiant qua ratione Dei filius vel preuaricaturo mandauerit, vel elegerit proditurũ. Venerat Dominus Ieſus omnes ſaluos facere peccatores; etiã circa impios oſtendere ſuam debuit voluntatem. Ideo nec proditurum debuit praeterire; vt aduerterent omnes: quòd in electione etiam proditoris ſui, ſeruandorum omnium inſigne prætendit: nec in eo læſus eſt vel Adam, quia mandatum excepit, vel Iudas, qui electus eſt. Non enim neceſſitatem Deus vel illi præuaricationis, vel huic proditionis impoſuit. Quia vterque ſi quod acceperat, cuſtodiſſet, à peccato potuit abſtinere. Ergo non in mandante culpa eſt, ſed in præuaricante peccatũ eſt. Et quod in Deo fuit, oſtendit omnibus, quod omnes voluit liberare. Nec tamen dico, quia præuaricationem neſciebat futuram; immo quia ſciebat, aſſero: ſed non ideo pereuntis proditoris inuidiam in ſe debuit deriuare; vt adſcriberetur Deo, quòd vterq; ſit lapſus. Nunc vterque redarguitur, atque conuincitur; quia mandatum, ne laberetur, accepit; & hic in Apoſtolatus munus adſcitus eſt; vt vel beneficio Dei reuocaretur à proditionis affectu: ſimul vt dũ alij reuincuntur, prodeſſet omnibus.* Similiter S. Leo ſer. 16. de Paſſ. *Quod Dominus furorem frementium pati voluit, in nullo auctor eorum criminum fuit: nec egit, vt hæc vellent; ſed ceſſit, vt poſſent: & ſicut ſuit eſt obcæcata plebis inſania, quo modo perfidia traditoris; quem ab immanitate concepti ſceleris beneficijs eſt reuocare dignatus, & verbis; aſſumendo in diſcipulũ, prouehendo in Apoſtolum, monendo ſignis, conſecrando myſterijs; vt nihil beneuolentiæ deeſſet ad correctionem, nihil occaſionis ſupereſſet ad crimen.* De eadem quæſtione vide Hieron. 3. contra Pelag.

Ambroſius lib. de paradiſo cap. 8.

41. Porrò cur ab Apoſtolo Dominus prodi permiſerit, præter cauſam ſeruandi Iudæ libertatem, aliæ à S.S. P.P. afferuntur. Prima eſt, vt cognita Iudæ Apoſtoli proditione, & perditione, nemo ſibi fidat, ſed cuſtodiat ſeipſum. *& animã ſuam ſolicite:* iuxta Apoſtoli monitum: *Videte fratres quomodo cautè ambuletis:* & *qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.* Ideo Hieronymus ait: *Non ſtatim qui eligitur, teneri non poteſt: quia & Saul electus in Regem & Iudas in Apoſtolum, ſuo poſtea vitio corruerunt.* Hinc Aug. l. de bono Perſeu. c. 8. monet: *Vtile eſt omnibus, vel penè omnibus, vt quales futuri ſint, ſcire non poſſint; vt quiſque dũ neſcit, an ſit in bono perſeueraturus, humiliter, ac ſollicitè Dei gratiã imploret; cũ eáq; caſũ cauere, et in gratia perſeuerare ſatagat.*

Prodi ab Apoſtolo cur Dominus permiſerit, afferuntur rationes octo.
Deuter. 4. 9.
Ad Epheſ. c. 5. 15
1. ad Cor. c. 10.
Hieron. in Ezech. cap. 20.

42. Secunda cauſa eſt ad patientiæ documentũ, & ad Domini benignitatem agnoſcendam. Ideo Ambroſ. ait: *Eligitur Iudas non per imprudentiam, ſed per prouidentiã. Quanta eſt veritas, quã nec aduerſarius miniſter infirmat! Quanta moralitas Domini, qui periclitari magis apud nos iudicium ſuum, quàm affectũ maluit! Svſceperat enim hominis fragilitatẽ; & ideo nec has partes recuſauit infirmitatis humanæ. Voluit deſeri, voluit prodi; voluit ab Apoſtolo ſuo tradi; vt tu, ſi à ſocio defectus ſi à ſocio proditus fueris, moderatè feras tuũ erraſſe iudiciũ, periiſſe beneficiũ.* Similiter Aug. de Dño ait: *Habuit inter Apoſtolos vnũ, quo malo vtẽs bene, & ſuæ paſſionis diſpoſitũ impleret, & Eccleſiæ ſuæ tolerandorũ malorũ præberet exemplũ.* Idẽ in Pſ. 34. docet Aug.

Ambroſ. lib. 5. in Luc. c. 6.
Auguſt. l. 8. de Ciuit. c. 49.

43. Tertia affertur à S. Thoma in Matth. c. 10. *Vt daret documentum, quod dignitas ſtatus non ſanctificat hominem.* Perpendant hanc rationem Eccleſiaſtici, ſi cum Iuda damnari nolint.

44. Quarta affertur ab Hugone Card. in Pſ. 40. *Ne homo ponat ſpem ſuam in homine.* Ideo ſer. 17. dicitur: *Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum;* ſcilicet vt ab homine carneo, adeoque fragili auxiliare brachium ſperet. Seu ponit ſuper carnem brachiũ ſuum, vt in ea ſecurè innitatur: Qui enim labenti innititur, neceſſe eſt, vt cum labente labatur. Sed cur de homine in homine carneo confidente ſubditur: *Erit quaſi myrica in deſerto?* De myricis ait Ambroſ. *In aquoſis, & in deſertis contrario quodam vſu hæc virgulta naſcuntur.* Similis ergo myricis eſt, qui cum in Deo cõfidere poſſit, in homine cõfidit. Is enim in hominis ſterilitate vel in putridis aquis irritæ ſpei radicẽ figens areſcere, vel marceſcere eligit; cum *ſecus decurſus aquarum* cæleſtiũ diuinæ gratiæ virorem, & vigorem habere poſſet. Propterea ibidem Ierem. ait: *Benedictus vir, qui confidit in*

Dignitas ſtatus non ſanctificat hominem.
Myricis ſimilis, qui confidit in homine.
Ambroſ. lib. 3. Hexam. c. 16.
Pſal. 1.

L. 6. c. 3. n. 15. Leonem in noxium, si bique obvie que tē Dei ope fretus experitur.

Domine. Erit quasi lignum, quod transplantatur super aquas: non timebit cum venerit æstus. Expertus hoc vltimum, vt in vitis Patrum legitur, Sanctus quidam senex; qui fortè ad vitandum æstum speluncam ingressus: leoni, quem ibi reperit, fugienti Dei ope fretus, securus dixit: *Quid angustiaris? est locus, qui capiat me, & te: si vero nō vis, surgens egredere hinc.* Cui voci obediēs leo, foras exiit. Subditur secundo: *Et erit folium eius viride*; idque etiam post mortem. Ad quod probandum ex Athanasij, eximij in Dei fiducia cœnobitæ iā sepulti pectore cypressus prodiit, ad morbos pellendos valde salutaris; ita vt de tali cypresso verè dici potuerit: *Folia eius ad sanitatem gentium.* Hinc factum est, vt funebris alioquî cypressus, vitalis euaderet. B Subditur tertiò: *In tempore siccitatis non erit sollicitum.* Expertus est hoc B. Helles, qui teste Palladio, in sterili, aridoque deserto ab Angelo pro se, suisque hospitibus alimoniam accepit; cum in Deum sperans fidenter dixisset: *Potens est Deus parare mensā in deserto.* Additur vltimo: *Nec aliquando desinit facere fructum.* fructum scilicet bonorum operum. Multiplicem in Deo sperantis fructum citato Ierem. cap. S. Thomas refert.

Theosteri-tius in funebri de B. Niceta Oratione. Apoc. c. 22. 2. Athanasij sancti viri in sepulti è pectore cypressus prodiit ad morbos pellendos salutaris. Helles vir sanctus in deserto ab Angelo alimoniam habet. Palladius in Lausiaca c. 59. Ps. 77. 19. Fiduciæ in Deo fructus multiplex.

45. Quinta ratio, cur à Iuda Apostolo prodi Dn̄s permiserit, ab Hugone affertur; estque quartæ superius allatæ similis: scilicet, ne homo credat se homini. Ideo Ioa. 2. dicitur: *Ipse Iesus non credebat semetipsum eis; eo quòd ipse nosset omnes:* Et Ier. 12. C *Fratres tui, & domus patris tui, etiam ipsi pugnauerunt aduersum te; & clamauerunt post te plena voce. Ne credas eis cum locuti fuerint tibi bona.*

46. Sexta etiam Hugonis coincidens cum Ambrosij supra allata ratione est: vt homo Christianus discat persecutionem sustinere non solum ab inimicis, sed à domesticis. Ioan. 15. *Non est seruus maior Domino suo: si me persecuti sunt, & vos persequentur.* Ideo ex Michæa cap. 7. Dominus dixit Matth. 10. 36. *Inimici hominis domestici eius.*

47. Septima coincidens cū quinta allata ex eodē Hugone est: Vt homo ab amicis, & familiaribus suis sibi caueat. Ideo Ecclesiastici 6. dicitur: *Ab inimicis tuis separare; & ab amicis tuis attende.* Sicut nimis acerbi, ita nimis dulces cibi ad stomachū D non faciūt. Inimici, quòd nimis acerbi sunt, deuitādi sūt; amici verò quòd nimis dulces; noxia tamē dulcedine. Sed si inter se cōparentur, noxia magis est nimia, & sępe ficta amicorū dulcedo, quā nimia inimicorū acerbitas, Quod Ethnicus Cato benè nouit dicens: *Melius de quibusdam acerbi inimici merentur; quā ij amici, qui dulces videntur: illi enim sæpe verū dicunt, hi nunquā. Nulla enim in amicitiis pestis est maior, quā adulatio, blanditia, assentatio: delet enim veritatē sine qua nomē amicitiæ valere non potest.* Similiter Tullius ait: *Nulla sunt occultiores insidiæ, quā eæ quæ latent in simulatione officij, aut in aliquo necessitudinis nomine. Nam eū, qui palam est aduersarius, facilè cauere possis.* Ideo Antigonus Rex, cum quotidie rogaret Deos, vt se E ab amicis protegerent; interrogantibus cur nō potius ab inimicis? Resp. *Quia hos cognitos vitare possum, illos autem fictos & fucatos cauere non possum.* Prętereà Michęas c. 7. ait: *Vir fratrē suū ad mortē venatur. Qui rectus, quasi spina de sepe. Nolite credere amico.* Cū Dominus Apostolis veluti fratrem se exhiberet; ideoque Magdalenæ dixit: *Vado ad fratres meos:* hinc speciatim de Iuda vna cū Iudęis Dominum ad mortē quęrente proditum est: *Vir fratrem suum ad mortē venatur.* Ideo de eodē Iuda, eiusque sequacibus satellitibus tanquā de venaticis canibus Dominus dixit: *Canes multi circūdederūt me:* Vbi Iustinus legit: *Canes, & venatores circūdederunt me.* Idē enim sollicita indagine venatores erant, & rabido furore canes. A Addit ibi Michęas. *Qui rectus, quasi spina de sepe.* Iudas enim, qui in Apostolorū numero collocatus videbatur rectus, verè tanquā spina Domino fuit; cum ex eius proditione Domini caput spinea corona fuerit transfixū. Addit deniq; Michæas: *Nolite credere amico; & nolite confidere in duce.* Vbi Iudas pręcipuè indicatur; de quo Dominus dixit: *Dux meus, & notus meus:* & *qui fuit dux eorum, qui cōprehenderunt Iesum,* vt dicitur Act. 1. 16. Allatis Michęæ verbis consonat Ier. c. 9. 4. *Vnusquisque se a proximo suo custodiat; & in omni fratre suo non habeat fiduciam.*

Cato apud Ciceronē de amicitia. Adulatio quā noxia. Tullius de amicitia. Amici ficti inimicis magis noxij. Apud Plutarchum. Ioan. c. 20. 17. Psal. 21. 17. Iustinus in Triphonem. Psal. 54. 14.

48. Octaua ratio cur à Iuda Apostolo Dominus se prodi permiserit, iuxta Hugonē etiā est: B *Vt ostenderet, quod domestici efficaciores sunt ad nocendū.* Ad id probandum affert Hugo testimonium Gregorij dicētis: *Cum diabolus se proprijs viribus nihil aduersum nos proficere conspicit, per linguas nobis adhærentium sæuit.* & Hieronymi, qui ait: *Nulla pestis efficacior ad nocendum quam familiaris inimicus.* Quē benè pestē vocat, cū oris halitu lethalē morbū affert.

An Iudas cum ad Apostolatum vocatus est, & aliquanto post tempore iustus fuerit non peccator.

49. DE Iuda duę extremę sunt sententię. Prima est Caianorū hęreticorū, qui per Domini proditionē Iudam non peccasse, sed iustū perseuerasse asserunt. de quibus Aug. to. 6. lib. de hęresib. c. 18. ait: *Caiani sic appellati, quoniā Cain honorant dicentes eum fortissima esse virtutis: simul & Iudā* C *traditorem diuinū aliquid putant esse, & scelus eius beneficiū deputant; asserentes eum præscisse quantū esset generi humano Christi passio profutura; & occidendū Iudæis propterea tradidisse.* De eodē Theodor. lib. 1. hęreticarū fabul. ait: *Caini Iudā proditorē solū ex omnibus Apostolis dicunt hanc cōgnitionē habuisse, et ideo effecisse proditionis mysteriū.* Hanc hæresim, & falsissimā de Iuda sentētiā refellit Epiphan. l. 1. hęres. 38. Tertull. de pręscript. c. 47. Alphons. de Castro. l. 8.

Caiani hæretici Iudā proditione non peccasse asserunt, eumque vt beneficum venerantur.

50. Altera extrema de Iuda sententia negat vnquā Iudā bonū fuisse. Quare Rupertus de Iuda expressè ait: *Hic filius proditionis nunquā bonus fuit; nec de bono electo malus factus est: sed quia malus erat, idcirco ad opus necessariū ab eo, qui malis benè vtitur, electus est: & apud illū semper pro malo habitus est;* D *malo inquam, non nequitia naturali; sed vitio accidentali. Quòd si quis officio prædicādi, et signa faciendi bonum illum fuisse dicat, concedimus ei. Nam & Episcopi mali, quantumuis moribus mali sint, quam diu fidem Catholicam tenent, officio, quod agunt, bonæ arbores sunt.* Similiter Tostat. in c. 10. Matt. q. 43. ait: *Erat Iudas semper malus; & licet talem Christus sciret, tamen elegit cum ceteris.* Quare autem malum elegerit, pergit ibi Tostatus reddere rationem.

Rupertus in Ioan. c. 7. Iudam semper malum fuisse Rupertus asserit, & Tostatus.

51. Inter has extremas sententias media est asserēs Iudam aliquando bonū, iustumq; fuisse. Quam sententiam cōmuniter Patres, sacrique interpretes sequuntur. Tertullianus censet Iudā bonū perseuerasse vsq; ad loculorū officiū. Quod officiū ei Dominus cōmisit, vt auarū eius animū in auaritiæ, pe- E cunięq; cupiditatē procliuē sedaret, vt ait Hieron. & Orig. Ambros. in c. 9. ad Rom. ait: *Saul, & Iudas Scarioth ante fuerūt boni, dicēte Scriptura de Saul 1. Reg. 9. Erat vir bonus, et nō erat illo melior in filiis Israel: & de Scarioth dixit Petrus Apostolus: Qui sortitus est sortē ministerij huius in signis, & prodigiis faciēdis, Quomodo igitur ministeriū salutare sortiretur, nisi esset bonus? Dei iudiciū fuit dignū illū fuisse tempore illo, quo electus est.* Basilius epist. ad Chilonem ait: *Iudæ execranda prolapsio à melioris vitæ rudimētis ad exitū sortis deterrima, satis superq; esse debuerat ad cōmuniendos, tuendosque Dei famulos in via institutæ rectitudinis. Hic namque Christo vbi diutius cohæsisset discipulus, inescatus tandem qualicumque*

Iudas antea iustus, postea iniquus, & præuaricator. Tertull. lib. de anima. Hieronym. in Matth. Origenes hom. 4. in Cantica. Act. c. 1.

Iucilli illecebra, & Doctorem venditioni expoſuit, & per improbam eam negotiationem implicito ſibi laqueo præſocauit gulam. Quare id tibi proſpectum vt ſit, velim frater, ac perſuaſum, non eum qui bene cœpit, continuò debere decerni perfectum. Huic ſententiæ ſubſcribunt Cyrillus lib. 4. in Ioan. cap. 30. Hieronymus contra Pelagium c. 3. & libro 2. contra Iouinian. Chryſoſt. hom. 46. in Ioan. & hom. 1. de Ieiunio. Ammonius in Ioan. c. 6. Leontius ibid. Olympiodor. Eccleſ. 6. Anaſtaſ. Sinaita ſer. de Sanctis tom. 1. Bibliothecæ PP. S. Leo ſer. 16. de paſſ. Euthym. in Luc. cap. 7. qui ad allatam ſententiam probandam benè notat Iudam nondum ex auaritia malum, cùm primo Magdalena Domini pedes pretioſo vnguento vnxit, non murmuraſſe: ſicut in ſecunda eiuſdem vnctione iam auaritia infectus murmurauit. Ad eandem confirmandam ſententiam Iudam miracula feciſſe aſſerit Anaſtaſius Nicænus quæſt. 22. in Scripturam. Olympiodorus ſupra citatus multos ad Euangelicam fidem, & ſalutem conuertiſſe: S. Cyrillus Ieroſolymitanus cum S. Leone ſupra citato dæmones ab obſeſſis corporibus eieciſſe Iudam affirmant.

Cyrill. Cathec. 7.

52. Porrò quòd S. Clemens Romanus 5. Conſtitut. cap. 13. dicat Iudam diu ante proditionem malum fuiſſe, per hoc non negatur Apoſtolatus initio fuiſſe bonum. Matth. 16. 15. cum Domino interroganti: *Vos autem quem me eſſe dicitis?* pro ſe, & pro aliis Apoſtolis reſpondens Petrus dixit: *Tu es Chriſtus filius Dei viui*: ibi S. Gaudentius ait: *Iudas quod corde crediderat, ore confiteri non poterat*: neque per hoc aliquando, ſi non eximio vt Petrus, aliquo tamen fidei lumine Iudam Chriſto verè crediſſe, negatur. In Milleloquiis verbo *Iudas* pro oppoſita ſententia citatur Auguſtinus. Sed Iudam non actu malum, ſed malum futurum præuiſum à Domino, cum eum elegit, tantùm ibi ex S. Auguſtino habetur. Præterea ad perpetuam Iudæ nequitiam probandam, illi cum matre inceſtum tribuitur apud Auguſt. ſer. 28. ad fratr. in Erem. Sed ſermones illos nec Auguſtini eſſe, & leues, & fabuloſos eſſe habendos benè probat Bellarmin. de Scriptoribus Eccleſiaſticis. Quod inter cætera patet ex ſerm. 24. vbi narratur S. Hieronymum Cardinalem fuiſſe, & veſte muliebri indutum à Romanis irriſum. Iudæ quidem inceſtum ſub dubio refertur à S. Antonino 1. par. hiſtor. tit. 6. cap. 15. Eodem ſer. ad fratr. in eremo dicitur Dominus Iudæ matrem à paralyſi liberaſſe, eiuſdemque patrem à lepra mundaſſe: cui ſi fides habeatur, perpendendum eſt præ corporea lepra quàm tenacior ſit ſpiritualis lepra auaritiæ: cum illam in patre Dominus mundauerit, hæc multiplici medela & beneficiorum antidotis à Domino in Iuda leproſi patris filio mundata non fuerit; vt propterea Iudæ immundiciem indicans Apoſtolis Dominus dixerit: *Vos mundi eſtis, ſed non omnes.*

S. Gaudentius 1. 2. Bibliotb. P.P.

Auaritia, quàm lepra, peior, & tenacior.

Ioan. c. 13. 10.

53. Porrò ad ſpiritualem lepram indicandam, auaro corporalis lepræ pœnam inflictam eſſe in Scriptura legimus. Giezi enim, qui ex auaritia peccauerat, Eliſeus dixit: *Lepra Naaman adhærebit tibi, & ſemini tuo in ſempiternum: & egreſſus eſt, quaſi nix, ab eo leproſus.* Præterea in paralyſim incidere dicuntur ij, qui circa mercurium ſæpe verſantur, quem *viuum argentum* appellat Plinius. Iudas paralyticæ matris filius non neruorum, ſed animi diſſolutione in peiorem paralyſim incidit; non quod circa viuum argentum, verſatus ſit, ſed quod pecuniæ argentum mortiferum doloſus acquiſierit, & contrectauerit.

4. Reg. c. 5. Auaritia Iudæ ſpiritualem paralyſim attulit

Plinius l. 33. cap. 6.

Et contriſtati valde cœperunt ſinguli dicere: Numquid ego ſum Domine?

54. QVæritur hic, an ſimul cum reliquis Apoſtolis Iudas etiam dixerit; *Numquid ego ſum Domine?* Affirmat Origenem citans Cornelius, redditque rationem; quia ſi Iudas ſolus tacuiſſet, ſe cæteris Apoſtolis ſuo ſilentio prodidiſſet, aut ſceleris ſuſpectum reddidiſſet. Sed probabilius videtur Iudam cum cæteris Apoſtolis verba illa non protuliſſe. Primò, quia de Apoſtolis dicitur: Contriſtati valdè cœperunt ſinguli dicere: *Numquid ego ſum Domine?* Qua magna triſtitia cum ex amore in Chriſtum Dominum Apoſtoli, non autem Iudas, afficerentur; conſequenter ſicut ex triſtitia; ita ex prolatione illorum verborum Iudas eſt excipiendus. Quod ſi quis dicat vnà cum Apoſtolis reliquis triſtatum etiam fuiſſe Iudam ex motiuo tamen diuerſo; ſcilicet non ex amore in Chriſtum; ſed quòd ſuam proditionem detegi cerneret: Reſpondeo tale effugium non eſſe admittendum; quia poſt Domini de proditore prædictionem Ioannes c. 13. ait: *Aſpiciebant ad inuicem diſcipuli hæſitantes de quo diceret*: ſicut ergo ex tali hæſitatione excipiendus eſt Iudas, quippe qui ſatis ſibi conſcius, de quo Dominus diceret, hæſitare non poterat; ita ex triſtitia eſt excipiendus. Dices hæſitaſſe etiã Iudam non verè, ſed apparenter; ſicut triſtitiam etiam apparenter oſtendit, vt indicat Origenes mox citandus. Quidquid ſit de talibus effugiis, Origenes, & Hieronymus apertè ſentiunt, Iudam non tunc cum aliis Apoſtolis dixiſſe: *Numquid ego ſum Domine?* ſed poſtea tantùm, dato ſcilicet à Domino proditoris ſigno dixiſſe: *Numquid ego ſum Rabbi?* Origenes ergo ait: *Ille quaſi dubitans dixerat: Numquid ego ſum Rabbi? non quidem ſecundum conſcientiam dubitans, ſed fingens de hoc dubitare. Non enim habebat ipſum timorem, quem cæteri Apoſtoli habuerunt; ſed ille ſine timore quaſi timens dicebat. Et ideo forſitan poſt omnium Apoſtolorum ſingillatim interrogationes, & poſt Chriſti narrationem de ipſo, vix aliquando & ipſe interrogauit, quaſi ex cogitatione quodam, & verſuto conſilio, vt ſimilia cæteris Apoſtolis interrogando, celaret interim proditionis ſuæ conſilium. Nam vera triſtitia, & vrgens non ſuſtinet moram, ſicut nec Apoſtolorum ſuſtinuit.* Similiter Hieronymus de Iuda dicens: *Blandientis fingit affectum, ſiue incredulitatis ſignum. Cæteri enim, qui non erant proditurí, dicunt: Numquid ego ſum Domine? Iſte, qui proditurus erat non Dominum, ſed Magiſtrum vocat.* Cur Dominum nominaret, quem vt mancipium vendiderat Iudæis, dicens: *Quid vultis mihi dare? Non certam poſtulat ſummam; ſed quaſi vile tradens mancipium, in poteſtate ementium poſuit quantum vellent dare,* ait idem Hieronymus. Poſita horum Patrum ſententia, rationi contra ſententiam hanc ſupra allatæ reſpondetur, Iudam propria proditionis conſcientia retardatum fuiſſe, ne cum aliis Apoſtolis ſtatim interrogaret: *Numquid ego ſum Domine?* Putaſſe etiam ad ſe celandum ſufficere, ſi ob pronunciatam proditionem, quaſi ſibi planè ignotam, ſibi vocem faucibus hæſiſſe oſtenderet; ſuumque ſilentium ſub confuſo Apoſtolicarum vocum murmure non aduerti.

Origenes in Matt. tract. 35.

Iudas vt vile mancipiũ Dominum vendidit.

55. Excepto ergo Iuda Apoſtoli reliqui ex prænunciato proditionis ſcelere, vehementi dolore perculſi, *ſemimortui* redditi ſunt, vt Chryſoſtomus ait. Benè autem ſemimortui, nam Apoſtolorum cœtum in partes duas diuidendo, ſci-

licet in partem integram, & sanam, reliquos Apostolos comprehendentem; & in partem tabidam, & marcidam comprehendentem proditorem; secundùm hanc semimortui fuerunt, talesque tunc se ex Domini prædictione censerunt: Cum enim propter proditionis scelus ex eorum numero vnum tollendum nossent; cumque proximum quemque, & maxime Coapostolum, vt seipsos amare deberent, hinc Coapostolo ablato, semimortui reliqui visi sunt. Quare Petrus Apostolus, qui olim Domino dixerat: *Verba vitæ æternæ habes*: nunc propter Iudæ scelus Domini verbis prænunciatum, Domino semimortuus dicere potuit: *Verba dolorifera mortis habes.*

Ioan. 6. 69.

56. Secundò cum Apostoli, vt præcipuam sui partem Christum verum Dei filium haberent; ideoque ex toto corde cum Dauide dicerent: *Pars mea Deus in æternum*: hanc sui partem cum per proditionem morti dandam nossent, meritò semimortui reddi debebant.

Psal. 72. 26.

57. Præter eximium in Dominum amorem, Apostolorum tristitiæ causam aliam affert Origenes sequentibus verbis: *Quomodo si bonæ conscientiæ erant vndecim Apostoli, quia mundi erant ab omni Magistri proditione; vt quid contristati sunt de auditu, quasi potuisset fieri, vt vnus esset ex ipsis, de quo dicebatur? Existimo quia vnusquisque discipulorum sciebat ex his, quæ docuerat Iesus, quoniam mutabilis est natura humana; & quoniam in colluctatione aduersus Principatus, & Potestates, & Rectores huius mũdi tenebrarum, potest fieri, vt decidat homo, aut circumuentus, aut vim passus ab aduersariis potentiis ad malum perficiendum. Hoc ergo considerantes vnusquisque discipulorum, ne forte ipse esset, qui præcognitus esset proditor, contristati sunt valde; propterea quod dictum fuerat eis: vnus ex vobis me tradet. Et cœperunt dicere, quasi nescientes singuli futurum, de se: Numquid ego sum Domine?* Hinc bene monet Origenes: *De omnibus futuris timendum est nobis infirmis, qui nondum sapientiam perfectionis accepimus.* Secundùm quam infirmitatem humanam scribens Corinthiis Paulus dicebat: *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo; ne forte cum aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Hunc Pauli timorem admirans Chrysostomus ait: *Paulus hoc timuit, qui tam multos docuit, & timuit postquam prædicauit, & factus est Angelus, & totius orbis terræ defensionem suscepit, & patrocinium. Paulus hoc timuit,* dicere nos etiam possumus, de quo Magister sententiarum ait: *Deus ostendit Paulo vitam, in qua videndus est in æternum. Paulus hoc timuit,* cui idem Chrysostomus ait: *Es trium cubitorum, & ad tertium cœlum peruenis: tertium cœlum pernasisti, & ingressus es in paradisum, & vsque ad Dominicam, quæ mente comprehendi non potest, cathedram ascendisti, & arcana mysteria audisti, quæ non licet homini loqui.* Quare bene Sapiens Prouerb. 28. 14. ait: *Beatus homo, qui semper est pauidus.* Vbi cum Complutensi versione, & Bibliis regiis legitur: *Beatus vir, qui timet omnia ob cautelam.* Beatus enim timor non debet esse, quòd in peccata aliquis inciderit, & inde temporale in hac vita, & in altera æternum supplicium timeat: sed esse debet *ob cautelam*, ne in peccata, quorum ex munda conscientia sibi conscius non est, prolabatur: & hinc omnia timere debet; mundana scilicet omnia, & occasiones omnes, quæ ad peccandum allicere possunt.

Origenes in Matt. tract. 35.

Iusti non quã securi, semper sol liciti, ne in peccatum prolabãtur.

Epist. 1. ad Cor. c. 9.

2. ad Cor. c. 12.

Apud Suriũ to. 3. sub fin.

58. Tobiæ cap. 2. dicitur, *sicut Beato Iob insultabant Reges.* Cur Iob Beatus appellatur, cum talis titulus in sacra Scriptura nulli singulari homini tribuatur? quia scilicet S. Iob timoris beatitudinem, de qua hîc loquimur, præcipuè habebat; de se enim verè ait: *Verebar omnia opera mea.* In quem locum Gregorius post enumeratas singillatim sancti Iobi virtutes, & bona opera plurima, ait: *Quid ergo vir sanctus sua opera verebatur, qui illa semper exhibuit, ex quibus placari Deus erga iniquitates solet? Quid ergo est, quod mira opera faciens, hæc ipse etiam veretur pauens; nisi quod in sancto viro actibus, verbisque colligimus; vt si placere Deo veraciter cupimus, postquam peruersa subegimus, ipsa etiam in nobis bene gesta timeamus? verebar omnia opera mea: ac si humili confessione diceretur: Quæ apertè egerim, video; sed quid in his latenter pertulerim, ignoro.*

Iob cur beatus dictus sit.
Iob c. 9. 28.

59. Præterea cum dicitur, *Beatus homo, qui semper est pauidus*; beatus hic hominis timor esse debet, ne in spiritualia mala, non autem ne in temporalia incidat. Temporalia enim mala siue vitanda, siue subeunda, diuinæ prouidentiæ, & clementiæ arbitrio sunt relinquenda. De spiritualibus malis fidelis Iobi timor erat; de temporalibus verò est Ethnicorum formido. Propterea Ethnico, & ipse Ethnicus Seneca ep. 91. ait: *Cogitanda sunt omnia, & animus etiam in magna felicitate aduersus ea, quæ possunt euenire, firmandus: exilia, tormenta, bella, morbos, naufragia meditare. Potest te patriæ, potest patriam tibi casus eripere: potest te in solitudinem abijcere; potest hoc ipsum, in quo turba suffocatur, fieri solitudo. Tota ante oculos sortis humanæ conditio ponatur; nec quantum frequenter euenit: sed quantum plurimum potest venire, præsumamus animo, si nolumus opprimi; nec vllis insuetis, velut nouis obstupefieri. In plenum cogitanda, atque timenda fortuna est.* Quoniam verò Ethnici inter se consoni non sunt, Ethnicus alius infortunia non esse timenda sic docuit:

Spiritualia mala, non temporalia sunt timenda.

Iustum, & tenacem propositi virum
Non ciuium ardor praua iubentium;
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solida; neque Auster
Dux inquieti turbidus Adriæ:
Nec fulminantis magna Iouis manus.
Si fractus illabatur orbis,
Impauidum ferient ruinæ.

Horat. l. 3. Ode 3.

Sed ad Iob, ne in spiritualia mala incideret, sollicitum redeamus. In hac mortali vita veluti in caliginosa nocte versamur, donec in cœlesti patria *dies elucescat, & Lucifer oriatur.* Nocturno tempore, siue ad exterorum, siue ad domesticorum motum excitatus fidelis canis oblatrat. Talis est sanctus Dei timor iuxta Hugonem: *Timor est fidelis ianitor animæ, comminans mortem æternam latronibus intrare volentibus; latrans vt canis contra eos; adeo sollicitus, quòd etiam amicis oblatret, id est bonis operibus. Vnde Iob cap. 9. dixit: Verebar omnia opera mea. Quia, vt dicit Gregorius, sæpe sordet in conspectu æterni Iudicis quod in intentione fulget operantis.*

Petri ep. 2. c. 1.

Hugo in Prouerb. c. 28.
Timor Dei fideli canis custodiæ similis.

60. Quoniam omnes beatitudinem consequi cupimus, duplicem beatitudinem dari scire debemus. Prima in hac vita, secunda in altera datur. Prima à timore est; secunda ab amore prouenit. Iusti cum viatores sunt, à Dei timore sunt Beati: ita enim Deum amant, vt semper vereantur, ne in eius amore deficiant, eiusque mandata non seruent. *Beatus vir, qui timet Dominum, in mandatis eius volet nimis*, Dauid aiebat. Iusti autem comprehensores videntes, & amantes Deum, à Dei visione, & amore beati sunt. Sed quamuis præ timoris beatitudine, amoris beatitudo sit

Beatitudo duplex, altera ab amore, à timore altera.
Psal. 111.

longè iucundior, & felicior; nihilominus hæc ab illa prouenit. Hinc Psal. 18. dicitur: *Timor Domini sanctus permanens in seculum seculi.* Vbi obiicit S. Thomas, si teste Ioanne *perfecta charitas foras mittit timorem*, quomodo Dei timor in seculum seculi, scilicet per totam æternitatem permanere potest? Respondet S. Doctor, in altera vita sanctum Dei timorem permanere *quantùm ad suipremium. Sicut Psal. 9. dicitur: Patientia pauperum non peribit in finem: Non quòd ibi sit patientia, quia non est ibi tribulatio; sed fructus eius. Sic fructus timoris permanet. Eccli. 1. Timenti bene erit in extremis, & in die defunctionis suæ benedicetur.* Hinc fit, vt Dei seruis sollicitus Dei timor sit tranquillæ securitatis parens.

Ioan. epist. 1. cap. 4.
Timor Domini quomodo permaneat in seculum seculi.

61. Citato Prouerb. loco cum Sapiens dixisset: *Beatus homo, qui semper est pauidus*, subdidit: *Qui mentis est duræ*, seu ex Chaldæo, *qui durus est corde, corruit in malum.* Priora verba ad sanctos vndecim Apostolos spectant: posteriora verò ad Iudam. Auari enim iniquæ pecuniæ cupidi, qualis Iudas erat, iuxta Sophoniam dicuntur *inuoluti argento.* Iudas ergo mentem, & cor veluti argenteis laminis circumdatum, & vndique obduratum habens, *corruit in malum*; in malum scilicet antea pessimi sceleris, deinde æternæ damnationis.

Sophonia c. 1. 11.
Auari inuoluti argento dicuntur; ideo in cordis duritiẽ incurrunt.

At ipse dixit: Qui intingit mecum manum in paropside; hic me tradet.

62. DE Domino Ioan. 13. dicitur: *Cum intinxisset panem, dedit Iudæ.* At Iudam non panem tantum, sed manum in iurulento vase intingere solitum hîc ex Matthæo; itemque ex Marco constat. Vt hinc Iudas non solùm animo, sed etiam corpore immundus; & malè moratus significaretur.

63. De Iuda Dauidis ore vaticinans Dominus ait Psal. 54: *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique. Tu verò homo vnanimis dux meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos; in domo Dei ambulauimus cum consensu.* Vbi iuxta Euthymium Dominus ducem suum Iudam appellat, quia illum simul cum aliis Apostolis ducem fidelibus constituerat, iuxta Psal. 44. vbi de Apostolis dicitur: *Constitues eos Principes super omnem terram*: addit præterea Dominus: *In domo Domini*, seu iuxta Paraphrasten, *in domum sanctuarij Domini ambulauimus cum consensu*, id est: *Vnanimiter in templum profecti sumus: te etenim adeo familiarem habebam, vt à latere meo nunquam pateter diuelli*, iuxta Euthymium. Additur etiam: *Qui simul mecum dulces capiebas cibos*: dulces sanè ipsi materiales cibi erant, quippe qui Domini præsentia dulcissimè condiebantur. Quare benè Ambrosius ait: *Quid de Iuda dicimus, qui prodidit eum, cui copulabatur suauitate conuiuij? Qui edebat panes meos ampliauit super me supplantationem: Alibi: Qui semper mecum dulces capiebat cibos. Quibus versiculis benè vtimur aduersus eos, qui necandos esse crediderint, cum quibus videntur epulati. Gentiles hoc custodire memorantur: hostes plerumque, latrones etiam, vt parcant iis, cum quibus recordentur se inisse conuiuium. Feræ ipsæ pabulorum societate mitescunt. Vnde propter huiusmodi affectum gratiæ conuiualis, si verba consideremus, non otiosè dulces cibos dixit.* Addit Ambrosius: *Vide ne dulces cibos dixerit verba vitæ. Hos enim cibos nulla amaritudo corrumpit; nulla mortis corruptela contaminat.* De his cibis Domino Petrus dixit: *Verba vitæ*

Ambros. in Ps. 40.
Psal. 40.
Psal. 54.
Ioan. c. 6. 68.

A *æternæ habes.* Hos cibos *verbi cælestis alimoniam* vocat ibi Ambrosius addens: *Non enim in solo pane viuit homo, sed in omni verbo Dei.* Hoc mystico cibo sæpè pastus Iudas, nihilominus ex sua nequitia inexplebilem auaritiæ famem non extinxit.

Sermo sanctus, est cibus cælestis.
Matt. 4.

64. Dulces præterea cibos Iudæ datos Dominus dixit eo quod in vltima cœna Eucharisticum panem Iudæ dederit. *Qui simul mecum dulces capiebas cibos, in mensa mysterij*, addit Arnobius. Qui Eucharistiam sumit, dulces sane cibos sumit, cum de ea sub mannæ figura dictum sit Sap. 16. 20. *Paratum de cælo panem præstitisti, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem.* De Eucharistiæ sacramento ait S. Tho. opusc. 58. *Suauitatem huius Sacramenti nullus exprimere potest, per quod spiritualis dulcedo in suo fonte gustatur.* De eodem iuxta eundem S. Thomam Ecclesia ait: *Parasti in dulcedine tua pauperi Deus.* De eodem Psal. 30. dicitur: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti diligentibus te!* Quare iuxta Burgensem, & alios cum de Christo Domino in Eucharistia dicitur Isai. 45. 15. *Verè tu es Deus absconditus*, ibi in se abscondito multitudinem dulcedinis suæ Dominus abscondit: ideoque iuxta Rupertum, & Bedam in Eucharistia Christus Dominus *manna absconditum* dicitur Apocalyps. cap. 2. 17.

B

Eucharistici cibi suauitas.
Psal. 65. 11.
Burgens. 2. par scrutin. dist. 3. c. 6. 10. & 7.

C 65. Hinc ergo proditoris Iudæ scelus augetur; quòd cum dulces in Eucharistia cibos capiebat, & *omnis saporis suauitatem*, tunc proditionem meditaretur. Ei ergo tale scelus impiè meditanti à Domino exprobratur: *Qui simul mecum dulces capiebas cibos.* Sed de diuina dulcedine benè Augustinus ait: *Gustant iusti dulcedinem istam; sed non is, qui palatum de febre iniquitatis perdidit. Febris auaritia est*, ait Augustinus. Hac febre æstuans Iudas palatum ad diuinam Eucharistiæ dulcedinem gustandam non habuit; ideoque ex ea resipiscentiæ fructum non percepit. De Iuda, eiusque imitatoribus indignè cælestem Eucharistiæ panem sumentibus est Abdiæ vaticinium, in D quo Christo Domino dicitur: *Qui comedunt tecum, ponent insidias subter te*: seu iuxta Vatablum: *Viri panis tui infixerunt vulnus.* Quia sacrilegè Eucharisticum panem sumentes *rursum crucifigunt filium Dei*, vt ait Apostolus. Huiusmodi sacrilegi Iudæ imitatores cum Iudæis dicunt: *Mittamus lignum in panem eius*: seu vt vertit S. Thomas, Hugo, & alij, *Corrumpamus panem eius ligno*, hoc est Eucharistiæ panis salutiferam medelam corrumpamus toxico ex venenato taxi ligno, vnde toxicum dicitur Amarum autem, & venenatum taxi lignum, impium sacrilegij peccatum significat. Quare de pace à Iuda, eiusque similibus simulata proueniente, Dominus dixit iuxta Drogonem Cardinalem: *Facta est in pace amaritudo mea amarissima.* Isaiæ cap. 38. 17.

In Psal. 30. v. 20.
Auaritiæ febris palatũ spiritualem corrumpit.
Lib. 4. in Luc. c. 4.
vers. 7.
Ad Hebr. c. 6. 6.
Eucharistiã indignè accipientes rursum Dei filium crucifigere videntur.
Ierem. 11. 19.
Drog. ser. de Pass. Dom.

E 66. Dicunt præterea, *Mittamus lignum in panem eius: Crucem videlicet in corpus Saluatoris*, vt explicat S. Hieronymus: *Rursum crucifigentes filium Dei.* Crucifixus Dominus *in sindone munda* inuolutus, positus est *in monumento nouo, in quo nondum quisquam positus erat.* At Domini corpus in Eucharistia sacrilegè sumentes in immundissimo sordidati corporis tumulo collocant; vbi per peccata diabolus locum habet. De his conqueritur Dominus Psalm. 26. *Appropiant super me nocentes, vt edant carnes meas.* De his in sacris aris ad sanctissimam Eucharistiæ mensam accedentibus verè dici potest: *Factæ*

Hieron. Isa. 38. 17.
Matth. 27. 59.
Luc. 23. 53.
Osee c. 8. 11.

sunt eis ara in delictum. Iudicum 7. Madianitam dixisse legimus: *Videbatur mihi quasi subcinericius panis. Respondit is, cui loquebatur: Non est hoc aliud, nisi gladius Gedeonis.* Ille ergo panis, Gedeonis gladium, & ab eo necem Madianitis proximè inferendam præsignificauit. Non dissimiliter sacrilegi ex Eucharistiæ pane suam perniciem habent.

A

67. Præter allatum vaticinium ex Psal. 54. Iudæ proditionis vaticinium aliud protulit Dominus Ioa. 13. ex Psal. 40. *Qui manducat mecum panem, leuabit contra me calcaneum suum:* seu, vt in ipso Psalmo legitur: *Qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem.* Quod explicans Ambrosius ait: *Ego vidi aliquem puer athletam, cum elisisset aduersarium, frontem ei percussisse calcaneo; quòd signum fuit, quòd insultauerit victo. Hoc est, quod ait: Magnificauit super me supplantationem: Quo verbo insultantis iactantiam declarauit. Leuauit ergo Iudas super Christum calcaneum suum: Et vtique ei pedes lauerat Christus. Sed quod lauit gratia, inquinauit perfidia. Leuauit calcaneum suum, qui fraudulentum osculum porrigebat, quo supplantaret auctorem. Qui supplantat, dolum facit, quo aduersarium elidit, aut vulnerat. Ideo Iudas supplantasse dicitur, quia osculo suo vulnus inflixit, quo inuadendi Saluatoris signum persecutoribus demonstraret. Supplantauit ergo quasi serpens; quia serpens ore venenum infundit, & vulnerat dente calcaneum. Et hic enim non Diuinitatem Christi, sed corporis extremum calcaneum vulnerauit. Leuauit etiam Iudas calcaneum, quasi luctator insolens, & superbus, quo caput percuteret Saluatoris; sed caput Christi ferire non potuit, quia caput Christi Deus. Suum sanè caput informis laquei nodo ligauit, vt remedium sibi salutis auferret.* Quare Iudas Domino mortem machinatus, sibi necem per suspendium procurauit. Ad id indicandum Iudæ dictum est: *Tu verò homo vnanimis:* vbi quamuis vnanimis, quòd vnanimis amicus per simulationem appareret, dictus sit iuxta Haimonem: Nihilominus Ambrosius, vnanimem appellatum fuisse Iudam, tum ad eius peruersitatem, tum etiam ad eius perniciem significandam censet: *Ad aceruandam peccati inuidiam, non dixit: Tu verò seruus meus, Apostolus meus, sed vnanimis meus: hoc est non meus, sed etiam tuus proditor es, qui vnanimem perdidisti.* Porrò cum Iudas vnà cum aliis Apostolis sacram Eucharistiam sumpserit, vt infra dicetur, non solùm vnanimis, sed etiam cum Christo Domino concorporeus dici potuit; sumentibus enim in Eucharistia Christi corpus, Cyrillus ait: *Concorporei, vt ita dicam, & consanguinei Christi facti estis.*

B

Iudas serpenti similis.

1. ad Corinth. c. 11.

Iudas cur vnanimis à Christo dictus sit, ratio duplex.

Ps. 54

Ambros. 3. offic. c. vlt.

Eucharistiā sumentes concorporei, & consanguinei fiūt Christi.

Cyrill. Ierosol. Catech. Mystago. 4.

68. Citato Psalmo 40. de Iuda ad proditionem proficiscente dicitur: *Egrediebatur foras. & loquebatur in idipsum,* vbi Euthymius ait: *Accepta panis buccella Iudas, statim exijt. Quod enim ait: In idipsum; idem significat quod vnà loquebatur, inquit, vnà cum inimicis meis, de iis, quæ ad proditionem spectabant.* Ibidem ait Ambrosius: *Egrediebatur Iudas de fide, egrediebatur de concilio, & numero Apostolorum: Egrediebatur de conuiuio Christi ad latrocinium diaboli: egrediebatur de gratia sanctificationis, ad laqueum mortis. Egrediebatur foras, qui visa interna mysteria relinquebat: Egrediebatur, qui Scriptura interiora non nouerat.* Eodem Psalmo de Iuda, & cum eius proditione conspirantibus Iudæis præscius Dominus addidit: *Aduersum me susurrabant omnes inimici mei.* Susurrandi verbum notans Ambrosius ait: *Non manebat cum Apostolis proditor, qui foras exibat, & cum perfidis susurrabat. Quo verbo vsa est Scriptura diuina demonstrans sine auctoritate esse perfidiam, quæ timet quod loquitur, deprehendi. Fideli autem dicitur: Exalta viribus vocem tuam. En quo deciderat Apostolus Iudas, qui missus erat fidem gentibus pleno auctoritatis præconio prædicare, vt in aurē insusurraret insidiatoribus Magistri sui, quod timeret audiri. Nonne iudicio suo seipse damnauit? Sed erubescebat audiri, quod facere non timebat. Erubescebat, quia aduersus vitæ suæ sanctificationis, & honoris auctorem cogitabat mala, nec gratiam beneficiis rependebat; sed mala pro bonis bono referebat magistro; quod etiam seculi homines damnare consueuerunt. Erubescebat ingratus deprehendi; erubescebat auarus videri; cum pro pecunia auctoris sui salutem proderet. Erubescebat videri perfidus. Similiter & Iudas, &c.*

Iudas cur proditorem se offerens Iudæis susurrasse dicitur.

Isa. 58.

C

69. Sed cur ingratus, & perfidus Iudas citato Psalmo appellatur à Domino *homo pacis meæ,* seu vt legit Hieron. *homo pacificus meus, in quo speraui?* Respondet primò Basilius, Theodoretus, & Ruffin. Iudam dici hominem pacificum, quia pacem, & beneuolentiam simulabat. Respondent 2. Chrysostomus, Hesychius, & Origenes, quia pacis Euangelium prædicauerat; & in eorum numero fuit, de quibus dicitur Matth. 10. *Duodecim misit Iesus præcipiens eis: Euntes prædicate dicentes, quia appropinquauit regnum cœlorum. Intrantes in domum salutate eam dicentes: Pax huic domui.* De iisdem etiam dictum erat iuxta Apostolum Isai. 52. *Quam speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona!* Respondet 3. Cassiod. *Quia Hebræi salutantes, salutato pacem precabantur. Iudas pacem Christo dedit, cum eum salutans osculatus est; pacem loquens, mala habens in corde.* Respondetur 4. Pacificum in Scriptura, pro amico vsurpari; hinc Eccl. 6. 6. dicitur: *Multi pacifici sint tibi,* idest amici. Eo modo ergo, quo infrà Iudam amicum Dominus vocauit, eodē eum pacificum nominauit: Sed de hoc infrà.

Iudas proditor cur homo pacis dictus sit, ratio quintuplex.

Orig. in c. 13. Io.

ad Rom. 10.

D

70. Respondetur vltimo. Iudas à Domino homo pacis meæ est appellatus, quia aliquo præterito tempore, maximè Apostolatus initio, homo iustus, Deoque gratus fuit; vt supra Patrum auctoritate probauimus. Propterea cum eum Dominus *hominem pacis suæ,* nominasset, addidit: *In quo speraui:* quia Iudas iuxta Origenem sincerè aliquo tempore credidit; adeoque pro eo statu sperari poterat, Iudam ab Apostolatu non recessurum, & Euangelicam fidem dilataturum. Addit Beda actu Iudam multos prædicatione, & miraculis conuertisse. Augustinus Christum de Iuda dicendo: *In quem speraui,* id non ex persona propria, sed ex suorum membrorum, nempe fidelium persona dixisse censet; redditque rationem dicens: *Nonne illum ab initio nouerat? Nonne antequam nasceretur futurum sciebat? nonne omnibus discipulis suis dixerat: Ego vos duodecim elegi & vnus ex vobis diabolus est? Quomodo ergo in illum sperauit, nisi quia in membris suis ipse est; & quod multi fideles de Iuda sperauerunt, hoc in se transfigurauit Dominus? Quando ergo videbant Iudam multi, qui crediderunt in Christum, ambulare inter duodecim Apostolos, sperabant in illum aliquid; quia talis erat, quales & cæteri. Christus ergo quia in membris suis erat hoc sperantibus; quo modo in illis est esurientibus & sitien-*

E

Iudas, antequam præuaricaretur, multos prædicatione, & miraculis conuertit.

Origen in c. 13. Ioan.

Io. 6.

Christus interdum loquitur sub persona suorum membrorum, nempe fidelium, quorū caput est.

Matth. 25.

tibus; quo modo dixit: Esuriui; sic dixit: Speraui. Proinde, si sic illi dicamus: Domine, quando sperasti? Quomodo illi dictum est: Domine quando esuristi? Quomodo nobis ibi dixit: Cum vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis: Sic potest dicere: Cum vnus ex minimis meis sperauit, ego speraui.

71. Ambrosius tamen censet ex sua ipsa persona Dominum de Iuda dicere potuisse: *In quem speraui*: non absoluto sensu, sed conditionato; quia per libertatem arbitrij Iudas respicere poterat; adeoque in eum si resipuisset, de eius, aliorumque per ipsum salute sperari poterat. Cum ergo ex arbitrij libertate, & Dei auxilio nunquam deficiente resipiscere peccator quilibet possit; hinc ex Christi Domini exemplo docemur tolerandos peccatores esse, & de nullius adhuc viuentis salute desperandum. Benè enim Augustinus ait: *Tolera Zizania, si triticum es: tolera paleam, si frumentum es: tolera pisces malos intra retia, si piscis bonus es. Quare ante tempus messis etiam frumenta eradicasti?*

Peccatorũ salus non desperanda. August. in Ps. 40.

72. Vbi in Vulgata legitur: *In quem speraui*, Hieronymus legit: *In quo habui fiduciam*: scilicet ei marsupium credendo iuxta Origenem. Si autem quæratur cur marsupium; & loculos Iudæ Dominus commiserit, respondet Ambros. l. officior. c. 16. *Ne videretur quasi egenus, aut quasi inhonorus Dominum prodidisse: & non quasi iniuria exasperatus; sed quasi præuaricatus gratiam maiori esset offensa obnoxius; sicque Dominus iustificaretur in eo.* Idem sentit Epiphan. hæresi 38. De hoc plura dicta sunt feria 2. Maioris hebdomadæ

Origenes in c. 13. Ioan.

Iudæ Dominus cur eleemosinas seruãdi curam dederit

Filius quidem hominis vadit sicut scriptum est de illo. Væ autem homini illi, per quem filius hominis tradetur. Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.

73. AD significandã suam eximiam erga genus humanũ charitatem Dominus dixit: *Filius hominis vadit*, scilicet sponte ad mortem, non inuitus trahitur. *Væ autem homini illi, per quem filius hominis tradetur*: dicendo *Per quem, Iudam vt diaboli ministrum, & instrumentum indicauit. Non dixit: Væ homini illi, à quo tradetur, sed per quem tradetur, ostendens alterum à quo tradebatur, id est diabolum; ipsum autem Iudam ministrum esse traditionis*, ait hîc Origenes. Suo huic ministro vere diabolus dicere potuit: *Vbi ego sum, illic & minister meus erit*; scilicet in æterno incendio, & damnatione.

Iudas diaboli minister.

Ioan c. 12. 26.

74. *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.* Ecclesiastes cap. 4. ait: *Laudaui magis mortuos, quam viuentes; & feliciorem vtroque iudicaui, qui nec dum natus est; nec vidit mala, quæ sub sole fiunt.* Si non natus felicior est, quia non vidit mala, quæ sub sole fiunt, non natus multo felicior est, quia non commisit mala, & scelera, quæ sub sole commisisset. In peccata enim non incidere melius est, quàm nasci; adeoque huic bono illud est præferendum. Sed si non natus felicior à Salomone dicitur; & homini non nato, bonum erat illum non nasci: ergo antequam nasceretur præexistens fuit. Si enim non erat, consequenter nec felicior erat; nec bonum illi esse potuerat non præexistenti.

Peccatoris conditio peior, quàm non esse.

75. Responderi primo potest iuxta Origenem in Num. hom. 7. Bonauenturam, Titelmannum, & Gaietanum, Salomonis verba intelligi de non nato extra vterum, non autem de non nato in vtero per animationem. Natus ergo in vtero felicior est eo, qui extra vterum nascitur, visurus multa mala, eaque perpessurus, vel etiam commissurus. Hinc Iob multis malis cruciatus aiebat: *Quare non in vulua mortuus sum; egressus ex vtero non statim perii? Quare exceptus genibus, lactatus vberibus? Aut sicut abortiuum absconditum non subsisterem; vel qui concepti non viderunt lucem? Quare misero data est lux, & vita his, qui in amaritudine animæ sunt? Qui expectant mortem, gaudentque vehementer cum inuenerint sepulchrum.* Idem cap. 10. 19. Deo ait: *Quare de vulua eduxisti me? Qui vtinam consumptus essem, ne oculus me videret. Fuissem quasi non essem de vtero translatus ad tumulum.* Similiter Ecclesiasticus cap. 3. 20. ait: *Melior est mors vita amara*: melior scilicet mors in materno vtero est, quàm amara, multisque miseriis plena extra vterum vita peragenda.

Iob. 3.

76. Respondetur 2. ex Hieron. qui explicans citata Ecclesiastæ verba, ait: *Qui nec dum natus est, in hoc felicior est, quòd nec dum mala mundi expertus est. Hoc autem dicit, non quòd qui nondum natus, antequam nascatur, sit; & in eo felicior, quia nec dum corpore prægrauatus est. Sed quòd melius sit omninò non esse, nec sensum habere substantiæ, quàm infeliciter vel esse, vel viuere. Quo modo & de Iuda Dominus loquitur, futura eius tormenta significans: Melius erat non nasci, quam æternos cruciatus perpeti. Alii vero hunc locum intelligunt: Meliorem his duobus* (scilicet viuente in pœnis, vel mortuo) *qui nec dum natus est, nec vidit mala, quibus homines deprimuntur. Animos enim nostros, antequam ad corpora ipsa descendant, versari apud superos, & tamdiu beatos esse, quamdiu cœlesti Ierusalem, & choro perfruuntur Angelico.* Alii quos vltimæ huius interpretationis auctores citat Hieronymus, sunt Origenes, & Ioannes Ierosolymitanus quorum sententiam de præexistentibus antequam corpori vniantur animabus, vt falsissimam, & hæreticam antea iam retulerat, & damnauerat idem Hieronymus ep. 8. c. 9. ad Demetriadem dicens: *Si iudicia sunt, inquiunt, Domini vera, iustificata in semetipsis; & nihil apud Deum iniustum est; ipsa ratione compellimur, vt concedamus animas fuisse in cœlestibus, & propter quædam antiqua peccata damnatas in corporibus humanis, & vt ita loquamur, sepultas; nosque in valle lacrymarum pœnas luere veterum peccatorum &c. Hæc impia, & scelerata doctrina olim in Ægypto, & Orientis partibus versabatur; & nunc abscondite quasi in foueis viperarum apud plerosque versatur. Omnes fraudulentias eorum, & cuniculos, quibus nituntur subuertere veritatem, in aliquo opere Deo adiuuante subuertimus*: Scilicet ep. 27. ad Eustochium, ep. 59. ad Auitum, 61. ad Pammachium, in Apolog. aduers. Ruffin; & alibi. Quare Hieron. in illud Ierem. 20. *Maledicta dies, in qua natus sum*, ait: *Qui putant animas fuisse in cœlestibus, & de meliori in peiorem statum præcipitatas, hoc, & huiusmodi vtuntur testimoniis, quòd scilicet melius fuerit in cœlestibus, quàm in terrenis commorari, & corpus humilitatis assumere; noua quædam, immo iam vetera, hæreseos suæ argumenta quærentes.* Quam hæresim pergit ibi confutare Hieronymus.

77. Respondetur 3. & simplicius, carentiam infelicitatis dici felicitatem, & carentiam mali bonum aliquod appellari. Iuxta quem sensum

etiam intra vterum non natus felix dici potest, & bonum aliquod illi esse; eo quòd nullo modo nascendo tale malum non incurrerit, quod adeo hominem infelicem reddit, vt eius carentia humanæ vitæ quomodocumque acceptæ sit præferenda. Malum, quod non incurrit, intellige Dei offensam, ex qua æterna damnatio prouenit. Ideo S. Ambros. psal. 118. octon. 18. ait: *Mortuus prafertur viuenti, quia peccare desinit: mortuo prafertur, qui natus non est, quia peccare nescinit.* Similiter S. Bernard. ser. 35. in Cant. ait: *Homines meritò reprobari, ad tremendum illud iudicium stare, & igni perpetuo tradi habent. Nec dubium fore deterius his, qui sic erunt, quam his, qui omnino non erunt: Melius ei fuerat si natus non fuisset homo ille.* Eidem sententiæ à S. Augustino discrepans, vel eum explicans, subscribit S. Thomas in 4. dist. vltima, quæst. vlt. art. 1. quæsito 3. dicens: *Videtur, quòd damnati recta ratione, & deliberatione non possint velle se non esse. August. [illegible] dicit lib. 3. de lib. arb. c. 7. Considera quantum bonum est esse, quod & Beati, & miseri volunt. Maius enim est esse, & esse miserum, quam omnino non esse. 2. idem cap. 8. sic arguit: Praelectio supponit electionem: sed non esse non est eligibile, cum non habeat appetentiam boni, cum nihil sit: ergo non esse non potest esse magis appetibile damnatis, quam esse. 3. maius malum magis est fugiendum: sed non esse est maximum malum, cum tollat totaliter bonum; eo quòd nihil relinquit: ergo non esse est magis fugiendum, quàm miserum esse. Sed contra est, quod dicitur Apoc. 9. In diebus illis desiderabunt homines mori, & fugiet mors ab eis. 2. damnatorum miseria omnem huius mundi miseriam excedit: sed ad vitandam miseriam huius mundi appetibile est aliquibus mori. Vnde dicitur Eccli. 41. O mors quàm bonum est iudicium tuum homini indigenti; & qui minoratus viribus deficit atate; & cui de omnibus cura est, & incredibili, qui perdit sapientiam*, seu patientiam, vt in Vulgata legitur. *Ergo multo fortius est damnatis appetibile non esse secundùm rationem deliberatã. Quare dicendum non esse dupliciter posse considerari. Vno modo secundũ se, & sic nullo modo potest esse appetibile, cum non habeat aliquam rationem boni; sed sit pura boni priuatio. Alio modo potest considerari in quantum est ablatiuum pœnalis, vel misera vita; & sic non esse accipit rationem boni. Carere enim malo, est quoddam bonum, vt dicit Philosophus 5. Ethic. Et per hunc modum melius est damnatis non esse, quàm miseros esse. Vnde Matth. 26. dicitur: Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille: & Ierem 20.* super illud: *Maledicta dies, in qua natus sum, Hieron. ait: Melius est non esse, quàm malè esse. Secundùm hoc possunt damnati praeligere non esse, secundùm deliberatam rationem. Dicendum ergo verbum Augustini esse intelligendum, quòd non esse, per se non est eligibile; sed per accidens eligibile est, in quantum est miseria terminatiuum. Quod dicitur esse, & viuere, ab omnibus appeti naturaliter; non oportet hoc accipere quantum ad malam vitam, & corruptam, & eam, qua est in tristitiis, vt dicit Philosoph. 9. Ethic. Non esse licet maximum sit malum, inquantum priuat esse; tamen est valde bonum, inquantum priuas miseria, qua est maximum malorum; & sic non esse eligitur.* Idem docet S. Doctor quæst. 22. de veritate art. 1. ad 7.

78. Locus Apocalypsi. 9. allatus à S. Thoma, & similis alius Apocalypsis 6. *Dicens montibus: cadite super nos, & collibus, operite nos*, ad probandum efficax non videtur: ibi enim corporalem mortem, vbi anima est superstes, non omnimodam annihilationem illi cupere dicuntur. Poriò mortalem vitam abrumpere non solùm ex desperatione euadendi meritas pœnas, & ex inordinato affectu peccatores cupiisse reperimus: sed id etiam, moderato tamen desiderio, ob rationabilem aliquem finem, sancti viri, saluo semper diuino beneplacito expetierunt. Quare Iob 10. dicens: *Tadet animam meam vita mea*, satius sibi esse dicebat mortalem vitam abrumpere, quàm maximis calamitatibus subiacere. Similiter Elias vndique à Iezabele persecutionem patiens, *petiuit anima sua, vt moreretur, & ait: Sufficit mihi, Domine; tolle anima meam*: idque præsertim, quoniam sancti viri humanæ fragilitatis conscii, ne ærumnis succumberent, & in debitæ tolerantiæ defectum inciderent, timuerunt. 3. Reg. 19.

79. Secundò non solùm ob sui amorem, sed etiam ex charitatis, & commiserationis affectu erga proximos mortis desiderium iustis esse potest; ne scilicet proximorum calamitates, & ærumnas ab iniquis immissas videa[illegible] Ideo Habacuc 3. 16. aiebat: *Ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat: vt requiescam in die tribulationis mea; vt ascendam ad populum accinctum nostrum.* Hoc est: Lethali putredine mihi corpus absumatur, ne Babylonica tyrannide videam captiuitatem, & ærumnas gentis meæ, sed in tranquillo mortis somno quiescens transeam ad cœtum Abraham, Isaac, & Iacob, aliorumque sanctorum: quem cœtum *populum accinctum*, hoc est iuxta Hebræam phrasim collectum, simulque coadunatum appellat. Ad hunc autem populum transitum vocat ascensum: quamuis enim sanctorum Patrum Limbus in inferioribus terræ foret, ad eum tamen transire, erat ascendere; quia inde ascensus ad cœleste regnum patere debebat. Simile mortis desiderium, seu vitæ tædium illud Mataihiæ est 1. Machab. c. 2. *Va mihi, vt quid natus sum videre contritionem populi mei, & contritionem ciuitatis sancta, & sedere illic, cum datur manibus inimicorum?* simile illud Iudæ Machabæi c. 3. 59. *Melius est nos mori in bello, quàm videre mala gentis nostra, & sanctorum.* Quare 4. Reg. cap. 20. legimus: & cap. 22. piis Regibus Ezechiæ, & Iosiæ, vt beneficium à Deo datum est prius mori, quàm videre mala Iudæis à Chaldæis inferenda. Iusti cur mori cupiant.

80. Tertiò ex charitate in Deum, eumque videndi desiderio, desiderioque in eum non vlterius peccandi, mortem expetunt iusti. Ideo Apostolus ad Rom. mortalem viuens vitam exclamabat: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis mea; & captiuantem me in lege peccati, qua est in membris meis: Infelix ego homo: quis me liberabit de corpore mortis huius?* Ideo ad Philipp. c. 1. 23. aiebat: *Coarctor desiderium habens dissolui, & esse cum Christo.* Ideo S. Dauid ingemiscebat Psal. 119. 5. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est.* & Psal. 41. 3. *Quando veniam, & apparebo ante faciem Domini?* Addit Hugo Victorinus: *Ad videndum eum in bonitate electorum suorum; ad letandum in latitia gentis sua; vt laudetur cum hereditate sua. Quando videbo ciuitatem illam, de qua dictum est: Platea tua Ierusalem sternentur auro mundo, & in te cantabitur canticum latitia; & per omnes vicos tuos ab vniuersis dicetur alleluia. O ciuitas sancta, ciuitas speciosa; de longinquo te saluto; ad te clamo, te requiro; desidero enim videre* te, Hugo Victor. iuxta Trithemiũ l. de spir. & anima c. 60. quæst apud August. to. 3. Apoc. c. 21. Tobia c. 13. 24.

te, & requiescere in te; sed non sinor carne retentus. O ciuitas desiderabilis, muri tui lapis vnus, custos tuus ipse Deus, ciues tui semper læti; semper enim gratulantur in visione Dei, &c. Similiter August. to. 9. in Soliloquiis animæ ad Deum cap. 1. *Cur faciem tuam abscondis? Forte dicis: Non videbit me homo & viuet? Eia Domine, moriar, vt te videam; videam vt hic moriar. Nolo viuere, volo mori; dissolui cupio, & esse cum Christo: mori desidero, vt videam Christum: viuere renuo, vt viuam cum Christo.*

Iob. 13. 24. Exodi 33. 21. Ad Philip. c. 1. 23.

An non esse natum, vel ad nihilum redigi, sine culpa, immo cum merito, expeti possit.

81. HOmo potius non esse natum, vel ad nihilum redigi, quàm peccare, meritoriè expetere potest, & debet. Primò ex charitatis præcepto obligamur ad Deum super omnia, adeoque etiam super nosmetipsos amandum: potius ergo proprium non esse, quàm Dei amore priuari, eique iniuriam inferre, eligere, & expetere debemus. 2. non esse est nihilum physicum; peccare verò est nihilum morale; de quo peccator ait iuxta Bernardum: *Ad nihilum redactus sum*, nihilum physicum tollit esse naturale; nihilum morale, esse supernaturale tollit: cum autem supernaturale esse nobilius quàm naturale sit; consequenter maius malum infert nihilum morale, quàm physicum; ideoque hoc potius nihilum, quàm illud eligendum, & exoptandum est. 3. potius eligibile esset inferni supplicium, quàm peccare. Celebris enim est illa S. Anselmi sententia: *Si hinc inferni ardorem, inde peccati horrorem cernerem; & alterum mihi eligendum foret; mallem in infernum insilire; quàm peccatum committere.* Quare cum potius, non esse natum, quàm inferni supplicio miserrimè cruciari sit eligibile, vt supra dictum est; multo magis non peccare, quàm non esse natum, aut ad nihilum redigi, eligibile est. Dices Luc. 17. de peccatore, qui aliis, præcipuè innocentibus pueris in scandalum est, Dominus non dixit: Vtilius est illi prius quàm scandalizet, in nihilum redigi, vel non esse natum: sed dixit: *Vtilius est illi, si lapis molaris imponatur circa collum eius, & proiciatur in mare, quàm vt scandalizet vnum de pusillis istis.* Respondetur potuisse Dominum primum illud dicere; dixit tamen hoc secundum, quia, vt benè ait Caietanus: *Piscatoribus, & iuxta mare conuersatis discipulis pœnam à subuersione violenta describit: vt intelligatur peius morte violenta, & inenasibili malum paratum scandalizanti vnum paruum Christi.*

Psal. 72. 42. Bernardus ser. de triplici cohærentia vinculi.

An sine culpa Iob, & Ieremias se non esse natos voluerint?

82. IOb plurimis calamitatibus, ærumnis, morbisque oppressus: *Aperuit os suum, & maledixit diei suo: Pereat dies, in quo natus sum, & nox, in qua dictum est: Conceptus est homo. Dies ille vertatur in tenebras*, &c. *Sit nox illa solitaria, nec laude digna; maledicant ei, qui maledicunt diei: quia non conclusit ostia ventris, qui portauit me; nec abstulit mala ab oculis meis. Quare non in vulua mortuus sum, egressus ex vtero non statim perii? Quare exceptus genibus, cur lactatus vberibus?* Similiter cap. 10. *Quare de vulua eduxisti me? Qui vtinam consumptus*

Iob. c. 3.

A *essem, ne oculus me videret. Fuissem quasi non essem; de vtero translatus ad tumulum.* Similiter Ieremias ob excidium Iudæis prænunciatum, in carcerem coniectus, ibique Iudæis exosus, cum ærumnis plurimis, probris, verberibusque subiaceret, dixit: *Maledicta dies, in qua natus sum; dies, in qua peperit me mater mea, non sit benedicta. Maledictus vir, qui annuntiauit patri meo dicens: Natus est tibi masculus. Sit homo ille, vt ciuitates, quas subuertit Dominus. Qui non me interfecit à vulua, vt fieret mater mea sepulchrum, & vulua eius conceptus æternus. Quare de vulua egressus sum, vt viderem laborem, & dolorem, & consumerentur in confusione dies mei?*

Ieremias c. 20. 14.

B 83. Quod ad Ieremiam spectat, cum originali labe deleta per gratiam sanctificatus in materno vtero fuerit, iuxta sententiam SS. Athanasii, Hieronymi, Leonis, Nazianzeni, Ambrosii, Petri Damiani, Thomæ, art. 6. ad primum, quos ibi citat, & sequitur Suarez art. 2. disp. 3. sect. 1. idque cum Ieremiæ Dominus significauerit cap. 1. dicens: *Antequam exires de vulua sanctificaui te:* hinc Ieremias humanæ fragilitatis conscius, ne calamitatibus succumbens, in impatientiæ culpam incideret, bene potuit tutum gratiæ statum in materno vtero exoptare præ reliquo vitæ tempore persecutionibus, & peccandi periculo obnoxio. C

Ieremias in matris vtero sanctificatus.

84. Iob etiam ob maximas calamitates, morborumque dolores ex periculo per impatientiam incidendi in peccatum, potuit post egressum ex vtero exoptare mortem. Quamuis enim in vtero non sanctificatus, inde cum originali labe natus fuerit, nihilominus poterat per circumcisionem originalis macula illi tolli, & diuinæ gratiæ particeps fieri: & sic sanctificatus in Limbum Sanctorum Patrum tutus à peccatis, & à calamitatibus descendisset. Fuit enim teste S. Hieronymo Iob Iosepho Patriarchæ suppar, vel iuxta alios multo iunior: circumcisio autem ad originalem labem delendam à Deo iam instituta erat Abra- D hami tempore, cui Gen. 17. Deus dixit: *Hoc est pactum meum, quod obseruabitis inter me, & inter vos, & semen tuum post te:* Contra tamen obiici potest, quòd non solùm mortem post egressum ex vtero; sed mortem in ipso materno vtero, vbi circumcisus non fuisset, exoptauit dicens: *Quare de vulua eduxisti me?* Respondetur id etiam exoptare potuisse Iob, ne tentationi succumbens in actualia peccata incideret. Præsertim cum infantes nullo actuali, sed tantùm originali peccato maculati felicitatem aliquam habituri sint, & Deum perpetuò laudaturi, vt infra dicetur. Adde præterea tam Iob, quàm Ieremiam exoptasse non nasci, non secundùm rationis partem superiorem superna- E turali lumine illustratam: sed secundùm naturalem inferiorem sensus partem doloribus obnoxiam; eodem modo, quo Christus Dominus etiam secundùm inferiorem partem, imminentis mortis timore, æterno Patri dixit, Mat. 26. 39. *Transeat à me calix iste.*

85. Obiici secundò potest: Esto sine culpa, saltem graui, Iob, & Ieremias non nasci, vel statim mori petierint; cur tamen suæ natiuitatis diei vterque; & Ieremias insuper natiuitatis nuncio maledixit, quod sine culpa fuisse non videtur? Huic obiectioni responsiones decem affert Corne-

lius. Sed quoniam dies dupliciter considerari potest, scilicet secundùm esse physicum, & secundum esse morale; nempe quod faustus, vel infaustus sit; quòd in memoria hominum sit, vel deleatur; vt secundùm vtrumque respondeam, Dico primo, cum tempus irreuocabile sit, diesque, qui præteriit, non præteriisse non possit, & iterum redire, illam Iobi, & Ieremiæ imprecationem, vt dies pereat, non fuisse actum efficacem, sed tantum simplicis complacentiæ, complacendo sibi scilicet quòd dies ille perierit, seu præterierit.

86. Dico secundò, cum ex natura sua tempora, diesque entia successiua sint; ita vt si permanentia forent, eorum natura destrueretur; & tempora, diesque non forent. Hinc est, vt qui tempus, diemque iam præteritum non permanere, sed præteriisse cupit; aliquid potius temporis naturæ conforme, quàm illi contrarium exoptet: & consequenter, maledictio contra tempus non est; cum maledictio potius foret exoptare illius permanentiam, non præteritionem. Maledictio autem culpabilis est; cum in diem, vt Dei creaturam, vel Deo, sanctisque sacrum, imprecatio est; qualis Sanctis Iob, & Ieremiæ non est tribuenda.

87. Dices, si exoptare temporis præteritionem maledictio non est, cur in Scriptura, vt maledictio significatur? Respondeo talem dicendi modum vsurpatum fuisse loquendo iuxta vulgi opinionem, qua temporis successio non consideratur. Sicut cum Deum immutabilem, & omnia præscientem nullius rei pœniteat, dicitur tamen Gen. 6. *eum pœnituisse, quòd hominem fecisset*; eo quòd deleturus hominem, quem creauerat, veluti facti pœnitens videretur. Similiter Matthæi 3. & alibi, *aperti cœli* dicuntur, non quòd verè solidi cœli aperiantur; sed quòd diuiso hinc inde ingenti fulgore, in aere intermedio rariore veluti hiatus quidam videretur. Vide dicta fer. 2. Dom. 3. num. margin. 16.

88. Respondetur secundò, ex Phrasi Hebrea interdum in Scriptura verba non significare actionem, sed rei declarationem. Sic Leuit. 13. dicitur, quod sacerdos mundabit, vel contaminabit leprosum, id est vel mundatum, vel contaminatum declarabit. Sic Ier. c. 10. dicitur: *Constitui te super gentes, & super regna, vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & adifices, & plantes*; id est, vt vaticineris has gentes euellendas esse, & destruendas; illas verò ædificandas esse, & plantandas. Similiter ergo Iob, & Ieremias diem maledixisse dicuntur, non quòd eum maledixerint, sed quod vt infaustus, & omnino infelix esset habendus, vel à Iobi amicis, qui eum vlceribus cruciatum inuiserunt; vel à Iudæis, quibus Ieremias eorum exscidii prænũciator exosus maximè erat. Quare benè Maldonatus ait: *Ego simpliciter interpretor, non ipsos ex se maledicere; sed maledictum vocare, quia alii illi diei tanquam infortunato, & multorum malorum initio maledicturi erant.* Porrò sicut benedictio prosperitatem, & beatitudinem significat: ideoque octo beatitudines à Domino Matthæi 5. enumeratas S. Ambrosius *octo benedictiones* vocat. Similiter maledictio miseriam, & infelicitatem significat, vt Numer. cap. 5. dicitur: *His maledictionibus subiacebis. Putrescere faciat femur tuum*, &c. Hinc maledictam diem dicere, idem est, ac eam infelicem, & miseram appellare, quòd miseriæ, & infelicitatis, & calamitatum plurium initium fuerit.

Verba interdum in Scriptura non significant actionem, sed rei declarationem.

Maldonatus in Ier. c. 10.

Ambros. in Lucam l. 5. c. 6.

Talem autem suæ natiuitatis diem, quòd nominarint Ieremias, & Iob, culpabile non fuit. Præterea sicut aliqui, velut Herodes, ex prosperitate suum natalem diem celebrare consueuerunt: ita ex calamitate Iob, & Ieremias suum natalem diem ex hominum memoria tolli cupierunt: idque significarunt dicendo, *Pereat dies* &c. præsertim cum natalem diem celebrare peccatorum sit. *Nemo inuenitur diem festum, vel conuiuium magnum egisse in die natalis, præter Pharaonem, & Herodem*, vt notauit Origen. hom. 8. in Leuit. & Hieron. in Matth. c. 4.

89. Respondent aliqui 3. ex August. cum primus nostræ vitæ dies nostri originalis peccati maledicto subiaceat iuxta Apostolum ad Ephes. 2. *Eramus & nos naturâ filii iræ, sicut & cæteri:* hinc primus ille dies maledictus, hoc est miser, & infelix in sensu quasi effectiuo dici benè potuit; eo quòd nos peccati originalis maledicto obstringat. Ideo August post citata Apostoli verba: *Eramus filii iræ*, ait: *De hac ira dicit Ieremias Propheta: Maledictus dies, in quo natus sum. De hac ira dicit S. Iob: Pereat dies ille, in quo natus sum.* Sed contra est, quia originalis labes contrahitur per natiuitatem in vtero, non ex vtero; & tamen Iob de natiuitate ex vtero loquitur dicens: *Pereat dies, in qua natus sum*; ideoque addit: *Quare de vulua eduxisti me? Quare egressus ex vtero non statim perii?* Ieremias etiam non diem natiuitatis in vtero afferentem originale peccatum; sed diem natiuitatis ex vtero maledixit dicens: *Maledicta dies in qua natus sum, dies, in qua peperit me mater mea.* In vtero autem sanctificatus Ieremias, ex vtero egressum infaustum sibi propter originale peccatum agnoscere non potuit. Ideo Augustinus suæ sententiæ consonus Ieremiam in vtero per gratiam sanctificatum negat epist. 57.

August. l. 7. lib. 6. contra Iulianum c. 24.

90. Difficultas maior est, quòd Ieremias non solum diei, sed etiam suæ natiuitatis nuncio maledixerit. Respondet Cornelius, Ieremiæ maledictionem ita esse explicandam, vt tantùm dixerit: *Vtinam numquam fuisset homo natiuitatem meam nuncians, non quà homo, sed qua rei infaustæ nuncius.* Sed contra est, quia Ieremias imprecando subdidit: *Sit homo ille, vt ciuitates, quas subuertit Dominus*: Scilicet sicut Pentapolis vrbes incendio à Deo deletæ. Quare, vt allatæ difficultati verius satisfiat, recurrendum est ad Scripturæ regulam traditam ab Augustino to. 4. lib. 1. de sermone Domini in monte cap. 21. vbi ait: *In Prophetis inueniuntur multæ imprecationes aduersus inimicos, quæ maledictiones putantur. Sicut est illud: Fiat mensa eorum in laqueum, &c. & illud: Fiant filii eius pupilli, & vxor eius vidua. Sed hæc facile soluuntur, quia Propheta per imprecationem, quod esset futurum cecinit, non optantis voto, sed spiritu præuidentis: Sicut Apostolus, cui euersionem imminere cernebat, dixit: Percutiat te Deus, paries dealbate. Prophetæ maximè solent figurâ imprecantis futura prædicere.* Si quæratur cur huiusmodi futura optantis potius modo, quàm futura prædicentis à Prophetis pronuncientur? Respondeo optantis modo dici; quia sancti viri prophetico spiritu illuminati futura Dei decreta præuidentes, diuinæ voluntati omninò se conformes esse cupiunt, vt S. Thom. 2. 2. q. 76 ar. 1. ait: *Prophetæ in Scripturis quandoque imprecantur mala peccatoribus, quasi conformantes voluntatem suam diuinæ iustitiæ.*

Imprecationes interdum vt vaticinia sunt intelligendæ.

Psal. 68. 13.

Psal. 108. 9.

Act. 13. 3.

Hac posita Scripturæ regula, cum Ieremias illius nuncii (qui fortè inter iniquos ipsius Prophetæ persecutores erat) demerita, & pœnam illi à Deo infligendam præuidisset; non ex odio, sed ex conformitate cum diuino decreto, dixit: *Sit homo ille, vt ciuitates, quas subuertit Dominus.* Id potius de ignoto illo homine dicendum est; quam peruersè cum Caluino affirmare, Ieremiæ voces ex sacrilego contra Iudæos furore esse desperati hominis blasphemias, & contumelias in Deum naturæ, & natiuitatis auctorem. Quod optimè refellunt Origenes, Hieronymus, Theodoretus, & alii. Ita enim allata Ieremiæ imprecantis verba sunt interpretanda; sicut illa alia eiusdem Prophetæ cap. 18. *Da filios eorum in famem, & deduc eos in manus gladii, &c.* scilicet vt prædictiones, non vt imprecationes.

An infantium animæ cum originali peccato decedentes malint non esse, quàm esse.

91. AD hanc quæstionem respondent aliqui cum S. Thoma 1. 2. quæst. 83. ar. 1. ad. 5. de anima cum originali labe: *Melius est ei sic esse secundum naturam, quàm nullo modo esse.* Sed cum S. Thomas ibi addat: *Præsertim cum possit per gratiam damnationem euadere*: auctoritas S. Thomæ non videtur absolutè probare de infantibus cum originali labe iam mortuis. Respondet ergo absolutè August. l. 5. contra Iulian. c. 8. *Ego non dico paruulos tanta pœna esse plectendos, vt eis non nasci potius expediret.* Confirmatur Augustini sententia, eò quod hi infantes talem statum post iudicii diem sint habituri, vt sua sorte contenti futuri sint, vt expresse asserit S. Bonau. in 2. sent. dist. 33. Hinc Lyranus ait in Ecclesiastæ c. 4. verba: *Laudaui magis mortuos, quàm viuentes; & feliciorem vtroque iudicaui, qui nec dum natus est, nec vidit mala, quæ sub sole fiunt: id est abortiuum, qui non habet experientiam aliquam mali pœnæ, aut mali culpæ actualis: & sic non sustinet aliquam pœnam sensibilem; sed habet vitam magis delectabilem, quam possit habere in vita præsenti. secundùm omnes Doctores qui loquuntur de morientibus in solo peccato originali.* Quod complendum post iudicii diem debet intelligi. Scotus in 2. dist. 33. asserit paruulos cognitionem omnium rerum naturalium habituros longè maiorem, quàm omnes Philosophi habuerunt. Addit ibidem Marsylius q. 19. art. 5. eosdem *amaturos Deum super omnia*: & consequenter laudaturos Deum ob sui, rerumque aliarum creationem, gratias Creatori agendo, vt docet Lessius l. 13, de perfectionibus diuinis c. 22. sub finem: vbi asserit eos clarè cognituros animæ propriæ essentiam; Angelorum etiam naturam, minus tamen perfectè. Suarius to. 2. 3. par quæst. 56. a. 1. disput. 50. sect. 5. ait: *Si infantes post resurrectionē habebunt non solum vera corpora humana; sed etiam perfecta in quantitate, & robore, seu ætate corporis; non enim resurgent in corpore infantili, sed virili, ac perfecto, in quo possint ratione vti, & omnes operationes humanas, quæ materialem alterationem, & corruptionem non requirunt, exercere. Habebunt corpora sana, & vegeta, pulchra, ac bene temperata; cumque æterna futura sint, oportet vt sint incorruptibilia; non quidem ex intrinseca causa, sed ab intrinseco saltem, seu per suspensionem omnis causæ corrumpentis, & alterantis: quapropter non indigebunt cibo; neque potu, quia omnis alteratio tunc cessabit, Deo ita*

Infantium decedentiū è vita sine baptismo qualis post mundi finē status futurus sit.

A *prouidente, & ideo nec fatigabuntur ambulando: quamuis velocius moueri non possint, quàm naturæ vires patiantur. Habebunt corpus planè subiectum spiritui quoad omnes inferiores eius motus; ita vt nullam pugnam, nec rebellionem carnis passuri sint: tum quia hæc non contingit sine materiali alteratione corporis; tum etiam quia hæc pugna carnis, & spiritus, magna est pœna, & moraliter loquendo iuncta cum culpa: hi autem homines in eo statu neque permittendi sunt nouas culpas committere, cum iam non sint in via, sed in termino; & non sint damnati per proprios actus. Neque patientur sensibiles pœnas; vt omnes Theologi docent, & insinuant Nyssenus, & Nazianzenus. Cum enim hi infantes nihil mali gesserint in suis corporibus,* B *neque iis praue & inhonestè vsi fuerint; nec denique per proprium actum ad creaturam se conuerterint; non est cur doloribus, aliisque corporalibus pœnis crucientur; sed satis est quod omni supernaturali dono priuentur.*

Nyssenus orat. de infant. bus. Nazianz. orat. 40. in S. baptismū.

92. Obiicitur contra 1. S. Augustinus l. 5. contra Iulian. c. 8. dicens: *Ipse fœtus damnationi nascitur, si non renascatur*: & in Enchirid. c. 93. *Mitissima omnium pœna erit eorum, qui præter peccatum, quod originale traxerunt, similiter nullum insuper addiderunt.* Similiter idem loquitur lib. 5. Hypognost. Præterea S. Thom. in c. 2. ad Ephes. lect. 1. ait: *Eramus naturâ, id est per originem naturæ, vt vitiata est, filii iræ, id est* C *vindictæ, pœnæ, & gehennæ.* Respondet citatus Suarius, Augustinū exponi posse non de sensibili pœna, sed de nonnulla animi tristitia ob amissam beatitudinem. Quamuis Less. lib. 13. de diuinis perfect. c. 22. asserat infantes nullum concepturos mœrorem, ex amissione visionis beatificæ; eo quòd illam sua culpa non amiserint. Idem docent Molina, & ipse Suarius infra citādi. Quod ad S. Thomæ verba spectat, resp. ibi S. Doctorem cum Apostolo loqui de adultis, qui ex vitiata per originalem labem natura in actualia peccata prolapsi sunt: cum ibi Apostolus dicat: *Nos omnes aliquando conuersati sumus in desideriis carnis nostræ, facientes voluntatem carnis* D *cogitationum; & eramus natura filii iræ, sicut & cæteri.* De iisdem Apostoli verbis mox etiam dicetur.

93. Obiicitur 2. idem S. Thomas p. 1. quæst. 82. art. 2. ad 1. dicens: *In peccato originali virtualiter præexistunt omnia peccata actualia, sicut in quodam principio; vnde est multiplex virtute.* Obiicitur etiam Apostolus dicens: *Eramus naturâ filii iræ sicut & cæteri.* Iuxta S. Chrysost. & S. Thomam, naturâ, id est à natiuitate, & ab ortu naturæ, à natiuitate scilicet intra vterum. Subdit August. *Si filii iræ, filii vindictæ, filii pœnæ, filii gehennæ. Quomodo naturâ, nisi quia peccante primo homine vitium pro natura inoleuit?* Si ergo in originali peccato etiam infantium peccata actualia virtualiter præexistunt: & si E filii iræ, vindictæ, & gehēnæ sunt; iis certè pœna infligenda videtur. Resp. ex infecta originalis labis radice promanare quidem actualia peccata; quia tamen in infantibus ante rationis vsum decedentibus ista promanatio non fuit; hinc non est illis ob actualia peccata pœna infligenda: cum pœna non peccatis in radice contentis, sed inde actu prodeuntibus debeatur: nasci autem dicuntur infantes iræ, vindictæque filii; eo quòd sine baptismo beatifica visione priuandi sint: filii autem gehennæ dicuntur; eo quòd infantium quisque ex infecta radice in peccata actualia, atque adeo in damna-

Peccatum originale virtualiter peccata omnia continet.

Ad Ephes. 2 August. tract. 44. in Ioann.

tionem incurrere possit, si ad rationis vsum perueniat.

94. Quæri vlterius in hac quæstione potest, an infantes ex statu supra explicato naturalem beatitudinem habituri dici possint. Respondendum videtur negando, contra Pelagij sententiam; eo quòd naturalem absolutè beatitudinem impediat pœna damni, qua beatifica Dei visione priuantur. *Eos Christi notitiam aliquam habituros, eumque tamquam Dominum, ac Principem, & benefactorem suum veneraturos* probabiliter censet Suarius supra citatus; additque rationem: *Nam, cum dæmones coacti credant, & contremiscant, & in nomine Iesu vel inuiti genuflectant; infantes, qui non habebunt interiorem animæ deordinationem per odium in Deum, & desperationem, aut alios prauos affectus, non inuiti, sed voluntariè subiicientur Christo, quem ex aliqua facti euidentia cognoscent esse dominatorem omnium. Quamobrem licet isti simpliciter sint expulsi à regno, & inter damnatos, & reprobos computentur quoad pœnam damni; nihil tamen obstat quominus à Christo, & per Christum accipiant hæc beneficia, & conformitates cũ ipso in iis, quæ ad naturæ perfectionem, & conuenientem statum connaturalem spectant. Quibus omnibus benè semper vsuri sunt, & in aliquem honorem, & laudem ipsiusmet Christi*; rediuiui scilicet *in virum perfectum; in mensuram ætatis plenitudinis Christi.*

Epist. Iacobi c. 2. Epist. ad Philippenses c. 2.

Ad Ephes. c. 4. 13.

95. Quæri 2. potest, an ij infantes Angelorum custodiam sint habituri. Resp. Cyprianus: *Cessabunt consummatis omnibus Angelicarum virtutum discursus.* Probabile tamen videtur etiam post iudicii diem cœtum illum olim infantium, sed tunc virorum, Deum, Deique filium Christum Dominum agnoscentium, & laudantium, aliquem Angelum præsidem habiturum; qui eos ad diuinas laudes excitet. Præterea, quoniam cœlestibus ciuibus comparati viri illi veluti plebeij erunt; adeoque iis cœlestis regis aspectu numquam beati licebit; dabitur saltem interdum ad eorum solatium aulicos cœlestis Regni videre, nempe sub visibili specie Angelos.

Cyprianus de Ascensione Christi.

96. Ex dictis colligo damnatos, qui olim fideles fuerunt, & præcipuè proditorem Iudam, magnam confusionem, & ingentem inuidentiæ animi cruciatum subituros, cognoscendo infantes sine diuina gratia supernaturali iucundum illum statum consecutos esse; cum ipsi vera fide illuminati, & diuina gratia dignati, in infelicissimum damnationis statum propria culpa corruerint. Probabile enim est ad damnatos cruciandos eis infantium statum notum fore; sicut mendici Lazari felicitas Epuloni ad eum cruciandum innotuit, vt dictum est fer. 5. post Dom. 2. Quadrag.

97. Quod ad controuersiam supra indicatam spectat inter Lessium negantem infantes cum originali labe decedentes mœrorem ex amissa beatitudine habituros; & inter Abulensem, Sotum, & alios cum S. August. mœrorem illis aliquem inde tribuentes, distinguendum mihi videtur. Si negetur cum Thomistis visionis beatificæ possibilitatem naturali lumine cognosci posse; ex hac sententia negandum est infantes illos ex priuatione talis visionis, tristitiam habituros; cum eam possibilem non cognoscant. Si verò oppositum dicatur cum Scoto in 4. dist. 49. q. 8. tunc vel concedendum ex tali priuatione cognita infantes tristitiam habituros, vel si probabilius illis ob iucundum

August. supra. Abulensis in Matt. c. 2. Q. 662 Sotus l. 1. de natura, & gratia, cap. 14.

A ipsorum statum supra declaratum, iuxta plures auctores tristitia tribuenda non videtur; dici debet Deum ad tristitiæ actum, qui alioquì ex ipsorum cognitione prouenire deberet, subitactutum suum concursum: vel potius eos iuxta Marsil. supra citatum amaturos Deum super omnia, ideoque diuinæ voluntati conformes, quod Deum clarè non videant, non tristaturos. Sicut ex conformitate etiam cum diuina voluntate Beati, qui aliorum beatitudinem maiorem, Deique clariorem visionem non habent, non tristantur. Ideo de pueris cum originali labe decedentibus Molina 1. p. q. 64. art. 3. disp. 2. ait: *In his nulla est tristitia de beatitudine amissa:*

B *quandoquidem peccatum originis, quod aliena voluntate commissum est, solùm eis nocuit in gratuitis; talesque in reliquis omnibus eos reddidit, quales essent si in puris naturalibus essent conditi. Cum ergo si in solis naturalibus essent producti, nullam essent tristitiam habituri; quod beatitudine supernaturali non essent beati; efficitur, vt de beatitudine supernaturali, quam aliena voluntate amiserunt, nec habeant, nec habituri sint tristitiam; Deo id ita prouidente, nec concurrente cum voluntate eorum, & notitia amissæ beatitudinis in pœnam iustam propter peccatum originis, vt inde generetur tristitia.* Similiter Suarius 3. p. tom. 2. q. 59. art. 6. disp. 67. sect. 6. in fine ait: *Existimo partim ex diuina prouidentia, partim ex pru-*

C *dentia, & rectitudine voluntatis horum paruulorum fore, vt non sentiant tristitiam, nec dolorem de beatitudine amissa; sed omninò sint conformes diuinæ voluntati; & contenti iis bonis naturalibus, quibus erunt præditi.*

98. Porrò quòd infantes illi naturali lumine, quo maximè pollebunt, vt supra dictum est, Deum clarè visibilem esse cognoscere possint; ex eo alicui probabile videri potest; quod scilicet infantes illi summam, & infinitam Dei bonitatem, eiusque amabilitatem cognoscent. Quò maior autem est amabilitas, eò magis ad amandum, voluntatem trahere cognosci potest: summa ergo, & infinita Dei amabilitas summè ad sui amorem volitiuam potentiam trahere de-

Visionis beatificæ possibilitas an naturaliter cognosci possit.

D bet. Sicut ergo obiectum minus amabile magis liberè voluntas amat: ita è contrario summa amabilitas nullo pacto liberè, sed omnino necessariò ad amandum voluntatem mouere debet: amor autem erga Deum necessariò elicitus, non à cognitione abstractiua, sed intuitiua prouenit. Deum enim abstractiuè cognitum ex vi obiecti voluntatem ad amorem necessarium non mouere naturali lumine benè habetur. Dixi ex vi obiecti; nam ratione status infantes illi cum viatores esse desierint, nec peccare possint, necessariò Deum super omnia amabunt, vt supra dictum est.

99. Sententia negans infantes illos tristitiam ex beatitudine amissa habituros, confirmatur

E ex sententia negantium tales paruulos cum originali labe decedentes iudicii die esse iudicandos. Ita sentit Durandus in 2. dist. 33. q. 3. & Carthusian. in 4. dist. 47. quæst. 1. qui pro sua sententia citat Albertum asserentem tales infantes iudicio non fore præsentes; ex quo fit, vt electorum gloriam ignorantes, ea ipsi priuati tristandi non sint. S. Thomas tamen in 4. dist. 47. q. 1. art. 3. ad 3. ait: *Pueri ante perfectam ætatem discedentes in iudicio comparebunt; non vt iudicentur, sed vt videant gloriam Iudicis.* De hoc præterea fusius differit S. Thom. in quæstionib. fusius disput. quæst. 5. de pœna peccati

Infantes sine baptismo decedẽtes an extremo iudicio præsentes futuri sint.

origin. art. 3. Vbi negat paruulos illos habituros cognitionem gloriæ, quam ſancti poſſident, & ipſi amiſerunt; & cauſæ, propter quam diuina viſione carebunt.

Reſpondens autem Iudas, qui tradidit eum, dixit: Nunquid ego ſum Rabbi? Ait illi: Tu dixiſti.

100. FRanciſcus Lucas, Cornelius, & Maldonatus exiſtimant hanc Iudæ interrogationem, & Domini reſponſionem fuiſſe poſtquam Ioanni interroganti de proditore: *Domine quis eſt? Reſpondit Ieſus: Ille eſt, cui ego intinctum panem porrexero: & cum intinxiſſet panem, dedit Iudæ: & poſt buccellam introiuit in eum Satanas.* (Ioan. 13. 25.) Hæc ſententia non probatur, primò auctoritate Auguſtini, qui allatam Iudæ interrogationem: *Nunquid ego ſum Rabbi?* ante Euchariſtiam fuiſſe docet: buccella autem poſt Euchariſtiam ei data eſt. (Auguſt. l. 3. de conſenſu Euangeliſt. cap. 1.) Secundo, quia ſignum buccellæ dandæ proditori eſt ſoli Ioanni datum. Nam, vt benè ait Tolerus: *Aduertendum eſt hoc ſignum Ioannem accepiſſe; ſed nec Petro, nec vlli tunc reuelaſſe, Chriſto prohibente; in quo omnes expoſitores conſentiunt.* (Toletus in Ioan. 13.) Quare; vt ibidem Toletus ait: *Fuit buccella omnibus manifeſta: eſſe tamen ſignum, & notam proditoris, ſoli Ioanni notum eſt.* Ipſe etiam Cornelius ait: *Buccellam dedit Iudæ, vt hoc ſigno ipſum eſſe proditorem à ſe deſignatum indicaret Ioanni: nec enim alij Apoſtoli verba Chriſti ad Ioannem de ſigno hoc proditoris audierunt; vtpote modeſtè à Chriſto ſoli Ioanni in aurem dicta.* Sicut ergo tale ſignum Ioanni ſecretò datum, Apoſtolis aliis non innotuit; ita neque innotuit Iudæ: non eſt ergo dicendum, vt Cornelius ait: *Iudas accepta a Chriſto buccella, ex conſcientia ſceleris, & hoc iudicio Chriſti ſentiens ſe notari, impudenter, & obſtinatè in propoſito perdendi Chriſtum perſtitit. Nam omnino detectum, & infamatum ſe videns, quaſi amens, & furens, inſtigatore diabolo egreſſus eſt ad ſcelus perficiendum.*

101. Confirmatur noſtra ſententia; nam cum Iudæ de proditione dixiſſet Dominus: *Quod facis, fac citius*: ſubdit Ioannes: *Hoc nemo ſciuit diſcumbentium ad quid dixerit ei.* 2. quia Petrus, qui proditorem ſcire cupiens: Ioanni dixit: *Quis eſt, de quo dicit?* ideo, vt ipſe Cornelius ait, hoc Ioanni dixit, *vt ex zelo tantum ſcelus, & Chriſti proditionem impediret; ſicut in horto Chriſti captiuitatem impedire voluit, amputando aurem Malcho eum capere volenti.* Quare ſi proditorem amantiſſimus Chriſti Petrus ſciuiſſet, Iudas ad proditionem perficiendam non ſuperuixiſſet. Nam vt benè Chryſoſtomus de Domino ait: *Neque tunc palam fecit proditorem; fortaſſe enim eum diſcerpſiſſent Apoſtoli: fortaſſe Petrus tunc intereміſſet. Ideo nemo recumbentium nouit quis eſſet.* (Chryſoſtom hom. 71. in 13. c. Ioan.) Sicut ergo ex buccellæ ſigno ſecretè dato nemo diſcumbentium proditorem nouit; ita neque ex eo ſe detectum Iudas cenſuiſſet.

102. Remanet tamen ſoluenda difficultas; cum enim Dominus Iudæ reſpondiſſet: *Tu dixiſti*: ex his Domini verbis Iudas ſe manifeſtè proditorem deſignari intellexiſſet; idemque aliis Apoſtolis notum fuiſſet. Nam *Tu dixiſti, eſt modeſta Hebraico modo reſponſio: qua confirmatur id, quod interrogatur: quaſi Dominus dicat: Non eſt cur ego dicam, & proditorem nominem: tu enim talem te dicis, & nominas, ac verum dicis, quia verè es proditor*, ait Cornelius. Sed ſi iſto ſenſu Domini reſponſio intelligenda eſſet, iam Iudam pro-

A ditorem fore Apoſtoli alij nouiſſent, contra id quod ſupra dictum eſt. Melius ergo Auguſtinus ait; cum Dominus Iudæ dixit: *Tu dixiſti: etiam hic non expreſſum eſt verum ipſe eſſet: poteſt enim adhuc intelligi, tanquam dixerit: Tu dixiſti, non ego dixi.* (Auguſt. ſup.) Similiter iuxta Caietanum: *Tu dixiſti, anceps verbum eſt; nam & affirmantis rem dictam, & affirmantis dictionem commune eſt.* Similiter Matthæi 25. cum Pilato interroganti Dominum: *Tu es Rex Iudæorum? Dixit illi Ieſus: Tu dicis*: Sic reſpondendo non ſe Iudæorum Regem eſſe Dominus affirmauit; alioquin poſtea congruenter non dixiſſet: *Regnum meum non eſt de hoc mundo; ſi enim ex hoc mundo eſſet Regnum meum,* (Ioan. 18. 36.)
B *miniſtri mei vtique decertarent; vt non traderer Iudæis: nunc autem regnum meum non eſt hinc.* Præterea ſi Dominus reſpondendo: *Tu dicis*: ſe Iudæorum Regem eſſe affirmaſſet, Pilatus Romanæ ditionis tuendæ valde ſollicitus, Iudæis non dixiſſet: *Ecce adduco vobis eum foras, vt cognoſcatis, quia nullam inuenio in eo cauſam.* (Ioan. 19. 4.)

103. Ex dictis patet primò aliud proditoris ſignum fuiſſe, cum Dominus dixit: *Qui intingit mecum manum in parapſide, hic me tradet*: & aliud cum Dominus Ioanni dixit: *Ille eſt cui intinctum panem porrexero.* Secundo ex dictis colligitur Apoſtolorum eximia virtus, & bonitas, & Iudæ obſtinata peruerſitas. Apoſtolorum virtus in eo relucet; quòd cum toties Dominus in eo-
C rum numero proditorem eſſe ſignificauerit dicens: *Ex vobis vnus diabolus eſt. Vos mundi eſtis, ſed non omnes. Qui manducat mecum panem, leuabit contra me calcaneum ſuum. Amen amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me. Qui intingit mecum manum in parapſide, hic me tradet*: (Ioan 6. 70. Ioan 13. 10. Ioan. 13. 18. Ioan. 13. 21.) Ex his omnibus Domini verbis Apoſtolorum nemo de Iuda, aut de alio aliquo male ſuſpicatus dicitur. (Iudicium, & ſuſpicio mala de aliis vitari maximè debet.) Vt hinc à malo de proximi ſuſpicione, & iudicio abhorrere Apoſtolorum exemplo doceremur. *Cum longe a tali ſcelere abeſſent, neque de aliis ſuſpicabantur*, ait Chryſoſt. homil. 51. in Ioannem. Quare iuxta Chryſoſtomum, qui male de aliis iudicant, eos à ſcelere non alienos
D eſſe indicatur. Contra prauum de aliis iudicium plura diximus ſer. 2. Domin. paſſionis.

104. Præterea mira, & obſtinata Iudæ peruerſitas ex dictis habetur; cum enim toties ſe vt proditorem Domino innotuiſſe Iudas audiret; cumque formidandam ſententiam illam de proditore Dominus pronunciaſſet: *Bonum erat ei ſi natus nõ fuiſſet homo ille:* adhuc Iudas nullo pacto reſipiſcens ſua in obſtinatione, perfidiáque perſtitit. (Iudæ obſtinata peruerſitas.) Actorum 24. 25. *Diſputante Paulo de iudicio futuro, tremefactus Felix reſpondit: Tempore opportuno accerſam te.* Vbi ſi quæratur cur vehementi futuri iudicij incuſſo timore infelix præſes Felix non profecerit: huius cauſa eius auaritia inſinuatur: de eo enim dicitur: *Sperans, quod pe-*
E *cunia ei daretur à Paulo, propter quod frequenter accerſens eum, loquebatur cum eo.* Cumque pecuniam à Paulo non habuiſſet iniquus Iudex, *reliquit Paulum vinctum.* Similiter Iudas domini verbis, & comminatione territus quidem eſt, ex auaritia tamen non correctus. (Auaritia diaboli glutinum q̃ à difficilè diſſoluatur.) Pſal. 147. de Deo dicitur: *Emittet verbum ſuum, & liquefaciet ea*, nempe gelu; glaciem, & niues. At auaritiam, quæ iuxta Hugonem eſt *diaboli glutinum*. (Hugo in 1. ad Tim. c. 6.) Dei filij verbum in auaro Iuda non eliquauit: ſed glutinum illud æterno eliquandum incendio eſt reſeruatum.

105. Iudas ſi Domini verbis monitus reſipiſcere voluiſſet, omiſſa parua illa interrogationis

Hieronym. de nominib Hebraicis. Iudas proditor per antiphrasim Iudas, hoc est Confessio dictus est. Absalom per antiphrasim dictus est Absalom, hoc est Pax patris. *Ambrosius in exhortatione ad pœnitentiam.*

particula: *Nunquid.* suum scelus sincerè confessus respondere debuisset: *Ego sum Rabbi.* Iudas iuxta Hieronymum interpretatur *Confessio*: sed impius proditor per antiphrasim *Iudas* dictus est; eo quod à sui sceleris confessione abhorruerit. Sicut Absalom Iudæ typus iuxta Drogonem Cardinalem ser. de pass. Dom. *Pax patris* interpretatur; sed per antiphrasim; cum contra patrem arma susceperit. 2. Reg. 12. cum Dauid in adulterium, & homicidium lapsus esset, & de hoc eum Nathan Propheta corripuisset, *Dixit Dauid ad Nathan: Peccaui Domino. Dixitque Nathan, Dominus quoque transtulit*, seu iuxta Septuaginta, *abstulit peccatum tuum; non morieris*: vbi bene Ambros. ait: *Quantùm valent tres syllabæ! Tres enim syllabæ sunt, Peccaui; sed in istis tribus syllabis flamma sacrificij cordis eius ad cœlum ascendit.* E contrario de Iuda dicente: *Ego sum Rabbi*: sed fraudulenter dicente, *Nunquid ego sum Rabbi?* exclamare possumus, *Quantùm duæ syllabæ nocent!* In duabus enim syllabis infelix proditor in æternam perniciem miserrimè corruit.

Signum in Caino positum canem fuisse Rabbini dixerunt. Canis, & Cerberus diabolus est.

106. Genes. 4. dicitur: *Posuit Dominus in Cain signum, vt non interficeret eum omnis, qui inuenisset eum.* Rabbini quidam fabulati sunt hoc signum fuisse canem, qui Cainum semper præibat, eum per vias tutas deducens. Psal. 21. vbi dicitur: *Erue de manu canis vnicam meam*: Canis nomine iuxta Iustinum in Triphonem, diabolus significatur. Similiter Eusebius: *Canis iste diabolus est, quem Gentiles Cerberum tricipitem finxerunt.* Hic ergo canis non fabulosè, non per tutas vias; sed verè, & per præceps iter Iudam in inferorum barathrum traxit.

Iudas Caino similis.

107. Iidem hæretici Caiani appellati, vt supra diximus Cainum, & Iudam, vt sanctos venerabantur. Nec mirum, si indiuiduo nexu eosdem peruersos veneratores Cain, & Iudas habuerint, cum ambo valde similiter deliquerint. Cain, innocentis Abelis, qui Christi Domini fuit typus, iuxta August. Iuonem, & Rupertum proditor fuit: Iudas autem ipsius Domini. Cain ad suum scelus tegendum Deo interroganti: *Vbi est Abel frater tuus? Respondit: Nescio: num custos fratris mei sum ego?* Non dissimiliter Iudas ad suam perfidiam occultandam Domino de proditore loquenti respondit: *Nunquid ego sum Rabbi?* Cain, vt ait Ambrosius, *Negat primùm quasi apud ignorantem; recusat fraternæ munus custodiæ, quasi exors naturæ; declinat iudicem, quasi liber arbitrij. Quid miraris si pietatem non agnouit, qui non agnouit auctorem?* Similiter Iudas quasi ignaro Domino se occultare conatur dicens: *Nunquid ego sum Rabbi?* Peruersus ergo proditor, antequam Domino corporalem vitam proditione adimeret, Diuinitatem omnia præscientem adimere conatus est: Impius *pietatem non agnouit, qui non agnouit auctorem.*

Ambros. lib. 1. de Cain. c. 9.

Cœnantibus autem eis, accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: Accipite, & comedite, hoc est corpus meum.

108. Dicente Matthæo *cœnantibus eis*, sensus est cum adhuc cœnarent. Paulus verò epist. 1. ad Cor. cap. 11. cum dicat Dominum accepisse consecrandum calicem *postquam cœnauit*, à Matthæo dissonare videtur. Ad hanc autem discrepantiam tollendam interpretari verbum illud, *Cœnantibus*, id est post cœnam, distorta interpretatio videtur. Ad conciliationem ergo dico primò contra Suarij, & aliorum sententiam, non immediatè post Paschalem agni cœnam, ante communem aliorum ciborum cœnam Dominum Eucharistiam instituisse; quod patet ex dictis ser. 5. maior. hebdomadæ. Probari præterea potest ex Pauli primo citata epist. ad Cor. cap. 11. *Conuenientibus vobis in vnum, iam non est Dominicā cœnam manducare.* Vbi Theophylactus ait: *Dominicam cœnam Conuiuium vocat, quo multi simul vescuntur, veluti imitatione admiranda cœnæ, qua Dominus simul cum discipulis suis manducauit. Videte, inquit Apostolus, quo orbemini, nimirum imitatione mensæ Dominicæ. Vnusquisque enim propriam cœnam præsumit ad manducandum. Dominicam hanc cœnam priuatam fecistis. Quamdiu enim communis, & publica esset, Dominica cœna vocabatur: Domini enim res omnibus seruis suis sunt communes. Postquam autem vnusquisque anteuertit propriam cœnam manducare, nec expectat pauperes, sed priuatim apud se edit, contumelia affecistis cœnam vestram, pro Dominica priuatam facientes.* Ex his patet hunc Christianorum morem inde processisse, quòd Christus Dominus post Paschalem, communemque cœnam, Eucharistiam instituit. Ideo, vt sacram Domini cœnam veteres Christiani imitarentur, antequam Eucharistiam sumerent, cœnam communem instituerunt; in qua à diuitibus pauperes ad mutuæ charitatis vinculum admittebantur. Cum ergo tunc temporis ad sacram synaxim ieiunum accedere nō requireretur, sicut nunc requiritur, ideo communem hanc ante Eucharistiam institutam cœnam non reprehendit Apostolus; sed tantùm damnat, quòd diuites Corinthij gulæ, & potui nimis indulgerent; & iam non amplius pauperes in commune conuiuium aduocarent.

Suarius 3. p. q. 73. a. 5. disp. 41. sect. 4.

Eucharistiæ institutio à Domino post paschalem, communemque cœnam fuit.

109. Dico secundò, post communem cœnam Dominum Apostolorum pedes lauisse, & postea ad instituendam Eucharistiam iterum in mensa recubuisse, iuxta Ioannem, qui dè Domino ait: *Cum recubuisset iterum*: iterum autem recumbens Dominus cum intinxisset panem, dedit Iudæ Iscariothæ. Quia ergo nondum epulæ remotæ erant, & aliquid residui cibi ex parata cœna desumptum est; habita ad hoc cœnæ residuum ratione Matthæus non dixit, *Cœna facta*, sed *Cœnantibus eis.* Ioannes verò huius residui cibi rationem non habens, dixit pedum ablutionem fuisse *Cœna facta*: & Apostolus, *Postquā cœnauit*, consecrandum calicem accepisse Dominum dixit. Similiter in Missæ canone dicitur: *Postquam cœnatum est.* Quare Toletus cum Augustino lib. 3. de consensu Euang. cap. 1. cœnam factam, hoc est inceptam, non omnino absolutam interpretatur. Porrò cum August. tract. 55. in Ioan. ait: *Non quasi consummatam, & iam transactam cœnam intelligere debemus; adhuc enim cœnabatur; sed quia erat iam præparata, & ad vsum conuiuantium producta*: cœna autem ad vsum conuiuantium præparata, & producta intelligi debet; vt non tantum præparata, sed ex ea cibus etiam desumptus à recumbentibus intelligatur. Quia, vt modò diximus, Apostolus ait: *Postquam cœnauit*: & Ecclesia: *Postquam cœnatum est.* Quibus verbis non solùm præparata cœna, sed ex ea cibus desumptus significatur.

Ioan. c. 13.

110. *Accepit Iesus panem*: addit Apostolus: *In qua nocte tradebatur*, scilicet ad institutæ Eucharistiæ beneficium magis augendum. Quare eadem nocte Iudaicum odium, diuinusque amor

Amoris Diuini, & Iudaici odii æmulum certamen.

certatim circa Chriſtum Dominum ſe geſſerunt. Iudaicum odium Chriſtum vinculis adſtrinxit: eundem diuinus amor inter exiguas panis, vinique ſpecies arctauit. Nec tunc ſolùm, ſed quoties Euchariſtiæ Sacramentum Sacerdotis ore perficitur, ſub modici panis, vinique ſpeciebus *in vinculis charitatis* voluntariè Dominus trahitur. Verè in Euchariſtia Iſaiæ vaticinium adimpletur: *Dabit vobis Dominus panem arctum, & aquam breuem.* Panis arctus ſub modica panis ſpecie Chriſtus Dominus eſt: Aqua breuis eſt pœnitentiæ fletus, qui Euchariſtiam præcedere debet. Subditur ab Iſaia: *Et non faciet auolare a te vltra doctorem tuum:* idque iuxta Domini promiſſum: *Ecce vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi,* quod ſpecialiter per ſacramentalem Chriſti præſentiam adimpletur.

Oſee.c.11.4
Iſa.c.30.20
Euchariſtia panis arctus: pœnitentia aqua breuis.
Matth. 28. 20.

111. *Et benedixit.* Antequam benediceret æterno Patri, gratias egit iuxta Lucam, & Apoſtolum Paulum: pro eximio ſcilicet Euchariſtiæ beneficio ſuis membris conferendo, caput noſtrũ Chriſtus Dominus Deo Patri gratias agere voluit. Hinc quòd ante, & poſt ſacram ſynaxim gratiarum actio eſſe debeat, Euchariſtia *gratiarum actio* interpretatur. Etſi nomen idem Euchariſtiæ bene conuenit; quòd eius inſtitutio actio fuit, per quam multiplices gratiæ ad nos deuenerunt, ideoque *gratiarum actio*, ſeu affectio nominatur. *In gratiarum actione intelligitur defluxus gratiarum à capite in totum corpus Eccleſiæ,* ait S. Bonauentura iuxta Ioannis verba: *De plenitudine eius nos omnes accepimus, gratiam pro gratia.*

Lucæ 22. Pauli ep. 1. ad Cor. 11.
Euchariſtia gratiarum actio cur interpretetur.
S. Bonau. in Lucam cap. 22.
Ioan. c. 1.

112. *Et benedixit.* Proprium Dei eſt, vt eius dicere ſit facere. *Ipſe dixit, & facta ſunt,* dicitur Pſal. 32. 9. & 2. ad Cor. 4. *Deus dixit de tenebris lumen ſplendeſcere,* hoc eſt fecit. Ideo cum dicitur Deus benedicere, intelligitur Deus benefacere, hoc eſt beneficium conferre. Cum ergo Chriſtus Dei filius Euchariſtiam inſtituturus pani, & vino benedixit, eis beneficium contulit; vt mox per conſecrationis verba in ſuum corpus, & ſanguinem conuerterentur; ita vt ſub eorum ſpeciebus verè ſuũ corpus, & ſanguis deliteſceret. Reperio interpretes, qui hanc Chriſti Euchariſtiam inſtituentis benedictionem, comparant cum benedictione illa, qua quinque panes, & duos piſces benedicens multiplicauit, Matth. 14. 19. Et cum illa, qua ſimiliter benedicens multiplicauit ſeptem panes, & paucos piſciculos Matth. 15. 36. de quibus Marcus 8. ait: *Et habebant piſciculos paucos, & ipſos benedixit, & iuſſit apponi.* Comparant præterea cum benedictione illa Geneſ. 1. 22. vbi piſcibus, & auibus Deus benedixit dicens: *Creſcite, & multiplicamini.* Sed inter has benedictiones, & conſecrandi panis, & vini benedictionem diſparitas magna eſt. Piſcibus enim, & auibus Deus benedicendo, eis naturalem vim, vt multiplicarentur inditam, & conſeruatam ſignificauit. Similiter Chriſtus, vt Dei filius, benedicendo panibus, & mortuis piſciculis, eorum obedientialem potentiam vt ad multiplicationem concurrerent, eleuauit: vera enim multiplicatio non ex iuxta poſitione, ſed ex intrinſeca rei multiplicatæ virtute eſſe debet. At in Euchariſtiæ inſtitutione panem, & vinum nullo pacto ad tranſſubſtantiationem in Chriſti corpus, & ſanguinem concurriſſe dicendum eſt. Præterea cùm panibus, & piſcibus Chriſtus Dominus benedixit, tunc eorum multiplicatio fieri cœpit: cum verò in vltima cœna pani, & vino benedixit; non tunc eorum conuerſio in Chriſti corpus, & ſanguinem facta eſt; ſed immediatè poſt, cum conſecrationis verba Dominus pronuntiauit dicens: *Hoc eſt corpus meum: Hic eſt ſanguis meus.* &c. Porrò, quia S. Thom. 3. p. q. 58. art. 1. ad 1. affirmat hanc Chriſti benedictionem aliquibus verbis factam eſſe; ideo cum Chriſtus pani, vinoque benedixit, expreſſis verbis diuinam omnipotentiam ad tantum opus perficiendum inuocaſſe dicendum eſt. Ibidem S. Thomas ait: *Quidam dixerunt, quod Chriſtus, qui habebat poteſtatem excellentiæ in ſacramentis, abſque omni verborum forma, hoc ſacramentum perfecit, & poſtea verba protulit, ſub quibus alij conſecrarent. Quod ſonare videntur verba Innocentij Tertij, qui lib. 4. c. 6. de ſacro altaris myſterio ait: Sanè dici poteſt, quod Chriſtus virtute diuina confecit, & poſtea formam expreſſit, ſub qua poſteri benedicerent.* Reſpondet S. Thomas *Verba Innocentij ſunt opinatiuè magis dicta, quàm determinatiuè:* ibique S. Doctor allatam ſententiam bene refellit.

Dei benedicere eſt benefacere.
Euchariſtiæ & multiplicationis panis diſcrimen.

113. Dices Lucæ 24. 30. de Domino cum duobus diſcipulis recumbente dicitur: *Dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis;* vbi Dominum confeciſſe Euchariſtiæ ſacramentum aſſerunt Aug. lib. 3. de conſenſu Euang. cap. 25. Beda, Theophylactus, & alij. Idemque Auguſt. ſerm. 140. de tempore ait: *Vbi voluit Dominus agnoſci? in fractione panis: ſecuri ſumus; panem frangimus, & Dominum agnoſcimus. Noluit agnoſci, niſi ibi, propter nos, qui non eum viſuri eramus in carne; & tamen manducaturi eramus eius carnem.* Quòd autem panis diſcipulis illis datus Euchariſtiæ fuerit, bene plures interpretes colligunt ab illuminationis affectu; cum ibi ſubdatur: *Aperti ſunt oculi eorum, & cognouerunt eum. Magnam enim, & indicibilem vim habet caro Chriſti,* ait ibi Theophylactus; & Auguſtinus citato ſermone: *Quiſquis fidelis es, conſolatur te fractio panis: abſentia Domini non eſt abſens: habeto fidem, & tecum eſt, quem non vides.* Hac poſita ſententia in caſtello Emmaus Dominus panem conſecrauit: ſed ibi fit tantùm mentio benedictionis: ergo benedicendo tantùm conſecrauit.

114. Reſpondeo ibi Lucam breuitatis cauſâ, ipſa conſecrationis verba ſub benedictione intelligenda comprehendiſſe. Cæterùm benè ſic arguit S. Thomas: *Benedictio conſecrationis nunc perficitur per recitationem eorum, quæ tunc acta ſunt;* ſcilicet vltima cœna. *Vnde ſi nunc per hæc verba non eſt facta conſecratio,* ſcilicet per verba tantùm benedictionis; *nec modo fieret:* Quare concludit ibi S. Thomas: *Dum benediceret, frangeret, & daret diſcipulis ſuis, hæc verba dixit: Accipite, & comedite: Hoc eſt corpus meum.* Confirmatur; quia à S. Ambroſio ex communi Patrum ſententia conſecrationis verba dicuntur *operatorius ſermo;* quia quidquid ſignificant, efficiunt. Sed verba ſignificantia tranſſubſtantiationem ſunt illa: *Hoc eſt corpus meum:* ergo eadem verba, & non alia ſunt tranſſubſtantiationem & conſecrationem operantia.

S. Tho. ſup. Euchariſtiæ ſacramentum, non benedictione, ſed conſecrationis verbis à Domino factum eſt.
S. Ambroſ. de Sacram. lib. 4. cap. 4.

115. Objicit hìc Caluinus: omnia iſta verba: *Accepit Ieſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis,* referuntur ad panem: ergo panem, non Chriſti corpus Apoſtoli acceperunt. Vt intra Caluini caput, cerebrum exſuccum fuiſſe cognoſcamus; vtq; eum dementer paralogyzantem, adeoq; verberibus dignum, excutiamus, ab Exodo Moſis virgam aduocemus. Exodi 4. cum Moſi Dominus dixit; *Quid*

Caluinus negans in Euchariſtia Chriſti corpus contineri, impiè, & ineptè paralogyzat.

est, quod tenes in manu tua? Respondit: Virga. Dixitque Dominus: Proijce eam in terram: vtique ad virgam Domini verba referebantur: & tamen tunc non à virga, sed à colubro, in quem conuersa est virga, territus Moses fugit. Rursus, cum ibi Mosi dixit Dominus: *Extende manum tuam, apprehende caudam eius:* vtique ad colubrum Domini verba referebantur; virga enim caudam non habet: & tamen Moses non colubrum, sed virgam accepit. Quia diuinitus coluber in virgam versus est. Similiter cum Dominus panem discipulis dedit, quia simili efficacia consecrationis verba pronunciauit, panis in Domini corpus transsubstantiatus est.

116. Quæres hîc quomodo Apostoli Eucharistiam sumentes tale sacramenti mysterium intellexerint; cum nulla præcesserint Christi verba illud explicantia? Proponit hoc quæsitum Chrysost. homil. 83. in Matth. de Apostolis dicens: *Quomodo turbati non sunt cum hoc audissent?* Respondet Chrysostomus, *quia multa iã & magna de hoc antea disseruerat; quapropter nec illud quod iam crebrò perceperant, confirmauit.* Hæc responsio plene non satisfacit. Nam vbi pluribus de Eucharistiæ mysterio Dominus est locutus; est Ioannis cap. 6. per verba autem ibi expressa suum quidem corpus, & sanguinem in cibum, & potum dandum Dominus indicauit; modum tamen, quo id fieri debebat, scilicet sacramentaliter per transsubstantiationem non explicauit. *Quare litigabant Iudæi ad inuicem dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Et non solùm Iudæi, sed multi audientes ex discipulis eius dixerunt: *Durus est hic sermo; & quis potest eum audire? Ex hoc multi discipulorum eius abierunt retro; & iam non cum illo ambulabant.* Non ergo ad externa Christi verba, sed vnà cum eis ad internam mentis illustrationem diuinitus communicatam referendum est; vt modus tradatur, quo Apostoli Eucharistiæ mysterium intellexerint: seque verum in Eucharistia Christi corpus sumere, & sanguinem in calice potare crediderint. Ad quam internam illustrationem significandam Psal. 33. de Domino in Eucharistia dicitur iuxta Ambrosium: *Accedite ad eum, & illuminamini.* Et Psal. 22. 5. Dominus dixit: *Calix meus inebrians, quàm præclarus est! Hoc calice*, inquit Cyprianus, *mentes ad spiritualem sapientiam rediguntur.* Spirituali ergo sapientiâ intrinsecus illuminati Apostoli Eucharistiæ mysterium in vltima cœna intellexerunt: quod antea etiam, sed minùs clarè eadem illustrati sapientia crediderant. Propterea Ioan. cit. cap. 6. cum recedentibus aliis circa Eucharistiæ mysterium incredulis, *Dixit Iesus ad duodecim: Nunquid & vos vultis abire? Respondit ei Petrus: Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes.* Interna hac illustratione illuminati duo supra memorati Domini discipuli, *Cognouerunt eum in fractione panis.*

Eucharistiã in vltima cœna Apostoli sumẽtes, intus diuinitus illuminati sacramenti mysterium cognouerunt. *Cyprianus epist. 63.*

117. *Accipite, & comedite.* Hinc Interpretes aliqui colligunt Apostolos consecratam iam, & transsubstantiatam panis particulam à Domino traditam, in manu accepisse. Sed hoc ex verbis illis efficaciter non habetur: quandoquidem etiam ore accipi Eucharistia dicitur. In Romano enim Rituali cum à Sacerdote pro viatico Eucharistia infirmo in ore datur, dicitur: *Accipe, frater, viaticum corporis Domini nostri Iesu Christi.* Nihilominus ex antiqua traditione, & consuetudine Eucharistiam in manu Christianos olim accipere consueuisse habetur ex Tertulliano

Eucharistiã veteres fideles, prius manu, quã ore sumebant. Hic & seq.

A lib. de Idololatria cap. 7. vbi contra Christianos non quidem Idolorum cultores, sed Idolorum artifices, sic inuehitur: *Zelus fidei perorabit ingemens Christianum ab Idolis in Ecclesiam venire: de aduersaria officina in domum Dei venire: attollere ad Deum manus matres Idolorum: his manibus Deum adorare, quæ foris aduersus Deum adorantur: eas manus admouere corpori Domini, quæ dæmoniis corpora conferunt. Proh scelus! semel Iudæi Christo manus intulerunt; isti quotidie corpus eius lacessunt. O manus præcidendæ! Viderint an per similitudinem dictum sit: Si te manus scandalizat, amputa eam. Quæ magis amputandæ, quàm in quibus Domini corpus scandalizatur?*

Eucharistiã indignè sumentes arguuntur. *Matt. 5. 30.*

B Quod contra huiusmodi inquinatas manus Tertullianus dixit; idem contra eos lasciuis iniquis, & maledicis verbis contaminatum dici potest; si antequam se mundet, Christi corpus sumere audeat. Eiusdem allatæ consuetudinis meminit idem Tertullianus lib. de spectacul. & Cyrill. Ierosolym. catechesi 5. citatur etiam S. August. ser. 244. de temp. dicens: *Si erubescimus, & timemus Eucharistiam manu in anima polluta suscipere.* Sed fortasse Augustinus sub persona sacerdotis tangentis Christi corpus loquitur: cum probabiliter Augustini tempore, sicut nunc, ob maiorem reuerentiam consuetudo manu accipiendi Eucharistiam cessauerit.

C 118. Cum autem consuetudo Christi corpus in manu accipiendi perdurauit; à priscis illis, piisque Christianis non solùm dici poterat: *Iustorum animæ in manu Dei sunt; & non tanget illos tormentum mortis*: sed etiam: Deus in manu iustorum est; & non tanget eos tormentum mortis; quia in Eucharistia iuxta Nazianzenum *Fons vitæ & immortalitatis* accipitur: & iuxta Cyrillum, *Ipse vnigenitus filius, verus panis cœlestis est; qui cum sit ex substantia Patris, naturaliter est vita cuncta viuificans. Ipse per Spiritum sanctum spiritum nostrum viuificat, & corpus ipsum à corruptione liberat.* Præterea in Eucharistia D Christum manu accipientes dicere poterant: *Anima mea in manibus meis semper*: semper scilicet erga manus tanto dignificatus beneficio cum gratiarum actione memorem animum conuertendo. De Domino dicitur Apoc. 1. 16. *Habebat in dextera sua stellas septem.* De piis illis fidelibus Eucharistiam sumentibus; nunc de Sacerdotibus dici potest, non stellas, sed iustitiæ solem in manu sua habere. Deuteron. 33. de Deo dicitur: *In dextera eius ignea lex*: de dextera priscorum fidelium, & vniuersaliter de sacerdotum dextera dici potest: *In dextera eorum igneus legislator*: nam *Deus noster*, quia sub humana nostra carne est Deus noster, charitatis incendio *ignis consumens est.* At nunc cum non manu, sed ore Christum fideles accipiunt, sibi E vnusquisque à Domino dictum putet: *Aperi os tuum & implebo illud* mea ipsa substantia, mearumque gratiarum vbertate.

Sap. 3. *Cyrill. in Ioan. c. 6.* *Ps. 118. v. 109.* Sacerdotũ dignitas. *Deut. 4. 24. Ad Hebr. 12. 29.* *Ps. 80. 11. iuxta Psalterium Romanum.*

119. De Domino post resurrectionem, vt supra diximus, se in Eucharistia duobus discipulis dante dicitur Lucæ 24. 30. *Accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis.* Dum se Dominus porrigebat illis, se suis manibus portabat. Huius figura fuit Dauid, qui cum se coram Achis Gethæo Rege celare vellet, vt dicitur 1. Reg. 21. *Immutauit os suum, & collabebatur inter manus eorum.* Vbi *Ferebatur in manibus suis*, legit Augustinus: & propterea *Quis portatur in manibus suis? manibus aliorum potest portari homo; manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur*

Eucharistiã Dominus instituens à Dauide præfiguratur. *August. in Ps. 33. Concione prima.*

gatur, in ipſo David ſecundùm litteram non inuenimus; in Chriſto autem inuenimus. Ferebatur enim Chriſtus in manibus ſuis, quando commendans ipſum corpus ſuum, ait: Hoc eſt corpus meum. Dominus ergo in vltima cœna, cum ſe duodecim Apoſtolis in Euchariſtia dedit; ſimiliter cum poſt reſurrectionem ſe duobus diſcipulis euntibus in Emmaus tradidit, ſuis ſe manibus tulit.

Hoc eſt corpus meum.

120. MAtthæi 24. 28. Dominus dixit: *Vbicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.* Aquilæ, vt Salmeron eo in loco notauit, adeò generoſæ ſunt; vt non ſicut vultures cadaueribus, ſed viua præda veſcantur. Ambroſius in Luc. cap. 7. ait: *Eſt corpus, de quo dictum eſt: Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Circa hoc corpus veræ Aquilæ ſunt, quæ alis circumuolant ſpiritualibus.* Idem Ambroſius de fide reſurrectionis ait: *Vbi corpus, illic aquila; vbi Chriſti corpus, ibi veritas.* Qui enim in fidei veritate cognoſcenda non allucinantur, aquilis acutiſſimo viſu ſolem intuentibus ſimiles ſunt. Idem lib. 1. de ſacr. cap. 2. *Vbi corpus Chriſti, ibi & aquila volare conſueuerunt; vt terrena fugiant, cæleſtia petant.* Et lib. 4. cap. 2. *Corpus Chriſti eſt in altari: Aquilæ vos eſtis*, piis fidelibus ait. Hac bene poſita interpretatione audiamus quid egregiè Origenes dicat: *Non dixit: Vbicumque fuerit corpus, ibi congregabuntur vultures, aut corui, ſed aquilæ; volens oſtendere magnificos, & regales omnes, qui in paſſione Domini crediderunt:* Adeoque verum Chriſti corpus per Euchariſtiæ ſacramentum in Dominicæ paſſionis memoriam inſtitutum credunt. Quia igitur Caluinus, eiuſque ſectatores non regiæ aquilæ, ſed nigerrimi corui ſunt, animarum veluti cadauerum prædatores; mirum non eſt, ſi verum Chriſti corpus in Euchariſtia negantes, verba Domini dicentis: *Hoc eſt corpus meum*, tantùm per figuram dicta eſſe putant: ita vt idem ſit: *Hoc eſt corpus meum*, atque, *Hoc eſt figura corporis mei*, illudque non continet, ſed tantùm ſignificat. Contra quos primò Auguſtini auctoritas eſt; qui cum lib. 3. de doctrina Chriſtiana cap. 5. dixiſſet: *Cauendum eſt ne figuratam locutionem ad litteram accipias:* deinde cap. 10. ait: *Huic obſeruationi, qua cauemus figuratam locutionem, id eſt tranſlatam, quaſi propriam ſequi, adiungenda etiam illa eſt, ne propriam quaſi figuratam velimus accipere. Demonſtrandus eſt igitur modus inueniendæ locutionis, propria ne, an figurata ſit. Et iſte omnino modus eſt, vt quidquid in ſermone diuino neque ad morum honeſtatem, neque ad fidei veritatem propriè referri poteſt, figuratum eſſe cognoſcas.* Cum ergo Dominus dixerit: *Hoc eſt corpus meum*, ſi id propriè, non figuratè intelligatur; neque morum honeſtati, neque fidei veritati contradicit; ſed maximè conſonat; & oppoſitum alijs contradicit Scripturæ teſtimoniis; profectò non figuratè, ſed propriè id dictum eſſe intelligendum eſt. Benè ergo concludit idem capite vndecimo Auguſtinus: *Quod perſpicuè ſonat, non eſt ad aliud referendum, quaſi figuratè dictum ſit.*

Aquilæ non cadaueribus, ſed viua captiua præda veſcuntur.

Euchariſtiã ſumentes, aquilis ſimiles.

Caluinus ſic percnegãs Chriſti corpus in Euchariſtia cótineri, refellitur. Hic & ſequentibus.

Figurata locutio in ſacra Scriptura, nó vt propria intelligenda eſt: neque propria, vt figurata. Figuratã & propriã locutioné dignoſcendi modus.

121. Præterea idem Auguſtinus de verbis Domini, ſerm. 18. ad ſacræ Scripturæ intelligenda verba certiſſimam hanc regulam tradit: *Quomodo verba intellexerunt Sancti, ſic vtique intelligenda ſunt.* Sanctorum teſtimonia aſſerentia Chriſtum Dominum verè in Euchariſtia exiſtere, fusè relata videri poſſunt apud Bellarminum de Euchariſtia. Circa eumdem fidei articulum præter Sanctorum teſtimonia, ſatis clara ipſius Scripturæ verba, & ſententiæ afferri poſſunt. Ioan. cap 6. Dominus dixit: *Operamini non cibum, qui perit; ſed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis.* Et ſenſus eſt: Per fidei, & charitatis actus enixè contendite, vt habeatis, & ſumatis non corruptibilem cibum; ſed cibum in æternum permanſurum. Vbi benè Rupertus ait: *Cibus, qui permanet in vitam æternam; id eſt, qui in hac mortali vita manducatus ad hoc valet: ad hoc proficit, vt vitam det mundo æternam.* Similiter Theophylactus ait: *Cibum manentem, myſticam dixit ſumptionem carnis Domini:* myſtica autem carnis Domini ſumptio dicitur; non quòd veræ carnis ſumptio non ſit; ſed quod habeatur ex myſterio, hoc eſt ſacramento ſub viſibilibus ſpeciebus inuiſibilem Chriſtum Dominum abſcondente: & quòd per tale ſacramentum myſticè Domini paſſionis memoria celebretur; Fideles monet ibidem Theophylactus: *Attende, quòd panis, qui à nobis in myſteriis manducatur, non eſt tantùm figuratio quædam corporis Domini. Non enim dixit, Panis, quem ego dabo, figura eſt carnis; ſed Caro mea eſt. Transformatur enim arcanis verbis panis ille per myſticam benedictionem, & acceſſionem ſancti Spiritus, in carnem Domini. Et quomodo, inquis, non apparet nobis caro, ſed panis? Vt non abhorreamus ab eius eſu. Nam ſi caro apparuiſſet, inſuauiter affecti eſſemus erga communionem. Nunc autem condeſcendente Domino noſtræ infirmitati, talis apparet nobis myſticus cibus, qualibus alioquin aſſueti ſumus.*

Euchariſtia quomodo cibus ſit permanens in vitam æternam.

122. Eodem Ioannis cap. 6. iuxta Concilium Epheſinum epiſtola ad Neſtorium; iuxta Nicænum ſecundum Actione 6. Tridentinum ſeſſ. 12. cap. 2. de Euchariſtia loquens Dominus dixit: *Ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendi: Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum: & panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.* Vbi Euthymius ait: *Non dixit: Panis, quem ego do; ſed quem dabo. Daturus namque erat in vltima cœna, quando ſumptum panem actis gratiis fregit; deditque diſcipulis & ait: Accipite, & comedite; hoc eſt corpus meum.* Præterea: *Dabo in mortem; hic enim crucifixionem ſuam præſignat, & vltroneam paſſionem.* Cum Dominus allata verba Ioan. 6. dixiſſet, ſubdit Ioannes: *Litigabant Iudæi ad inuicem dicentes: Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* Si Caluiniſtæ Iudæorum contentioni illi interfuiſſent, eam facilè dirimere potuiſſent, aſſerendo Dominum non per propriam realitatem, ſed per figuram ſuam daturum carnem ad manducandum. Sed Iudæi aut ridiculam talem interpretationem iudicaſſent; aut Dominum de re facili, difficili, obſcuroque modo repetitis verbis loquentem impudentiæ arguiſſent.

123. Certum eſt Numerorum 21. ſerpentem æneum à Moſe erectum Chriſti Domini figuram fuiſſe: ipſe enim Dominus dixit Ioan. 3. 14. *Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis.* Hoc poſito quæro à Caluiniſtis nùm Moſes diuini myſterij conſcius, & benè noſcens venturum Redemptorem à ſerpente illo præfigurari, Hebræis prudenter dicere potuiſſet: *Hic eſt Deus*

Exodi 32. *tuus Israël, qui te eduxit de terra Ægypti?* Vtique responderi debet: Moses, si ira cum populo ad Idololatriam procliui locutus esset, imprudenter se gessisset: & consequenter serpentis illius cultus, & adoratio subsequuta vsque ad Ezechiæ regnum, qui serpentem fregit 4. Reg. 18. non tam populo, quam Mosi in re grauissima obscurè loquenti tribuenda fuisset. Similiter fideles adorantes in Eucharistia verum Dei Filium, vt ibi existentem; si iuxta hæreticos verè ibi non existeret, vtique idololatrarent, vt hæretici ipsi asserunt: & consequenter talis Idololatria non tam adorantibus Eucharistiam, quam ipsi Christo de ea non clarè locuto tribuenda foret; cum profecto Christus Christianorum vniuersalem erga tale sacramentum venerationem bene præuidisset: Quare Erasmus epistola ad Ludouicum Berum scripsit: *Numquam mihi persuaderi potuit, neque poterit, Christum, qui Veritas est, & Charitas, tamdiu passurum fuisse dilectam sponsam suam herere in errore tam abominando, vt crustulum farinaceum pro ipso adoraret.*

Serpentem æneum Ezechias fregit

114. Subdidit eodem Ioannis cap. 6. Dominus: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quibus in verbis Domini præceptum suis fidelibus de Eucharistiæ sumptione datum continetur. *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos*, dicitur Psalm. 18. & Matthæi 11. 30. de Christiana lege Dominus ait: *Iugum meum suaue est, & onus meum leue.* Cum ergo lucidum sit Domini præceptum; cum suauis, & leuis sit Christiana lex; cur Eucharistiæ sumendæ præceptum Dominus obscurè dare voluisset; suamque legem, vt insuauem, & grauem proposuisset, dicens: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: cum facillimè dicere potuisset: Nisi panem meæ carnis figuram manducaueritis, & nisi vinum figuram mei sanguinis biberitis, non habebitis vitam in vobis? Respondebit Caluinista: etiam si concedatur Domini carnem, & sanguinem verè in Eucharistia contineri; adhuc allata Domini verba obscura essent; cum ex iis non habeatur modus, quo Dominus in Eucharistia futurus erat. Respondeo talem modum sacramentaliter existendi, cum supernaturalis, & omnino mirabilis sit, explicandum Dominum reliquisse post Eucharistiæ institutionem, à qua fidei lumen sumere debebat augmentum. *Expectare temporis opportunitatem oportuit*, ait Chrysostomus. Contra verò si in Eucharistia tantùm per figuram Dominus existere debebat; cum talis modus captu facillimus foret; nulla erat ratio cur in aliud tempus explicandus differretur.

Chrysost. in Ioan. cap. 6 hom. 46.

125. Eodem Ioannis cap. 6. à Domino subditur: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Si caro verè est cibus, non per suam figuram cibus est: si sanguis verè est potus, neque per figuram potus est. Dices, eodem modo in ipsa vltima cœna Dominus dixit Ioan. 15. *Ego sum vitis vera*: & tamen hoc figuratè, non propriè intelligendum est. Respondeo iuxta regulam supra traditam ab Augustino, tum sententiam figuratè, non propriè esse intelligendam, cum ratio sub proprio significatu ea verba intelligi non posse suadet. Cum ergo vna substantia altera esse non possit; hinc dicente Domino: *Ego sum* A *vitis vera*, id necessariò figuratè intelligi debere dicendum est. Quare si ignauo, stultoque homini diceretur: Tu es verè brutus; eum non propriè brutum esse, sed tantùm bruti mores, moralesque quasdam proprietates habere significaretur. Sic dicens Dominus: *Ego sum vitis vera*, se similes aliquas vitis proprietates habere significauit: scilicet sicut è vite palmites germinant; qui si ei coniuncti non sint, arescunt: similiter homines nisi Christo Domino per fidem, & charitatem vniantur, in spiritualem sterilitatem arescentes incurrent. Ad quod significandum Dominus ibi subdidit: *Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere.* Præterea in Syriaco textu legitur: *Ego sum vitis illa veritatis*; hoc est non materialium vuarum, sed diuinæ veritatis fructifera. *Vitis vera, hoc est, quæ veritatis fructum profert*, ait Euthymius. Cum ergo Dominus materialis vitis esse non possit, spiritualis, & mystica vitis est. Contrà tamen, quia verè cibus per suam carnem, & verè potus per suum sanguinem esse potest, talem propriè non figuratè se esse dixit. Quod si aliquando ex sacris Doctoribus aliquis dixit Christum esse in Eucharistia tanquam in sacramento, vel signo, vel figura; id dicitur, quia Eucharistiæ sacramentum per externas, & sensibiles species panis, & vini est signum, & externa figura Christi Domini corporis, & sanguinis ibi sub speciebus illis, & figura delitescentis.

Vitis vera quo sensu Dominus dicatur.

B

C

2. ad Cor. c. 4. 6.
Luca c. 11. 78.
Deut. 32. 31.

126. Præter sacræ Scripturæ, & sanctorum Patrum testimonia *Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere*, nobis *salutem ex inimicis nostris* eliciendo, Catholicæ fidei dogmatis etiam inimicos nostros esse iudices voluit: vt etiam hæreticorum testimonia ad irrefragabilem veritatem cognoscendam non deessent. Lutherus ad Argentinos epistola ait: *Si Carlostadius persuadere mihi potuisset in sacramento præter panem, & vinum esse nihil, magno beneficio me sibi deuinxisset: hac enim re valde Papatui incommodassem. Verùm ego me captum video, nulla elabendi via relicta: textus enim Euangelij valde apertus est, & patens, qui facilè conuelli non potest; multominus verbis, aut glossis è capite vertiginoso confictis.* Quare verè Romanus Pontifex contra malignum Lutheri Pontificiæ potestati nocendi desiderium dicere potuit: *Parasti in conspectu meo mensam*, mensam scilicet Eucharisticam, iuxta Basilium, Augustinum, & alios, *aduersus eos, qui tribulant me: & calix meus inebrians*, Christi sanguinem continens, *quàm præclarus est!* Ita nempe præclarus, vt etiam cœcutientibus hæreticis, & inuitis eluceat. Quàm aptè Lutherus vertiginosum Carlostadij caput appellauit! Meritò enim inconstanti vertigine eius caput circumagebatur, qui cœlestis Eucharistiæ panem peruersè negauit: cum cœlestis Eucharisticus *panis cor hominis confirmet*, seu roboret, & fulciat, vt dicitur Psal. 103. 15. iuxta Hieronymum, Cyrillum Ierosolym. & alios. Porrò cùm cœlestem Eucharistiæ panē negasset Carlostadius mentis carie instabilis, Vitembergica cathedra relicta ex Doctore factus est pistor, pistor quidem præ Pharaonis pistore suspendio longè dignior: quique nunc ex furfurato pistore, sulphuratus damnatus est.

Hæreticorũ testimonia verè Christũ in Eucharistia contineri cognoscentium: hic, & sequentibus.

D

Psal. 22. 5.
Carlostadius hæreticus Eucharistici panis sacramentũ negans, vertiginoso Capite ex Doctore pistor euasit.

E

Cyrillus Catech. Mystag. 4.
Hieronym. l. 1. in Ezec in fine.
Cyrillus in gestis Lutheri.

127. Præter Lutherum Melanchthon similiter hæreticus, Caluini de Eucharistiæ sacramen-

to sententiam reprobans epist. ad Fredericum Myconium ait: *Si pro corpore figuram corporis acceptas, quid non poterit eludi hac arte? Sic licebit totam religionis formam transformare.* Sicut contra cœlestis paradisi veritatem contigit. Nam cum Genesis 2. dicitur: *Plantauerat Dominus Deus Paradisum voluptatis: produxit omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suaue; lignum etiam vitæ in medio paradisi, lignumque scientiæ boni, & mali: & fluuius egrediebatur de loco voluptatis*; has terrestris Paradisi delicias figuratè intelligens Origenes asseruit paradisum hunc esse tertium cœlum; arbores figuratè dictas, esse virtutes Angelicas; flumina esse aquas, quæ sunt supra firmamentum.

128. Idem Melanchthon librum de veritate corporis, & sanguinis Domini scripsit, vbi inter cætera ait: *Si ob rationes humanas neges Christum esse in Eucharistia, quid dicet in tentatione conscientia? Quam afferet causam discedendi à recepta sententia in Ecclesia? Tunc ista verba: Hoc est corpus meum, fulmina erunt. Quid his opponet mens perterrefacta? Quibus scripturis, qua voce Dei se muniet, ac sibi persuadebit, necessariò hic fuisse interpretandam metaphoram; cum verbum præferri debeat iudicio rationis.*

129. Conradus Pellicanus cum ad negandum Christi corpus, & sanguinem Erasmum inducere vellet, rescripsit Erasmus: *Ad id negaui semper me posse animum inducere; præsertim cum Euangelicæ, atque Apostolicæ litteræ tam euidenter nominent corpus, quod datur, & sanguinem qui effunditur. Si tibi persuasum est in Synaxi nihil esse præter panem, & vinum; ego membratim discerpi malim, & omnia perpeti; quàm profiteri idem, quod tu profiteris: nec patiar, vt tui istius dogmatis me auctorem facias, vel comitem. Hactenus cum omnibus Christianis adoraui Christum pro me passum in Eucharistia; nec adhuc video quidquam, cur ab hac opinione debeam recedere. Nullis humanis rationibus abduci potero à concordi sententia Christiani orbis. Plus enim valent apud me illa quinque verba: In principio creauit Deus cælum & terram; quam omnia Aristotelis, cæterorumque philosophorum argumenta, quibus docent mundum carere initio.* (Genes. 1.) *Sic hic litteras diuinas habemus: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: Hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur.* Ex allatis hæreticorum testimoniis benè patet, quàm discors inter se hæreticorum turba sit: cum vera Catholica fides semper eadem concordi constantia fuerit.

130. Contra Catholicam de vera Christi in Eucharistia existentia veritatem, pro sua hæresi obijciunt primò hæretici: Sæpè Eucharistia Panis appellatur, vt 1. ad Cor. 11. 27. *Quicunque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè; reus erit corporis, & sanguinis Domini.* Et Ioann. 6. vbi de Eucharistia est sermo, à Domino dicitur: *Pater meus dat vobis panem de cælo verum.* Respondetur primò, hæreticos potius Hebræorum excæcationem imitari velle, quàm illorum idioma callere. Hebraicè panis nomine cibus significatur: quare etiam manna, cum verè panis non esset, panis nominatur Psal. 77. 24. & 25. *Pluit illis manna ad manducandum, & panem cæli dedit eis: Panem Angelorum manducauit homo*; Et Sap. 16. 20. *Angelorum esca nutriuisti populum tuum, & paratum panem de cælo præstitisti illis.* Quod si dicas manna panem appellari, quia erat saporis, *quasi panis* (Panis nomine quilibet cibus intelligi potest.)

A *oleati*, vt dicitur Num. 11. 8. Respondeo etiam in Eucharistia panis saporem remanere; ita vt ex hoc etiam panis appellari possit. Sed ad panis nomen tribuendum, panis sapor non requiritur; cum 2. Reg. 9. 7. Ionathæ filio, Dauid dixerit: *Tu comedes panem in mensa mea semper*; & tamen in mensa regia alia fercula panis dissimilia erant. Respondetur secundo res in aliud conuersas retinere primum nomen. Ideo Exodi cap. 5. 12. dicitur: *Deuorauit virga Aaron virgas eorum. Draco potuit absorbere, non virga: sed eo nomine appellata res est, vnde versa est; non in quod versa est*: ibi ait Augustinus quæst. 21. in Exodum. Similiter, quia ex pane fit conuersio in Christi corpus, (Transmutata post conuersionem etiam pristinum nomen interdum retinent.)
B & ex vino in Christi sanguinem, primum nomen illis tribui potest.

131. Obijciuntur 2. Domini verba Ioan. 6. 64. *Caro non prodest quidquam; spiritus est, qui viuificat*: ergo fidelibus ad Eucharistiam accedentibus non prodest Christus, quasi ibi suam carnem absconderit; sed prodest, quia ibi mysticè, & spiritualiter repræsentatur. Respondetur hunc sensum esse falsissimum: duplex autem illorum verborum sensus est; scilicet vt vel caro intelligatur ipsorum Eucharistiam sumentium; vel ipsius Christi Domini caro. Si caro referatur ad homines; tunc caro pro carnali sensu sumitur, & sententiæ significatus est: ad cognoscen-
C dum Eucharistiæ mysterium, & beneficium, carnalis sensus nihil prodest; sed spiritus, nempe animus fide illuminatus viuificat homines, illos ad credendum corroborans; spiritualemque gratiæ vitam consequitur. Benè enim allata verba interpretatur Chrysostomus: *Spiritus est, qui viuificat, caro non prodest quidquam: hoc est secundùm spiritum verba mea audienda sunt: qui secundùm carnem audit, nihil lucratur, nihil vtilitatis accipit. Caro non prodest quidquam: non de sua carne dicit; absit: sed de his, qui carnaliter accipiunt quæ dicuntur. Quid est autem carnaliter intelligere? simpliciter, vt res dicuntur, neque aliud quidquam excogitare. Non enim ita iudicanda*
D *sunt quæ videntur; sed mysteria omnia interioribus oculis consideranda, hoc est spiritaliter. Qui non manducat carnem meam, & non bibit meum sanguinem, non habet vitam in semetipso. Quomodo igitur nihil prodest caro, sine qua nemo potest viuere? vides, quòd ea particula, Caro non prodest quidquam, non de ipsa Domini carne; sed de carnali auditione dictum est.*

132. Si verò allata verba: Caro non prodest quidquam, ad Christi carnem referantur; tunc sensus est, quem tradit August. 10. de Ciuit. cap. 24. dicens: *Caro non per seipsam mundat, sed per Verbum, à quo suscepta est.* Similiter Cyrillus: *Caro si sola intelligitur, nihil prorsus viuificare potest, quippe quæ viuificante indiget. Sed quoniam cum viuificante Verbo coniuncta est, tota est effecta* (Cyrillus in Ioan. lib. 4. c. 13.)
E *viuifica. Non enim ad corruptibilem suam naturam coniunctum Dei verbum destruxit; sed ipsa ad melioris virtutem eleuata est. Quamuis ergo natura carnis, vt caro est, viuificare nequeat; facit tamen hoc, quia totam Verbi operationem suscepit.*

133. Obijcitur tertio August. in Psalm. 98. dicens: *Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendaui; spiritaliter intellectum viuificabit vos; & si necesse est illud visibiliter celebrari, oportet tamen inuisibiliter intelligi.* Ergo apertè docet Augustinus non corpus, quod à Iudæis vi-

debatur, in sacramento manducari; neque potari sanguinem à crucifixoribus fusum. Respondetur, non hunc esse Augustini sensum; cum apertè Domini verbis contradicat, qui Sacramentum instituens dixit: *Hoc est corpus meum quod pro vobis traditur. Hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur.* Non negat ergo Augustinus proprium Christi corpus, & sanguinem in Eucharistia manducari, & potari; sed tantùm modum negat, quo corpus manducandum, & sanguinem bibendum Iudæi intelligebant: putabant enim Christi corpus, vt manducaretur, laniandum, & dentibus esse mandendum: similiter sanguinem extra venas extractum, esse bibendum. Ad quam crassam, prauamque intelligentiam tollendam, ait Augustinus, Cum Christus in Sacramento inuisibiliter, indiuisibiliter, adeoque impassibiliter sit; modum manducandi, & bibendi esse sacramentalem sine diuisione eius corporis, quod manducatur, & sanguinis, qui bibitur. Negat igitur non verum Christi corpus, verumque Christi sanguinem in Sacramento; sed negat visibile corpus, & sanguinem eo modo fusum, quo à crucifixoribus fusus est. Alioquin ibi Augustinus sibi contradixisset: cum in Psalm. 33. ser. 1. apertè dicat: *Iesus Christus in corpore, & sanguine suo voluit esse salutem nostram. Unde autem commendauit corpus, & sanguinem suum? De humilitate sua: nisi enim esset humilis: non manducaretur, nec biberetur.*

134. Obijcitur quartò Augustinus libro tertio de doctrina Christiana cap. 16. vbi hanc regulam tradit: *Si præceptiua locutio flagitium, aut facinus videtur iubere, figurata est.* Quare explicans Domini verba: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* ait: *Facinus, & flagitium videtur iubere. Figura est ergo præcipiens passioni Domini esse communicandum; & suauiter, atque vtiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro eius crucifixa, & vulnerata sit.*

Ioan. 6.

Respondeo ex ipsius Augustini verbis, eius sententiæ sensum haberi. Facinus, & flagitium fuisset, si Christi Domini carnem extra Sacramentum, cum adhuc viueret, aliquis discerpere, & in esum assumere voluisset; & ex eius discerpto corpore fluentem sanguinem bibere. Propterea verba illa materiali hoc modo intelligenda esse negat Augustinus; sed intelligenda per figuram; non quòd per figuram in Sacramento Christi corpus, & sanguis sit; sed verum Christi corpus, & sanguis in Eucharistia passionis eius figura sit. Eucharistiæ enim Sacramentum, Ecclesia ait esse *sacrum conuiuium, in quo Christus sumitur, & recolitur memoria passionis eius*: idque iuxta Domini mandatum, qui Eucharistiam instituens, Apostolis, & successoribus sacerdotibus, & suo etiam modo fidelibus omnibus, dixit: *Hoc facite quotiescumque bibetis in meam commemorationem. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis.* In Missa enim cum panis, & vinum sacramentaliter consecrantur, verum, maximeque præcellens sacrificium Deo offertur: Victima autem ibi Deo oblata, est Christi corpus, & sanguis: in qua victima, quantum est ex vi verborum, sanguis, & corpus inuicem separantur: cum enim consecratur panis, ex vi verborum sub panis specie sanguis non ponitur, sed caro; cumque vinum consecratur, ex verborum vi sub vini specie caro non ponitur, sed sanguis. Ideoque cum

1. ad Cor. c. 11.

Eucharistiæ in Missa cõsecratio, quomodo sacrificium sit.

Christi corpus exangue in sepulchro iacuit, si Apostoli panem, & vinum consecrassent, sub panis speciebus exangue Christi corpus fuisset, & sub speciebus vini fuisset solus Christi sanguis; & vtrobique Christi anima non fuisset, vt docet S. Thomas 3. p. quæst. 81. art. 4. Hinc fit, vt sacramentalis separatio significet corporis, & sanguinis diuisionem, quæ in Domini passione, non ex vi verborum, sed ex vi vulnerum facta est; ideoque illa hanc in memoriam semper reuocare debet. Præterea semper sacramentalem diuisionem modo explicatam, Eucharistiam sumendo, Dominicæ passionis memoria recoli debet: Nam vt apud Sanctum Ambrosium habetur: *Quia morte Domini liberati sumus, huius rei memores esse debemus in edendo, & potando carnem, & sanguinem, quæ pro nobis oblata sunt.* Vltimò diligenter notandum, quod sicut aliquando ab Augustino figuræ appellantur Sacramenta: ita Sacramentum appellatur Figura. Patet hoc ex tract. 26. in cap. Ioan. 6. vbi de Eucharistia loquens ait: *Hunc panem significauit manna, hunc panem significauit altare Dei. Sacramenta illa fuerunt*, id est figuræ.

Ambros. in ep. 1. ad Cor. cap. 11.

Sacramenti nomine interdum figura appellatur.

135. Obiicitur quintò S. Bernardus in psal. 90. ser. 3. dicens: *Quid est manducare eius carnem & bibere sanguinem; nisi communicare passionibus eius, & eam conuersationem imitari, quam gessit in carne? Vnde & hoc designat illud altaris sacramentum; vbi Dominicum corpus accipimus; vt sicut videtur illa panis forma in nos intrare; sic nouerimus per eam, quam in terris habuit conuersationem, ipsum intrare in nos ad habitandum per fidem in cordibus nostris.* Similiter ante Bernardum aliquando locutus est Augustinus; qui præterea tract. 27. in Ioan. explicans Domini verba: *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita* ait: *Vis tu viuere de Spiritu Christi? in corpore esto Christi. Qui vult viuere, habet vnde viuat. Accedat, credat, incorporetur, vt viuificetur: non abhorreat à compage membrorum; non sit putre membrum, quod resecari mereatur; non sit distortum, de quo erubescatur; sit pulchrum, sit aptum, sit sanum: viuat corpori, viuat Deo de Deo.* Quibus verbis in corpore esse Christi, mystico Ecclesiæ corpori incorporari significat Augustinus. Respondetur iuxta sensum mysticum eo modo locutum esse Augustinum, & Bernardum. Quare citatus Bernardus ait: *Vnde & hoc designat*: scilicet hoc etiam præter aliud designat. Ideo, cum sensus mysticus affertur, litteralem sensum excludi non debet intelligi. Quod egregiè sic Augustinus ostendit lib. 13. c. 21. de ciuit. *Nonnulli totum illum Paradisum, vbi primi homines fuisse narrantur, ad intelligibilia referunt; arboresque illas, & ligna fructifera in virtutes vitæ, moresque conuertunt; tamquam visibilia illa, & corporalia illa non fuerint; sed intelligibilium significandorum causa eo modo dicta, vel scripta. Quasi propterea non potuerit esse Paradisus corporalis, quia potest etiam spiritualis intelligi: tamquam ideo non fuerint duæ mulieres Agar, & Sara, & ex iis duo filii Abrahæ, vnus de ancilla, alius de libera; quia duo testamenta in eis figurata dixit Apostolus. Nemo itaque prohibet intelligi Paradisum vitam Beatorum, quatuor eius flumina quatuor virtutes, Prudentiam, Fortitudinem, Temperantiam, atque Iustitiam, & ligna eius omnes vtiles disciplinas; & lignorum fructus, mores piorum; lignum vitæ, ipsam bonorum omnium matrem Sapientiam: & lignum scien-*

Ioan. 6.

Sensus mysticus non debet litteralem sensum excludere.

tis boni, & mali, transgressi mandati experimentum. Possunt hæc etiam in Ecclesia intelligi, vt ea melius accipiamus tamquam prophetica indicia præcedentia futurorum. Paradisum scilicet ipsam Ecclesiam; sicut de illa legitur in Canticis Canticorum: Quatuor autem Paradisi flumina, quatuor Euangelia: ligna fructifera, sanctos; fructus autem eorum, opera eorum: lignum vitæ, sanctum sanctorum, vtique Christum: *lignum scientiæ boni, & mali, proprium voluntatis arbitrium. Hæc, & si qua alia commodius dici possunt de intelligendo spiritualiter Paradiso, nemine prohibente dicantur: dum tamen illius historiæ veritas fidelissima ex rerum gestarum narratione commendata credatur.*

136. Obiicitur sextò, impossibile plane videri Christi corpus septipalmare in quibuslibet minimis panis, & vini particulis reperiri. Resp. cum Augustino: *In homine carnali tota regula intelligendi est consuetudo cernendi. Quod solent videre credunt; quod non solent, non credunt. Præter consuetudinem facit Deus miracula, quia Deus est.* Ideo S. Thomas ait: *Quod non vides, animosa firmat fides* Sed ad hæreticam prauitatem confundendam dicere etiam possumus: *Quod vides animosam firmat fidem.* Nam sicut in eadem exigua oculi pupilla ingens mons quantus quantus est, naturaliter recipitur; ita in exigua panis, vinique particula integer Christus Dominus continetur. Quia verò hoc argumentum, habere potest effugium, dicendo à montis esse reali, ad eiusdem esse intentionabile fieri transitum: Ad hoc præcidendum effugium, non secundùm esse reale, sed secundùm esse intentionabile mons accipiatur: mons enim per species intentionales, & visibiles est in maximo aëris spatio illum ambiente; quod quidem aëris spatium est ipso monte multo maius; & tamen totum illud esse intentionale montis in media pupilla adunatur. Quare, vt hæretico Eucharistiæ veritas suadeatur, dicatur Ieremiæ verbis: *Ne taceat pupilla oculi tui:* Quod si homo Deo dicit: *Custodi me vt pupillam oculi tui*: cogitemus à Christo Domino in Sacramento latente homini dici: *Obserua me, vt pupillam oculi tui.* Quod enim in tua pupilla naturaliter fieri vides, simile quid supernaturaliter in Eucharistia fieri credas. Porrò cum indiuisibili sacramentali modo Christus Dominus in Eucharistia sit; non est cur hæretici tamquam Domini honorem zelantes, negent realem Christi præsentiam in Eucharistia; eo quòd ibi variis iniuriis, & corruptioni subiacere possit, & vel à muribus comedi. Ad quod facilè respondetur, species quidem panis, & vini corruptioni esse obnoxias, non autem Christum ibi contentum. Cum enim species corrumpuntur, vt accidit intra sumentis Eucharistiam stomachum; tunc Christus Dominus, qui est omninò impassibilis, ibi esse desinit; eiusque loco eadem materia, quæ per consecrationem esse desierat, diuinitus redit; redit autem ea indiuidua materia; ne ea in sui annihilatione remaneat. Ex creaturis enim nulla à Deo penitus annihilatur; iuxta id quod Sap. 11. 25. Deo dicitur: *Nihil odisti eorum, quæ fecisti*; præcipuè scilicet odio annihilationis. Ad id autem, quod dicitur à muribus etiam Eucharistiam comedi posse: Resp. si id Dominus fieri nolit, non deesse adstantes Angelos, qui id prohibeant. Vtinam hæreticos Catholicam Eucharistiæ veritatem maledicis dentibus corrodentes custodes eorum Angeli à tam peruersa impietate tandē auertant.

Augustinus ser. 147. de tempore.

S. Thom. in hymno.

Eucharistia Christum statura septipalmari quomodo indiuisibiliter contineat: hîc, & sequentibus.

Ieremias Thren. c. 2. 18

Isal. 16. 8.

137. Obiicitur septimò: cum Christus Dominus, qui in cœlo suam corporis extensionem habet, in qualibet Eucharistiæ particula ponitur, vel talis mutatio fit per additionē, vel per detractionem: non per additionem, quia huiusmodi coarctatio potius detrahendo, quàm addendo fieri videtur: non per detractionem; cum Christus Dominus omnino immortalis nihil sui deperdere debeat. Resp. in corpore & in qualibet re materiali partium extensionem in ordine ad se, ab extensione partium in ordine ad locum, omninò distingui: vt patet in condensatione, vbi res corporea nihil partium, nihil extensionis in ordine ad se deperdit; cum tamen maiorem extensionem in ordine ad locum in minorem mutet. Christus ergo sine extensione in ordine ad locum in Eucharistia continetur: non tamen dicendum est illam deperdere; sed tantùm ibi vnà cum corpore replicato extensionem illam, quàm in cœlo Christus habet, non replicari.

138. Ex dictis patet verè, non figuratè Christum Dominum in Eucharistia contineri. Cum idem Dominus Lucæ 17. fidelibus dixit: *Regnum Dei intra vos est*, iuxta Bedam, *Regnum Dei seipsum dicit intra illos vtique positum.* Sacram autem Eucharistiam sumentibus præcipuo titulo dici potest: *Regnum Dei intra vos est*: quia vero, teste Apostolo, *Deus charitas est*; vbi Christus verus Deus est, ibi charitatis est Regnum: qui autem ad charitatis regnum fidei consideratione se ducit, sacramentalem veram Christi præsentiam non figuratam credit. Hinc bene Augustinus ait: *Seruabitur in locutionibus figuratis regula huiusmodi; vt tamdiu versetur diligenti consideratione quod legitur, donec ad regnum charitatis interpretatio perducatur. Si autem hoc iam propriè sonat, nulla putetur figurata locutio.* Quod si hæreticus dicat: *Regnum Dei non est esca, & potus*: respondemus verè Regnum Dei non esse in esca veri Christi corporis, & in potu veri Christi sanguinis in Sacramento; per quod gratiam ad regnandum cum Deo in cœlis acquirimus.

Ioan Epist. 1. c. 4. 8.

August l. 3. de Doctrina Christiana. c. 16. Figuratis in locutionibus quæ regula seruanda

Ad Romanos c. 14. 17.

Hoc est corpus meum.

139. VErbum EST, aliqui putant in consecratione non esse de essentia: idque duplici argumento. Primò, quia Hebræi, & Syri substantiuum verbum non habent, sed illum subintelligunt. 2. quia etiam Lucas c. 22. 20. Græcè scribens in calicis consecratione verbum illud omisit. Quidquid sit de Hebraica, vel Syriaca forma, in Latina quidem verbum EST de essentia esse videtur; cum Latini verbum substantiuum, quando ad rei significatum necessarió requiritur, non subintelligant, sed expressè ponant. Lucas autem in calicis consecratione substantiuum verbum non omninò omisit; sed illud in consecratione panis antea positum veluti repetiit dicens: *Similiter & calicem*, &c. dicendo enim SIMILITER, significauit, sicut Dominus dixerat: *Hoc est corpus meum*: ita: *Hic calix in sanguine meo*, scilicet est. Si autem in Latina forma Hebraicæ formæ modo subintelligi verbum substantiuum posse diceretur; daretur ansa hæreticis subintelligendi etiam aduerbium SICVT. Hoc enim similitudinis aduerbium omittere Hebræi solent; & ideo in psalmi decimi verbis *Transmigra in montem sicut passer*, in Hebræo textu particula SICVT non habetur. Subintelligendo autem in consecrationis forma Hebræorum more particulam SICVT: hæretici figu-

Verbū EST, de essentia consecrationis.

Similitudinis aduerbium Hebræi omittere solent.

ratam, non realem Domini præsentiam in Sacramento confirmare contenderent.

Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes.

140. ANte calicis consecrationem gratias æterno Patri Christus Dominus egit; quod ad tam eximium opus perficiendum ei diuinam opem exhiberet. 2. gratias egit, quia, vt ait S. Bonauentura *Vetera transitura, & noua omnia erant ventura.* Quia scilicet materiali paschali agno ipse Christus Dominus mysticus Dei agnus in Ecclesia successurus erat: quare pro eximio suis fidelibus beneficio conferendo, tamquam pro proprio æterno Patri Christus Dominus gratias egit. Si Dominus pro nostro beneficio gratias egit; ne pigeat, præcipuè sacerdotes post sumptam Eucharistiam, mundanis reiectis negotiis, non exiguo tempore, diuinæ beneficentiæ toto cordis affectu debitas gratias agere.

S. Bonauentura in Lucam.

141. *Bibite ex hoc omnes*: omnes scilicet, quibus antea, iuxta S. Lucam Dominus dixerat: *Hoc facite in meam commemorationem: In quo dat eis potestatem, vt faciant quod ipse fecit: ac per hoc etiam sacerdotalem ordinem eis tradidit*, ait S. Bonauentura. Hinc à communione sub vtraque specie laici sunt excludendi. Hæretici autem, qui laicos non excludi contendunt, afferunt Domini verba Ioannis 6. vbi Capharnaitis laicis Dominus dixit: *Nisi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Resp. primò ex hebraico idiomate interdum poni particulam coniunctiuam ET pro disiunctiua VEL, aut simili. Quare quamuis Exodi 21.15.17. in Hebræo textu dicatur. *Qui percusserit patrem, & matrem, morte moriatur. Qui maledixerit patri suo, & matri, morte moriatur*: ibi tamen ex Vulgata legitur: *Qui percusserit patrem, vel matrem. Qui maledixerit patri vel matri.* Si enim Hussitæ, & Lutherani sine Hebraismi intelligentia textum illum legerent; ab eis vtique absolueretur is, qui non simul patrem, & matrem percussisset; vel vni tantùm eorum maledixisset. Iuxta allatum Hebraismum Exodi 12. præcipitur: *Tollat vnusquisque agnum, &c. iuxta quem ritum tolletis & hædum*, id est vel hœdum, si scilicet agnus non habeatur. Ezechielis 44. præcipitur: *Viduam, & repudiatam non accipient vxores.* Similiter ergo Dominus dixit: *Nisi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem*, id est, *vel nisi biberitis etiam eius sanguinem* (quod sacerdotibus in Missæ sacrificio est faciendum) *non habebitis vitam in vobis.* Quod si Hebraismum admittere non libeat;

Sacerdotalem ordinē Apostolis Dominus tradidit, cū Eucharistię Sacramentū instituit. S. Bonauent. supra. Laici à Cōmunione sub vtraque specie excluduntur: hic, & sequentibus. Particula, ET, interdū ponitur pro particula, VEL.

142. Respondeo secundo ex regula tradita ab August. lib. 3. de doctrina Christiana cap. 17. *Erit hoc in obseruationibus intelligendarum Scripturarum, vt sciamus alia omnibus communiter præcipi; alia singulis quibusque generibus personarum.* Præcipitur ergo à Domino Eucharistiæ sumptio omnibus in vniuersum; singulis tamen generibus diuersimodè; scilicet si sacerdotes sint, sub vtraque specie; sed sub vna tantùm specie, si laici sint. Quia verò nisi in Ecclesia sint Sacerdotes, qui sacramentum sub vtraque specie conficiant, neque laici sub vna specie Eucharistiam sumere possent; ideo vniuersæ Ecclesiæ, prout in ea sacerdotes sunt, dicitur: *Nisi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Laicis

A autem ad significandam communionem sub vna tantùm panis specie, ante eodem cap. 6. vers. 52. & 59. Dominus dixerat: *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.*

143. Respondeo tertiò ex Spiritus sancti regimine, Apostolos in primitiua Ecclesia concessisse laicis etiam sub vtraque specie Eucharistiam interdum, non semper accipere, vt habetur ex S. Dionysio de cœlesti Hierarchia cap. 3. par. 3. & ex S. Cypriano serm. de lapsis. Propterea Corinthios monuit Apostolus: *Probet seipsum homo; & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* Hac posita laicorum consuetudine à Domino
B præuisa, & concessa, multò antea dixit: *Nisi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Nisi scilicet hoc feceritis ea puritate, qua decet, prius scilicet pœnitentiæ sacramento graues culpas expiando. Porrò primitiuæ Ecclesiæ consuetudo subinde ministrandi etiam laicis sub vtraque specie sacramentum, ob varias causas, præcipuè ne in maxima frequentia gutta aliqua ex calice decideret, sublata est. Circa quod est duplex canon Tridentini sess. 21. *Si quis dixerit ex Dei præcepto, vel necessitate salutis, omnes, & singulos fideles vtramque speciem sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumere debere, anathema sit. Si quis dixerit Sanctam Ecclesiam Catholicam*
C *non iustis causis, & rationibus adductam fuisse, vt laicos, atque etiam Clericos non conficientes, sub panis tantummodò specie communicaret, aut in eo errasse, anathema sit.* Additur his Apostoli sententia sub disiunctione dicentis: *Quicumque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.* Præterea sub panis tantùm specie duobus discipulis Eucharistiam dedisse Dominum patet ex Luca c. 24. 30.

Eucharistia sub vtraque specie in primitiua Ecclesia laicis interdum concessa, postea tamen ablata est. Ad Corinth. c. 11.

144. Respondeo quartò iuxta Tridentini canonem 4. sess. 21. *Si quis negauerit totum, & integrum Christum omnium gratiarum fontem, & auctorem sub vna panis specie sumi, anathema sit.* Ideo qui sub vna tantum panis specie Eucharistiam sumit, sumit etiam Christi sanguinem; &
D hinc laicos etiam suo modo Christi sanguinem bibere dici potest. Ostendi id potest alio ex sacræ Scripturæ exemplo. Matth. c. 27. 34. de Domino dicitur: *Dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum.* De quo potu prædixerat Dominus psal. 68. 22. *Dederunt in escam meam fel.* Idem ergo fel, quod citato psalmo dicitur datum in escam; ab Euangelista, quia vino mixtum erat, dicitur datum in potum. Similiter caro Christi dicitur dari ad manducandum: quia verò in ea quippe viua, sanguis est, ad bibendum etiam dari dici potest. Quare laicis, qui sub panis tantùm specie Christum sumere debent, benè dici potest: *Nisi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis*
E *eius sanguinem*, simul scilicet in ea contentum, *non habebitis vitam in vobis.*

1. ad Cor. c. 11

145. Respondeo quintò. Christus in vltima cœna Eucharistiam instituens, quam ipse primus sumpsit, vt infra dicemus, mysticè iuxta Rupertum, Nyssenum, & Ambrosium dixit Cantic. 5. *Comedi fauum cum melle meo; bibi vinum meum cum lacte meo.* Quia verò Eucharistia sub panis specie instituta est, benè legunt Septuaginta: *Comedi panem cum melle meo.* Fauus, seu panis cum melle dicitur Eucharistia, quia, vt ait Honorius, Christi corpus continet animam, & diuinitatem, quæ est suauissima, & plena omni bono,

Ambros. lib. 5. de Sacrā. c. 3.

Eucharistia cur fauus, seu panis cum melle dicitur.

gaudio, & felicitate, quam hominibus sacram
Ambros. supra. synaxim sumentibus communicat. *Vides, quod in hoc pane nulla sit amaritudo, sed omnis suauitas* ait Ambros. Porrò, cùm post Eucharistiam sub panis specie institutam, eamdem deinde sub vini etiam specie Dominus instituerit, subdidit: *Bibi vinum*, hoc est vini species, *cum lacte meo.* Ad quod etiam faciendum fideles inuitat dicens:
Cantic. 5. *Comedite, amici, & bibite, & inebriamini charissimi.* Iuxta Clementem Alexandrinum lac Christi sanguinem significat, cum lac non sit aliud quàm sanguis concoctus, candidus, & dulcis, & ad alendum maximè aptus. Quare ad Christum Dominum sacramentaliter sumendum iuxta eundem Clementem nos inuitat Petrus Apostolus dicens: *Sicut modo geniti infantes rationabile sine dolo lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutem.* Ideo August. in psal. 33. conc. 1. ait: *Dominus noster Iesus Christus in corpore, & sanguine suo voluit esse salutem nostram. Respice altitudinem ipsius. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Ecce cibus sempiternus; sed manducant Angeli, & saginantur. Quis autem homo posset ad illum cibum? Vnde cor tam idoneum illi cibo? Oportebat ergo, vt mensa illa lactesceret, & ad paruulos perueniret. Vnde autem fit cibus lac? vnde cibus in lac conuertitur, nisi per carnem traiciatur? Mater hoc facit. Quod manducat mater, hoc manducat infans. Sed quia minus idoneus est infans qui pane vescatur, ipsum panem mater incarnat; & per humiditatem mammillæ, & lactis succum de ipso pane pascit infantem. Quomodo ergo de ipso pane pauit nos sapientia Dei, quia verbum caro factum est.* Ad Eucharistiam tamquam lactis plena vbera, nobis veluti infantibus auidè esse accedendum monet Chrysostomus dicens: *Nonne videtis quanta promptitudine paruuli papillas excipiunt, & quanto impetu labia vberibus infigunt? Accedamus cum tanta nos quoque alacritate ad hanc mensam, & ad vbera poculi spiritalis.* Cum ergo vel sub panis, vel sub vini specie mysticum lac Eucharistia sit; & iuxta Chrysostomum vtrobique sit *poculum spiritale*: cumque lac & in cibum, & potum accipiatur; qui Eucharistiam sub panis specie sumit, eandem vt mysticum lac & manducare, & bibere dici potest. *Potest res eadem esse cibus, si aliquo modo affecta sit; & potus, si alio, & alio modo consideretur: quemadmodum caseus quoque est lactis concretio.* vt ait Clem. Alexand.

Clem. Alex. l. 1. Pedag. c. 6.
Lac Christi sanguis in Eucharistia dicitur.
Epist. 1. c. 2
Ioan. c. 1.
Chrysost. hom. 60 ad populum, & hom. 83. in Matth.
Clem. Alex. supra.

146. Cantic. 1. Ecclesia Christi sponsa ait: *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi.* Cypri botrus optimæ vuæ racemum per vites ex Cypro Insula in Engaddi vineas translatum significat iuxta Gregorium, Cassiodorum, Bedam, & Anselmum. Mysticus autem botrus est Christus Dominus in Eucharistiæ sacramento; in quo eius sanguis in crucis torculari expressus continetur. Huius botri *vinum ita lætificat cor hominis*, vt eum ad beatæ vitæ resurrectionem fiducialiter sperandam iucundissimè eleuet: idque iuxta Domini verba Ioannis 6. vbi sacram Eucharistiam sumenti, nec ab ea per peccatum se auertenti promittitur: *Viuet in æternum.* Hinc Bernardus serm. 44. in Cantic. ait: *Si dilectus in myrrha, multò magis in botris suauitate. Ergo Dominus meus Iesus myrrha mihi in morte, botrus in resurrectione. seipsum mihi saluberrimum temperauit in potum.* Cum vuæ ergo botrus idem manducari, & per vini succum, quem continet, potari possit; qui mysticum Eucharistiæ botrum accipit, illum manducare, & bibere dici potest. Non est ergo cur Lutherani, & Hussitæ heretici peruersè ambiant sub vtraque specie Eucharistiæ communionem; calicem enim Domini dum impudenter accipere præsumunt, *Bibent de manu Domini calicem ira eius: vsque ad fundum calicis soporis bibent; & potabunt vsque ad faces*; fæces scilicet ex calice soporem lethiferum inducente iuxta Chaldæum. *Isaiæ 51. 17*

Eucharistia botrus Cypri.
Ps. 103. 15.

147. Discamus hinc, quàm sibi concors Catholica fides sit, & quam inter se discordes hæretici. Caluinistæ Domini corpus, & sanguinem in Eucharistia contineri negant; quod Lutherani, & Hussitæ ita affirmant, vt Eucharistiæ sacramentum sumere sub vtraque specie velint. Discamus præterea Satanæ versutiam, cum alios per defectum, alios per excessum ad se trahere peruersè conetur.

Tentatio alia per defectum, alia per excessum.

Hic est enim sanguis meus noui testamenti.

148. Cur particulam, ENIM, Dominus posuit, quæ in panis consecratione posita non est, si quæratur; varia est responsio. Respondet primo Cornelius: *Vox, ENIM, causam dat cur manducare, & bibere debeant; quia scilicet corpus, & sanguis Christi eis ab illo manducanda, & bibenda offeruntur. Quis enim cibum, & potum tam pretiosum, & diuinum auidissimè non accipiat?* Quare asserit particulam, ENIM, etiam in panis consecratione esse subintelligendam, eamque expressè in Ægyptio textu reperiri. Sed cum particula illa in vulgato textu non sit; & dispar ratio assignari possit, ob quam non in panis, sed in calicis consecratione posita fuerit; cumque per internam illuminationem, quæ omninò requirebatur, ad sacramenti illius mysterium Apostoli satis illuminati, & allecti fuerint; vt ad id allicerentur, externa significatione non egebant.

149. Resp. igitur secundò, cum insuetum omninò esset, quòd Dominus cum Apostolis sæpe conuescens eumdem calicem Apostolis propinaret; cibum autem iisdem porrigere consuetæ Christi benignitati in vetum non erat; hinc factum est, vt calicem omnibus porrigendo Dominus dixerit: *Hic est enim sanguis meus*: voluit enim rei insuetæ præter internam illuminationem etiam exterius rationem reddere.

150. Resp. 3. in legali cœna agni paschalis mos erat apud Hebræos, vt paterfamilias calicem primus libaret, deinde idem conuiuis aliis libandus traderetur. Cum hanc ergo cæremoniam Christus Dominus seruasset: cumque deinde post paschalem cœnam Eucharistiæ sacramentū instituens, sui sanguinis calicem propinaret; reddere rationem voluit cur iterum Apostolos in orbem ad bibendum inuitaret: propterea dixit: *Hic est enim sanguis meus.*

151. Resp. 4. in alium etiam finem Dominum rationem reddere voluisse, cur sui sanguinis calicem omnibus propinaret; scilicet vt Apostolos omnes, & postea fideles inter se concordi voluntate, & inuiolabili fœdere ita simul vniret; vt verè dicere potuerint: *Communione calicis, quo Deus ipse sumitur, non vitulorum sanguine congregauit nos Dominus.* De Catilina ait Salustius: *Fuere qui dicerent Catilinam humani corporis sanguinem vino permistum in pateris circumtulisse; inde cum omnes degustauissent, aperuisse consilium suum; atque eò dictitare fecisse, quo inter se magis fidi forent; alius alij tanti facinoris conscij.* Si ad

Ecclesia in officio corpore Christi.
Salustius de coniuratione Catilinæ.
Catilina humanum sanguinem

coniuratis potandum dedit, vt eos inter se fidos seruaret

euertendam Romanam Rempublicam, & in coniuratis sociis concordem fidem seruandam, iis in potum Catilina humanum sanguinem dedit; ad euertendum Satanæ in mundo principatum, concordemque suorum fidelium animum seruandum, Dominus proprium sanguinem propinauit.

Testamenti triplex significatio.

152. *Hic est enim sanguis meus noui testamenti.* Testamentum tria præcipuè significat; scilicet pactum, seu mutuam promissionem; fœdus, & vltimam testantis voluntatem. Malachiæ c. 2. vbi dicitur: *Pactum meum fuit cum eo vitæ, & pacis:* Septuaginta legunt: *Testamentum meum fuit cum eo vitæ, & pacis.* Ibique Hieronymus ait: *Notandum in plerisque scripturarum locis testamentum non voluntatem defunctorum sonare, sed pactum viuentium.* Idem in Ieremiam 31. ait: *Rectè testamentum appellatur, pactum, quia in eo voluntas, atque testatio eorum, qui pactum ineunt, continetur.* Similiter Augustinus lib. 1. locutionis in Genesi cap. 26. ait: *Amant Scripturæ pro pacto ponere testamentum.* Citato cap. Genes. 26. testamentum pro fœdere ponitur. Quare in Vulgata legitur: *Sit iuramentum inter nos, & ineamus fœdus*, Augustinus legit: *Disponamus tecum testamentum.* Similiter Psalm. 54. 21. dicitur: *Contaminauerunt testamentum eius*, id est fœdus cum eo sancitum violauerunt. Psal. 88. 35. *Neque profanabo testamentum meum*, hoc est, neque violabo fœdus meum. Denique testamentum dicitur vltima testatoris voluntas, vel eius authenticum instrumentum continens mutuam obligationem testatoris ad hæreditatem tradendam; hæredis verò ad voluntatem, & debita, & onera testatoris subeunda. Iuxta quem significatum ad Hebræos 9. 15. de Christo Domino dicitur: *Ideo noui testamenti mediator est; vt morte intercedente, in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, æternæ hæreditatis. Vbi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris.* Porrò pactum ineuntes, fœdusque mutuò contrahentes consueuerunt tam Ethnici, quàm fideles victimam immolare; idque duplici ex causa; scilicet precando & imprecando. Victimam precando immolabant, per victimæ sacrificium precantes, vt Deus inito pacto, ac fœderi propitius foret; illudque sua ope firmaret. Rursus contra fœderis transgressores imprecando diuisa victima immolabatur. Quare Liuius lib. de fœdere inter Romanos, Albanosque inito, ait: *Positis fœderis legibus aiebat Fecialis: Populus Romanus prior non deficiat: si prior deflexit publico consilio, dolo malo; tu illo die Iuppiter, populum Romanum sic ferito, vt ego hunc porcum hodie feriam.* Ideo Ieremiæ 34. 18. Deus comminatur: *Dabo viros, qui præuaricantur fœdus meum, & non obseruauerunt verba fœderis, quibus assensi sunt in conspectu meo, vitulum, quem conciderunt in duas partes, & transierunt inter diuisiones eius.* Vbi dicens: *Dabo vitulum*, subintelligi debet particula TAMQVAM; ita vt sensus sit: Dabo, seu reddam fœderis transgressores, tamquam concisum vitulum, quem fœdus ineuntes immolarunt. His prænotatis cum Dominus calicis vinum in suum sanguinem conuertens dixit: *Hic est sanguis meus noui testamenti*; significauit ad nouum fœdus, iuxta fœderis ritum, cum suis fidelibus ineundum; non aliam victimam immolare, quàm seipsum; cum suum sanguinem, quantum est ex vi verborum è suo corpore separaret; illumque ad fœdus firmandum in sacrificium Deo offerret. Mutuum autem Christi fœdus cum suis fidelibus initum est, vt ipse Dominus, *cui data est omnis potestas in cælo, & in terra*, suis fidelibus cælestes gratias, & dona, æternamque salutem det; ipsi verò fideles sanctissimas eius leges, & præcepta seruent. *Matth. vltimo.*

153. Quòd si testamentum pro authentica scriptura testatoris circa vltimam eius voluntatem erga hæredes accipiatur; Christi sanguis in vltima cœna è corpore sacramentaliter diuisus; & postea in passione realiter effundendus, veluti rubrica erat, qua in eius corpore flagellis lacero, clauisque confixo velut in scriptura, eius vltima voluntas merendi, & dandi cælestem suis fidelibus hæreditatem scribebatur: ideoque Dominus noui testamenti suum sanguinem esse dixit. Quæres quo titulo Christi sanguis noui, non veteris testamenti dicatur. Respondet primo Caietanus: *Cum testamentum dispositio sit hæreditatis; dicitur Christi sanguis noui testamenti ad differentiam sanguinis in veteri lege aspersi. Exod. 24. Ille enim ad firmandum pactum inter Deum, & populum accepturum terram promissionis, felicitatemque terrenarum opum; hic autem dispositio est hæreditatis, & hæredum cælestis regni; & propterea appellatur nouum testamentum. Sanguis namque Christi est effector nouæ, non habitæ, & quæ numquam veterascit, dispositionis hæredum, & hæreditatis regni cælestis.* Sed contra est, quia etiam ante Christi aduentum, ob Christi merita priscis fidelibus diuinam legem seruantibus, æterna salus, adeoque cælestis regni hæreditas promissa erat. Qua promissione fretus iustus Iob c. 19. dixit: *Scio quod redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum; & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum: quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius: reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Ergo cælestis hæreditas à Christo non nouiter legata, sed tantùm confirmata, nouum testamentum verè dici videtur. Resp. igitur secundò, quia per Christi sanguinem non habetur tantùm cælestis hæreditatis per verba facta promissio; sed habetur testamentum ipsius testatoris sanguine, & morte confirmatum, ideo benè noui testamenti suum Christus Dominus sanguinem dixit. Præterea quia Testamentum etiam lex dicitur iuxta significatum Psalmi 77. *Non custodierunt testamentum Dei:* ideo Christi sanguis noui testamenti, hoc est nouæ legis dicitur; tum quia per suum sanguinem meruit nobis Christus, vt noua Euangelica lex, eiusque efficaciora auxilia, & sacramenta darentur: tum quia in noua Euangelica lege cessantibus antiquis sacrificiis, Eucharistiæ adeoque Christi sanguinis sacrificium erat fidelibus celebrandum.

Qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

154. Si suum Dominus sanguinem pro omniũ, etiam damnandorum redemptione effudit, cur pro multis, & non pro omnibus effundendum dixit? Respondet Maldonatus *Dominum non dixisse pro multis; sed pro vobis, vt refert Lucas, & Apostolus 1. ad Cor 11. Matthæum verò, & Marcum, apud quos, PRO MVLTIS, dicitur, retulisse non adamussim Domini verba, sed sensum. Nam cum Christus dixisset: Hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur; quia certum erat eum noluisse Iudam etiam comprehendere, pro quo*

quo eius sanguis, quod ad effectum, & fructum atti- A *net, non effundebatur; Matthæus, & Marcus, vt id explicarent, optimo consilio non verba, sed sensum referentes dixerunt: Qui pro vobis effundetur. Quod perinde est, ac si dicat: Pro plerisque vestrûm effundetur: itaque multos opponit omnibus, qui aderant.* Hæc responsio plures difficultates incurrit. Primò probabile non videtur duos Euangelistas Matthæum, & Marcum in re grauissima, qualis est consecrationis forma, Domini verba mutasse: Cumque Dominus dixisset PRO VOBIS, ipsos scripsisse: PRO MVLTIS. Quod si Matthæus, & Marcus omittant illud PRO VOBIS; & Apostolus Paulus, & Lucas omittant illud PRO MVLTIS; id mirum esse non debet; cum B verba alia, quæ vnus Euangelista refert, alius referat: nec improbabile est verbum aliquod fuisse omissum, sicut improbabile est fuisse mutatum. *Vbi Lucas dixit, Pro vobis, ibi Matthæus pro multis posuit: vnde credendum est, quòd Christus vtrumque dixerit*, ait S. Paschasius. Secundò in Græco apud omnes Euangelistas non legitur *effundetur*, sed EFFVNDITVR. Quare cum iuxta vulgatam lectionem dicitur *effundetur*, sanguinis effusio in proxima passione significatur: Cum verò iuxta Græcum textum legitur EFFVNDITVR, eiusdem sanguinis in Apostolorum ora significatur effusio. Cum ergo Dominus dixisset: *Hic est sanguis meus, qui pro vobis*, hoc C est pro vestro sacramentali potu *effundetur*; cumque etiam in Iudæ os Domini sanguis esset effusus; hinc apertè patet, sicut in actuali potu Dominus Iudam non exclusit; ita neque dicendo PRO VOBIS, Iudam exclusisse. Tertiò cum Dominus Ioan. 14. in vniuersum Apostolos alloquens dixit: *Vado parare vobis locum. Iterum venio, & accipiam vos ad meipsum; vt vbi sum ego, & vos sitis*: hoc vtique non dixisset; si Iudas, qui tunc erat absens, fuisset præsens, & adhuc præsens ab illa promissione esset excludendus. Similiter ex illis Domini verbis: *Hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur, seù effundetur*, si Iudas erat excludendus, Dominus in vniuersum non dixisset, PRO VOBIS EFFVNDITVR, seu EFFVNDETVR. Dices in vltima cœ- D na Apostolis Dominus dixit Lucæ 22. 29. *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, vt edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo; & sedeatis super thronum, iudicantes duodecim tribus Israel*: Ex qua certa Domini promissione Iudas erat excludendus. Vt huic obiectioni fiat satis, dico cum allata verba Dominus dixit: Iudam non fuisse præsentem; de eo enim Ioan. 13. 30. ait: *Cum accepisset ille buccellam, exiuit continuò.* Buccellam autem ante hæc verba iam Iudas acceperat. Fuit quidem Iudas præsens dicenti Domino: *Cum illud bibam vobiscum in regno Patris mei.* Sed hic textus explicabitur infra, cum de Iudæ communione dicemus.

155. Respondent secundò alii, Dominum non E dixisse PRO OMNIBVS, sed PRO MVLTIS EFFVNDETVR; eo quòd non omnes gratiam, & salutem efficaciter consecuturi erant. Sed contra est, quia si sensus fuisset de gratia, & salutè efficaciter habenda; Dominus, Iuda præsente, non dixisset, PRO VOBIS.

156. Respondetur 3. ex regula Augustin. l. 20. de ciuitat. cap. 23. vbi explicans Danielis verba cap. 12. *Multi de his, qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt; alij in vitam æternam; alii in opprobrium*, ait Augustinus: *Sententiæ illi*

A *Euangelicæ est locus iste simillimus: Omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei, & procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui verò mala egerunt, in resurrectionem Iudicii: Non autem diuersum putetur, quòd cum ibi positum sit: Omnes qui sunt in monumentis; hic non ait Propheta: Omnes, sed multi dormientium in terræ aggere. Ponit enim aliquando Scriptura pro omnibus, multos. Præterea Abrahæ dictum est: Patrem multarum gentium posui te: cui tamen & alio loco: In semine, inquit, tuo benedicentur omnes gentes.* Iuxta hanc igitur Augustini regulam cum Dominus dixit, Pro multis effundetur, pro omnibus verè, & bene intelligi potest. Pro aliis tamen efficaciter, pro aliis verò sufficienter. Quod si ex Græco textu legatur EFFVNDITVR; sensus est: Pro omnibus in hac actuali effusione instituitur. Missæ enim sacrificium, in quo Domini sanguis sumitur, non solùm pro sacerdotibus omnibus, sed pro omnibus laicis qui eius fructum percipere velint, institutum est.

Ioan. 5. 28.

Multos interdum pro omnibus vsurpat. Scriptura.

Gen. 17.

Gen. 22.

157. *In remissionem peccatorum.* Cum etiam Christi corpus in Eucharistia contentum, & oblatum in cruce, sit in peccatorum remissionem; si quæratur cur in institutione Eucharistiæ sub panis specie Dominus etiam non dixerit: *In remissionem peccatorum?* Respondetur Christi quidem tam corpus, quam sanguinem in remissionem peccatorum esse; sed quia Domini passio, vnde nostra redemptio, & peccatorum remissio prouenit, per sanguinis effusionem, & mortem completa est; ideo de sanguine præcipuè dictum esse, *In remissionem peccatorum.*

Dico autem vobis: Non bibam àmodo de hoc genimine vitis; cum illud bibam vobiscum, nouum in regno Patris mei.

158. Circa hæc verba, triplex sententia, & interpretatio est; sicut triplici significatu vitis genimen, & Dei regnum intelligi potest. Si vitis genimen Christi sanguis sub vini specie significetur; & Dei regnum Christi gloriosum statum, non solum post ascensionem in cœlum, sed etiam statim post resurrectionem, significet; tunc Domini verborum sensus est: *Vsque in diem illum*, seu tempus, quo post passionem meam gloriosus resurgam, *non bibam de hoc genimine vitis*, hoc est sanguinem meum sub vini speciebus. Iuxta huius sententiæ auctores, Christus Dominus cum suis discipulis conuescens, vt dicitur Actor. 1. iterum sicut in vltima cœna panem, & vinum consecrasse, & illis cum discipulis sumpsisse censetur. Sicut etiam in cœna cum duobus discipulis euntibus in Emmaus rediuiuus Dominus panem in suum corpus consecrauit, illisque manducandum dedit Luc. 24. vt supra diximus. Vocauit autem Dominus suum sanguinem sub vini speciebus *genimen vitis*; primò, quia res in aliud conuersas pristino nomine interdum in Scriptura appellari iam supra docuimus. 2. Domini sanguis dicitur *genimen vitis*; hoc est ipsius Domini genimen, qui se in vltima cœna cum Eucharistiam instituit, vitem appellauit Ioannis 15. dicens: *Ego sum vitis vera. Vinum quod bibimus, sanguis eiusdem vitis est*, ait S. Paschasius. Dicitur autem *genimen vitis nouum*, quia Domini sanguis post resurrectionem ex passibili in impassibilem renouandus erat. Vel si *nouum* aduerbialiter

Genimen vitis sub triplici significatu intelligi potest.

Regnum Dei tripliciter intelligi potest.

L. 1. de corpore & sanguine Domini c. 10.

est, quod tenes in manu tua? Respondit: Virga. Dixitque Dominus: Proiice eam in terram: vtique ad virgam Domini verba referebantur: & tamen tunc non a virga, sed à colubro, in quem conuersa est virga, territus Moses fugit. Rursus, cum ibi Mosi dixit Dominus: *Extende manum tuam, apprehende caudam eius:* vtique ad colubrum Domini verba referebantur; virga enim caudam non habet: & tamen Moses non colubrum, sed virgam accepit. Quia diuinitus coluber in virgam versus est. Similiter cum Dominus panem discipulis dedit, quia simili efficacia consecrationis verba pronunciauit, panis in Domini corpus transsubstantiatus est.

116. Quæres hîc quomodo Apostoli Eucharistiam sumentes tale sacramenti mysterium intellexerint; cum nulla præcesserint Christi verba illud explicantia? Proponit hoc quæsitum Chrysost. homil. 83. in Matth. de Apostolis dicens: *Quomodo turbati non sunt cum hoc audissent?* Respondet Chrysostomus, *quia multa iã, & magna de hoc antea disseruerat; quapropter nec illud quod iam crebrò perceperant, confirmauit.* Hæc responsio plene non satisfacit. Nam vbi pluribus de Eucharistiæ mysterio Dominus est locutus; est Ioannis cap. 6. per verba autem ibi expressa suum quidem corpus, & sanguinem in cibum, & potum dandum Dominus indicauit; modum tamen, quo id fieri debebat, scilicet sacramentaliter per transsubstantiationem non explicauit. *Quare litigabant Iudæi ad inuicem dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Et non solùm Iudæi, sed multi audientes ex discipulis eius dixerunt: *Durus est hic sermo; & quis potest eum audire? Ex hoc multi discipulorum eius abierunt retro; & iam non cum illo ambulabant.* Non ergo ad externa Christi verba, sed vnà cum eis ad internam mentis illustrationem diuinitus communicatam referendum est; vt modus tradatur, quo Apostoli Eucharistiæ mysterium intellexerint: seque verum in Eucharistia Christi corpus sumere, & sanguinem in calice potare crediderint. Ad quam internam illustrationem significandam Psal. 33. de Domino in Eucharistia dicitur iuxta Ambrosium: *Accedite ad eum, & illuminamini.* Et Psal. 22. 5. Dominus dixit: *Calix meus inebrians, quàm præclarus est! Hoc calice*, inquit Cyprianus, *mentes ad spiritualem sapientiam rediguntur.* Spirituali ergo sapientiâ intrinsecus illuminati Apostoli Eucharistiæ mysterium in vltima cœna intellexerunt: quod antea etiam, sed minùs clarè eadem illustrati sapientia crediderant. Propterea Ioan. cit. cap. 6. cum recedentibus aliis circa Eucharistiæ mysterium incredulis, *Dixit Iesus ad duodecim: Nunquid & vos vultis abire? Respondit ei Petrus: Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes.* Interna hac illustratione illuminati duo supra memorati Domini discipuli, *Cognouerunt eum in fractione panis.*

Eucharistiã in vltima cœna Apostoli sumẽtes, intus diuinitus illuminati sacramenti mysterium cognouerunt. *Cyprianus, epist. 63.*

117. *Accipite, & comedite.* Hinc Interpretes aliqui colligunt Apostolos consecratam iam, & transsubstantiatam panis particulam à Domino traditam, in manu accepisse. Sed hoc ex verbis illis efficaciter non habetur: quandoquidem etiam ore accipi Eucharistia dicitur. In Romano enim Rituali cum à Sacerdote pro viatico Eucharistia infirmo in ore datur, dicitur: *Accipe, frater viaticum corporis Domini nostri Iesu Christi.* Nihilominus ex antiqua traditione, & consuetudine Eucharistiam in manu Christianos olim accipere consueuisse habetur ex Tertulliano

Eucharistiã veteres fideles, prius manu, quã ore sumebant. Hic & sequẽ bus

A lib. de Idololatria cap. 7. vbi contra Christianos non quidem Idolorum cultores, sed Idolorum artifices, sic inuehitur: *Zelus fidei perorabit ingemens Christianum ab Idolis in Ecclesiam venire: de aduersaria officina in domum Dei venire: attollere ad Deum manus matres Idolorum: his manibus Deum adorare, quæ foris aduersus Deum adorantur: eas manus admouere corpori Domini, quæ dæmoniis corpora conferunt. Proh scelus! semel Iudæi Christo manus intulerunt; isti quotidie corpus eius lacessunt. O manus præcidendæ! Viderint an per similitudinem dictum sit: Si te manus scandalizat, amputa eam. Quæ magis amputandæ, quàm in quibus Domini corpus scandalizatur?*

Eucharistiã indignè sumentes arguuntur. *Matt. 5. 30.*

B Quod contra huiusmodi inquinatas manus Tertullianus dixit; idem contra eos lasciuis iniquis, & maledicis verbis contaminatum dici potest; si antequam se mundet, Christi corpus sumere audeat. Eiusdem allatæ consuetudinis meminit idem Tertullianus lib. de spectacul. & Cyrill. Ierosolym. catechesi 5. citatur etiam S. August. ser. 244. de temp. dicens: *Si erubescimus, & timemus Eucharistiam manu in anima polluta suscipere.* Sed fortassè Augustinus sub persona sacerdotis tangentis Christi corpus loquitur: cum probabiliter Augustini tempore, sicut nunc, ob maiorem reuerentiam consuetudo manu ac-
C cipiendi Eucharistiam cessauerit.

118. Cum autem consuetudo Christi corpus in manu accipiendi perdurauit; à priscis illis, piisque Christianis non solùm dici poterat: *Iustorum animæ in manu Dei sunt; & non tanget illos tormentum mortis*: sed etiam: Deus in manu iustorum est; & non tanget eos tormentum mortis; quia in Eucharistia iuxta Nazianzenum *Fons vitæ & immortalitatis* accipitur: & iuxta Cyrillum, *Ipse vnigenitus filius, verus panis cœlestis est; qui cum sit ex substantia Patris, naturaliter est vita cuncta viuificans. Ipse per Spiritum sanctum spiritum nostrum viuificat, & corpus ipsum à corruptione liberat.* Præterea in Eucharistia
D Christum manu accipientes dicere poterant: *Anima mea in manibus meis semper*: semper scilicet erga manus tanto dignificatus beneficio cum gratiarum actione memorem animum conuertendo. De Domino dicitur Apoc. 1. 16. *Habebat in dextera sua stellas septem.* De piis illis fidelibus Eucharistiam sumentibus; nunc de Sacerdotibus dici potest, non stellas, sed iustitiæ solem in manu sua habere. Deuteron. 33. de Deo dicitur: *In dextera eius ignea lex*: de dextera priscorum fidelium, & vniuersaliter de sacerdotum dextera dici potest: *In dextera eorum igneus legislator*: nam *Deus noster*, quia sub humana nostra carne est Deus noster, charitatis incendio *ignis consumens est.* At nunc cum non manu, sed ore Christum fideles accipiunt, sibi
E vnusquisque à Domino dictum putet: *Aperi os tuum & implebo illud* mea ipsa substantia, mearumque gratiarum vbertate.

Sap. 3. *Cyrill. in Ioan. c. 6.* *Ps. 118. v. 109.* Sacerdotũ dignitas. *Deut. 4. 24. Ad Hebr. 12. 29.* *Ps. 80. 11. Iuxta Psalterium Romanum.*

119. De Domino post resurrectionem, vt supra diximus, se in Eucharistia duobus discipulis dante dicitur Lucæ 24. 30. *Accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis.* Dum se Dominus porrigebat illis, se suis manibus portabat. Huius figura fuit Dauid, qui cum se coram Achi Gethæo Rege celare vellet, vt dicitur 1. Reg. 21. *Immutauit os suum, & collabebatur inter manus eorum.* Vbi *Ferebatur in manibus suis*, legit Augustinus: & propterea *Quis portatur in manibus suis? manibus aliorum potest portari homo; manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur*

Eucharistiã Dominus instituens à Dauide præfiguratur. *August. in Ps. 33. Concione prima.*

gatur, in ipso David secundùm litteram non inuenimus; in Christo autem inuenimus. Ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum, ait: Hoc est corpus meum. Dominus ergo in vltima cœna, cum se duodecim Apostolis in Eucharistia dedit; similiter cum post resurrectionem se duobus discipulis euntibus in Emmaus tradidit, suis se manibus tulit.

Hoc est corpus meum.

120. MAtthæi 24. 28. Dominus dixit: *Vbicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.* Aquilæ, vt Salmeron eo in loco notauit, adeò generosæ sunt; vt non sicut vultures cadaueribus, sed viua præda vescantur. Ambrosius in Luc. cap. 7. ait: *Est corpus, de quo dictum est: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Circa hoc corpus veræ Aquilæ sunt, quæ alis circumuolant spiritualibus.* Idem Ambrosius de fide resurrectionis ait: *Vbi corpus, illic aquilæ; vbi Christi corpus, ibi veritas.* Qui enim in fidei veritate cognoscenda non allucinantur, aquilis acutissimo visu solem intuentibus similes sunt. Idem lib. 1. de sacr. cap. 2. *Vbi corpus Christi, ibi & aquilæ volare consueuerunt; vt terrena fugiant, cœlestia petant.* Et lib. 4. cap. 2. *Corpus Christi est in altari: Aquilæ vos estis*, piis fidelibus ait. Hac bene posita interpretatione audiamus quid egregiè Origenes dicat: *Non dixit: Vbicumque fuerit corpus, ibi congregabuntur vultures, aut corui, sed aquilæ; volens ostendere magnificos, & regales omnes, qui in passione Domini crediderunt:* Adeoque verum Christi corpus per Eucharistiæ sacramentum in Dominicæ passionis memoriam institutum credunt. Quia igitur Caluinus, eiusque sectatores non regiæ aquilæ, sed nigerrimi corui sunt, animarum veluti cadauerum prædatores; mirum non est, si verum Christi corpus in Eucharistia negantes, verba Domini dicentis: *Hoc est corpus meum*, tantùm per figuram dicta esse putant: ita vt idem sit: *Hoc est corpus meum*, atque, *Hoc est figura corporis mei*, illudque non continet, sed tantùm significat. Contra quos primò Augustini auctoritas est; qui cum lib. 3. de doctrina Christiana cap. 5. dixisset: *Cauendum est ne figuratam locutionem ad litteram accipias*: deinde cap. 10. ait: *Huic obseruationi, qua cauemus figuratam locutionem, id est translatam, quasi propriam sequi, adiungenda etiam illa est, ne propriam quasi figuratam velimus accipere. Demonstrandus est igitur modus inueniendæ locutionis, propria ne, an figurata sit. Et iste omnino modus est, vt quidquid in sermone diuino neque ad morum honestatem, neque ad fidei veritatem propriè referri potest, figuratum esse cognoscas.* Cum ergo Dominus dixerit: *Hoc est corpus meum*, si id propriè, non figuratè intelligatur; neque morum honestati, neque fidei veritati contradicit; sed maximè consonat; & oppositum alijs contradicit Scripturæ testimoniis; profectò non figuratè, sed propriè id dictum esse intelligendum est. Benè ergo concludit idem capite vndecimo Augustinus: *Quod perspicuè sonat, non est ad aliud referendum, quasi figuratè dictum sit.*

Aquilæ non cadaueribus, sed viua capta præda vescuntur.

Eucharistiam sumentes, aquilis similes.

Caluinus impiè negãs Christi corpus in Eucharistia cõtineri, refellitur. Hic & sequentibus.

Figurata locutio in sacra Scriptura, non vt propria intelligenda est: neque propria, vt figurata. Figuratã & propriã locutionẽ distinguendi modus.

121. Præterea idem Augustinus de verbis Domini, serm. 18. ad sacræ Scripturæ intelligenda verba certissimam hanc regulam tradit: *Quomodo verba intellexerunt Sancti, sic vtique intelligenda sunt.* Sanctorum testimonia asserentia Christum Dominum verè in Eucharistia existere, fusè relata videri possunt apud Bellarminum de Eucharistia. Circa eumdem fidei articulum præter Sanctorum testimonia, satis clara ipsius Scripturæ verba, & sententiæ afferri possunt. Ioan. cap. 6. Dominus dixit: *Operamini non cibum, qui perit; sed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis.* Et sensus est: Per fidei, & charitatis actus enixè contendite, vt habeatis, & sumatis non corruptibilem cibum; sed cibum in æternum permansurum. Vbi benè Rupertus ait: *Cibus, qui permanet in vitam æternam; id est, qui in hac mortali vita manducatus ad hoc valet: ad hoc proficit, vt vitam det mundo æternam.* Similiter Theophylactus ait: *Cibum manentem, mysticam dixit sumptionem carnis Domini*: mystica autem carnis Domini sumptiò dicitur; non quòd veræ carnis sumptio non sit; sed quod habeatur ex mysterio, hoc est sacramento sub visibilibus speciebus inuisibilem Christum Dominum abscondente: & quòd per tale sacramentum mysticè Domini passionis memoria celebretur; Fideles monet ibidem Theophylactus: *Attende, quòd panis, qui à nobis in mysteriis manducatur, non est tantùm figuratio quædam corporis Domini. Non enim dixit, Panis, quem ego dabo, figura est carnis; sed Caro mea est. Transformatur enim arcanis verbis panis ille per mysticam benedictionem, & accessionem sancti Spiritus, in carnem Domini. Et quomodo, inquis, non apparet nobis caro, sed panis? Vt non abhorreamus ab eius esu. Nam si caro apparuisset, insuauiter affecti essemus erga communionem. Nunc autem condescendente Domino nostra infirmitati, talis apparet nobis mysticus cibus, qualibus alioquin assueti sumus.*

Eucharistia quomodo cibus sit permanens in vitam æternam.

122. Eodem Ioannis cap. 6. iuxta Concilium Ephesinum epistola ad Nestorium; iuxta Nicænum secundum Actione 6. Tridentinum sess. 12. cap. 2. de Eucharistia loquens Dominus dixit: *Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi: Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum: & panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Vbi Euthymius ait: *Non dixit: Panis, quem ego do; sed quem dabo. Daturus namque erat in vltima cœna, quando sumptum panem actis gratiis fregit; deditque discipulis & ait: Accipite, & comedite; hoc est corpus meum.* Præterea: *Dabo in mortem; hic enim crucifixionem suam præsignat, & vltroneam passionem.* Cum Dominus allata verba Ioan. 6. dixisset, subdit Ioannes: *Litigabant Iudæi ad inuicem dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Si Caluinistæ Iudæorum contentioni illi interfuissent, eam facilè dirimere potuissent, asserendo Dominum non per propriam realitatem, sed per figuram suam daturum carnem ad manducandum. Sed Iudæi aut ridiculam talem interpretationem iudicassent; aut Dominum de re facili, difficili, obscuroque modo repetitis verbis loquentem impudentiæ arguissent.

123. Certum est Numerorum 21. serpentem æneum à Mose erectum Christi Domini figuram fuisse: ipse enim Dominus dixit Ioan. 3. 14. *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis.* Hoc posito quæro à Caluinistis nùm Moses diuini mysterij conscius, & benè noscens venturum Redemptorem à serpente illo præfigurari, Hebræis prudenter dicere potuisset: *Hoc est Deus*

Exodi 32.

tuus Israël, qui te eduxit de terra Ægypti? Vtique responderi debet: Moses, si ita cum populo ad Idololatriam procliui locutus esset, imprudenter se gessisset: & consequenter serpentis illius cultus, & adoratio subsequuta vsque ad Ezechiæ regnum, qui serpentem fregit 4. Reg. 18. non tam populo, quam Mosi in re grauissima obscure loquenti tribuenda fuisset. Similiter fideles adorantes in Eucharistia verum Dei Filium, vt ibi existentem; si iuxta hæreticos verè ibi non existeret, vtique idololatrarent, vt hæretici ipsi asserunt: & consequenter talis Idololatria non tam adorantibus Eucharistiam, quam ipsi Christo de ea non clarè locuto tribuenda foret; cum profectò Christus Christianorum vniuersalem erga tale sacramentum venerationem bene præuidisset: Quare Erasmus epistola ad Ludouicum Berum scripsit: *Nunquam mihi persuaderi potuit, neque poterit, Christum, qui Veritas est, & Charitas, tamdiu passurum fuisse dilectam sponsam suam herere in errore tam abominando, vt crustulum farinaceum pro ipso adoraret.*

Serpentem æneum Ezechias fregit.

124. Subdidit eodem Ioannis cap. 6. Dominus: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quibus in verbis Domini præceptum suis fidelibus de Eucharistiæ sumptione datum continetur. *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos*, dicitur Psalm. 18. & Matthæi 11. 30. de Christiana lege Dominus ait: *Iugum meum suaue est, & onus meum leue.* Cum ergo lucidum sit Domini præceptum; cum suauis, & leuis sit Christiana lex; cur Eucharistiæ sumendæ præceptum Dominus obscurè dare voluisset; suamque legem, vt insuauem, & grauem proposuisset, dicens: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: cum facillimè dicere potuisset: Nisi panem meæ carnis figuram manducaueritis, & nisi vinum figuram mei sanguinis biberitis, non habebitis vitam in vobis? Respondebit Caluinista: etiam si concedatur Domini carnem, & sanguinem verè in Eucharistia contineri; adhuc allata Domini verba obscura essent; cum ex iis non habeatur modus, quo Dominus in Eucharistia futurus erat. Respondeo talem modum sacramentaliter existendi, cum supernaturalis, & omnino mirabilis sit, explicandum Dominum reliquisse post Eucharistiæ institutionem, à qua fidei lumen sumere debebat augmentum. *Expectare temporis opportunitatem oportuit*, ait Chrysostomus. Contra verò si in Eucharistia tantùm per figuram Dominus existere debebat; cum talis modus captu facillimus foret; nulla erat ratio cur in aliud tempus explicandus differretur.

Chrysost. in Ioan. cap. 6 hom. 46.

125. Eodem Ioannis cap. 6. à Domino subditur: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Si caro verè est cibus, non per suam figuram cibus est: si sanguis verè est potus, neque per figuram potus est. Dices, eodem modo in ipsa vltima cœna Dominus dixit Ioan. 15. *Ego sum vitis vera*: & tamen hoc figuratè, non propriè intelligendum est. Respondeo iuxta regulam supra traditam ab Augustino, tum sententiam figuratè, non propriè esse intelligendam, cum ratio sub proprio significatu ea verba intelligi non posse suadet. Cum ergo vna substantia altera esse non possit; hinc dicente Domino: *Ego sum*

A *vitis vera*, id necessariò figuratè intelligi debere dicendum est. Quare si ignauo, stultoque homini diceretur: Tu es verè brutus; eum non propriè brutum esse, sed tantùm bruti mores, moralesque quasdam proprietates habere significaretur. Sic dicens Dominus: *Ego sum vitis vera*, se similes aliquas vitis proprietates habere significauit: scilicet sicut è vite palmites germinant; qui si ei coniuncti non sint, arescunt: similiter homines nisi Christo Domino per fidem, & charitatem vniantur, in spiritualem sterilitatem arescentes incurrent. Ad quod significandum Dominus ibi subdidit: *Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere.* Præterea in Syriaco textu legitur: *Ego sum vitis illa veritatis*; hoc est non materialium vuarum, sed diuinæ veritatis fructifera. *Vitis vera, hoc est, quæ veritatis fructum profert*, ait Euthymius. Cum ergo Dominus materialis vitis esse non possit, spiritualis, & mystica vitis est. Contrà tamen, quia verè cibus per suam carnem, & verè potus per suum sanguinem esse potest, talem propriè non figuratè se esse dixit. Quod si aliquando ex sacris Doctoribus aliquis dixit Christum esse in Eucharistia tanquam in sacramento, vel signo, vel figura; id dicitur, quia Eucharistiæ sacramentum per externas, & sensibiles species panis, & vini est signum, & externa figura Christi Domini corporis, & sanguinis ibi sub speciebus illis, & figura delitescentis.

Vitis vera quo sensu Dominus dicatur.

B

C

126. Præter sacræ Scripturæ, & sanctorum Patrum testimonia *Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere*, nobis *salutem ex inimicis nostris* eliciendo, Catholicæ fidei dogmatis etiam inimicos nostros esse indices voluit: vt etiam hæreticorum testimonia ad irrefragabilem veritatem cognoscendam non deessent. Lutherus ad Argentinos epistola ait: *Si Carlostadius persuadere mihi potuisset in sacramento præter panem, & vinum esse nihil, magno beneficio me sibi deuinxisset: hac enim re valde Papatui incommodassem. Verùm ego me captum video, nulla elabendi via relicta: textus enim Euangelij valde apertus est, & patens, qui facilè conuelli non potest; multominus verbis, aut glossis è capite vertiginoso confictis.* Quare verè Romanus Pontifex contra malignum Lutheri Pontificiæ potestati nocendi desiderium dicere potuit: *Parasti in conspectu meo mensam*, mensam scilicet Eucharisticam, iuxta Basilium, Augustinum, & alios, *aduersus eos, qui tribulant me: & calix meus inebrians*, Christi sanguinem continens, *quàm præclarus est!* Ita nempe præclarus, vt etiam cœcutientibus hæreticis, & inuitis eluceat. Quàm aptè Lutherus vertiginosum Carlostadij caput appellauit! Meritò enim inconstanti vertigine eius caput circumagebatur, qui cœlestis Eucharistiæ panem peruersè negauit: cum cœlestis Eucharisticus *panis cor hominis confirmet*, seu roboret, & fulciat, vt dicitur Psal. 103. 15. iuxta Hieronymum, Cyrillum Ierosolym. & alios. Porrò cùm cœlestem Eucharistiæ panē negasset Carlostadius mentis carie instabilis, Vitembergica cathedra relicta ex Doctore factus est pistor, pistor quidem præ Pharaonis pistore suspendio longè dignior: quique nunc ex furfurato pistore, sulphuratus damnatus est.

2. ad Cor. c. 4. 6.
Lucæ c. 1. 71.
Deut. 32. 31.
Hæreticorũ testimonia verè Christũ in Eucharistia contineri cognoscentium: hic, & sequentibus.

D

Psal. 22. 5.
Carlostadius hæreticus Eucharistici panis sacramentũ negans, vertiginoso Capite ex Doctore pistor euasit.

E

Cyrillus Catech. Mystag. 4.
Hieronym. l. 1. in Ezec. in fine.
Cyrillus in gestis Lutheri.

127. Præter Lutherum Melanchthon similiter hæreticus, Caluini de Eucharistiæ sacramen-

to ſententiam reprobans epiſt. ad Fredericum Myconium ait: *Si pro corpore figuram corporis accipias, quid non poterit eludi hac arte? Sic licebit totam religionis formam transformare.* Sicut contra cœleſtis paradiſi veritatem contigit. Nam cum Geneſis 2. dicitur: *Plantauerat Dominus Deus Paradiſum voluptatis: produxit omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuaue; lignum etiam vitæ in medio paradiſi, lignumque ſcientiæ boni, & mali: & fluuius egrediebatur de loco voluptatis*; has terreſtris Paradiſi delicias figuratè intelligens Origenes aſſeruit paradiſum hunc eſſe tertium cœlum; arbores figuratè dictas, eſſe virtutes Angelicas; flumina eſſe aquas, quæ ſunt ſupra firmamentum.

128. Idem Melanchthon librum de veritate corporis, & ſanguinis Domini ſcripſit, vbi inter cætera ait: *Si ob rationes humanas neges Chriſtum eſſe in Eucharistia, quid dicet in tentatione conſcientia? Quam afferet cauſam diſcedendi à recepta ſententia in Eccleſia? Tunc iſta verba: Hoc eſt corpus meum, fulmina erunt. Quid his opponet mens perterrefacta? Quibus ſcripturis, qua voce Dei ſe muniet, ac ſibi perſuadebit, neceſſariò hic fuiſſe interpretandam metaphoram; cum verbum præferri debeat iudicio rationis.*

129. Conradus Pellicanus cum ad negandum Chriſti corpus, & ſanguinem Eraſmum inducere vellet, reſcripſit Eraſmus: *Ad id negaui ſemper me poſſe animum inducere; præſertim cum Euangelica, atque Apoſtolica littera tam euidenter nominent corpus, quod datur, & ſanguinem qui effunditur. Si tibi perſuaſum eſt in Synaxi nihil eſſe præter panem, & vinum; ego membratim diſcerpi malim, & omnia perpeti; quàm profiteri idem, quod tu profiteris: nec patiar, vt tui iſtius dogmatis me auctorem facias, vel comitem. Hactenus cum omnibus Chriſtianis adoraui Chriſtum pro me paſſum in Eucharistia; nec adhuc video quidquam, cur ab hac opinione debeam recedere. Nullis humanis rationibus abduci potero à concordi ſententia Chriſtiani orbis. Plus enim valent apud me illa quinque verba: In principio creauit Deus cælum & terram; quam omnia Ariſtotelis, cæterorumque philoſophorum argumenta, quibus docent mundum carere initio. Sic hic litteras diuinas habemus: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur: Hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis effundetur.* Ex allatis hæreticorum teſtimoniis benè patet, quàm diſcors inter ſe hæreticorum turba ſit: cum vera Catholica fides ſemper eadem concordi conſtantia fuerit.

Geneſ. 1.

130. Contra Catholicam de vera Chriſti in Euchariſtia exiſtentia veritatem, pro ſua hæreſi obijciunt primò hæretici: Sæpè Euchariſtia Panis appellatur, vt 1. ad Cor. 11. 27. *Quicunque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè; reus erit corporis, & ſanguinis Domini.* Et Ioann. 6. vbi de Euchariſtia eſt ſermo, à Domino dicitur: *Pater meus dat vobis panem de cælo verum.* Reſpondetur primò, hæreticos potius Hebræorum excæcationem imitari velle, quàm illorum idioma callere. Hebraicè panis nomine cibus ſignificatur: quare etiam manna, cum verè panis non eſſet, panis nominatur Pſal. 77. 24. & 25. *Pluit illis manna ad manducandum, & panem cæli dedit eis: Panem Angelorum manducauit homo*; Et Sap. 16. 20. *Angelorum eſca nutriuiſti populum tuum, & paratum panem de cœlo præſtitiſti illis.* Quod ſi dicas manna panem appellari, quia erat ſaporis, *quaſi panis oleati*, vt dicitur Num. 11. 8. Reſpondeo etiam in Euchariſtia panis ſaporem remanere; ita vt ex hoc etiam panis appellari poſſit. Sed ad panis nomen tribuendum, panis ſapor non requiritur; cum 2. Reg. 9. 7. Ionathæ filio, Dauid dixerit: *Tu comedes panem in menſa mea ſemper*; & tamen in menſa regia alia fercula panis diſſimilia erant. Reſpondetur ſecundo res in aliud conuerſas retinere primum nomen. Ideo Exodi cap. 7. 12. dicitur: *Deuorauit virga Aaron virgas eorum. Draco potuit abſorbere, non virga: ſed eo nomine appellata res eſt, vnde verſa eſt; non in quod verſa eſt*: ibi ait Auguſtinus quæſt. 21. in Exodum. Similiter, quia ex pane fit conuerſio in Chriſti corpus, & ex vino in Chriſti ſanguinem, primum nomen illis tribui poteſt.

Panis nomine quilibet cibus intelligi poteſt.

Transmutata poſt conuerſionem etiam priſtinum nomen interdum retinent.

131. Obijciuntur 2. Domini verba Ioan. 6. 64. *Caro non prodeſt quidquam; ſpiritus eſt, qui viuificat*: ergo fidelibus ad Euchariſtiam accedentibus non prodeſt Chriſtus, quaſi ibi ſuam carnem abſconderit; ſed prodeſt, quia ibi myſticè, & ſpiritualiter repræſentatur. Reſpondetur hunc ſenſum eſſe falſiſſimum: duplex autem illorum verborum ſenſus eſt; ſcilicet vt vel caro intelligatur ipſorum Euchariſtiam ſumentium; vel ipſius Chriſti Domini caro. Si caro referatur ad homines; tunc caro pro carnali ſenſu ſumitur, & ſententiæ ſignificatus eſt: ad cognoſcendum Euchariſtiæ myſterium, & beneficium, carnalis ſenſus nihil prodeſt; ſed ſpiritus, nempe animus fide illuminatus viuificat homines, illos ad credendum corroborans; ſpiritualemque gratiæ vitam conſequitur. Benè enim allata verba interpretatur Chryſoſtomus: *Spiritus eſt, qui viuificat, caro non prodeſt quidquam: hoc eſt ſecundùm ſpiritum verba mea audienda ſunt: qui ſecundùm carnem audit, nihil lucratur, nihil vtilitatis accipit. Caro non prodeſt quidquam: non de ſua carne dicit; abſit: ſed de his, qui carnaliter accipiunt quæ dicuntur. Quid eſt autem carnaliter intelligere? ſimpliciter, vt res dicuntur, neque aliud quidquam excogitare. Non enim ita iudicanda ſunt quæ videntur; ſed myſteria omnia interioribus oculis conſideranda, hoc eſt ſpiritaliter. Qui non manducat carnem meam, & non bibit meum ſanguinem, non habet vitam in ſemetipſo. Quomodo igitur nihil prodeſt caro, ſine qua nemo poteſt viuere? vides, quòd ea particula, Caro non prodeſt quidquam, non de ipſa Domini carne; ſed de carnali auditione dictum eſt.*

132. Si verò allata verba: Caro non prodeſt quidquam, ad Chriſti carnem referantur; tunc ſenſus eſt, quem tradit Auguſt. 10. de Ciuit. cap. 24. dicens: *Caro non per ſeipſam mundat, ſed per Verbum, à quo ſuſcepta eſt.* Similiter Cyrillus: *Caro ſi ſola intelligitur, nihil prorſus viuificare poteſt, quippe quæ viuificante indiget. Sed quoniam cum viuificante Verbo coniuncta eſt, tota eſt effecta viuifica. Non enim ad corruptibilitem ſuam naturam coniunctum Dei verbum deſtruxit; ſed ipſa ad melioris virtutem eleuata eſt. Quamuis ergo natura carnis, vt caro eſt, viuificare nequeat; facit tamen hoc, quia totam Verbi operationem ſuſcepit.*

Cyrillus in Ioan. lib. 4. c. 23.

133. Obijcitur tertio Auguſt. in Pſalm. 98. dicens: *Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi eſtis, & bibituri illum ſanguinem, quem fuſuri ſunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendaui; ſpiritaliter intellectum viuificabit vos; & ſi neceſſe eſt illud viſibiliter celebrari, oportet tamen inuiſibiliter intelligi.* Ergo apertè docet Auguſtinus non corpus, quod à Iudæis vi-

debatur, in ſacramento manducari; neque potari ſanguinem à crucifixoribus fuſum. Reſpondetur, non hunc eſſe Auguſtini ſenſum; cum apertè Domini verbis contradicat, qui Sacramentum inſtituens dixit: *Hoc eſt corpus meum quod pro vobis tradetur. Hic eſt ſanguis meus, qui pro multis effundetur.* Non negat ergo Auguſtinus proprium Chriſti corpus, & ſanguinem in Euchariſtia manducari, & potari; ſed tantùm modum negat, quo corpus manducandum, & ſanguinem bibendum Iudæi intelligebant: putabant enim Chriſti corpus, vt manducaretur, laniandum, & dentibus eſſe mandendum: ſimiliter ſanguinem extra venas extractum, eſſe bibendum. Ad quam craſſam, prauamque intelligentiam tollendam, ait Auguſtinus, Cum Chriſtus in Sacramento inuiſibiliter, indiuiſibiliter, adeoque impaſſibiliter ſit; modum manducandi, & bibendi eſſe ſacramentalem ſine diuiſione eius corporis, quod manducatur, & ſanguinis, qui bibitur. Negat igitur non verum Chriſti corpus, verumque Chriſti ſanguinem in Sacramento; ſed negat viſibile corpus, & ſanguinem eo modo fuſum, quo à crucifixoribus fuſus eſt. Alioquin ibi Auguſtinus ſibi contradixiſſet: cum in Pſalm. 33. ſer. 1. apertè dicat: *Ieſus Chriſtus in corpore, & ſanguine ſuo voluit eſſe ſalutem noſtram. Vnde autem commendauit corpus, & ſanguinem ſuum? De humilitate ſua: niſi enim eſſet humilis: non manducaretur, nec biberetur.*

134. Obijcitur quartò Auguſtinus libro tertio de doctrina Chriſtiana cap. 16. vbi hanc regulam tradit: *Si præceptiua locutio flagitium, aut facinus videtur iubere, figurata eſt.* Quare explicans Domini verba: *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*, ait: *Facinus, & flagitium videtur iubere. Figura eſt ergo præcipiens paſſioni Domini eſſe communicandum; & ſuauiter, atque vtiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro eius crucifixa, & vulnerata ſit.* Reſpondeo ex ipſius Auguſtini verbis, eius ſententiæ ſenſum haberi. Facinus, & flagitium fuiſſet, ſi Chriſti Domini carnem extra Sacramentum, cum adhuc viueret, aliquis diſcerpere, & in eſum aſſumere voluiſſet; & ex eius diſcerpto corpore fluentem ſanguinem bibere. Propterea verba illa materiali hoc modo intelligenda eſſe negat Auguſtinus; ſed intelligenda per figuram; non quòd per figuram in Sacramento Chriſti corpus, & ſanguis ſit; ſed verum Chriſti corpus, & ſanguis in Euchariſtia paſſionis eius figura ſit. Euchariſtiæ enim Sacramentum, Eccleſia ait eſſe *ſacrum conuiuium, in quo Chriſtus ſumitur, & recolitur memoria paſſionis eius*: idque iuxta Domini mandatum, qui Euchariſtiam inſtituens, Apoſtolis, & ſucceſſoribus ſacerdotibus, & ſuo etiam modo fidelibus omnibus, dixit: *Hoc facite quotieſcumque bibetis in meam commemorationem. Quotieſcumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis.* In Miſſa enim cum panis, & vinum ſacramentaliter conſecrantur, verum, maximeque præcellens ſacrificium Deo offertur: Victima autem ibi Deo oblata, eſt Chriſti corpus, & ſanguis: in qua victima, quantum eſt ex vi verborum, ſanguis, & corpus inuicem ſeparantur: cum enim conſecratur panis, ex vi verborum ſub panis ſpecie ſanguis non ponitur, ſed caro; cumque vinum conſecratur, ex verborum vi ſub vini ſpecie caro non ponitur, ſed ſanguis. Ideoque cum

Ioan. 6.

1. ad Cor. c. 11.

Euchariſtiæ in Miſſa cōſecratio, quomodo ſacrificium ſit.

A Chriſti corpus exangue in ſepulchro iacuit, ſi Apoſtoli panem, & vinum conſecraſſent, ſub panis ſpeciebus exangue Chriſti corpus fuiſſet, & ſub ſpeciebus vini fuiſſet ſolus Chriſti ſanguis; & vtrobique Chriſti anima non fuiſſet, vt docet S. Thomas 3. p. quæſt. 81. art. 4. Hinc fit, vt ſacramentalis ſeparatio ſignificet corporis, & ſanguinis diuiſionem, quæ in Domini paſſione, non ex vi verborum, ſed ex vi vulnerum facta eſt; ideoque illa hanc in memoriam ſemper reuocare debet. Præterea ſemper ſacramentalem diuiſionem modo explicatam, Euchariſtiam ſumendo, Dominicæ paſſionis memoria recoli debet: Nam vt apud Sanctum Ambroſium habe-
B tur: *Quia morte Domini liberati ſumus, huius rei memores eſſe debemus in edendo, & potando carnem, & ſanguinem, quæ pro nobis oblata ſunt.* Vltimò diligenter notandum, quod ſicut aliquando ab Auguſtino figuræ appellantur Sacramenta: ita Sacramentum appellatur Figura. Patet hoc ex tract. 26. in cap. Ioan. 6. vbi de Euchariſtia loquens ait: *Hunc panem ſignificauit manna, hunc panem ſignificauit altare Dei. Sacramenta illa fuerunt*, id eſt figuræ.

Ambroſ. in ep. 1. ad Cor. cap. 11.

Sacramenti nomine interdum figura appellatur.

135. Obiicitur quintò S. Bernardus in pſal. 90. ſer. 3. dicens: *Quid eſt manducare eius carnem & bibere ſanguinem, niſi communicare paſſionibus eius, & eam conuerſationem imitari, quam geſſit in carne? Vnde & hoc deſignat illud altaris*
C *ſacramentum; vbi Dominicum corpus accipimus; vt ſicut videtur illa panis forma in nos intrare; ſic nouerimus per eam, quam in terris habuit conuerſationem, ipſum intrare in nos ad habitandum per fidem in cordibus noſtris.* Similiter ante Bernardum aliquando locutus eſt Auguſtinus; qui præterea tract. 27. in Ioan. explicans Domini verba: *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita* ait: *Vis tu viuere de Spiritu Chriſti? in corpore eſto Chriſti. Qui vult viuere, habet vnde viuat. Accedat, credat, incorporetur, vt viuificetur: non abhorreat à compage membrorum; non ſit putre membrum, quod reſecari mereatur; non*
D *ſit diſtortum, de quo erubeſcatur; ſit pulchrum, ſit aptum, ſit ſanum: viuat corpori, viuat Deo de Deo.* Quibus verbis in corpore eſſe Chriſti, myſtico Eccleſiæ corpori incorporari ſignificat Auguſtinus. Reſpondetur iuxta ſenſum myſticum eo modo locutum eſſe Auguſtinum, & Bernardum. Quare citatus Bernardus ait: *Vnde & hoc deſignat*: ſcilicet hoc etiam præter aliud deſignat. Ideo, cum ſenſus myſticus affertur, litteralem ſenſum excludi non debet intelligi. Quod egregiè ſic Auguſtinus oſtendit lib. 13. c. 21. de ciuit. *Nonnulli totum illum Paradiſum, vbi primi homines fuiſſe narrantur, ad intelligibilia referunt; arboreſque illas, & ligna fructifera in virtutes vitæ, moreſque conuertunt; tamquam viſi-*
E *bilia illa, & corporalia illa non fuerint; ſed intelligibilium ſignificandorum cauſa eo modo dicta, vel ſcripta. Quaſi propterea non potuerit eſſe Paradiſus corporalis, quia poteſt etiam ſpiritualis intelligi: tamquam ideo non fuerint duæ mulieres Agar, & Sara, & ex iis duo filii Abrahæ, vnus de ancilla, alius de libera; quia duo teſtamenta in eis figurata dixit Apoſtolus. Nemo itaque prohibet intelligi Paradiſum vitam Beatorum, quatuor eius flumina quatuor virtutes, Prudentiam, Fortitudinem, Temperantiam, atque Iuſtitiam, & ligna eius omnes vtiles diſciplinas; & lignorum fructus, mores piorum; lignum vitæ, ipſam bonorum omnium matrem Sapientiam: & lignum ſcien-*

Ioan. 6.

Senſus myſticus non debet litteralem ſenſum excludere.

tiæ boni, & mali, tranſgreſſi mandati experimentum. Poſſunt hæc etiam in Eccleſia intelligi, vt ea melius accipiamus tamquam prophetica indicia præcedentia futurorum. Paradiſum ſcilicet ipſam Eccleſiam; ſicut de illa legitur in Canticis Canticorum: Quatuor autem Paradiſi flumina, quatuor Euangelia: ligna fructifera, ſanctos; fructus autem eorum, opera eorum: lignum vitæ, ſanctum ſanctorum, vtique Chriſtum: *lignum ſcientiæ boni, & mali, proprium voluntatis arbitrium. Hæc, & ſi qua alia commodius dici poſſunt de intelligendo ſpiritualiter Paradiſo, nemine prohibente dicantur: dum tamen illius hiſtoriæ veritas fideliſſima ex rerum geſtarum narratione commendata credatur.*

136. Obiicitur ſextò, impoſſibile plane videri Chriſti corpus ſeptipalmare in quibuſlibet minimis panis, & vini particulis reperiri. Reſp. cum Auguſtino: *In homine carnali tota regula intelligendi eſt conſuetudo cernendi. Quod ſolent videre credunt; quod non ſolent, non credunt. Præter conſuetudinem facit Deus miracula, quia Deus eſt.* Ideo S. Thomas ait: *Quod non vides, animoſa firmat fides* Sed ad hæreticam prauitatem confundendam dicere etiam poſſumus: *Quod vides animoſam firmat fidem.* Nam ſicut in eadem exigua oculi pupilla ingens mons quantus quantus eſt, naturaliter recipitur; ita in exigua panis, vinique particula integer Chriſtus Dominus continetur. Quia verò hoc argumentum, habere poteſt effugium, dicendo à montis eſſe reali, ad eiuſdem eſſe intentionabile fieri tranſitum: Ad hoc præcidendum effugium, non ſecundùm eſſe reale, ſed ſecundùm eſſe intentionabile mons accipiatur: mons enim per ſpecies intentionales, & viſibiles eſt in maximo aëris ſpatio illam ambiente; quod quidem aëris ſpatium eſt ipſo monte multo maius; & tamen totum illud eſſe intentionale montis in media pupilla adunatur. Quare, vt hæretico Euchariſtiæ veritas ſuadeatur, dicatur Ieremiæ verbis: *Ne taceat pupilla oculi tui:* Quod ſi homo Deo dicit: *Cuſtodi me vt pupillam oculi tui*: cogitemus à Chriſto Domino in Sacramento latente homini dici: *Obſerua me, vt pupillam oculi tui.* Quod enim in tua pupilla naturaliter fieri vides, ſimile quid ſupernaturaliter in Euchariſtia fieri credas. Porrò cum indiuiſibili ſacramentali modo Chriſtus Dominus in Euchariſtia ſit; non eſt cur hæretici tamquam Domini honorem zelantes, negent realem Chriſti præſentiam in Euchariſtia; eo quòd ibi variis iniuriis, & corruptioni ſubiacere poſſit, & vel à muribus comedi. Ad quod facilè reſpondetur, ſpecies quidem panis, & vini corruptioni eſſe obnoxias, non autem Chriſtum ibi contentum. Cum enim ſpecies corrumpuntur, vt accidit intra ſumentis Euchariſtiam ſtomachum; tunc Chriſtus Dominus, qui eſt omninò impaſſibilis, ibi eſſe deſinit: eiuſque loco eadem materia, quæ per conſecrationem eſſe deſierat, diuinitus redit; redit autem ea indiuidua materia; ne ea in ſui annihilatione remaneat. Ex creaturis enim nulla à Deo penitus annihilatur; iuxta id quod Sap. 11. 25. Deo dicitur: *Nihil odiſti eorum, quæ feciſti*; præcipuè ſcilicet odio annihilationis. Ad id autem, quod dicitur à muribus etiam Euchariſtiam comedi poſſe: Reſp. ſi id Dominus fieri nolit, non deeſſe adſtantes Angelos, qui id prohibeant. Vtinam hæreticos Catholicam Euchariſtiæ veritatem maledicis dentibus corrodentes cuſtodes eorum Angeli à tam peruerſa impietate tandē auertant.

Auguſtinus ſer. 147. de tempore.

S. Thom. in hymno.

Euchariſtia Chriſtum ſtatura ſeptipalmari quomodo indiuiſibiliter contineat: hîc, & ſequentibus.

Ieremias Thren. c. 2. 18

Pſal. 16. 1.

A 137. Obiicitur ſeptimò: cum Chriſtus Dominus, qui in cœlo ſuam corporis extenſionem habet, in qualibet Euchariſtiæ particula ponitur, vel talis mutatio fit per additionē, vel per detractionem: non per additionem, quia huiuſmodi coarctatio potius detrahendo, quàm addendo fieri videtur: non per detractionem; cum Chriſtus Dominus omnino immortalis nihil ſui deperdere debeat. Reſp. in corpore & in qualibet re materiali partium extenſionem in ordine ad ſe, ab extenſione partium in ordine ad locum, omninò diſtingui: vt patet in condenſatione, vbi res corporea nihil partium, nihil extenſionis in ordine ad ſe deperdit; cum tamen maiorem extenſionem in ordine ad locum in minorem mutet. B Chriſtus ergo ſine extenſione in ordine ad locum in Euchariſtia continetur: non tamen dicendum eſt illam deperdere; ſed tantùm ibi vnà cum corpore replicato extenſionem illam, quàm in cœlo Chriſtus habet, non replicari.

138. Ex dictis patet verè, non figuratè Chriſtum Dominum in Euchariſtia contineri. Cum idem Dominus Lucæ 17. fidelibus dixit: *Regnum Dei intra vos eſt*, iuxta Bedam, *Regnum Dei ſeipſum dicit intra illos vtique poſitum.* Sacram autem Euchariſtiam ſumentibus præcipuo titulo dici poteſt: *Regnum Dei intra vos eſt*: quia vero, teſte Apoſtolo, *Deus charitas eſt*; vbi Chriſtus verus Deus eſt, ibi charitatis eſt Regnum: qui C autem ad charitatis regnum fidei conſideratione ſe ducit, ſacramentalem veram Chriſti præſentiam non figuratam credit. Hinc bene Auguſtinus ait: *Seruabitur in locutionibus figuratis regula huiuſmodi; vt tamdiu verſetur diligenti conſideratione quod legitur, donec ad regnum charitatis interpretatio perducatur. Si autem hoc iam propriè ſonat, nulla putetur figurata locutio.* Quod ſi hæreticus dicat: *Regnum Dei non eſt eſca. & potus*: reſpondemus verè Regnum Dei non eſſe in eſca veri Chriſti corporis, & in potu veri Chriſti ſanguinis in Sacramento; per quod gratiam ad regnandum cum Deo in cœlis acquirimus.

Ioan Epiſt. 1. c. 4. 8.

Auguſt. l. 3. de Doctrina Chriſtiana. c. 16.

Figuratis in locutionibus quæ regula ſeruanda

Ad Romanos c. 14. 17.

D *Hoc eſt corpus meum.*

139. VErbum EST, aliqui putant in conſecratione non eſſe de eſſentia: idque duplici argumento. Primò, quia Hebræi, & Syri ſubſtantiuum verbum non habent, ſed illum ſubintelligunt. 2. quia etiam Lucas c. 22. 20. Græcè ſcribens in calicis conſecratione verbum illud omiſit. Quidquid ſit de Hebraica, vel Syriaca forma, in Latina quidem verbum EST de eſſentia eſſe videtur; cum Latini verbum ſubſtantiuum, quando ad rei ſignificatum neceſſariò requiritur, non ſubintelligant, ſed expreſsè ponant. Lucas autem in calicis conſecratione ſubſtantiuum verbum non omninò omiſit; ſed illud in conſecratione panis antea poſitum veluti E repetiit dicens: *Similiter & calicem*, &c. dicendo enim SIMILITER, ſignificauit, ſicut Dominus dixerat: *Hoc eſt corpus meum*; ita: *Hic calix in ſanguine meo*, ſcilicet eſt. Si autem in Latina forma Hebraicæ formæ modo ſubintelligi verbum ſubſtantiuum poſſe diceretur; daretur anſa hæreticis ſubintelligendi etiam aduerbium SICVT. Hoc enim ſimilitudinis aduerbium omittere Hebræi ſolent; & ideo in pſalmi decimi verbis *Transmigra in montem ſicut paſſer*, in Hebræo textu particula SICVT non habetur. Subintelligendo autem in conſecrationis forma Hebræorum more particulam SICVT: hæretici figu-

Verbū EST, de eſſentia conſecrationis.

Similitudinis aduerbium Hebræi omittere ſolent.

ratam, non realem Domini præsentiam in Sacramento confirmare contenderent.

Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes.

140. Ante calicis consecrationem gratias æterno Patri Christus Dominus egit; quod ad tam eximium opus perficiendum ei diuinam opem exhiberet. 2. gratias egit, quia, vt ait S. Bonauentura *Vetera transitura, & noua omnia erant ventura.* Quia scilicet materiali paschali agno ipse Christus Dominus mysticus Dei agnus in Ecclesia successurus erat: quare pro eximio suis fidelibus beneficio conferendo, tanquam pro proprio æterno Patri Christus Dominus gratias egit. Si Dominus pro nostro beneficio gratias egit; ne pigeat, præcipuè sacerdotes post sumptam Eucharistiam, mundanis reiectis negotiis, non exiguo tempore, diuinæ beneficentiæ toto cordis affectu debitas gratias agere.

S. Bonauentura in Lucam.

141. *Bibite ex hoc omnes*: omnes scilicet, quibus antea, iuxta S. Lucam Dominus dixerat: *Hoc facite in meam commemorationem*: *In quo dat eis potestatem, vt faciant quod ipse fecit: ac per hoc etiam sacerdotalem ordinem eis tradidit,* ait S. Bonauentura. Hinc à communione sub vtraque specie laici sunt excludendi. Hæretici autem, qui laicos non excludi contendunt, afferunt Domini verba Ioannis 6. vbi Capharnaitis laicis Dominus dixit: *Nisi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Resp. primò ex hebraico idiomate interdum poni particulam coniunctiuam ET pro disiunctiua VEL, aut simili. Quare quamuis Exodi 21.15.17. in Hebræo textu dicatur. *Qui percusserit patrem, & matrem, morte moriatur. Qui maledixerit patri suo, & matri, morte moriatur*: ibi tamen ex Vulgata legitur: *Qui percusserit patrem, vel matrem. Qui maledixerit patri vel matri.* Si enim Hussitæ, & Lutherani sine Hebraismi intelligentia textum illum legerent; ab eis vtique absolueretur is, qui non simul patrem, & matrem percussisset; vel vni tantùm eorum maledixisset. Iuxta allatum Hebraismum Exodi 12. præcipitur: *Tollat vnusquisque agnum, &c. iuxta quem ritum tolletis & hœdum,* id est vel hœdum, si scilicet agnus non habeatur. Ezechielis 44. præcipitur: *Viduam, & repudiatam non accipient vxores.* Similiter ergo Dominus dixit: *Nisi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem*, id est, *vel nisi biberitis etiam eius sanguinem* (quod sacerdotibus in Missæ sacrificio est faciendum) *non habebitis vitam in vobis.* Quod si Hebraismum admittere non libeat;

Sacerdotalem ordinẽ Apostolis Dominus tradidit, cũ Eucharistię Sacramentũ instituit. S. Bonauent. supra. Laici à Cõmunione sub vtraque specie includuntur: hic, & sequentibus. Particula, ET, interdũ ponitur pro particula, VEL.

142. Respondeo secundo ex regula tradita ab August. lib. 3. de doctrina Christiana cap. 17. *Erit hoc in obseruationibus intelligendarum Scripturarum, vt sciamus alia omnibus communiter præcipi; alia singulis quibusque generibus personarum.* Præcipitur ergo à Domino Eucharistiæ sumptio omnibus in vniuersum; singulis tamen generibus diuersimodè; scilicet si sacerdotes sint, sub vtraque specie; sed sub vna tantùm specie, si laici sint. Quia verò nisi in Ecclesia sint Sacerdotes, qui sacramentum sub vtraque specie conficiant, neque laici sub vna specie Eucharistiam sumere possent; ideo vniuersæ Ecclesiæ, prout in ea sacerdotes sunt, dicitur: *Nisi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Laicis

A autem ad significandam communionem sub vna tantùm panis specie, ante eodem cap. 6. vers. 52. & 59. Dominus dixerat: *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.*

143. Respondeo tertiò ex Spiritus sancti regimine, Apostolos in primitiua Ecclesia concessisse laicis etiam sub vtraque specie Eucharistiam interdum, non semper accipere, vt habetur ex S. Dionysio de cœlesti Hierarchia cap. 3. par. 3. & ex S. Cypriano serm. de lapsis. Propterea Corinthios monuit Apostolus: *Probet seipsum homo; & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* Hac posita laicorum consuetudine à Domino

Eucharistia sub vtraque specie in primitiua Ecclesia laicis interdum concessa; postea tamen ablata est.

B præuisa, & concessa, multò antea dixit: *Nisi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Nisi scilicet hoc feceritis ea puritate, qua decet, prius scilicet pœnitentiæ sacramento graues culpas expiando. Porrò primitiuæ Ecclesiæ consuetudo subinde ministrandi etiam laicis sub vtraque specie sacramentum, ob varias causas, præcipuè ne in maxima frequentia gutta aliqua ex calice decideret, sublata est. Circa quod est duplex canon Tridentini sess. 21. *Si quis dixerit ex Dei præcepto, vel necessitate salutis, omnes, & singulos fideles vtramque speciem sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumere debere, anathema sit. Si quis dixerit Sanctam Ecclesiam Catholicam*

Ad Corinth. c. 11.

C *non iustis causis, & rationibus adductam fuisse, vt laicos, atque etiam Clericos non conficientes, sub panis tantummodò specie communicaret, aut in eo errasse, anathema sit.* Additur his Apostoli sententia sub disiunctione dicentis: *Quicumque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.* Præterea sub panis tantùm specie duobus discipulis Eucharistiam dedisse Dominum patet ex Luca c. 24. 30.

144. Respondeo quartò iuxta Tridentini canonem 4. sess. 21. *Si quis negauerit totum, & integrum Christum omnium gratiarum fontem, & auctorem sub vna panis specie sumi, anathema sit.* Ideo qui sub vna tantum panis specie Eucharistiam

1. ad Cor. c. 11

D sumit, sumit etiam Christi sanguinem; & hinc laicos etiam suo modo Christi sanguinem bibere dici potest. Ostendi id potest alio ex sacræ Scripturæ exemplo. Matth. c. 27. 34. de Domino dicitur: *Dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum.* De quo potu prædixerat Dominus psal. 68. 22. *Dederunt in escam meam fel.* Idem ergo fel, quod citato psalmo dicitur datum in escam; ab Euangelista, quia vino mixtum erat, dicitur datum in potum. Similiter caro Christi dicitur dari ad manducandum: quia verò in ea quippe viua, sanguis est, ad bibendum etiam dari dici potest. Quare laicis, qui sub panis tantùm specie Christum sumere debent, benè dici potest: *Nisi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis*

E *eius sanguinem*, simul scilicet in ea contentum, *non habebitis vitam in vobis.*

145. Respondeo quintò. Christus in vltima cœna Eucharistiam instituens, quam ipse primus sumpsit, vt infra dicemus, mysticè iuxta Rupertum, Nyssenum, & Ambrosium dixit Cantic. 5. *Comedi fauum cum melle meo; bibi vinum meum cum lacte meo.* Quia verò Eucharistia sub panis specie instituta est, benè legunt Septuaginta; *Comedi panem cum melle meo.* Fauus, seu panis cum melle dicitur Eucharistia, quia, vt ait Honorius, Christi corpus continet animam, & diuinitatem, quæ est suauissima, & plena omni bono,

Ambros. lib. 5. de Sacr. c. 3.

Eucharistia cur fauus, seu panis cum melle dicitur.

gaudio, & felicitate, quam hominibus ſacram ſynaxim ſumentibus communicat. *Vides, quod in hoc pane nulla ſit amaritudo, ſed omnis ſuauitas* ait Ambroſ. Porrò, cum poſt Euchariſtiam ſub panis ſpecie inſtitutam, eamdem deinde ſub vini etiam ſpecie Dominus inſtituerit, ſubdidit: *Bibi vinum*, hoc eſt vini ſpecies, *cum lacte meo.* Ad quod etiam faciendum fideles inuitat dicens: *Comedite, amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi.* Iuxta Clementem Alexandrinum lac Chriſti ſanguinem ſignificat, cum lac non ſit aliud quàm ſanguis concoctus, candidus, & dulcis, & ad alendum maximè aptus. Quare ad Chriſtum Dominum ſacramentaliter ſumendum iuxta eumdem Clementem nos inuitat Petrus Apoſtolus dicens: *Sicut modo geniti infantes rationabile ſine dolo lac concupiſcite, vt in eo creſcatis in ſalutem.* Ideo Auguſt. in pſal. 33. conc. 1. ait: *Dominus noſter Ieſus Chriſtus in corpore, & ſanguine ſuo voluit eſſe ſalutem noſtram. Reſpice altitudinem ipſius. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Ecce cibus ſempiternus; ſed manducant Angeli, & ſaginantur. Quis autem homo poſſet ad illum cibum? Vnde cor tam idoneum illi cibo? Oportebat ergo, vt menſa illa lacteſceret, & ad paruulos perueniret. Vnde autem fit cibus lac? vnde cibus in lac conuertitur, niſi per carnem traiiciatur? Mater hoc facit. Quod manducat mater, hoc manducat infans. Sed quia minus idoneus eſt infans qui pane veſcatur, ipſum panem mater incarnat; & per humiditatem mammillæ, & lactis ſuccum de ipſo pane paſcit infantem. Quomodo ergo de ipſo pane pauit nos ſapientia Dei, quia verbum caro factum eſt.* Ad Euchariſtiam tamquam lactis plena vbera, nobis veluti infantibus auidè eſſe accedendum monet Chryſoſtomus dicens: *Nonne videtis quanta promptitudine paruuli papillas capiunt, & quanto impetu labia vberibus infigunt? Accedamus cum tanta nos quoque alacritate ad hanc menſam, & ad vbera poculi ſpiritalis.* Cum ergo vel ſub panis, vel ſub vini ſpecie myſticum lac Euchariſtia ſit; & iuxta Chryſoſtomum vtrobique ſit *poculum ſpiritale*: cumque lac & in cibum, & potum accipiatur; qui Euchariſtiam ſub panis ſpecie ſumit, eandem vt myſticum lac & manducare, & bibere dici poteſt. *Poteſt res eadem eſſe cibus, ſi aliquo modo affecta ſit; & potus, ſi alio, & alio modo conſideretur: quemadmodum caſeus quoque eſt lactis concretio*, vt ait Clem. Alexand.

Ambroſ. ſupra.
Cantic. 5.
Clem. Alex. l. 1. Pædag. c. 6.
Lac Chriſti ſanguis in Euchariſtia dicitur.
Epiſt. 1. c. 2
Ioan. c. 1.
Chryſoſt. hom. 60 ad populum. & hom. 83. in Matth.
Clem. Alex. ſupra.

146. Cantic. 1. Eccleſia Chriſti ſponſa ait: *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi.* Cypri botrus optimæ vuæ racemum per vites ex Cypro Inſula in Engaddi vineas tranſlatum ſignificat iuxta Gregorium, Caſſiodorum, Bedam, & Anſelmum. Myſticus autem botrus eſt Chriſtus Dominus in Euchariſtiæ ſacramento; in quo eius ſanguis in crucis torculari expreſſus continetur. Huius botri *vinum* ita *lætificat cor hominis*, vt eum ad beatæ vitæ reſurrectionem fiducialiter ſperandam iucundiſſimè eleuet: idque iuxta Domini verba Ioannis 6. vbi ſacram Euchariſtiam ſumenti, nec ab ea per peccatum ſe auertenti promittitur: *Viuet in æternum.* Hinc Bernardus ſerm. 44. in Cantic. ait: *Si dilectus in myrrha, multò magis in botri ſuauitate. Ergo Dominus meus Ieſus myrrha mihi in morte, botrus in reſurrectione, ſeipſum mihi ſaluberrimum temperauit in potum.* Cum vuæ ergo botrus idem manducari, & per vini ſuccum, quem continet, potari poſſit; qui myſticum Euchariſtiæ botrum accipit, illum manducare, & bibere dici poteſt. Non eſt ergo cur Lutherani, & Huſſitæ hæretici peruersè ambiant ſub vtraque ſpecie Euchariſtiæ communionem; calicem enim Domini dum impudenter accipere præſumunt, *Bibent de manu Domini calicem iræ eius: vſque ad fundum calicis ſoporis bibent; & potabunt vſque ad fæces*; fæces ſcilicet ex calice ſoporem lethiferum inducente iuxta Chaldæum.

Euchariſtia botrus Cypri.
Pſ. 103 15.
Iſaiæ 51 17.

147. Diſcamus hinc, quàm ſibi concors Catholica fides ſit, & quam inter ſe diſcordes hæretici. Caluiniſtæ Domini corpus, & ſanguinem in Euchariſtia contineri negant; quod Lutherani, & Huſſitæ ita affirmant, vt Euchariſtiæ ſacramentum ſumere ſub vtraque ſpecie velint. Diſcamus prætereà Satanæ verſutiam, cum alios per defectum, alios per exceſſum ad ſe trahere peruersè conetur.

Tentatio alia per defectum, alia per exceſſum.

Hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamenti.

148. Cur particulam, ENIM, Dominus poſuit, quæ in panis conſecratione poſita non eſt, ſi quæratur; varia eſt reſponſio. Reſpondet primo Cornelius: *Vox, ENIM, cauſam dat cur manducare, & bibere debeant; quia ſcilicet corpus, & ſanguis Chriſti eis ab illo manducanda, & bibenda offeruntur. Quis enim cibum, & potum tam pretioſum, & diuinum auidiſſimè non accipiat?* Quare aſſerit particulam, ENIM, etiam in panis conſecratione eſſe ſubintelligendam, eamque expreſsè in Ægyptio textu reperiri. Sed cum particula illa in vulgato textu non ſit; & diſpar ratio aſſignari poſſit, ob quam non in panis, ſed in calicis conſecratione poſita fuerit; cumque per internam illuminationem, quæ omninò requirebatur, ad ſacramenti illius myſterium Apoſtoli ſatis illuminati, & allecti fuerint; vt ad id allicerentur, externa ſignificatione non egebant.

149. Reſp. igitur ſecundò, cum inſuetum omninò eſſet, quòd Dominus cum Apoſtolis ſæpe conueſcens eumdem calicem Apoſtolis propinaret; cibum autem iiſdem porrigere conſuetæ Chriſti benignitati inſuetum non erat; hinc factum eſt, vt calicem omnibus porrigendo Dominus dixerit: *Hic eſt enim ſanguis meus*: voluit enim rei inſuetæ præter internam illuminationem etiam exterius rationem reddere.

150. Reſp. 3. in legali cœna agni paſchalis mos erat apud Hebræos, vt paterfamilias calicem primus libaret, deinde idem conuiuis aliis libandus traderetur. Cum hanc ergo cæremoniam Chriſtus Dominus ſeruaſſet: cumque deinde poſt paſchalem cœnam Euchariſtiæ ſacramentū inſtituens, ſui ſanguinis calicem propinaret; reddere rationem voluit cur iterum Apoſtolos in orbem ad bibendum inuitaret: propterea dixit: *Hic eſt enim ſanguis meus.*

151. Reſp. 4. in alium etiam finem Dominum rationem reddere voluiſſe, cur ſui ſanguinis calicem omnibus propinaret; ſcilicet vt Apoſtolos omnes, & poſtea fideles inter ſe concordi voluntate, & inuiolabili fœdere ita ſimul vniret; vt verè dicere potuerint: *Communione calicis, quo Deus ipſe ſumitur, non vitulorum ſanguine congregauit nos Dominus.* De Catilina ait Saluſtius: *Fuere qui dicerent Catilinam humani corporis ſanguinem vino permiſtum in pateris circumtuliſſe; inde cum omnes deguſtauiſſent, aperuiſſe conſilium ſuum; atque eò dictitare feciſſe, quò inter ſe magis fidi forent; alius alij tanti facinoris conſcij.* Si ad ſanguinem

Eccleſia in officio corporis Chriſti.
Saluſtius de coniuratione Catilinæ.
Catilina humanum ſanguinem

coniuratis potandum dedit, vt eos inter se fidos seruaret

euertendam Romanam Rempublicam, & in coniuratis sociis concordem fidem seruandam, iis in potum Catilina humanum sanguinem dedit; ad euertendum Satanæ in mundo principatum, concordemque suorum fidelium animum seruandum, Dominus proprium sanguinem propinauit.

152. *Hic est enim sanguis meus noui testamenti.*

Testamenti triplex significatio.

Testamentum tria præcipuè significat; scilicet pactum, seu mutuam promissionem; fœdus, & vltimam testantis voluntatem. Malachiæ c.2. vbi dicitur: *Pactum meum fuit cum eo vitæ, & pacis*: Septuaginta legunt: *Testamentum meum fuit cum eo vitæ, & pacis.* Ibique Hieronymus ait: *Notandum in plerisque scripturarum locis testamentum non voluntatem defunctorum sonare, sed pactum viuentium.* Idem in Ieremiam 32. ait: *Rectè testamentum appellatur, pactum, quia in eo voluntas, atque testatio eorum, qui pactum ineunt, continetur.* Similiter Augustinus lib. 1. locutionis in Genesi cap. 26. ait: *Amant Scripturæ pro pacto ponere testamentum.* Citato cap. Genes. 26. testamentum pro fœdere ponitur. Quare in Vulgata legitur: *Sit iuramentum inter nos, & ineamus fœdus*, Augustinus legit: *Disponamus tecum testamentum.* Similiter Psalm. 54. 21. dicitur: *Contaminauerunt testamentum eius*, id est fœdus cum eo sancitum violauerunt. Psal. 88. 35. *Neque profanabo testamentum meum*, hoc est, neque violabo fœdus meum. Denique testamentum dicitur vltima testatoris voluntas, vel eius authenticum instrumentum continens mutuam obligationem testatoris ad hæreditatem tradendam; hæredis verò ad voluntatem, & debita, & onera testatoris subeunda. Iuxta quem significatum ad Hebræos 9. 15. de Christo Domino dicitur: *Ideo noui testamenti mediator est; vt morte intercedente, in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, æternæ hæreditatis. Vbi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris.* Porrò pactum ineuntes, fœdusque mutuò contrahentes consueuerunt tam Ethnici, quàm fideles victimam immolare; idque duplici ex causa; scilicet precando & imprecando. Victimam precando immolabant, per victimæ sacrificium precantes, vt Deus inito pacto, ac fœderi propitius foret; illudque sua ope firmaret. Rursus contra fœderis transgressores imprecando diuisa victima immolabatur. Quare Liuius lib. de fœdere inter Romanos, Albanosque inito, ait: *Postus fœderis legibus aiebat Fecialis: Populus Romanus prior non deficiat: si prior deflexit publico consilio, dolo malo; tu illo die Iuppiter, populum Romanum sic ferito, vt ego hunc portum hodie feriam.* Ideo Ieremiæ 34. 18. Deus comminatur: *Dabo viros, qui præuaricantur fœdus meum, & non obseruauerunt verba fœderis, quibus assensi sunt in conspectu meo, vitulum, quem conciderunt in duas partes, & transierunt inter diuisiones eius.* Vbi dicens: *Dabo vitulum*, subintelligi debet particula TAMQVAM; ita vt sensus sit: Dabo, seu reddam fœderis transgressores, tamquam concisum vitulum, quem fœdus ineuntes immolarunt. His prænotatis cum Dominus calicis vinum in suum sanguinem conuertens dixit: *Hic est sanguis meus noui testamenti*; significauit ad nouum fœdus, iuxta fœderis ritum, cum suis fidelibus ineundum; non aliam victimam immolare, quàm seipsum; cum suum sanguinem, quantum est ex vi verborum è suo corpore separaret; illumque ad fœdus firmandum in sacrificium Deo offerret. Mutuum autem Christi fœdus cum suis fidelibus initum est, vt ipse Dominus, *cui data est omnis potestas in cœlo, & in terra*, suis fidelibus cœlestes gratias, & dona, æternamque salutem det; ipsi verò fideles sanctissimas eius leges, & præcepta seruent. Matth. vltimo.

153. Quòd si testamentum pro authentica scriptura testatoris circa vltimam eius voluntatem erga hæredes accipiatur; Christi sanguis in vltima cœna è corpore sacramentaliter diuisus; & postea in passione realiter effundendus, veluti rubrica erat, qua in eius corpore flagellis lacero, clauisque confixo velut in scriptura, eius vltima voluntas merendi, & dandi cœlestem suis fidelibus hæreditatem scribebatur: ideoque Dominus noui testamenti suum sanguinem esse dixit. Quæres quo titulo Christi sanguis noui, non veteris testamenti dicatur. Respondet primo Cajetanus: *Cum testamentum dispositio sit hæreditatis; dicitur Christi sanguis noui testamenti ad differentiam sanguinis in veteri lege aspersi. Exod. 24. Ille enim ad firmandum pactum inter Deum, & populum accepturum terram promissionis, felicitatemque terrenarum opum; hic autem dispositio est hæreditatis, & hæredum cœlestis regni; & propterea appellatur nouum testamentum. Sanguis namque Christi est effector nouæ, non habitæ, & quæ numquam veterascit, dispositionis hæredum, & hæreditatis regni cœlestis.* Sed contra est, quia etiam ante Christi aduentum, ob Christi merita priscis fidelibus diuinam legem seruantibus, æterna salus, adeoque cœlestis regni hæreditas promissa erat. Qua promissione fretus iustus Iob c. 19. dixit: *Scio quod redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum; & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum: quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius: reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Ergo cœlestis hæreditas à Christo non nouiter legata, sed tantùm confirmata, nouum testamentum verè dici videtur. Resp. igitur secundò, quia per Christi sanguinem non habetur tantùm cœlestis hæreditatis per verba facta promissio; sed habetur testamentum ipsius testatoris sanguine, & morte confirmatum, ideo benè noui testamenti suum Christus Dominus sanguinem dixit. Præterea quia Testamentum etiam lex dicitur iuxta significatum Psalmi 77. *Non custodierunt testamentum Dei:* ideo Christi sanguis noui testamenti, hoc est nouæ legis dicitur; tum quia per suum sanguinem meruit nobis Christus, vt noua Euangelica lex, eiusque efficaciora auxilia, & sacramenta darentur: tum quia in noua Euangelica lege cessantibus antiquis sacrificiis, Eucharistiæ adeoque Christi sanguinis sacrificium erat fidelibus celebrandum.

Qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

154. Si suum Dominus sanguinem pro omniũ, etiam damnandorum redemptione effudit, cur pro multis, & non pro omnibus effundendum dixit? Respondet Maldonatus *Dominum non dixisse pro multis; sed pro vobis, vt refert Lucas, & Apostolus 1. ad Cor 11. Matthæum verò, & Marcum, apud quos*, PRO MVLTIS, *dicitur, retulisse non adamussim Domini verba, sed sensum. Nam cum Christus dixisset: Hic est sanguis meus, qui pro vobis effunditur; quia certum erat eum noluisse Iudam etiam comprehendere, pro* quo

quo eius sanguis, quod ad effectum, & fructum attinet, non effundebatur; Matthæus, & Marcus, vt id explicarent, optimo consilio non verba, sed sensum referentes dixerunt: Qui pro vobis effundetur. Quod perinde est, ac si dicat: Pro plerisque vestrûm effundetur: itaque multos opponit omnibus, qui aderant. Hæc responsio plures difficultates incurrit. Primò probabile non videtur duos Euangelistas Matthæum, & Marcum in re grauissima, qualis est consecrationis forma, Domini verba mutasse: Cumque Dominus dixisset PRO VOBIS, ipsos scripsisse: PRO MVLTIS. Quod si Matthæus, & Marcus omittant illud PRO VOBIS; & Apostolus Paulus, & Lucas omittant illud PRO MVLTIS; id mirum esse non debet; cum verba alia, quæ vnus Euangelista refert, alius referat: nec improbabile est verbum aliquod fuisse omissum, sicut improbabile est fuisse mutatum. *Vbi Lucas dixit, Pro vobis, ibi Matthæus pro multis posuit: vnde credendum est, quòd Christus vtrumque dixerit*, ait S. Paschasius. Secundò in Græco apud omnes Euangelistas non legitur *effundetur*, sed EFFVNDITVR. Quare cum iuxta vulgatam lectionem dicitur *effundetur*, sanguinis effusio in proxima passione significatur: Cum verò iuxta Græcum textum legitur EFFVNDITVR, eiusdem sanguinis in Apostolorum ora significatur effusio. Cum ergo Dominus dixisset: *Hic est sanguis meus, qui pro vobis*, hoc est pro vestro sacramentali potu *effunditur*; cumque etiam in Iudæ os Domini sanguis esset effusus; hinc apertè patet, sicut in actuali potu Dominus Iudam non exclusit; ita neque dicendo PRO VOBIS, Iudam exclusisse. Tertiò cum Dominus Ioan. 14. in vniuersum Apostolos alloquens dixit: *Vado parare vobis locum. Iterum venio, & accipiam vos ad meipsum; vt vbi sum ego, & vos sitis*: hoc vtique non dixisset; si Iudas, qui tunc erat absens, fuisset præsens, & adhuc præsens ab illa promissione esset excludendus. Similiter ex illis Domini verbis: *Hic est sanguis meus, qui pro vobis effunditur*. seu *effundetur*, si Iudas erat excludendus, Dominus in vniuersum non dixisset, PRO VOBIS EFFVNDITVR, seu EFFVNDETVR. Dices in vltima cœna Apostolis Dominus dixit Lucæ 22. 29. *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, vt edatis; & bibatis super mensam meam in regno meo; & sedeatis super thronum, iudicantes duodecim tribus Israel*: Ex qua certa Domini promissione Iudas erat excludendus. Vt huic obiectioni fiat satis, dico cum allata verba Dominus dixit: Iudam non fuisse præsentem; de eo enim Ioan. 13. 30. ait: *Cum accepisset ille buccellam, exiuit continuò.* Buccellam autem ante hæc verba iam Iudas acceperat. Fuit quidem Iudas præsens dicenti Domino: *Cum illud bibam vobiscum in regno Patris mei.* Sed hic textus explicabitur infra, cum de Iudæ communione dicemus.

155. Respondent secundò alii, Dominum non dixisse PRO OMNIBVS, sed PRO MVLTIS EFFVNDITVR; eo quòd non omnes gratiam, & salutem efficaciter consecuturi erant. Sed contra est, quia si sensus fuisset de gratia, & salutē efficaciter habenda; Dominus, Iuda præsente, non dixisset, PRO VOBIS.

156. Respondetur 3. ex regula Augustin. l. 20. de ciuitat. cap. 23. vbi explicans Danielis verba cap. 12. *Multi de his, qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt; alij in vitam æternam; alii in opprobrium*, ait Augustinus: *Sententiæ illi Euangelicæ est locus iste simillimus: Omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei, & procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui verò mala egerunt, in resurrectionem Iudicii: Non autem diuersum putetur, quòd cum ibi positum sit: Omnes qui sunt in monumentis; hic non ait Propheta: Omnes, sed multi dormientium in terræ aggere. Ponit enim aliquando Scriptura pro omnibus, multos. Præterea Abrahæ dictum est: Patrem multarum gentium posui te: cui tamen & alio loco: In semine, inquit, tuo benedicentur omnes gentes.* Iuxta hanc igitur Augustini regulam cum Dominus dixit, Pro multis effundetur; pro omnibus verè, & bene intelligi potest. Pro aliis tamen efficaciter, pro aliis verò sufficienter. Quod si ex Græco textu legatur EFFVNDITVR; sensus est: Pro omnibus in hac actuali effusione instituitur. Missæ enim sacrificium, in quo Domini sanguis sumitur, non solùm pro sacerdotibus omnibus, sed pro omnibus laicis qui eius fructum percipere velint, institutum est.

Ioan. 5. 28.

Multos interdum pro omnibus vsurpat Scriptura.

Gen. 17.

Gen. 22.

157. *In remissionem peccatorum.* Cum etiam Christi corpus in Eucharistia contentum, & oblatum in cruce, sit in peccatorum remissionem; si quæratur cur in institutione Eucharistiæ sub panis specie Dominus etiam non dixerit: *In remissionem peccatorum?* Respondetur Christi quidem tam corpus, quam sanguinem in remissionem peccatorum esse; sed quia Domini passio, vnde nostra redemptio, & peccatorum remissio prouenit, per sanguinis effusionem, & mortem completa est; ideo de sanguine præcipuè dictum esse, *In remissionem peccatorum.*

Dico autem vobis: Non bibam àmodo de hoc genimine vitis; cum illud bibam vobiscum, nouum in regno Patris mei.

158. Circa hæc verba, triplex sententia, & interpretatio est; sicut triplici significatu vitis genimen, & Dei regnum intelligi potest. Si vitis genimen Christi sanguis sub vini specie significetur; & Dei regnum Christi gloriosum statum, non solum post ascensionem in cœlum, sed etiam statim post resurrectionem, significet; tunc Domini verborum sensus est: *Vsque in diem illum*, seu tempus, quo post passionem meam gloriosus resurgam, *non bibam de hoc genimine vitis*, hoc est sanguinem meum sub vini speciebus. Iuxta huius sententiæ auctores, Christus Dominus cum suis discipulis conuescens, vt dicitur Actor. 1. iterum sicut in vltima cœna panem, & vinum consecrasse, & suis cum discipulis sumpsisse censetur. Sicut etiam in cœna cum duobus discipulis euntibus in Emmaus rediuiuus Dominus panem in suum corpus consecrauit, illisque manducandum dedit Luc. 24. vt supra diximus. Vocauit autem Dominus suum sanguinem sub vini speciebus *genimen vitis*; primò, quia res in aliud conuersas pristino nomine interdum in Scriptura appellari iam supra docuimus. 2. Domini sanguis dicitur *genimen vitis*; hoc est ipsius Domini genimen, qui se in vltima cœna cum Eucharistiam instituit, vitem appellauit Ioannis 15. dicens: *Ego sum vitis vera. Vinum quod bibimus, sanguis eiusdem vitis est*, ait S. Paschasius. Dicitur autem *genimen vitis nouum*, quia Domini sanguis post resurrectionem ex passibili in impassibilem renouandus erat. Vel si *nouum* aduerbialiter

Genimen vitis sub triplici significatu intelligi potest.

Regnum Dei tripliciter intelligi potest.

L. de corpore & sanguine Domini c. 10.

sumatur pro NOVITER; tunc sensus est: *Non bibam illud, donec nouiter*, hoc est: denuo *bibam in Regno Patris mei*. Nouum autem potest aduerbialiter accipi pro NOVITER, sicut *modicum* pro *modicè* vsurpatur, Eccl. 22. *Modicùm plora super mortuum*; ex cap. 25. *Suspirauit modicùm*. Porrò Dei regnum pro Domini statu in resurrectione benè etiam intelligi potest: nam Luc. 23. cum pœnitens latro Domino dixisset: *Domine, memento mei cum veneris in regnum tuum: dixit illi Iesus: Hodie mecum eris in Paradiso*, id est, in Dei regno. *Statum immortalitatis etiam corporalis, quem resurgendo adeptus est, vocat regnum Patris: quia totaliter in illo regnat Deus. Nihil est ibi inobedientiæ, nihil passibilitatis, nulla indigentia*, ait Caietanus. De Eucharistiæ sacramento Chrysostomus ait: *Dum in hac vita sumus, vt terra nobis cœlum sit, facit hoc mysterium*. Bene ergo de se, suisque discipulis cum adhuc secum in terra versarentur: Dominus dixit: *Cum illud vobiscum bibam nouum in regno Patris mei*.

Chrysost. hom. 24. in ep. 1. ad Cor.

159. Secundò, si vitis genimen pro vero naturali vino ex vite expresso sumatur, cum Dominus dixit: *Non bibam de hoc genimine vitis*, &c. id dixisse dicendum est ante Eucharistiæ institutionem; calicemque signasse communi, veroque vino plenum. Quare cum bis de mensæ illius calice Lucas loquatur; quando de Domino ait: Similiter & calicem postquam cœnauit dicens: *Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur*: tunc de Eucharistico sacramentali calice sermo est. Cum verò antea ab eodem Luca de Domino dictum est: *Accepto calice, gratias egit, & dixit: Accipite, & diuidite inter vos*: tunc iuxta cæremoniam Paschalis cœnæ supra relatam veri vini calicem bibendum Dominus discipulis tradidit; & tunc etiam dixit: *Non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat*: sicut etiam de materiali paschali cibo dixerat: *Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum antequam patiar. Dico enim vobis quia ex hoc manducabo illud*: id est: *Non vltra edam ex eo*, iuxta Caietanum, *donec impleatur in regno Dei*. Scilicet post resurrectionem; resurrectionis enim statum, Dei regnum vocat; & post suam resurrectionem cum Apostolis conuescens Dominus esse voluit, vt supra dictum est: & tunc etiam vinum accipiens, nouum fuit, hoc est non vt sitis extinctiuum, & in stomacho digerendum, sicut contra in vita passibili. Dices, si verum vinum bibendum Dominus dedit, cur gratias egit? Gratiarum enim actio vini in sanguinem conuersionem præcessit, vt habetur apud Matthæum. Respondeo tunc eum gratias egisse; quia mox figura illa calicis, qui in paschali cœna conuiuis dabatur, per Eucharistici potum, quem præfigurabat, erat adimplenda.

160. Alij genimen vitis nouum, id est, alterius generis, nempe spirituale gaudium intelligunt, quo Beati in cœlesti regno inebriantur; vbi etiam nouum, id est alterius generis lætificum Pascha celebratur, & in eo conuiuio comeditur, de quo Dominus dixit Matth. 8. *Recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cœlorum*: & in ea mensa, de qua Dominus in ipsa vltima cœna dixit Luc. 22. 29. *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum; vt edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo*. Placet etiam Caietani sententia, qui explicans citata Domini de Paschate verba: *Ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei*, ait: *Quod dicitur, DONEC, non ad præfigendum terminum; sed ad excludendum intermedium tempus, appositum est. Nam non significat quod in regno Dei Iesus est comesturus Pascha: sed significatur quod intermedio tempore inter cœnam illam, & regnum Dei non est comesturus Pascha*. Hæc tamen Caietani explicatio non sicut paschali cibo, ita potest etiam vitis genimini aptari; cum apertè de eo dominus dicat: *Cum illud bibam vobiscum nouum in regno Patris mei*.

161. Tertiò, quia vitis genimen potest spiritualiter accipi pro vitis fructu, qui ex mystica vinea, nempe fidelium congregatione percipitur; ideo allata Domini verba mysticè interpretanda, Hieronymus censet. Cum enim prænotasset vineam Israëliticum populum significare, de quo Ieremias 2. Dominus ait: *Ego plantaui te vineam electam*: & Isaiæ 5. *Vinea facta est dilecto meo*: post citata Domini verba: *Non bibam àmodo de hoc genimine vitis, vsque in diem illum, cum illud bibam vobiscum nouum in regno Patris mei*, Hieronymus ait: *De carnalibus transit ad spiritualia: dicit ergo se Dominus de hac vinea nequaquam esse bibiturum, nisi in regno Patris sui. Regnum Patris fidem esse puto credentium, Apostolo idipsum confirmante: Regnum Dei intra vos est. Ergo cum Iudæi receperint regnum Patris, cum crediderint in Deo Patre, & adduxerit eos Pater ad filium; tunc de vino eorum bibet Dominus*. Idem docet Hieronymus in Ezechielem cap. 44. Similis est Hugonis interpretatio: *Cum illud bibam vobiscum nouum in regno Patris mei, id est in Ecclesia militante: illud vinum nouum credulitas est Gentium*. Denique in eadem Domini verba S. Paschasius ait: *Nos quia corpus eius sumus, & ille in nobis, vt caput regnat, regnum Patris iure vocamur. In quo regno Christus iam illud bibit nouum, quoties fideles intra Ecclesiam dignè istud percipiunt. Sicut enim patitur in suis, & esurit, & sitit, & vestitur, & suscipitur: sic quoque bibit illud nouum in regno Patris, id est in Ecclesia, quoties eum dignè sui aut comedimus, aut potamus. Nam de vinea illa, quæ fecit labruscas*, nempe Synagoga Iudæorum, felle, & amaritudine potatur, quod est calix passionis.

Luca. c. 17. 21.

S. Pasch. de corp. & sang. Dom. c. 21.

In quot partes Sacramentum instituens panem Dominus diuiserit; quotque è consecrato sanguine biberint, sacramque Eucharistiam sumpserint.

162. Circa hoc triplex est sententia. Alii in duodecim partes panem Dominum diuisisse, & consequenter duodecim etiam è consecrato calice bibisse censent. Alii in partes tredecim, alii denique in quatuordecim. Qui in duodecim partes sacramentalem panem diuisum autumant, Dominũ cum vndecim tantùm Apostolis, Iuda excluso, Eucharistiã sumpsisse asserunt. Qui in tredecim partes dicunt, Iudam nõ excludunt. Qui in quatuordecim asserunt, præter Dominum, & omnes duodecim Apostolos, Beatam Virginem includunt. Dubitari posset an etiam in vltima cœna Sacramenti particeps fuerit Ioãnes cognominatus Marcus, qui, vt supra dictum est, paterfamilias erat, & cœnaculi dominus. Sed quia illius mentio tamquam in hac vltima Dominica cœna præsentis nulla fit; & Dominum discubuisse cum duodecim tantùm dicitur; ideo eum Sacramenti participẽ non fuisse dicendũ est.

An Christus Dominus in vltima cœna sub sacramentalibus speciebus suum corpus, & sanguinem sumpserit?

S. Th. 3. p. q. 81. ar. 1. 136. AFfirmat S. Thomas, suamque affirmatiuam sententiam probat auctoritate, & ratione. Prima auctoritas, quam affert S. Doctor est glossæ in 3. caput Ruth, in qua Glossa expresse dicitur: *Christus comedit, & bibit in cœna, cum corporis & sanguinis sui Sacramentum discipulis suis tradidit.* Ad quod confirmandum afferuntur ibi etiam Apostoli verba ad Hebræos 2. 14. *Quia pueri communicauerunt carni, & sanguini; & ipse similiter participauit eisdem.* Secunda auctoritas est Hieronymi ep. 150. ad Hedibiam dicentis: *Dominus Iesus Christus ipse conuiua, & conuiuium; ipse comedens, & qui comeditur.* Sed ex vtraque auctoritate efficaciter allata sententia non probatur: licet enim verissimè concedatur Christum in vltima cœna cum Eucharistiæ sacramentum discipulis tradidit, comedisse, & bibisse, non tamen corpus, & sanguinem suum comedisse, & bibisse conuincitur. Similiter potuit tunc iuxta Hieronymum Christus esse conuiua, & conuiuium; comedens, & qui comeditur: quamuis comedens fuisset cibos communes, & ipse sub sacramentali specie comestus. Vt S. Hieronymi auctoritatem pro S. Thomæ sententia confirmet Suarius, ait allatis verbis voluisse Hieronymum miraculum eximium indicare; scilicet quòd à comedente Domino tunc non cibus communis, sed ipsemet sit comestus. Respectu autem communis cibi comedens tunc Dominus dici non potuit; cum post cœnam legalem, vel etiam communem, Eucharistiam instituerit. Sed dissentientes à S. Thoma respondere posse videntur in Eucharistiæ institutione satis eximium miraculū fuisse, quòd idem Dominus comedens, atque adeo viuens adhuc suum corpus comedendum, suumque sanguinem bibendum aliis daret. Verissimum præterea est Dominum ea præcisè temporis parte, cum Eucharistiam instituit, si seipsum non comedit, neque tunc cibū alium comedisse: sed dictus est à S. Hieronymo tunc comedens ex præterito, non ex præsenti comedendi actus. Sicut Iudicum 14. de leone à Sampsone extincto dicitur: *De comedente exiuit cibus*: vbi comedens leo respectu præteriti, non præsentis temporis dicitur. *De comedente exiuit cibus.* Quinam cibus exiuit? Respondeo Augustini verbis: *Exiuit cibus ille qui dixit: Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi.* Mysticus leo Christus est, de quo dicitur: *Vicit leo de tribu Iuda.* Ex huius leonis si non extincti, morti tamen proximi ore exiuit cibus; cum per sacramentalia verba cibus Eucharisticus exiuit: quem tamen cibum (dicent aduersarij) Christus mysticus leo non comedit; sicut neq; examinis Sampsonis leo è suo ore prodeuntem cibum manducauit.

August. ser. 107. de temp.

Apoc. c. 5. 5.

Ioan. 6.

146. Porrò allata Apostoli verba ad Hebr. 2. omnino inefficacia sunt, ad Christum cum Apostolis Eucharistiam sumpsisse probandū. Quamuis enim pro hac sententia ea verba citasse Theodoretus à supradicta Glossa d catur; nihilominus ipse Theodoretus non de Eucharistia, sed de Domini incarnatione ea explicat in Commentario epist. ad Hebr. post enim Apostoli verba: *Quia pueri*, idest fideles Dei filii *communicauerunt carni, & sanguini*, hoc est participes fuerunt carnis, & sanguinis; carne enim, & sanguine humana natura constat; *& ipse similiter participauit eisdem*, assumendo scilicet passibilem humanam naturā carne, & sanguine constantem. *Quomodo fieri* A *posset, vt vel ipse se patrem nostrum vocaret; vel filios nos appellaret; ni eamdem naturam accepisset?* ait ibi Theodoretus: Redeo ad Hieronymi verba: *Iesus Christus ipse conuiua, & conuiuium.* Eadem verba habet Paschasius lib. de corpore, & sanguine Domini cap. 21. & tamen deinde explicat Christum quatenus caput nostrum est, esse conuiuam; cum verè respectu Eucharistiæ conuiuæ fuerint Apostoli, & postea alii fideles; qui cum membra Christi sint; quod ipsi piè faciunt, eorum caput Christus per ipsos facere dicitur: vt dictum est supra in illa Domini verba: *Non bibā de hoc genimine vitis*, &c. Affert præterea S. Thomas de Christo in vltima cœna testimonium dicens: B *Rex sedet in cœna, turba cinctus duodena. Se tenet in manibus, se cibat ipse cibus.* Quod testimonium cum Anonymi, & Poëtæ sit, multum auctoritatis non habet.

165. Ad allatam ergo sententiam probandā, est clara, & expressa auctoritas Chrysost. in Matth. hom. 83. vbi consecrato calice de Domino ait: *Ipse quoque bibit ex eo: ne auditis Domini verbis, illi dicerent: Quid ergo sanguinem bibimus, & carnem comedimus? Et ideo perturbarentur. Nam quod primus de his verba fecit, multi solummodo propter verba scandalum passi sunt. Ne igitur tunc hoc quoque acciderct, primus ipse hoc fecit; vt eos tranquillo animo ad communicationem mysteriorum induceret.* Quæ Chrysostomi ratio probat C etiam de sumptione sui corporis sub panis specie à Christo facta. *Si poculum accepit, vtique & panem.* ait Euthymius. Chrysostomo subscribunt Theophylactus, Beda, Euthymius, pluresque alii in Matthæum. Præterea S. Bonauētura in 4. dist. 12. ar. 15. Alensis 4. par. quæst. 44. memb. 1. Albert. Magn. dist. 12. ar. 15. aliique Scholastici. Idē ante hos omnes sensit Areopagita lib. Ecclesiast. Hierarchiæ cap. 3. quem infra cum de Iudæ communione agemus, citabimus. Præterea Hieron. explicās Ezechielis verba c. 44. *Porta hæc clausa & non aperietur. Princeps ipse sedebit in ea, vt comedat panem coram Domino*, ait: *Nemo potest passionis Domini, corporisque eius, & sanguinis pro* D *maiestate rei sacramenta cognoscere. Tantaque bonitatis est, & clementiæ Princeps noster; vt cum solus sedeat in porta, quæ clausa est; & panem coram Domino comedat; velit mensæ suæ, atque conuiuii plures habere consortes.* Quod certè in vltima Domini cœna factum est.

166. Allatæ sententiæ prima ratio ex S. Thoma est: *Christus ea, quæ aliis obseruanda instituit, ipse primitus obseruauit. Vnde prius baptizari voluit, quàm aliis baptismum imponeret. Ergo primò ipse corpus, & sanguinem suum sumpsit, & postea discipulis sumendum tradidit.* Neque hæc ratio est satis efficax. Responderi enim potest in rebus difficultatem inuoluentibus, Christum aliis præluxisse exemplo. In iis autem, quæ nullam inuoluunt difficultatem; sed potius delectationem, E cuiusmodi est comestio, potus; necesse non est exemplo Dominum præluxisse: nisi ad difficultatem in tali esu, & potu ostendendam, ad rationem Chrysostomi supra allatam, recurratur. Præterea, cum dicitur Christus vt fidelibus baptizandis præluceret, suscepisse baptismum; vel hoc intelligitur de sacramento baptismi, & est falsum; vel de baptismo in Iordane Ioānis manu suscepto; & tunc, quia Ioannis baptismus non fuit sacramentum, sed sacramenti baptismatis figura; paritas nō concludit. Immo retorqueri sic posset argumentum: Dominus vt baptismi sacramentum sumentibus præberet exemplum, non ipsum baptismi

sacramentum, sed eius figuram suscepit. Ergo similiter, vt sacram Eucharistiam exemplum praeberet, eius figuram, nempe paschalem agnum comedit.

167. Secunda ratio sancti Thomae est, *Christus accepit panem, & calicem non manibus tantum, vt quidam dicunt; sed eo modo accepit, quo aliis accipiendum tradidit. Ergo cum discipulis dixerit: Accipite, & comedite: accipite & bibite; intelligendum est, quòd ipse accipiens comederit, & biberit.* Sed contra est, quia vt ex Euangelistis constat, Christus primò accepit panem; secundò, gratias aeterno Patri egit; tertiò benedixit; quartò fregit, quintò consecrauit, deditque discipulis suis: eodemque ordine calicem accepit, gratias egit, benedixit, & consecrauit. Quare discipuli quidem panem, & calicem consecratum acceperunt: Christus autem cum panem, vel calicem accepisse dicitur: tunc non panem, & calicem consecratum accepisse dicendum est.

168. Tertia ratio allatam sententiam probans afferri potest; quia sine vlla efficaci ratione in oppositum Eucharistiae Sacramentum Christum suscepisse valdè probabiliter, & piè dici potest, praesertim sanctorum Patrum, sacrorumque interpretum plurium, & Theologorum posita auctoritate, & Chrysostomi ratione supra allata. Addi etiam potest ad sacrae Eucharistiae excellentiam indicandam, hoc solummodo sacramentum Christum sumpsisse.

169. Obiicitur primò. Christus cum gratiae plenitudinem in primo suae conceptionis instanti acceperit; ex sacramenti susceptione nouam gratiam non accepisset; ergo talis sacramenti susceptio irrita, & sine fructu omninò fuisset. Respondet S. Thomas effectum huius sacramenti non solùm esse augmentum habitualis gratiae sed etiam quamdam delectationem spiritualis dulcedinis. Quamuis autem Christo gratia non fuerit augmentata ex susceptione sacramenti; habuit tamen inde spiritualem delectationem. Quae spiritualis delectatio inde certè proueniebat, quòd intra sua viscera tam mirabiliter seipsum fouere posset: exemplumque idem faciendi suis fidelibus relinqueret; ex quo sancta in Ecclesia vberrimus sanctitatis fructus ad maximam Dei gloriam prouenturus erat.

S. Th. supra

Eucharistiae effectus gratiae augmentum, & spiritualis dulcedo.

170. Obiicitur 2. ex S. Thoma: Nihil potest esse in seipso: sed quod manducatur, & bibitur est in manducante, & bibente: ergo cum totus Christus sit sub vtraque specie sacramenti, videtur impossibile fuisse, quòd ipse sumpserit hoc sacramentum. Respondetur ex eodem S. Thoma, posito quòd Christus sine extensione locali indiuisibiliter sit sub quacumque sacramentalium specierum parte, vt supra dictum est: vbi sacramentales illae species esse potuerunt siue in Christi manibus, siue in ore, siue intra ipsum Christum, ibi sine vlla repugnantia Christus Dominus esse potuit.

S. Th. supra

An B. Virgo cum primò Eucharistia instituta est, eam sumpserit.

171. PRobabile valdè videtur Dominum tam eximii sacramenti expertem B. Virginem esse in vltima coena noluisse. Quare cum iuxta Metaphrasten orat. de vita, & dormitione sanctae Mariae sub die 15. Augusti beata mater in Marci domo vnà cum mulieribus, sed alio in coenaculo Pascha celebraret; valdè pium est credere Dominum se replicando, vel Angelorum manu ei antequam aliis daret, sacram Eucharistiam inuisibiliter dedisse; eiusque viscera sanctissi-

A mum filium tunc primùm sacramentaliter subiisse, ex quibus antea in mortalem vitam nascens exierat. *Ita magnum, nouum, & iucundum tibi videri debet, cum celebras, ac si eodem die Christus primùm in vterum Virginis descendens homo fieret,* ait Thomas à Kempis. Si ergo virginali vtero Christum concipienti sumens Eucharistiam similis est; hoc suo ipsi vtero simili priuilegio B. Virgo prae omnibus dignanda fuit. Ex S. Cypriano *milites Christi idcircò quotidie calicem sanguinis Christi bibunt; vt possint & ipsi propter Christum sanguinem fundere.* Cum ergo B. Virgo doloris gladio transfixa mox suum, quem sanctissimo filio concipiendo, & lactando communica-
B uerat sanguinem, in eius passione effusura esset; debuit eodem Christi sanguine percepto ad hoc animari. Si lac Christi sanguis iuxta Clementem Alexand. supra citatum dicitur: Si Eucharistiam *vbera poculi spiritalis* vocat Chrysostomus: Cui potius, quàm B. Virgini tale lac, & talia vbera debebantur? Si iuxta Cyrillum Ierosolymitanum sacram Eucharistiam sumentes *concorporei, & consanguinei Christi* fiunt; cui potius quàm sanctissimae Matri concorpoream, & consanguineam Christi esse conueniebat? *Vbi est Christus in Eucharistia, ibi est coeleste palatium, immo ipsum coelum,* ait Chrysostomus. In Deipara ergo, *cuius venter coelum est,* vt Damascenus ait, Christus per Eucharistiam potissimum esse debuit. Cum B.
C Virgo *foederis arca, ianua coeli* ab Ecclesia nominetur: *ianua sancti mystery* in Graecis hymnis apud Buteonem dicatur: in hanc ianuam sub Eucharistico sacramento coelestis Rex primùm ingredi debuit. In hac arca Eucharistia per manna praefigurata recondenda erat. B. Virgo, ait B. Laurentius Iustin: *Est arca testamenti verissima, quae auro vestitur mundissimo, virtutum gemmis ornata, ex imputribilibus lignis spiritualiter facta; Testamenti tabulas, frondentem Virgam, & suauissimum in se manna continuit.*

Th. à Kemp. l. 4. de imit. Christi. c. 2.
Eucharistiam sumens Deiparae Christum in vtero concipienti similis.
Cypr. l. 4 ep. 6. ad Thibaritanos.
Clem. Alex. l. 1. Paedagogi c. 6.
Chrysost. hom. 38 in Matth.
Cyrill. Catechesi. 4. Mystagog.
Chrysost ep. 1. ad Cor. hom. 36.
Eucharistiam sumens coeleste palatium, & veluti coelum.
Damascen. orat. 2. in natiuit. B M.
Buteo p. 26.
B. Laurent. Iustin. ser. de natiuit. B. Virginis.
B. Virgo velut arca veteris Testamenti.

172. Sanctissimum Eucharistiae sacramentum Zachariae 9.17. iuxta Hieronymum, Paschasium, & alios dicitur *Frumentum electorum, & vinum germinans Virgines.* Quis ergo prior huius sacra-
D menti particeps esse debuit, quàm Deipara, merito titulo *electorum mater* ab Ambrosio, & ab Ansberto vocata? *Dei ager amplissimus* B. Virgo appellatur ab Andrea Ierosolymit: *Ager plenus, cui benedixit Dominus,* à Richardo. In hunc benedictionis agrum *electorum frumentum*, cum primum institutum est, transferendum fuit. *Altare animatum panis vitae* Deipara dicitur à S. Methodio. Quo ergo prius, quàm in hoc altare è coenaculo, vbi consecratus fuerat, erat panis hic transferendus? Eucharistiam *pharmacum immortalitatis* vocat S. Ignatius ep. 14. ad Ephes. Hoc pharmacum vbi prius reponendum erat, quàm in B. Virgine, quam *Apothecam Christi medici* nuncupat Richardus à S. Laurentio lib.
E 10. p. 592. *Aulam coelestium sacramentorum* Deiparam S. Ambrosius vocat. In hanc aulam sub sacramentalibus speciebus ingredi Dominus debuit, antequam in arctiora cubicula ingrederetur.

Pasch. lib. de corp & sang. Christi c. 21.
B. Virgo Dei ager, in quo frumentum Electorum.
Ambros & Ansber. ser. de pur. fic.
Andr. Iero. orat. in sal. Angelica.
Richard. à S. Laur. l. 8. p. 497.
B. Virgo altare animatum.
or. de Hypap.
Eucharistia pharmacum immortalitatis.
B. Virgo apotheca Christi medici.
B. Virgo aula coelestium Sacramentorum.

173. In Eucharistia *spiritualis dulcedo in suo fonte gustatur*, ait S. Thomas opusc. 57. Suauissimus hic spiritualis dulcedinis fons, quò potius deriuandus erat quàm ad Deiparam; quae *fons fontis viui* à B. Petro Damiani appellatur: quae *hortus conclusus, fons signatus. puteus aquarum viuentium* merito dicitur Cantic. 4. *Virgo est hortus inaccessus, vitem redolet, fragrat oleam,*

Ambros l. de instit. Virg. c. 7.
B. Virgo

fons fontis viui.

B. P. Damiani ſer. 3. de Natiuit. B. V.

B. Virgo myſticus deliciarum hortus.

Ambroſ. lib. 1. de Virgin.

Sophronius ſer. de Aſſumpt.

A *roſam renidet; vt in vita religio, in olea pax, in roſa pudor ſacratæ virginitatis inoleſcat*, ait Ambroſius. *Verè hortus deliciarum, in quo conſita ſunt vniuerſa florum genera, & odoramenta virtutum*, ait Sophronius. Ad hæc eximia florum genera, & virtutum odoramenta irriganda ſpiritualis dulcedinis fons è cœnaculo primùm deriuandus erat. Quod certè Chriſtus Dominus multò antea prædixerat Eccli. 24. 41. dicens: *Ego quaſi trames aquæ immenſæ de fluuio; ego quaſi dioryx, & ſicut aquaductus exiui de paradiſo. Dixi: Rigabo hortum meum.* Vbi ex Tigurina lectione ad B. Virginem clarius ſignificandam dicitur: *Horto meo eximio potum dabo*, latice ſcilicet ſanguinis mei: *iuſtamque meam areolam irrigabo*: B illam ſcilicet areolam, de qua ipſa B. Virgo Dei ſponſa ait Cant. 6. *Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum*, Sacramentali ſcilicet deſcenſu, *ad areolam aromatum.* Quæ verba B. Virgini expreſsè tribuit Nyſſenus, Theodoretus, & alij. Ideoque B. Virgo *Areola aromatum ſanctorum, à cœleſti conſita Pigmentario, virtutum omnium ſpecioſis floribus* ab Ecberto Abbate dicitur in deprecatione ad B. Virginem. Chriſtus, ait S. Thomas, *hoc ſacramentum inſtituit tanquam de ſua contriſtatis abſentia ſolatium ſingulare.* Singulare hoc ſolatium cui magis debebatur, quàm Deiparæ Matri, quæ ſanctiſſimi filij ad mortem ituri abſentiâ præ omnibus triſtitiam maximam ſenſit? C Propterea illi potiſſimùm myſticum Euchariſtiæ vinum debebatur, de quo præcipuè iuxta Hugonem dicitur Pſalm. 103. *Vinum lætificat cor hominis.* Et Eccleſiaſt. 9. *Bibe cum gaudio vinum tuum. Vinum lætificat cor hominis, id eſt ſanguis Chriſti de vua corporis eius expreſſus in torculari crucis*, ait Hugo.

S. Thomas opuſc. 57.

174. Citato Pſalmo dicitur: *Panis cor hominis confirmet.* Panis hic hominis cor confirmans, viuificum Euchariſtiæ panem ſignificat: *Nihil ita veſcentis animum roborat, quam panis vitæ; de quo ſcriptum eſt, panis cor hominis confirmet.* ait Hieronymus: additque Apoſtoli verba 1. ad Cor. 10. 16. *Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt?* D Idem in Matth. 26. ait: *Poſtquam typicum Paſcha fuerat impletum, & agni carnes cum Apoſtolis comederat Dominus; aſſumit panem, qui confortat cor hominis, & ad verum Paſcha tranſgreditur ſacramentum; vt quomodo in præfiguratione eius Melchiſedech ſummi Dei ſacerdos panem, & vinum offerens fecerat; ipſe quoque veritatem ſui corporis, & ſanguinis repræſentaret.* Myſticus ergo panis cor hominis confirmans B. Virgini potiſſimùm dandus erat; vt paulo poſt conſtantiſſimo corde ad ſanctiſſimi filij cruci affixi patibulum ſtaret. *Stabat iuxta crucem Ieſu mater eius*, dicitur Ioan. 19. 25. Quare B. Virginem alloquens Anſelmus ait: *Pia Domina, non crediderim potuiſſe te vllo pacto ſtimulos tanti cruciatus, quin vitam amitteres, ſuſtinere;* E *niſi ipſe ſpiritus vitæ, ſpiritus conſolationis, ſpiritus ſcilicet dulciſſimi filij tui, pro quo moriente torquebaris, te intus doceret, non eſſe mortem eum abſumentem, ſed magis triumphum omnia ei ſubijcientem, quod in ipſo fieri coram moribundo videbas.* Elias 3. Reg. 19. allato ab Angelo ſubcinericio pane, *Ambulauit in fortitudine cibi illius vſque ad montem Dei Horeb.* Panem Eliæ Angelica manu allatum Euchariſtiam ſignificare, docet S. Paſchaſius: *Elias ſurgens inuitatur ab Angelo ad prandium, id eſt percipit à Sacerdote Dominici corporis, & ſanguinis ſacramentum*, ait Rupertus: quod tantùm per figuram debet intelligi. Sed in

Hieron. in Ezech. lib. 1. in fine.

Anſelmus l. de excellentia Virginis cap. 5.

Paſchaſius lib. de corpore & ſanguine Chriſti cap. Euchariſtiæ typus panis

A fortitudine non ſubcinericij panis, qui figura erat; ſed ipſius viuifici ſacramentalis panis per Eliæ panem figurati, non in montem Horeb; ſed ad Caluariæ montem ſui filij acerbiſſimam viſura mortem B. Virgo conſtantiſſimo animo ambulauit, & ſtetit.

Eliæ ab Angelo datus.

Rupert. l. 5. cap. 10.

175. *Nolite ſanctum dare canibus, neque mittatis margaritas ante porcos*, dicitur Matthæi c. 7. 6. Antequam Iudæis veluti rabidis canibus cruciandus Dominus daretur; & antequam in immundas carnificum manus cœleſtis margarita proijceretur; ſub ſacramentalibus ſpeciebus in ſanctiſſimæ matris viſceribus reponenda erat: quæ *Concha diuinæ margaritæ puriſſima* in Græ- B cis hymnis meritò appellatur, & iuxta Damaſcenum, & Athanaſium, & Ephremum, *concha eſt, quæ cœlitus ex Diuinitatis fulgetro in vtero concepit, & peperit Chriſtum ingentis pretij margaritam, ſeu vnionem.*

Apud Butronem pag. 130.

B. Virgo Concha diuinæ margaritæ puriſſima.

Damaſcen. orat. 1. de Nat. B. V.

Athanaſ. q. 19. ex vlt.

Ephrem de margarita pretioſa.

176. Præterea *columna viuifica* ab Andrea Cretenſi Epiſcopo Deipara nuncupatur. Huic viuificæ columnæ ſacramentaliter Chriſtus Dominus vniendus erat; antequam ferali columnæ crudeliter flagellandus alligaretur.

B. Virgo Columna viuifica.

Andreas Cretenſis orat. 2. de Aſſumpt.

177. Rubus, de quo dicitur Exodi 3. *Apparuit Moyſi Dominus in flamma ignis de medio rubi; & videbat quòd rubus arderet, & non combureretur* iuxta S. Ephremum, Bonauenturam, C & Heſychium, B. Virginem præfigurabat; quæ propterea bene *Rubus animatus* à Sancto Proclo Conſtantinopolitano Epiſcopo dicitur: rubus quidem non alios vepres habens, quàm innocuos diuini amoris ſtimulos. Hoc in rubo, hoc innocuo in vepreto ſub ſacramentali ſpecie eſſe Dominus voluit, antequam à Iudæis ſpinea corona configeretur.

B. Virgo ardenti rubo præfiguratur.

Ephrem de laudibus B. V.

Bonauentura de eiſdem laud. n. 7.

Heſychius orat. 4. de Deipara.

Proclus orat. de Natiu. Chriſti.

178. *Craterem, qui Deum ſuſcepit* Deiparam appellat Andreas Cretenſis Epiſcopus, & Richardus à S. Laurentio. In hunc puriſſimum craterem ſub vini ſpecie Chriſti ſanguis fundendus erat; antequam in eius paſſione in terram effunderetur.

B. Virgo Dei Crater.

Andreas Cret. ſupra.

Richardus li. 10 p. 638.

D 179. *Diplois aurea* B. Virgo ab eodem Cretenſi Epiſcopo dicitur: ſub hac aurea diploide ſacramentaliter Chriſtum Dominum eſſe decuit; antequam à ſæuiſſimis militibus, & carnificibus ſua veſte, & pelle nudaretur.

Supra.

B. Virgo diplois aurea.

179. *Nouam Euam* B. Mariam appellant Athanaſius, Fulgentius, Irenæus, Chryſippus, & Tertullianus. Nouæ huic Euæ non vetitus ſcientiæ boni, & mali fructus; ſed diuinæ ſapientiæ pomum ſub ſacramentali ſpecie merito erat dandum.

B. V. noua Eua.

Athanaſ. ſer. de Deipara.

Fulg. ſer. de laud. B. V.

Irenæus l. 3. c. 33 & l. 5. cap. 18.

Chryſip. orat. de Deipara.

180. *Fauus Chriſti mellis* eadem B. Mater à Ruperto, & Philippo Abbate vocatur. In hoc fauo melliſluum Euchariſtiæ ſacramentum reponendum erat; vt verè ei iuxta Rupertum à cœleſti ſponſo dici poſſet Cantic. 4. *Fauus di-* E *ſtillans labia tua, ſponſa; mel, & lac ſub lingua tua. Mel tuum, & lac tuum ego ſum; quia Deus tuus, & filius tuus ego ſum.* ait Rupertus. Profectò Euchariſticum mel prægustare debuit Dei Mater; antequam cum ſanctiſſimo ſuo filio amariſſimæ paſſionis fel deguſtaret.

B. Virgo fauus mellis.

Tertull. l. de carne Chriſti cap. 17.

Rupertus in Cant. lib. 3. in fine.

Philippus in Cant. lib. 4. cap. 24.

181. B. Virgo ab Andrea Cretenſi Epiſcopo dicitur *Fermentum, quo tota humani generis maſſa conſperſa eſt; & ex vno Chriſti corpore ceu panis factus, in vnum incredibilis concretio eſt adunata.* Huic certè myſtico, non materiali fermento Chriſti corpus ſub azymi panis ſpecie ſtatim admiſceri ſatis conueniens fuit.

B. V. ſpirituale fermentum.

Andreas Cretenſis in orat. Salut. Angelica.

182. Iuxta Origenem, & Cyrill. Alexandr.

Eucharistia panes propositionis præfigurabant.
Origenes in Leuit. hom. 11.
Cyrillus in Ioan. l. 4. c. 28.
B. Virgo Mensa animata, in qua panis vitæ.
Apud Busæon. p. 123.

ad Eucharistiam præfigurandam ante Dei altare
A
in propositionis mensa panes offerebantur. Hinc 1. Reg. 21. de Dauide dicitur: *Dedit ei sacerdos sanctificatum panem, neque enim erat ibi panis, nisi tantum panes propositionis, qui sublati fuerant à facie Domini vt ponerentur panes calidi.* Calidi ergo panes statim ac à præfurnio extrahebantur; in sacra propositionis mensa poni debebant. B. Virgo *mensa animata continens panem vitæ* in Græcis hymnis dicitur. In sanctissima hac mensa, statim ac in Ierosolymæ cœnaculo sacer Eucharisticus panis à Domino est institutus, reponi debuit; ibique Deo in humanam salutem offerri.

B. Virgo quasi Nauis institoris.
Bernardus ser. 2. super Missus est.

B
183. Iuxta Bernardum, & alios plures de B. Virgine sunt verba illa Prouerb. 31. 10. *Mulierem fortem quis inueniet? Procul, & de vltimis finibus pretium eius.* Fortis hæc sanctissima mulier dicitur facta quasi nauis institoris de longe portans panem suum: hoc est sub panis specie sanctissimum suum filium portans. Sed quare de longe? Quia in Ierosolymitano cœnaculo Apostoli visibili Domini præsentiæ propinqui Eucharisticum panem sumpserunt; Deipara verò visibili Christi Domini præsentiæ absens Eucharisticum panem accepit.

B. Virgo Deum debitorem habuit.

184. S. Methodius orat. de Hypap. ita B. Virginem alloquitur: *Euge, quæ debitorem illum habes, qui omnibus mutuatur. Deo enim vniuersi debemus; tibi verò etiam ille debet. Tu enim admirabilem Incarnationem, quam aliquando non habuit, Deo mutuam dedisti.* Vt ergo Dominus B. Virgini, quod debebat, redderet; ei præ omnibus suam carnem, & sanguinem sacramentaliter dedit.
C

Genes. 2. 9.
Eucharistiā lignum vitæ præfigurabat.
Apud Busæonem pag. 129.
B. Virgo Paradisus animatus lignū vitæ habens.

185. Lignum vitæ in medio Paradisi, cuius esus languores, mortemque arcebat, Eucharistiam præfigurabat iuxta Irenæum lib. 5. cap. 2. Mysticum ergo Eucharistiæ lignum quo in loco primùm esse debuit, quàm in Virgine Matre; quæ meritò *Paradisus animatus, Lignum vitæ Dominum habens*, in Græcis hymnis nuncupatur?

B. Virgo vinea sancta.
Petrus Damiani ser. 3. de B. V. nat.
Richardus lib. 12. p. 927.
S. Bonau. in Psalt. minori Quinquagena 3.

186. Per Cypri botrum Eucharistiam mysticè significari supra vidimus. Botrus hic cui prius dandus erat, quàm B. Virgini, quæ meritò *Vinea sancta, cuius botrus Christus* appellatur à B. Petro Damiani cum Ricardo à S. Laurentio: & à S. Bonauentura: *Vitis ferens botrum, per quem pulsa mundi sitis.*
D

Tridentinū Sess. 13. c. 2.
B. Virgo Dei thesaurus, & gratiarum thesauraria.
Methodius supra.
Andreas Cret. orat. 2. de Assum.
Idiota in Prologo.

187. De Christo Domino Tridentinum ait: *Sacramentum hoc instituit, in quo diuitias sui erga homines amoris veluti effudit.* Hæ amoris diuitiæ cui prius communicandæ erant, quàm B. Virgini, quæ *thesaurus amoris Dei* à S. Methodio meritò dicitur, & ab Andrea Cretensi *Thesaurus absconditi ante mysterij*: & à Sapiente Idiota *Thesauraria gratiarum Dei*?

B. Virgo Vrna aurea continens cœleste Manna.
Epiphanius orat. de Deipara.

188. Veteres Israelitæ datum eis manna in aurea vrna condiderunt, vt testatur Apostolus ad Hebr. 9. Eucharistia, quam Manna præfigurauit, nobiliorem vrnam habere debuit, nempe B. Virginem, quæ propterea *Vrna aurea continens manna cœleste* dicitur à SS. Epiphanio, Ephremo, & Bonauentura.
E

189. De Eucharistiæ sacramento Dominus loquens Ioan. 6. 52. dixit: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita: Vt mirabilius loquar, non caro alia planè, quàm quæ nata est de Maria*, ait S. Paschasius. Quare mirabilius? Quia vera, & propria caro ex tam pretiosa radice orta, qualis sanctissima Mater fuit, tam liberaliter pro mundi vita daretur. Caro autem ex Maria nata aliis liberaliter danda, primò ad eamdem sanctissimam Genitricem sacramentaliter redire debuit. *Caro Iesu caro est Mariæ*, legitur apud Augustinum lib. de Assumpt. B. Mariæ. *De carne Mariæ carnem accepit; & ipsam carnem Mariæ nobis manducandam ad salutem dedit*, ait idem Augustinus in Psalm. 98. Similiter Petrus Blesensis tract. de Eucharist. cap. 1. ait: *Et tamen est eadem caro tunc de Virgine nata: & caro nunc Verbi vitæ de Patre sacrata.* Hinc Beatus Petrus Damiani ait: *Cum Deus in aliis rebus sit tribus modis*; scilicet per essentiam, præsentiam, & potentiam, *in Virgine fuit quarto speciali modo, scilicet per identitatem; quia idem est, quod ipsa*; nempe secundùm eam carnis partem, quam ab eius purissimo sanguine, & lacte accepit. Huiusmodi P. P. testimoniis nixus Suarius ait: *Potest facile credi illam substantiam carnis, quam Christus assumpsit ex Virgine, nunquam fuisse omninò dimissam, aut continua caloris actione resolutam: sed eamdem omnino fuisse semper conseruatam Verbo Dei vnitam.* Confirmari potest hæc sententia; quia eamdem Christi carnem quam post Christi resurrectionem primi fideles in sacramento sumpserunt, & nos nunc sumimus, eamdem sumpserunt Apostoli in vltima Christi cœna. Sed post Christi resurrectionem datur in sacramento illa Christi pars, quam à Virgine sumpsit; ergo eadem fuit in prima sacramenti institutione; atque adeo pars illa semper in Christo conseruata fuit. Minor patet ex S. Thoma in 4. dist. 44. quæst. 1. art. 2. S. Bonauentura in 2. dist. 3. quæst. 1. & 2. Argentina in 4. dist. 44. quæst. 1. art. 1. Richardo ibidem art. 1. quæst. 4. asserentibus vniuersaliter primogeneas corporis partes, quamuis effluxerint, in resurrectione reassumendas esse. Quòd si hoc communiter in aliis contingere aliquis negaret, probabiliter tamen asserit Suarius primogeneas partes ex sanctissima Matre desumptas, ex speciali prouidentia, & voluntate ipsius Christi in eo fuisse conseruatas. Quare, vt erga B. Virginem, piam deuotionem foueamus; cum in sacramento Christi carnem, & sanguinem sumimus, B. etiam Virginis aliquo modo nos carnem sumere cogitemus. *Nam Dei filius conceptus ex vtero virginali, carnem non de nihilo, non aliunde; sed materna traxit ex carne*, benè venerabilis Beda ait. Hinc S. Bernardinus tom. 1. ser. 61. ait: *Omnis institutio sacramentorum ad Eucharistiam ordinatur. Quamuis enim per concomitantiam in Christi corpore sit diuina substantia, & anima; sola tamen substantia panis transsubstantiatur in solam substantiam carnis, & non in Diuinitatem, neque in animam. Et; vt expressius magnificem illam dignissimam, & beatissimam carnem ex gloriosa Virgine decisam; dico quod tanta infinitate dignitatis eam dignificauit Altissimus: Quoniam de carne Virginis benedictæ, & in parte corporis eius excisa consistit, perficitur, & terminatur totum decus, & pondus sacramentorum Ecclesiæ. Certum enim est, quòd omnis institutio sacramentorum, & omnia alia sacramenta tanquam in vltimum finem, ad illud sacramentum omnium sacramentorum excellentissimum, quod est Eucharistia, ordinatur.* In Eucharistia autem cum Christi caro, & sanguis gratiam causent; simul cum reliquis Christi carnis, & sanguinis partibus, ipsam partem ex B. Virgine desumptam ad gratiam causandam eleuari dicendum est: vt hinc *Mater gratiæ* Deipara verissimo elogio, eximioque dicatur.

Ephrem de laudib. B. V.
Bonauent. de ijsdem n. 8.
Paschasius l. de corpore & sanguine Christi c. 1.
Caro Iesu est caro B. Mariæ Virginis.
P. Damian. ser. de Nat. B. M.
Surius 3. p. disp. 2. sec. 2.
B. Virginis Carnis substantia sanctissimo filio cōmunicata ab eo nunquam amissa.
Beda lib. 4. cap. 49. in Lucam.
B. Virgo quomodo ad gratiæ productionē influat.

190. Ab allata ſententia de B. Virginis Euchariſtica communione in vltima Chriſti cœna diſſentit Gerſon. tract. 9. ſuper Magnificat. part. 1. dicens: *Poteſt pie credi de Beata noſtra quòd credidit, & ſcivit myſterium benedicti ſacramenti, & ante inſtitutionem, & poſt: immo dum inſtituebatur; licet præſens fuiſſe non credatur; nec tunc communicaſſe ſacramentaliter: Potuit attamen tunc ſpiritualiter & ante, & poſt effectum manducationis accepiſſe. Manducatio ſacramenti ſolum ſpiritualis, non ſacramentalis fit per fidem huius ſacramenti; quæ per dilectionem operatur. De ſpirituali manducatione dicit Auguſtinus: Crede, & manducaſti. Credidit Maria, propter quod & manducauit.* Ad Gerſonis ſententiam probandam Ioannes Baptiſta Nouatus lib. de eminentia Deiparæ cap. 17. quæſt. 9. ait: *Aliqui putant Virginem non interfuiſſe Dominicæ huic cœnæ; quia ſi interfuiſſet, & ſumpſiſſet Euchariſticum panem cum alijs Apoſtolis, tam mira deuotionis ſuperabundantia corpus Filij ſui ſuſcepiſſet; vt ex huiuſmodi deuotionis, & amoris affectu vehementiſſimo, maxima Chriſtus affectus eſſet conſolatione, & dulcedine; atque ita quodammodo dolores ſuæ paſſionis dulcoraſſet. Cum ergo ipſe Chriſtus ob feruentiſſimum patiendi deſiderium nollet tunc temporis vllam admittere conſolationem; ideo voluit ea etiam carere, quam percepturus erat, ſi in puriſſima Virginis viſcera corpus ſuum eſſet ingreſſum, in quibus ſuauiſſimè conquieuiſſet.* Hoc argumentum leuiſſimum ſanè videtur: primò, quia quamuis ſua in paſſione ſolatium Dominus admittere noluiſſe dicatur; adhuc ſanctiſſimam Matrem ſolari voluiſſe dicendum eſt. Sicut enim, vt eſt communis ſententia, antequam ad paſſionem iret, Virgini Matri Dominus vltimum Vale dixit; dulciſſimiſque verbis certa reſurrectionis ſpe commemorata eam ſolari voluit; ita ad eiuſdem ſolamen ei in Euchariſtia ſe communicaſſe pium eſt credere. *Dominus hoc ſacramentum inſtituit tanquam paſſionis ſuæ memoriale perenne, & de ſua contriſtatis abſentia ſolatium ſingulare*, ait S. Thomas. Si ergo Dominus ſuam ob paſſionem contriſtatis Apoſtolis Euchariſtiæ ſolamen adhibuit; id ſolamen B. Virgini multò magis ob eandem paſſionem contriſtatæ adhibere voluiſſe dicendum eſt. Secundò, ſi ab Angelo Dominus exhibitum ſolamen admiſit; cum *apparuit illi Angelus de cœlo confortans eum*: confortans ſcilicet non ante, ſed poſtquam *factus in agonia prolixius orabat; & factus eſt ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram*: ideo poſt Angeli conſolationem *videtur agonia Chriſti tranſiiſſe*, vt ait Cornelius: Multò magis ab Angelorum Regina exhibitum ſolamen Dominum noluiſſe admittere negandum eſt. Tertiò, ſi tale ſolamen à ſanctiſſima Matre admittere Dominus noluiſſet; adhuc poterat in eius viſcera ingredi; ſolamenque inde alioquin percipiendum impedire: ſicut gaudium, quod ex vnita diuinitate, & beatifica viſione ei prouenire poterat, impediit; ne in animam, & corpus patiendi auidum redundaret.

B. Virginē in prima inſtitutione Euchariſtiā non ſumpſiſſe argumenta probantia ſoluuntur.

S. Thomas opuſculo 57.

Lucæ 22. 43.

An Iudas ſacram Euchariſtiam ſumpſerit.

191. Negatur apud Clementem lib. 5. Conſtitutionum cap. 16. ibique à Turriano. Negant etiam Innocentius Tertius lib. 4. de myſterio Euchariſtiæ cap. 13. Hilarius canone 30. in Matth. & Rupertus in Ioan. cap. 7. dicens: *De participatione corporis, & ſanguinis Domini poteſt aliquis opinari, quòd Iudas interfuerit. Sed diligentius Euangeliſtarum narratione, Doctorumque conſiderata diuerſitate citra deprehendi poteſt huic ſacramento illum nequaquam interfuiſſe; nam cum accepiſſet buccellam, qua traditor deſignatus eſt, exiuit continuò: Quam vtique buccellam nec Euangeliſtarum, nec Doctorum quiſquam conſentit panem fuiſſe Dominici corporis. Cum autem continuò exierit, profectò conſtat, quia corpori, & ſanguini Chriſti non communicauit.* In eamdem negatiuam ſententiam inclinat Salmeron to. 9. tract. 11. Affirmatiua ſententia eſt Origenis tract. 35. in Matth. Nicephori lib. 1. hiſt. cap. 30. Algeri lib. 1. cap. 21. Hugonis Victorini de ſacram. p. 8. cap. 4. Rabbani lib. 1. de inſtitut. Cleric. c. 32. & lib. 2. cap. 36. Laurentij Iuſtiniani de triumphali Chriſti agone, Bedæ in cap. 13. Ioan. Chryſoſtom. hom. 82. in Matt. & hom. 2. de Iuda proditore, Hieronymi in Pſal. 54. & in Matt. cap. 26. & in cap. 14. Marci, & 2. contra Iouinian. Auguſtini tract. 62. in Ioan. & epiſt. 163. vbi expreſsè ait: *Dominus primum ſacramentum corporis & ſanguinis ſui nondum illo*, ſcilicet Iuda, *excluſo, communiter omnibus dedit.* Idem in Pſalm. 10. *Chriſtus traditorem ſuum tanta patientia pertulit; vt ei primùm Euchariſtiam confectam manibus ſuis, & ore ſuo commendatam, ſicut cæteris Apoſtolis traderet.* Idem docet Remigius in caput 26. Matthæi, Haimo in ep. 1. ad Cor. cap. 11. Bernardus ſer. in cœna Domini, Thomas 3. p. q. 21. art. 2. & in Ioan. cap. 13. Cyprianus de cœna Domini; Theodoret in ep. 1. ad Cor. 11. Cyrill. Ieroſolym. catecheſi 13. Euthymius in cap. 29. Matthæi, Cyrillus Alexandr. lib. 9. in Ioan. cap. 9. Eugenius Pontifex cap. ſi ſacerdos de offic. Iudic. ord. Ambroſius de Apologia Dauidis, Iuſtinianus Imperator in edicto fidei ad Ioannem vndecimum, Suarius 3. part. tomo 3. quæſt. 53. art. 5. diſp. 41. ſect. 3. Euſebius, Bruno, Aiguanus, Valentia in Pſalm. 40. verſu 10. Vbi Lyranus aſſerit in eo Pſalmo de Iuda à Domino dici: *Qui edebat panes meos, eo quòd corporalem, & ſacramentalem cum Chriſto panem Iudas comederit.* Theophylactus anceps pro vtraque ſententia habetur.

192. Ex his examinare libet Dionyſij Areopagitæ ſententiam, tanquam maximi ponderis auctoris, tempori quippe Apoſtolorum proximi. Hic libro de Eccleſiaſt. Hierarchia cap. 3. pro vtraque oppoſita ſententia citatur. In eius autem verbis amphibologia duplex eſt. Primò ex Latina verſione, vbi æquiuocum verbum eſt. Latina autem verſio à Suario allata, talis eſt: *Ipſe Auctor Symbolorum iuſtiſſimè ſeparat eum*, nempe Iudam, *qui non ſicut ipſe, nec pari morum ſimilitudine ſacra concœnauerat.* Vel iuxta Dionyſium Carthuſianum: *Ipſe ſymbolorum conditor diuidit iuſtiſſimè, non ſanctè. & vnimodè ei ſacra concœnantem.* Vbi vox illa SACRA æquiuoca vox eſt; quam propterea dupliciter Carthuſianus interpretatur: *Sacra, id eſt ſancta cœna; vel ſacra id eſt ſancta myſteria corporis, & ſanguinis Chriſti.* Si ſacra cœna interpretetur, Areopagita à ſacra Euchariſtica cœna ſeparatum Iudam ſignificare videtur. Similiter ſi cum Suario legatur: *Nec pari modo ſimilitudine ſacra concœnauerat*; ſacrâ vel ſingularis auferendi caſus eſſe poteſt; ita vt cum ſimilitudine concordet; vel pluralis accuſandi caſus, & myſteria ſacra ſignificet. Sed duplex hæc Carthuſiani interpretatio, & æquiuocatio omninò tollitur, ſi Græcus textus legatur; vbi apertè vox illa SACRA pluralis accuſandi caſus eſt; adeoque nec cum cœna, nec cum ſimi-

litudine concordari potest. Quare genuina magis allatæ sententiæ ex Græco versio est: *Ipse conductor symbolorum iustissime separat eum, qui non sanctè, & similiter sicut ipse, sacra commanducauerat*, id est *sacra mysteria*: & propterea subditur ab Areopagita: *Docens bene, sanctè, & prout Deum decebat, quod verus, & cum virtute accessus ad sacra, donec accedenti commutationem ad eum, qui est sibi similis.* Secunda amphibologia in Areopagitæ verbis est, quia cum dicitur Christus separasse Iudam; *qui non sicut ipse sacra concœnauerat*; intelligi potest verbis illis vel negari Iudam sumpsisse Eucharistiam, quam Christus ipse sumpserat; vel negari modum debitum Eucharistiam sumendi; quo quidem sancto, debitoque modo à Christo sumpta est. Si dicatur primum, Dionysius est pro prima allata negatiua sententia, si verò dicatur secundum, apertè pro affirmatiua sententia sunt Dionysij verba. Secundus autem hic Dionysij verborum sensus longè probabilior videtur: significat enim Iudæ separationem, non vt quid antecedens, sed vt quid consequens fuisse ad indebitum, indignumque modum, quo Eucharistiam proditor sumpserat. Iudam autem ab Apostolis separauit Dominus, cum post datam ei buccellam dixit: *Quod facis, fac citius. Et cum accepisset ille buccellam, exiuit continuò*, vt dicitur Ioan. 13. Buccellæ autem traditio, & Iudæ dimissio post pedum ablutionem fuerunt, atque adeo post cœnam siue paschalem, siue communem cum Dominus Eucharistiam instituit; quandoquidem ibi Ioannes de Domino ait: *Cœna facta surgit à cœna, & ponit vestimenta sua, & cœpit lauare pedes discipulorum*; inter quos fuit Iudas, qui nondum discesserat; immo ei primò pedes Dominum lauisse asserit Origenes, Leontius, Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius. Quare tunc Dominus, præsentes Apostolos alloquens dixit: *Vos mundi estis, sed non omnes. Sciebat enim quisnam esset, qui traderet eum.* Quod si Iudas abfuisset, potuisset Dominus Apostolos vndecim præsentes alloquens dicere: *Vos mundi estis*, non addendo: *sed non omnes. Adhuc cœnabatur, cum Dominus surrexit, & pedes lauit discipulis suis. Nam postea recubuit & buccellam suo traditori postea dedit*, ait Augustinus tract. 56 in Ioan. Cum ergo Areopagitæ verbis vox illa *Sacra* non pro cœna sacra ponatur, sed sacra Dominici corporis, & sanguinis mysteria significet: Cumque Dionysius ibi non Eucharistiæ sumptionem, sed eam debito, dignoque modo, quo Christus sumpsit, Iudam sumpsisse neget, vt hactenus vidimus; hinc duo colliguntur; scilicet ex Dionysij sententia Iudam corpori, & sanguini Christi communicasse; sed indignè; & ipsum Dominum Eucharistiæ sacramentum sumpsisse, vt supra cum S. Thoma dictum est. Iuxta Theophylum Alexandr. Habacuc c. 1. 16. de diabolo dicitur: *Cibus eius electus.* De Iuda Dominus dixit Ioan. 6. 70. *Ex vobis vnus diabolus est.* Huius etiam diaboli Christus Dominus sub sacramentali specie cibus electus fuit.

Theophylacti epist. 2 Paschali.

193. Turrianus supra citatus negans Iudam Eucharistiam sumpsisse, ait Areopagitam citatis verbis significasse Iudam à Domino separatum fuisse, ne communionis corporis sui fieret particeps; quia non sanctè, sed simulatè, & fictè, cum illo adfuerat ad comedendum sacra, id est Paschalem agnum, qui sacramentum, & sacrificium antiquæ legis erat. Sed contra est, quia si ideo Dominus Iudam ab Eucharistia separauit,

A quod non sanctè Paschalem agnum Eucharistiæ figuram comedisset; multò congruentius diceretur Iudas nec in Paschali, & sacra agni cœna secum à Domino fuisse admissus, ob diù excogitatum proditionis scelus, quod ob pecuniam cum Iudæis paulò ante pactus erat. Nisi enim Domini benignitas obstitisset, ad separandum Iudam iam separatione dignissimum, culpæ accessio ex irreuerentia erga Paschalem agnum expectanda non erat. Dices, à Paschali cœna Iudam Dominus non separauit, ne eius scelus detegeret; & vt eum ad pœnitentiam emolliret. Respondeo propter eandem rationem neque à communi cœna, in qua Eucharistiam instituit, separasse.

B 194. Probant aliqui primò Iudam cum vndecim aliis Apostolis Eucharistiæ sacramenti fuisse participem; quia de Domino hoc sacramentum instituente cum S. Thoma Ecclesia canit: *Turba fratrum duodena se dat suis manibus. Quem in sacra mensa cœnæ turbæ fratrum duodenæ datum non ambigitur.* Sed respondebit cum aliis suæ sententiæ sectatoribus Hilarius; Turba duodena cum dicitur, intelligi cœtum in illa sacra vltima cœna conuiuantium. In illo autem sacro cœtu, absente Iuda ipse Dominus cum Apostolis vndecim duodenum numerum complebat; qui sibi seipsum, & Apostolis vndecim in cibum dedit.

C Apostoli autem cum ipso Domino fratres dicuntur; cum hoc nomine eos Dominus appellauerit Matth. c. 28. 10. *Ite, nunciate fratribus meis*, & Ioannis c. 20. 15. Magdalenæ dixerit: *Vade ad fratres meos.*

195. Probant aliqui secundò Iudam Eucharistiæ fuisse præsentem, & participem, quia Dominus Eucharistiæ sacramentum Apostolis præbens dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Quibus verbis Apostolos sacerdotes constituit, vt Tridentin. sess. 22. cap. 1. docet; iisdemque Apostolis sacerdotes alios ordinandi potestatem dedit; adeoque eos non sacerdotes tantùm, sed & Episcopos ordinauit. Inter eos

D autem fuisse Iudam necessariò dici debet, cum Petrus Apostolus Act. cap. 1. 20. de Iuda explicet illud Psalmi 108. 8. *Episcopatum eius accipiat alter.* Sed respondere potest Hilarius ibi Episcopatum Apostolatum significare: quod si propriissimè ibi Episcopatus accipiatur, intelligi debere de Episcopatu Iudæ destinato, sua tamen culpa non obtento. Sicut aliqui dixerunt in cœlo Seraphicum sanctum Franciscum Luciferi sedem ob eximiam sanctitatem obtinuisse, sedem quidem Lucifero destinatam, non tamen vnquam ab eo possessam. Equidem etsi Iudas Eucharistiæ præsens, & particeps fuit, illum tamen sacerdotem, & Episcopum actu ordinatum non fuisse probabiliter censeo. Quamuis enim Do-

Iudas à sacerdotali dignitate exclusus.

E minus ex sua liberali benignitate, & clementia Apostolis omnibus diceret: *Hoc facite in meam commemorationem*; quia Iudam nullo pacto resipiscere nouit, in eo sacratissimum sacerdotij characterem imprimere noluisse valde probabiliter censeri potest.

196. Probatur tertiò efficaciter ex Euangelistæ verbis: Matthæus enim hoc capite de Domino ait: *Discumbebat cum duodecim discipulis suis. Cœnantibus autem eis accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis.* Si cum duodecim discubuit, vtique Iudam ea in cœna absentem fuisse dici non potest. Confirmatur, quia Iuda absente verè Dominus dicere non potuisset: *Ecce manus tradentis me, mecum est in mensa*: quæ verba dicta post calicis con-

secrationem

secrationem Lucas refert c. 22. Respondent oppositæ sententiæ auctores Iudam cœnare cœpisse; cum autem ex Domini verbis suam proditionem detectam esse cognouisset, è cœna surrexisse. Sed contra est primò, quia repentino illo discessu se proditorem Iudas apertè ostendisset. Secundò ex Domini verbis: *Tu dixisti*; proditionem non affirmari iam supra ostendimus: neque ex aliis illis Domini verbis: *Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet*, Iudas vt proditor expressè indicabatur: quia plures in eodem lectulo circa mensam cum Domino recumbentes in eodem paropside panem intingebant: multo minus indicabatur ex illis aliis Domini verbis neminem in particulari designantibus: *Ecce manus tradentis me, mecum est in mensa.* Confirmatur, quia si Iudæ proditio verbis illis iam detecta esset; cur Petrus per Ioannem à Domino proditorem manifestari conatus est? Quem vt Dominus manifestaret Ioanni supra eius pectus recumbenti, & interroganti: *Domine quis est?* secretò respondit: *Ille est, cui ego intinctum panem porrexero.*

197. Contra affirmatiuam de Iudæ communione sententiam, quam sequimur: Obijcitur primò Apostolorum auctoritas apud Clementem Papam supra citatum 5. constitutionum c. 16. vbi expressè de Domino dicitur: *Cum antitypa mysteria pretiosi corporis & sanguinis sui nobis tradidisset, quibus non aderat vnà nobiscum Iudas, exiit ad montem Oliuarum.* Respondetur cum Bellarmino de scriptoribus Ecclesiasticis. *Multa in libris illis Constitutionum vtilia esse, & à Græcis veteribus magnifieri. Sed in Ecclesia Latina nullum ferè nomen habent: & ipsi etiam posteriores Græci in Concilio Trullano Can. 2. improbant has Constitutiones, vt ab hæreticis deprauatas.* Sicut ipse Clemens libros itinerarij, vel circuitus Petri à se scriptos ab hæreticis deprauatos fuisse testatur, vt refert Epiphan. hæresi 30. Numerat Bellarminus plures falsas sententias in iis Clementis deprauatis libris contineri; inter quas allata de Iudæ sententia numerari potest; cum opposita sententia ex sacro textu, & plurium S. S. Patrum testimoniis habeatur. Ad auctoritatem Innocentij Tertij lib. 4. de mysterio Eucharistiæ cap. 13. negantem Iudam Eucharistiam sumpsisse, respondetur id Innocentium tanquam priuatum Doctorem asseruisse.

Clementis Papæ Constitutiones vt ab hæreticis deprauatæ, aliqua falsa continent.

198. Obiicit secundò Hilarius hoc 26. cap. Matthæi, Dominus discipulis dixit: *Bibite ex hoc omnes: non bibam amodo de hoc genimine vitis vsque in diem illum, cum illud bibam vobiscum nouum in regno Patris mei:* sed postea cum Iuda neque in Regno Patris sui, neque alibi Dominus bibit: ergo neque tunc Iudæ calicem propinauit. Respondet S. Thomas 3. p. quæstione 81. articulo 2. *Ibi Christus loquitur discipulis, à quorum collegio Iudas se separauit; non autem Christus eum exclusit. Et ideo Christus, quantum est in se, cum Iuda vinum in regno Dei bibit; sed hoc conuiuium ipse Iudas repudiauit.* Contra tamen hanc responsionem est, quia quamuis ex sua benignitate paratus esset quidem Christus in Dei regno vinum cum Iuda bibere; dici tamen nullo pacto potest cum eo vinum bibisse; & consequenter neque hoc antecedenter prædicere Dominus potuit.

Suarius supra.

199. Respondet Suarius ad veritatem illorum verborum: *Cum illud bibam vobiscum nouum in regno Patris mei*, sufficere si de omnibus præsentibus Apostolis, vno excepto Iuda, verificentur. Responderi facilius posset, si verba illo modo, quo Marcus, & Lucas referunt, protulisse Dominum dicamus. Apud Marcum Dominus dixit: *Iam non bibam de hoc genimine vitis vsque in diem illum cum illud bibam nouum in regno Dei.* Apud Lucam: *Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum antequam patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei.*

Iudam Dominus cur ab Eucharistiæ communione non exclusit.

200. Obijcitur tertiò, *Cum sapiens nullus pretiosum liquorem vasi infecto infunderet*, vt ait S. Thomas 1. 2. quæst. 83. art. 100. argum. 5. cumque Matthæi 7. Dominus dixerit. *Nolite sanctum dare canibus*; cur cognoscens Iudam sacra Eucharistia plane indignum, eum tanti sacramenti participem esse voluit? Respondet S. Thomas: *Christo nota erat Iudæ iniquitas sicut Deo; non autem nota per modum, quo hominibus innotescit: & ideo Iudam non repulit à communione; vt daret exemplum tales peccatores occultos non esse à sacerdotibus expellendos.* Sed contra est, quia si sacerdos occultum aliquibus peccatorem, aliis verò multis manifestum, & mox etiam omnibus, vt talem cognoscendum diuinitus sciret; possetque illum opportuno aliquo modo vitare, ne ei Eucharistiam daret; id certè facere deberet: ergo similiter circa Iudam Christus gerere se debebat; illius scilicet voluntarium discessum expectando; vt postea reliquis dignis Apostolis suum corpus, & sanguinem daret. Respondetur igitur ab Eucharistiæ sacramento Iudam à Domino non fuisse exclusum, vt omnibus diuina eius misericordia erga peccatores innotesceret: cum eis quantum est ex se, auxilia plura vt resipiscant, exhibeat. *Dominus cor discipuli nequiter induratum ad dilectionem sacramento dulciter inuitauit, dicens: Accipite, & comedite; hoc est corpus meum. Sacramentum enim illud ideo hominibus datur, vt corpus in terris capiti coadunetur. Obtulit autem Dominus discipulo sacramentum vnitatis, vt eum inuitaret ad humilitatem dilectionis: quem perditum recuperare valde cupiebat* legitur apud Augustinum ser. 28. ad fratr. in Eremo. Porrò ad id, quod ex S. Thoma dicitur: *Nullus sapiens pretiosum liquorem vasi infecto infundit*; addendum est, quod ipse S. Thomas subdit: *ex quo sciret ipsum liquorem infici.* A mundissimo quidem Eucharistiæ sacramento indignè accedens peccator inficitur: Domini autem impassibilis maiestas sub sacramentalibus speciebus latens infici nullo pacto potest. Præterea quamuis Dominus dixerit: *Nolite sanctum dare canibus*; vult tamen Dominus vt peccatores per pœnitentiam resipiscentes immundi canes esse desinant; itaque ad Eucharistiæ sacramentum accedant, vt qui antea immundi canes erant, generosi *tanquam leones ignem spirantes ab illa mensa recedant*; vt ait Chrysost. hom. 6. ad populum.

S. Th. 3. p. q. 81. art. 2.

201. Ad extremum circa Iudæ communionem notandum est, quod S. Augustinus tractat. 62. in Ioan. docet; vbi de panis buccella Iudæ à Domino data ait: *Non, vt putant, tunc Iudas Christi corpus accepit; intelligendum est enim, quòd iam omnibus eis distribuerat Dominus sacramentum corporis, & sanguinis sui, vbi & ipse Iudas erat; sicut S. Lucas euidentissimè narrat.* Dices, ibidem Augustinus ait: *Scio moueri posse nonnullos, quod postquam panem tinctum traditori suo Dominus dedit, intra-*

nit in eum Satanas. Dicunt enim: ita ne hoc meruit panis Christi porrectus de mensa Christi, vt post illum intraret in eum discipulum Satanas? Quibus respondemus hinc nos potius doceri, quàm sit cauendum malè accipere bonum. Quid miraris si datus est Iudæ panis Christi, per quem manciparetur diabolo? Recordamini vnde sit scriptum: Quicumque manducauerit panem, aut biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Cyrillus similiter agens de Satanæ post buccellam in Iudam ingressum ait: *Eodem Satanas modo nos euertit; maximè si mysticam benedictionem sperni à nobis conspexerit.* Respondetur panem intinctum Iudæ datum, non quòd sacramentum fuerit; sed quod sanctissima Christi manu daretur, panem Christi dici ab Augustino. Porrò tam Augustinus, quàm Cyrillus citatis verbis arguunt à minori ad maius: si enim post buccellam, non sacramentalem malè acceptam, in Iudam Satanas ingressus est, vt eum in æternam damnationem impelleret; multò magis timendum id nobis est, si sacramentalem Eucharisticum panem non debita dispositione sumamus. *Qui peccatis obnoxij indignè mysteria veneranda percipiunt, Deus eos Satanæ tradit*, ait Chrysost. hom. 5. in ep. 1. ad Timoth.

1. ad Cor. c. 11.

Cyrillus in Ioan lib. 9. c. 15.

202. Dices, cur post naturalis panis buccellam malè acceptam in Iudæ pœnam, & perniciem intrauit in eum Satanas; & non potius antea, cum indignè Eucharistiam accepit? Respondetur, licet beneficium longè maius fuerit, quòd Eucharistiæ sacramentum Iudæ Dominus dederit, quàm panis buccellam, nihilominus, quia quàm eximium Eucharistiæ beneficium foret, Iudas non agnouit; & quia tale beneficium fuit quidem eximium, sed Apostolis omnibus commune; contra verò, quòd ei soli tam amanter Dominus soporifero iusculo intinctum panem benigna manu porrexerit, vtique beneuolentiæ indicium fuit singularis, quod Iudas benè noscere debuit. *Hæc panis porrectio quem non mouisset?* ait Chrysost. Cum igitur erga Domini benignitatem adhuc ingratus Iudas perseuerasset, *introiuit in eum Satanas.* Cur introiuit? Respondet Augustinus: *Vt sibi iam traditum plenius possideret, in quem prius intrauerat, vt deciperet. Neque enim non in illo erat quando perrexit ad Iudæos, & de pretio tradendi Dominũ pactus est: Cum hoc apertissimè Lucas testetur: Introiuit Satanas in Iudam, & abiit, & locutus est cũ Principibus sacerdotum. Prius intrauerat immittendo in cor eius cogitationem, qua traderet Christum; nunc autem post panem intrauit in eum, nõ ad hoc vt alienum tentaret; sed vt propriũ possideret.* Porrò, sicut communi prouerbio dici solet, vltimum granum in altera libræ lance impositum eam deprimere; ita cum Dominus Iudas secum ad Paschalẽ agnũ comedendũ admisisset; cum ei pedes lauisset; cũq; ei sui corporis, & sanguinis sacramẽtalem cõmunionem participasset; cum denique intinctum iusculo panem ei benignissimè porrexisset; erga hoc vltimum beneuolentiæ indicium adhuc ingratus Iudas perseuerans, superaddito obstinationis scelere depressus in Satanę barathrum meritissimè decidit.

Chrysostom. hom. 71. in Ioan.

August. tra. 72. in Ioan.

Lucæ 22.

203. Respondent alij secundo Iudam putasse ex odio, & vilipendio ei à Domino datam buccellam fuisse, vt eius scelus Apostolis proderet. Cũque nosset se iam omnibus manifestum esse, *continuò exiuit.* Sed contra est, quia ex indicio buccellæ à Domino ei datæ, hoc Iudas existimare non potuit. Quærit enim Chrysostomus: *Cum*

Chrysostom. supra.

A *Dominus dixerit: Cui intinctum panem porrexero, quomodo nescierunt Apostoli proditorem? sed tam submissa voce id Ioanni dixit, vt minimè ab aliis audiretur. Etenim propterea Ioannes supra pectus recumbens tantùm ad aurem interrogat, ne palam fieret proditor. Et Iesus ita respondit, ne adhuc nominatim manifestum faceret.* Porrò Domini verba externo sono prolata quamuis submissa voce, & secretò Ioãni dicta intelligere diabolus potuerit; cumque ob buccellam benignè datam Iudã non commoueri, sed impudenter in scelere, obstinateque perseuerare ex externis signis cognouisset, in eum validius introiuit. *Iudæ impudentiam videns diabolus in cor eius intrauit*, ait Chrys. hõ. 71. in Io.

B 204. De diabolo, qui sub serpentis forma Euam decepit, ait Gregorius: *Serpens ille persuasor, qui non erat reuocandus ad veniam, non est de culpa requisitus.* Obstinatus Iudas ad pœnitentiam non reuocandus serpenti illi similis fuit; ideo in Iudam, sicut antea in serpentem Satanas introiuit. Serpenti panem venenum esse docet Hieronymus. Iudæ serpenti simili Domini panis lethale venenum fuit; cuius veneni peste agitatus laqueo se suspendit. Cum toties Dominus de proditione loquens Iudam ad resipiscendum excitare vellet; eumque tenacibus auaritiæ catenis obstrictum sub diaboli iugum trahi cerneret, internis eum vocibus monebat: *Solue vincula colli tui.* Sed ob auaram argenti cupiditatem, veluti argenteis catenis obstrictum collum quia Iudas soluere noluit, laqueo collum miserrimè subdidit.

Gregor. 22. Mor. c. 15. Serpentem diabolum præuaricationis persuasorẽ cur Deus sicut primos parentes non interrogauerit.

Serpenti panis venenatus cibus est.

Isaiæ 52.

C 205. Eucharistiæ cibus, quod solis amicis porrigendus sit, Cantic. 7. dicitur: *Comedite amici, & bibite, & inebriamini carissimi;* vt bene notat S. Paschasius lib. de carne & sanguine Domini cap. 10. Indignè autem sacram Eucharistiam sumentes Iudæ similes monet Apostolus: *Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum.* Dæmoniorum mensa est idololatria: Idololatria autem est auaritia: cum iuxta Apostolum *auaritia sit idolorum seruitus. In mensa Domini nullus Iudas assistat* ait Chrysostomus. In dæmoniorũ mensa diu, semper tamen famelicus accubuit Iudas. Ideo de eo, eique similibus dicitur: *Fiat mensa eorum in laqueum, & in retributiones, & in scandalum.* Quod quidem vaticinium verum expertus est Iudas; quia ex turpi auaritia miserrimè præuaricatus, tandem laqueo se suspendit. Quàm benè ad sacram Eucharistiæ cœnam accedentes monet Augustinus: *Mutet vitam, qui vult accipere vitam: nam si non mutet vitam, ad iudicium accipiet vitam; & magis ex ipsa corrumpitur, quam sanatur; magis occiditur, quàm viuificatur.* Eucharistiæ sacrificium, quod in altaris mensa offertur, sacrificium viuum, & viuentium est. Sed cum illud peccatores spiritualiter mortui sumere audent, sacrificium mortuorum, & mortuorum reddunt: nam *mors est malis, vita bonis.* Hinc de huiusmodi peccatoribus dicitur Ps. 105. *Comederũt sacrificia mortuorũ.*

D

E

Epist. 1. ad Cor. c. 10. 21.

ad Eph. c. 5. 5.

ad Coloss. c. 3. 5.

Chrysostom. homil. 83. in Matth.

Psal. 68. 23.

Iudas dæmoniorũ in mensa accubuit.

August. ser. 1. de tempore

Eucharistiã indignè sumentes comedunt sacrificia mortuorũ.

206. Indignè ad sanctissimum altaris Sacramentum accedenti dicitur Ierem. 11. 15. *Numquid carnes sanctæ auferent à te malitias tuas?* Vbi cum Augustino Hugo ait: *Immolatio & confessio corporis Christi non auferet à te iniquitatem; quia iudicium tibi manducas, & bibis. Mensam Domini immundam facis, vt dicitur Malach. 1. Mensa Domini contaminata est. Corpus Domini, quod est aliis benedictio, conuertitur tibi in maledictionem: ideo Malachiæ 2. Dominus ait: Maledicam benedictionibus vestris.*

1. ad Cor. c. 11.

Euchariſtiā ſumens caueat, ne Caino ſit ſimilis. 207. Geneſis 4. Caino Dominus dixit: *Vbi est Abel frater tuus? Hoc dicitur cuilibet accipienti Euchariſtiam*, ait Hugo: quaſi dicatur: Chriſtus Dominus, aſſumpta humana carne, frater tuus eſſe voluit; cum ergo illum in Euchariſtiæ ſacramento accipis, vide qua puritate, & veneratione eum accipias, quomodo illum cuſtodias: nec reſpondeas cum Caino: *Numquid cuſtos fratris mei ſum? Quaſi dicat: Non eſt mihi tanti, vt velim eum cuſtodire*, ait Hugo. Non eſt mihi tanti, vt purum ei cordis domicilium, virtutibuſque ornatum ſtudioſè parare contendam.

Euchariſtiā indignè ſumens quàm irreuerēter erga Dominū ſe gerat: hic, & ſeqq. 208. De immundis ad Euchariſtiam accedentibus loquitur Dominus Pſal. 26. *Appropiant ſuper me nocentes, vt edant carnes meas. Deglutiamus eum ſicut infernus*, peccatorum verba ſunt Prouerb. 1. Peccatores nempe, qui ſe dæmonum habitaculum, alterum velut infernum, benè eſſe ſciunt, ad Chriſtum Dominum in Euchariſtia accipiendum impudenter accedentes dicere videntur: *Deglutiamus eum, quamuis ſicut infernus* dæmonum habitaculum ſimus.

209. De ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento iuxta Cyrillum Ieroſolymitanum dicitur Prouerb. 7. *Comede cum lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum.* Cum gaudio Euchariſtiam ſumere peccatoribus non datur. *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen cœli non video?* Tobias dixit. Quale gaudium immundis eſſe poteſt, qui in peccatorum tenebris iacent, culpiſque variis excæcati terrena ſemper appetentes *oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram*; adeoque diuini ſolis cœleſte lumen non vident? Qui munda conſcientia, adeoque mundo ore, & lingua ſacram Euchariſtiam ſumunt, ij quidem dicere poſſunt: *Repletum eſt gaudio os noſtrum, & lingua noſtra exultatione. Quæ vtilitas in ſanguine meo, dum deſcendero in corruptionem?* Dominus ait. In hominem peccatorem corruptione immundum ſacramentaliter Chriſti ſanguis deſcendens vtilitatem nullam, ſed perniciem maximam affert. Vt vtilitatem puriſſimus Chriſti ſanguis afferat, in animam mundam deſcendere ſacramentaliter debet.

Cyrillus in catecheſi. Tobiæ c. 5. 12. Pſal. 16. 11. Pſal. 125. Pſal. 29. 10.

Euchariſtiā ſumentis mūdiſſimo Chriſti monumento ſimilis eſſe debet. 210. Damaſcenus lib. de Chriſti corpore ait: *Eleuatur in manibus ſacerdotis in crucem; frangitur, & diſtribuitur, & in nobis ſepelitur.* Cum igitur communicantes Chriſti corpori & ſanguini, veluti Chriſti ſepulchrum ſint, audiamus myſticum Tobiæ monitum: *Panem tuum, & vinum tuum ſuper ſepulchrum iuſti conſtitue.* Iuſti, piique viri anima ſepulchrum Chriſti eſſe debet. Poſt paſſionem ſepultus eſt Chriſtus *in monumento nouo, in quo nondum quiſquam poſitus fuerat.* Ne ergo in cadauerosa anima viuum Chriſti corpus ſepeliatur. Qui id facere audet, vt in cadauerosos morbos incidat, vel vt cadauer ipſe fiat, iuſtè meretur. *Quoties morbi, quoties detrimenta, quoties luctus, calamitateſque contingunt, & alia qualibet huiuſmodi, huius rei gratia fiunt. Id Paulus ſignanter expreſſit: Ideo inter vos multi, infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi*, ait Chryſoſtomus. Dormiunt ſcilicet temporalem, & æternam mortem incurrentes. Verno tempore, quo Paſcha celebratur, iuueneſcere mundus, arboreſque, aucto vigore, reuireſcere videntur. Tunc tamen in morbos multi incidunt. *Multi homines poſt Paſcha variis infirmitatibus corripiuntur, quia corpus Redemptoris indignè receperunt*, dicitur apud Anſelmū in epi. 1. ad Cor. 11.

Tobiæ c. 4. 18. Matth. 27. 60. Lucæ 23. 54. Euchariſtiā indignè ſumentes in morborum, vel etiam in mortis ſupplicium incurrunt. 1. ad Cor. c. 11. 30. Chryſoſtom. hom. 5. in ep. 1. ad Tim.

Euchariſtiā indignè ſumentium ſupplicia. 211. *Quæ conuentio Chriſti ad Belial?* hoc eſt ad diabolum, ait Apoſtolus. Qui diaboli ſerui ſunt, Chriſtum ſumere non audeant. Diaboli eſcæ, nempe turpes voluptates, cupiditateſque iniquæ cum ſanctiſſimo Euchariſtiæ cibo non admiſceantur. Cyprianus ſerm. de lapſis, refert quemdam cum idolis oblatos cibos guſtaſſet, & poſtea Euchariſtiam accepiſſet, obmutuiſſe. Cur enim lingua illa non obmuteſceret, quæ immunda ſanctiſſimum Chriſti corpus tangere auſa eſt? Ibidem Cyprianus refert alium eadem irreuerentia peccantem, rabidè linguam diſcerpſiſſe: puellam ſimiliter eiuſdem impudentiæ ream, Euchariſtiam reuomuiſſe.

2. ad Cor. 6.

212. Matthæi 6. Dominus dixit: *Tu, cum ieiunas, faciem tuam laua.* Multò magis cum ſacramentalem manducat cibum, animam abluat Chriſtianus. *Tu, cum carnalem cibum ſumpturus accedis, os antea, & faciem lauas: cum verò ad ſpiritualem menſam acceſſurus es, animam lauare diſſimulas & immunditia plenus accedis?* ait Chryſoſtomus hom. 6. in ep. 1. ad Timoth.

Sanctiſſimæ Euchariſtiæ ſacramenti præſtantia; efficacitas, eique eximia veneratio debita.

213. Fallax diabolus Lucæ 4. Domino *oſtendit omnia regna orbis terræ in momento temporis.* Vt non fallaciter, ſed verè, non terreni, ſed Dei regni, nempe ſanctæ Eccleſiæ opes, delicias, prærogatiuas, & gaudia cuncta obtutu vno videamus, ſanctiſſimæ Euchariſtiæ ſacramentum inſpicere nobis datur: ita vt ſacerdos fidelium cœtum ad ſacrum altare inuitans benè dicere poſſit: *Ego oſtendam omne bonum tibi.* Veriſſimè enim Zacharias ait: *Quid bonum eius eſt, & quid pulchrum eius, niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Vbi Hieronymus ait: *De hoc tritico efficitur ille panis, qui de cœlo deſcendit, & qui confirmat cor hominis. Qui frumentum eſt electorum; ipſe eſt & vinum, cum lætificat cor hominis.* Cum dicatur: *Quid bonum eius eſt, niſi frumentum electorum?* Hinc S. Paſchaſius benè deducit: *Liquet ergo, quod ſine illo nihil eſt, quod habetur, nihil, quod percipitur; eo quòd omnia dona virtutum hoc vno claudantur. Ideirco ſi volumus cœleſtibus ditari diuitiis, donum Patris, ac Filij, qui ab eo conſubſtantialis procedit, & coæternus, ardenti animo appetamus.* Non ſolùm *quid bonum eius eſt*, ſed etiam, *quid pulchrum, niſi frumentum electorum*; Vbi latet *ſpecioſus forma præ filiis hominum?* Hinc Auguſtinus ait: *Chriſtus eſt pulcher in cœlo, pulcher in terra, pulcher in vtero, pulcher in manibus parentum, pulcher in miraculis, pulcher in flagellis; pulcher inuitans ad vitam; pulcher non curans mortem; pulcher deponens animam; pulcher recipiens, pulcher in ligno, pulcher in ſepulchro.* In ſepulchro præcipuè noſtri corporis cum ſcilicet *eleuatur in manibus ſacerdotis in crucem, diſtribuitur, & in nobis ſepelitur*, vt ſupra Damaſcenus ait.

Euchariſtia omne bonū continet. Exod 33. 19. Zachar. c. 9. Ioan. 6. Pſalm. 103. Paſchaſius lib. de corp. & ſanguine Chriſti. Pſ. 44. lib. Auguſt.

Euchariſtia mirabilium Dei epilogus: hic, & ſequentib. 214. Ex communi SS. Patrum, ſacrorumque interpretum ſententia de manna iuxta litteræ corticem, de Euchariſtia iuxta præcipuum, & myſticum ſenſum dicitur Pſal. 110. 4. *Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors, & miſerator Dominus; eſcam dedit timentibus ſe.* Euchariſtia enim mirabilium Dei operum veluti epilogus eſt; & propterea diuinorum operum omne bonum, & omne pulchrum in ea continetur. Si *verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum*: Sacerdotis verbis, eiuſque oris conſecrantia verba proferen-

Pſal 32. 6

tis spiritu cœli conditor sub sacramentalibus speciebus creatur. *Christus vsque hodie*, scilicet per sacerdotis consecrantis verba *verissimum & sanctissimum suum corpus creat*, ait Cyprianus. Similiter Adelmanus Episcopus epist. ad Berengarium: *Christus per os sacerdotis corpus, & sanguinem suum creat.* Bessario lib. de verbis consecrationis: *Tota Trinitas hoc corpus altaris creat.* Augustinus relatus c. vtrum sub figura de consecratione dis. 2. asserit *Christi corpus per Spiritum sanctum potentialiter creari, & ex substantia panis effici.*

Cyprian. ser. de cœna Domini.

A

215. Ad puniendos infideles Ægyptios Deus fluminis aquas in lethiferum sanguinem transmutauit. Exod. 7. Cum ex Dei imperio Moses *eleuans virgam, percussit aquam fluminis quæ versa est in sanguinem, computruitque fluuius; & non poterant Ægyptij bibere aquam fluminis.* At in Eucharistia ad fideles recreandos multò mirabiliùs, vinum in viuificum, salutaremque sanguinem transmutatur. Iudicum 7. Gedeonis gladius sub panis figura visus castra Madianitarum euertit, eorumque exercitum trucidauit. At Eucharisticus panis mirabilius dæmonum exercitum fugat, eosque territos in Gehennæ barathrum detrudit.

B

Eucharistia velut minax gladius infernos hostes terret, & fugat: hic, & seqq.

216. Exodi 12. Israëlitis de paschali agno, vel hœdo mandatum à Deo est: *Immolabit eum vniuersa multitudo filiorum Israel ad vesperam; & sument de sanguine eius, & ponent super vtrumque postem, & in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum. Erit autem sanguis vobis in signum in ædibus, in quibus eritis; & videbo sanguinem, & transibo vos; nec erit in vobis plaga disperdens quando percussero terram Ægypti.* Sed maiori clementiæ beneficio Deus ob sanguinem in Eucharistia contentum, eum sacramentaliter sumentes à corporali, & spirituali plaga liberat. *Dæmones cum Dominicum sanguinem in nobis vident, in fugam vertuntur*, ait Chrysostomus: cum interim peccatores sub dæmonum iugo multiplici plaga sæpissime puniantur.

C

Chrysost. hō. 46. in Ioan.

217. Mirabilis fuit à Deo data Iosue potestas; cum eius imperio *stetit sol in medio cœli.* At multò mirabilius est homini potestatem dari, qua Iustitiæ solem intra paruum Eucharistiæ orbem suo arbitrio sistere possit.

Sacerdos Iosue simili, eoque efficacior. *Iosue 10.*

D

218. Mirabile sane spectaculum fuit, cum sitiente Israëlitarum populo, & *eleuasset Moyses manum, percutiens virga bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ.* Sed multò mirabilius ipsis Angelis spectaculum est; cum Sacerdos percutiens spiritu oris sui panis, vinique substantiam, ea omnino ablata, ibi diuinū fontem constituit, vnde cœlestium gratiarum vberrimi latices humano generi manant. Ideo de altaris mensa Chrysost. ait: *A mensa hac prodit fons, qui fluuios spirituales diffundit. Si quis æstuat, ad hunc fontem se conferat, & recreabitur. Mundat squalorem, & sordes; æstus mitigat, non solares, sed quos ignitæ sagittæ imprimunt.* Illæ nimirum sagittæ, de quibus Apostolus ait: *Vt possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.*

Sacerdos Mosi similis, eoque maior. *Numer. 20.*

Chrysost. hom. 45. in Ioan. Eucharistia salubrium aquarum fons. *ad Ephes. c. 6. 16.*

E

219. Mirabiliter in Babylonica fornace *vox Domini intercidens flammam ignis* ita eius efficacitatem diuisit, vt ex ea flamma tribus pueris in fornacem coniectis lux quidem, non ardor & combustio proueniret. Sed mirabilius Iustitiæ sol ita in Eucharistia continetur; vt ibi immensa eius lux lateat; diuinæ tamen charitatis ardor ad humanum cor inde proueniat.

Danielis c. 3. Psalm. 28. 7. Sacerdos cōsecrando intercidit flammam ignis.

220. Præterea maximum fuit diuini Verbi incarnationis opus; cum Deus immortalis, & immensus sub passibili carne claudi non horruit in Virginis vtero. At quotidie in Eucharistia idem diuinum Verbum immortale suum assumptum corpus sub modici panis, vinique speciebus claudi non renuit.

Incarnationis Domini, & sacramentalis consecrationis cōparatio.

221. Diuinæ omnipotentiæ mirabile opus fuit, cum suum post passionem Dominus exangue, lacerumque corpus restaurando, immortale gloriosumque reddidit. Sed profectò non minus mirabile diuinæ omnipotentiæ opus est, quòd rediuiuus, & immortalis Dominus sub sacramentalibus speciebus in humano passibili corpore sepeliri velit: Cum *eleuatus in manibus Sacerdotis, distribuitur, & in nobis sepelitur*, vt citatus Damascenus ait.

Eucharisticæ Cōmunionis, & Dominicæ resurrectionis cōparatio.

222. Mirabilem Christi Domini ascensionem meritò Ecclesia vocat; cùm *super omnium creaturarum cœlestium dignitatem humani generis natura conscendit, supergressura Angelicos ordines, & vltra Archangelorum altitudines eleuanda, æterni Patris recepta consessu*, vt ait S. Leo. Sed non minus mirabile est, quòd ipse Dominus in cœlo, Dei in dextera regnans ad nos quotidie descendere, hominumque cibus, potúsque fieri non dedignetur. In Eucharistia igitur Deus epilogum, & *memoriam fecit mirabilium suorum, cum escam dedit timentibus se.*

Eucharistiæ Cōmunionis, & Domini ascensionis comparatio. *Leo ser. 1. de Ascens.*

Psal. 110. 4.

223. Addit S. Paschasius suauissimum Eucharistiæ Sacramentum omnium Dei mirabilium, non solùm memoriam, & epilogum esse; sed scopum, & finem: quæ enim Deus mirabilia fecit, ea ad sternendum viam, vt postea Eucharistiæ mysterium facilè crederetur fiebant. *Hac de causa longe ab omnibus, quæ facta sunt à seculo, miraculis distat hoc mysterium, quia illa omnia ideo facta sunt, vt hoc vnum credatur*, ait Paschasius. Propterea idem piam animam monet, vt ex antiquis miraculis veram Christi in Sacramento præsentiam certissimè credat. *Cogitet, si mare rubrum olim vim habuit diuidendi se, vt populus per medium sicco vestigio transiret: Si habuit omnis illa Ægyptiorum aqua ex se, licet per Moysen, vim conuertendi se in sanguinem: in Euangelio si aqua per hausta de fonte habuit potentiam se mutandi in vini saporem: &, vt de innumeris pauca commemorem; habuit ignis ille Babylonicus, vbi tres pueri missi sunt per naturam, ne caleret; an in voluntate Dei fuit, vt fieret tanquam spiritus roris flantis vt refrigerium magis, quàm incendium præstaret sanctis? Cogitet, quisque, panes illi in eremo quinque, aut septem, si habuerunt substantialiter ex se, vt tot homines satiarent, deinde tot sportas replerent; an in gratia fuit quod factum est, Creatoris? Minuendo enim multiplicabantur.* Hæc omnia iuxta S. Paschasium à Deo facta sunt; vt deinde memoriam, scopumque faceret mirabilium suorum; cum, vt ait S. Thomas, *Sacramentum instituit tanquam Passionis suæ memoriale perenne, figurarum veterum impletiuum, miraculorum ab ipso factorum maximum*; per quod *escam dedit timentibus se.*

Paschasius lib. de corpore & sanguine Christi cap. 1. Eucharistia Dei mirabilium & epilogus, & scopus.

Exodi cap. 14. 22.

Exodi c. 7. 20. Ioan. c. 2. Danielis c. 3.

Ioan. c. 6. Matthæi c. 15.

S. Thomas opusc. 57. Eucharistia miraculorum maximum.

224. *Escam dedit timentibus se. Prædam dedit timentibus se*, legitur ex Theodoreto. *Spolia dedit timentibus se*, alij legunt. In Passione Dominus veluti venatica præda Iudæorum fuit, de quibus ipse propterea dixit Psalm. 21. *Circumdederunt me canes multi.* In Eucharistia similiter, longè tamen diuerso modo venatica præda Dominus est; cum eum Sacerdoti veluti venatori sacramentalibus speciebus tanquam retibus irretire datur. Quod si legamus, *Spolia de-*

Sacerdos veluti venator.

dit timentibus ſe; bene id etiam de fidelibus ſacram Euchariſtiam ſumentibus accipi poteſt; quibus propterea Apoſtolus ait: *Induimini Dominum Ieſum Chriſtum.* Qui in proſcenio paludamento regio indutus Regem refert, veluti Regis perſona indutus, verbis, & actibus tamquam Regem ſe gerere debet. Similiter cum cœlorum Rex per Euchariſtiæ Sacramentum ſe veluti *ſpolia dat timentibus ſe*, eos & verbis, & operibus cœleſtem Regem referre oportet. *Dicitur induere Chriſtum, qui Chriſtum imitatur. Quia ſicut homo continetur veſtimento, & ſub eius colore videtur; ita in eo qui Chriſtum imitatur, opera Chriſti apparent. Per hoc igitur induimur arma lucis, quando induimur Chriſtum*, ait S. Thomas. Si arma lucis induimus, *abiciamus opera tenebrarum. Induere Chriſtum eſt vndique in nobis per ſanctimoniam, & manſuetudinem Chriſtum in nobis conſpicuum eſſe. Homo enim indutus id eſſe videtur, quod indutus eſt. Appareat ergo in nobis Chriſtus*, ait Chryſoſtomus. Qui ſacram Euchariſtiam ſumens Chriſtum induit, ſeruare Sapientis monitum bene poteſt: *Comede cum lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum.* Is enim bene cum Iſaia 61. dicere poteſt: *Gaudens gaudebo in Domino; & exultabit anima mea in Deo meo; quia induit me veſtimentis ſalutis.* Vel, vt alii legunt: *Quia induit mihi veſtimentum Ieſum.* Eſau primogeniti veſtimentis indutus Iacob paternam benedictionem conſecutus eſt; dixitque ei Iſaac: *Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, vini, & olei; & ſeruiant tibi populi, & adorent te Tribus: Eſto Dominus fratrum tuorum.* Vbi S. Paſchaſius ait: *In hoc myſterio benedixit Iſaac filium ſuum, quaſi nulla eſſet alia benedictio, quàm frumenti, & vini; ſcilicet in pane carnis Chriſti, & in potu ſanguinis; quæ de agro corporis nobis quotidie per officium Sacerdotis matureſcunt, & comedimus. Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini. In rore quidem cæli, quia hæc myſteria Diuinitatis ope conficiuntur. In pinguedine verò terræ, quia caro Chriſti de Virgine orta creditur.* Hinc de cœleſti rore, & Virginea terra dicitur Iſaiæ 45. 8. *Rorate cæli deſuper, & nubes pluant Iuſtum; aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Subdit idem S. Paſchaſius: *Cum Eſau ad benedicendum tardior accurriſſet, Iſaac ait: Frumento, & vino ſtabiliui eum; & tibi poſt hæc, fili mi, vltra quid faciam? Quod eſt apertè dicere*, ſcilicet per myſterium. *Firmaui eum pane corporis Chriſti, & vino ſanguinis: tibi autem: fili mi, vltra quid faciam? Tantus & talis Dei cultor nihil inuenit filio vltra, quod præbeat.* Nam, *quid bonum eius eſt, & quid pulchrum eius, niſi frumentum electorum, & vinum germinans Virgines?*

Ad Rom. c. 13. 14.
Chriſtũ induere quid ſignificet.
S. Th. in ep. ad Rom. c. 13.
Ad Rom. c. 13. 12.
Chryſoſt. ibidem.
Prouer. c. 9.
Geneſis 27.
S. Paſchaſius lib. de corpore, & ſanguine Domi. c. 21.
Euchariſtiã dignè ſumens de rore cæli, & de pinguedine terræ benedictionem conſequitur.
Zach. 9.

225. Sed ad citatum Pſalmum redeamus: *Eſcam dedit timentibus ſe.* Sacramentalis enim eſca non cuicumque, ſed Deum timentibus, & venerantibus; non terrena diligentibus, datur. Vt ad futuras neceſſitates prouidentiam diſcamus, ad rationis expertem beſtiolam mittimur, Prouerb. 6. 6. *Vade ad formicam, ò piger, & diſce ſapientiam: Parat in æſtate cibum ſibi, & congregat in meſſe quod comedat.* Vt quo modo ad ſacram Euchariſtiam ſit accedendum diſcamus, ad feram belluam mitti poſſumus. Lupum in fame veſci terra ſcribit Plinius l. 8. c. 22. Si tamen hæc beſtia aptiorem cibum inuenit, è ſtomacho terram egerit, vt meliori eſca veſcatur. Cum cœleſtis Euchariſtiæ eſca nobis datur; extra cor terrenos affectus eiiciamus. Serpenti dictum eſt: *Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* Si ſerpenti ſimiles eſſe nolimus, terrenis omnibus deliciis ſpretis cœleſtem Euchariſticum cibum appetamus.

Lupus meliore cibo inuento, terram, quam comederat, ex ore egerit.
Gen. 3.

226. Citato Zachariæ loco Euchariſtia *frumentum electorum* dicitur: ideo myſtico huic frumento, nempe Chriſto Domino ſub panis ſpeciebus dicitur Eccli. 24. *In electis mitte radices.* Qui enim iugi memoria Euchariſtici ſacramenti præſtantiam, & venerationem recolunt; illudque ſumendi ardenti deſiderio flagrant, radices tam eximiæ diuinæ charitatis in imo corde fixas habent; eſtque hoc in iis certum prædeſtinationis, & ad gloriam electionis iudicium.

Euchariſtiæ ſumptio, & erga eum pius affectus, prædeſtinationis indiciũ.

227. De Deo vnicuique fidelium ad Euchariſtiam accedentium dicitur Pſal. 102. 5. *Qui replet in bonis deſiderium tuum*: vbi alia verſione legitur: *Qui ſatiat bono os tuum*; ſatiat ſcilicet Euchariſtiæ Sacramento, in quo eſt omne bonum, vt ſupra vidimus. Subditur eodem Pſalmo: *Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua*, vbi Auguſtinus ait: *Dicitur aquila, cum ſenectute corporis preſſa fuerit, immoderatione roſtri creſcentis cibum capere non poſſe. Pars enim roſtri eius ſuperior, quæ ſupra partem inferiorem aduncatur, cum præ ſenecta immoderatius creuerit; longitudo eius incrementi non eam ſinit os aperire; vt ſit aliquod receptaculi interuallum inter inferiorem partem, & vncum ſuperiorem. Niſi enim aliquod interuallum pateat; non habet morſus, quaſi forcipem, vnde velut tondeat, quod tranſmittat in fauces. Hoc ei facit vetuſtas. Prægrauatur longiore ſenectute, & inopia comedendi langueſcit nimis, ætate, & egeſtate accedente. Itaque modo quodam naturali in menſura reparandæ quaſi iuuentutis, aquila dicitur collidere, & percutere ad petram ipſum quaſi labium ſuum ſuperius; quo nimis creſcente edendi aditus clauditur; atque ita conterendo illud ad petram excutit, & caret prioris roſtri onere, quo cibus impediebatur. Accedit ad cibum, & omnia reparantur; erit poſt ſenectutem tamquam iuuenis aquila: Redit vigor omnium membrorum, nitor plumarum, gubernacula pennarum; volat excelſa, ſicut ante; fit in ea quædam reſurrectio. Hoc, quod de aquila dictum eſt, non ad immortalitatem aquila reparatur; nos autem ad vitam æternam. In Chriſto renouabitur ſicut aquilæ iuuentus noſtra. Etenim inueterauimus inter inimicos noſtros iuxta Pſal. 6. Vnde inueterauimus? Aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum. Vetuſtas tibi os clauſit; propterea Petra data eſt: Petra autem erat Chriſtus; vbi vetuſtate contrita renouetur iuuentus tua ſicut aquilæ; vt poſſis comedere panem tuum illum*, qui ait: *Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi.* Propterea vbi Euchariſtia dicitur *Frumentum Electorum*, iuxta Septuaginta legitur: *Frumentum iuuenum*, eorum ſcilicet, qui iuxta Apoſtolum *expoliantes ſe veterem hominem cum actibus ſuis induunt nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate veritatis.* Veritatis ſanctitas, eſt ſanctitas non ficta, & fucata, ſed vera. Vera autem ſanctitas ex Areopagita, & Anſelmo, eſt *ab omni inquinatione libera, & incontaminatiſſima, & perfectiſſima puritas*, qualis puriſſimum Chriſti corpus ſumenti conuenit.

Aquila quomodo iuueneſcat: hæc à nobis fideli Euchariſtiã ſumpturo eſt imitanda.
Pſal. 101.
1 ad Cor. 10.
Ioan. 6.
Euchariſtia cur iuuenũ frumentum dicitur.
Ad Coloſſ. c. 3. 9.
Ad Epheſ. c. 4. 24.

228. Si quis autem ad Euchariſtiam ritè accipiendam parare ſe cupiens, quis ſit vetus expoliandus homo, quis nouus induendus, ſcire velit, audiat Bernardum ſer. 30. inter paruos:

Vetus, & nouus homo quomodo differant.

A *Duo homines sunt, vetus, & nouus; Adam vetus, & Christus nouus; ille terrenus, iste cœlestis; illius imago vetustas, istius imago nouitas. Est autem triplex vetustas, & è contrario triplex nouitas; est enim vetustas in corde, in ore, in corpore. In quibus, tribus modis peccamus; cogitatione, locutione, & opere. In corde sunt carnalia desideria, & secularia; id est amor carnis, & amor seculi. Similiter in ore est gemina vetustas, arrogantia, & derogatio. Item gemina in corpore, flagitia, & facinora, hæc omnia sunt imago veteris hominis; & hæc omnia renouanda sunt in nobis. Renouetur ergo cor à carnalibus desideriis, & secularibus; vt exclusis illis, introducatur amor Dei, & amor patriæ cœlestis.* B *Recedant ab ore arrogantia, & derogatio; & succedant pro iis vera peccatorum confessio, & bona de proximis æstimatio. Pro flagitiis & facinoribus, quæ vetustas est corporis, assumatur continentia, & innocentia; vt scilicet contrariis virtutibus contraria vitia depellantur.*

229. *Cum frumentum Electorum* Eucharistiæ Sacramentum sit, vbi sanctissimum hoc mysticum frumentum reponatur, profectò cœleste horreum esse debet. Quomodo fideles ad sacram Eucharistiam accedentes cœleste horreum, ipsique cœlo similes fiant, bene docet August. in Psal. 21. *Cælum mihi sedes est. Qui sunt Cæli, nisi iusti? In ipsis sedet Deus. Quomodo peccator factus est terra, cui dictum est: Terra es, & in terram ibis;* C *sic iustificati facti sunt cælum. Portauerunt Deum, & de ipsis Deus coruscabat miracula, tonabat terrores, pluebat consolationes. Anima iusti thronus est sapientiæ: id est in anima iusti sedet sapientia, tamquam in sella sua, tamquam in throno suo.* Idem August. in Psalm. 96. ait: *Tu si vis, cælum eris: Si vis esse cælum, purga de corde tuo terram: Si terrenas concupiscentias non abstuleris; & non frustra responderis sursum te habere cor, cælum eris: Conuersatio enim tua in cælis erit.* Idem August. l. 2. de ser. Domini in monte cap. 10. ait: *Pater noster, qui es in cælis,* id est in cordibus *iustorum tamquam in templo sancto suo.* Hoc vtique in templo Eucharistiæ Sacramentum bene reconditur. D *Vbi est Christus in Eucharistia, ibi etiam non deest Angelorum frequentia. Vbi autem est talis Rex, & talis Princeps, ibi est cœleste palatium; immo ipsum cælum,* ait Chrysost. hom. 36. in primam ad Cor.

Act. 7. 49. Isaiæ 66. Gen. 3. Iustus cœlum est.

Eucharistiã dignè sumens Christi Regia fit.

230. Dicitur præterea Eucharistia *Vinum germinans virgines. Vinum recens germinans virgines,* legitur ex Hebræo. Recens autem vinum dicitur, quia quotidiano sacrificio quoties consecratur, toties veluti denuò exprimitur. Dicitur etiam recens, quia eius memoria nunquam in nostro corde veterascere debet. Dicitur *Vinum germinans virgines;* quia sicut in naturali vino iuxta Apostolum *est luxuria;* ita sanctissimæ Eucharistiæ E proprium est fœdos impudicitiæ stimulos cohibere, & puritatis amorem in animum ingerere. Dicitur germinare virgines; quia qualis radix est, tale est germen, tales & Flores. Lilii suo cum bulbo scapum tingi; vt inde lilia alioquin candida, purpurea nascantur, docet Plinius. *Ego flos campi, & lilium conuallium,* de se mysticè Christus Dominus ait Cant. 2. Ex hoc candidissimo lilio, cuius radix nullam vnquam maculam subiit, candidissima alia lilia, nempe purissima plurium virginum germina pullulant. De lilio idem Plinius ait: *Nihil est fœcundius, vna radice quinquagenos sæpe emittente bulbos.* Christum Dominum mysticum lilium non quinquagenos liliorum bulbos, sed centum

Eucharistia cur vinum recens dicitur.

Ad Ephes. c. 5. 18.

Eucharistia quomodo virgines germinet. *Plinius lib. 21. c. 5.* Lilii radix qualem colorẽ habet, talem etiam radicis germina.

quadraginta quatuor millia virginum emisisse vidit Ioannes Apocal. 14. *Et vidi, & ecce Agnus stabat supra montem Sion; & cum eo centum quadraginta quatuor millia: Et cantabant canticum nouum. Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt. Bacchus amat colles,* de vitibus, vinoque inde exprimendo dicitur. Dei Agnus, qui de se ait: *Ego sum vitis vera;* cuius sanguis in Eucharistia mysticum vinum est, excelsum cœlestis Ierosolymæ montem amat: Propterea supra montem Sion stare dicitur. Si è terra odoro puluere permista, herbarum, florumque germina nascantur, odorifera valde sunt: *Vinum germinans virgines: Vinum odoratum ad Virgines,* legunt Septuaginta: Ex hoc odorato vino germinantes virgines dicere bene possunt. *Deus odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco; quia Christi bonus odor sumus.*

Plinius ibidem. Lilio nihil fœcundius: ex vna eius radice quinquaginta germina prodeunt. *Virginibus. Ioan. 15.*

231. Isaiæ cap. 7. 15. vbi dicitur: *Butyrum, & mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum;* docet Tostatus *esum mellis, & butyri solere homines facere valde acutos, & intelligentes.* Christus qui primus Eucharistiã sumpsit, & ad eã suos conuiuas inuitauit, de Eucharistia mysticè ait Canti. 5. *Comedi fauum cum melle meo; bibi vinũ meum cum lacte meo. Comedite amici & inebriamini.* Ex hoc lacte, ex hoc melle, ex hoc vino, multò magis, quàm ex naturali butyro, & melle fideles animæ supernaturali lumine valde intelligentes, & acutæ redduntur; vt lasciuiæ malum reprobare, & pudicitiæ bonum eligere sciant: ideoque Eucharistia *vinum germinans virgines* verissimè dicitur.

Butyri, & mellis esus mentis acuitiem parit.

232. *Vinum germinans virgines, vinum cantare faciens virgines,* legit Pagninus. Propterea de virginibus cœlestem Agnum sequentibus dicitur: *Cantabant quasi canticum nouum: & nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia. Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati; virgines enim sunt: hi sequuntur agnum quocumque ierit.* Propterea fideles monet Apostolus: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria; sed implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in Psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes, & psallentes in cordibus vestris, Domino gratias agentes;* scilicet per Eucharistiam, quæ gratiarum actio interpretatur. Porrò virgines Dei Agnum sequentes canticum nouum cantabant; quia canticum hoc, ante Christi aduentum, cum virginitas non colebatur, nemini cantare datum est. *Singulariter canticum Agni cantare, est cum eo in perpetuum præ cunctis fidelibus, etiam de incorruptione carnis gaudere. Quod electi cæteri canticum audire possunt, licet dicere nequeant. Quia per charitatem quidem in illorum celsitudine læti sunt; quamuis ad eorum præmium non assurgant,* ait Gregorius. Augustinus de virginitate c. 29. virginibus ait: *Videbit vos cætera multitudo fidelium, quæ Agnum ad hoc sequi non potest; videbit nec inuidebit: Et collætando vobis, quod in se non habuit, habebit in vobis. Nam & illud canticum nouum proprium vestrum dicere non poterit, audire autem poterit, & delectari vestro tam excellenti bono.* Singularis hæc Virginum prærogatiua est, vt ab ipsis electorum felicitas, & oblectatio maior proueniat. *Sequuntur Agnum quocumque ierit. Quò putamus hunc agnum ire?* ait idem Augustinus: *In quos saltus, & prata? Vbi credo sunt gramina gaudia; non gaudia sæculi huius vana, insaniæ mendaces; nec gaudia, qualia in ipso regno*

Eucharistię Sacramentum piè, suauiterque cauendi artem docet. *Apoc. 14. Ad Eph. 5. 18*

Canticum nouum virginum proprium. *Gregor. 3. p. Pastoralis: admonitione 79.*

August. de Virgin. c. 27. Virginum specialis in cœlo prærogatiua.

Dei cæteris non virginibus erant; sed à cæterorum omnium gaudiorum sorte distincta. Nam sunt alijs alia, sed nulli talia.

233. *Vinum germinans virgines: Vinum florere faciens virgines*, alii legunt. De se Christus Dominus ait Eccli. 24. 23. *Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris; & flores mei fructus honoris, & honestatis.* Cum Christus Dominus in Eucharistia suum sanguinem tradit, velut mystica vitis cœlestis odoris suauitatem fructificat; cumque huius vitis vinum florere faciat virgines, *eius flores fructus honoris, et honestatis sunt.*

234. In Empyreo ex supernaturalibus quid præstantius est beatifica electorum visione? Quid nobilius hypostatica sanctissimæ Christi humanitatis cum diuino Verbo vnione? Inter beatificas autem visiones, Christi beatifica visio aliis longè perfectior; Cum Christum in Eucharistiæ Sacramento sumimus, intra nos hypostaticam Christi vnionem, eiusque beatificam visionem vnà cum ipso Christo intra nos habere cogitemus. Bene ergo nobis Christi corpori, & sanguini communicantibus; vt tam eximii beneficii præstantiam attenta consideratione meditemur, Zacharias dicat: *Quid bonum eius est*, nempe Empyrei; *et quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?*

(Eucharistiã sumens hypostaticam Christi vnionem, eiusque, qua Deum videt, beatificam visionẽ intra se habere meditetur.)

235. Cum Serapion Abbas vnà cum pluribus Ægypti monachis ex inscitia Deum non purum spiritum, sed humanæ figuræ compositione formatum crederet, male intelligens Dei creatoris verba, *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram*; tandem eruditi diaconi Photini verbis conuictus ab errore resiluit. Nihilominus vt refert Cassianus coll. 10. c. 2. *Ita est in oratione senex mente confusus, eo quòd illam imaginem Deitatis, quam proponere sibi in oratione consueuerat, abolere de suo corde sentiret; vt in amarissimos fletus, crebrosque singultus repente prorumpens, in terraque prostratus cum eiulatu validissimo proclamaret: Heu me miserum, tulerunt à me Dominum meum; et quem nunc teneam, non habeo; et quem adorem, aut interpellem iam nescio.* Ne humana imbecillitas in has querelas erumpat, in sanctissimo Eucharistiæ sacramento corporales visibiles species habemus, quò imaginatiuam potentiam figere possumus; ibique Deum latentem adorare. Cumque à fideli anima quæritur: *Vbi est Deus tuus?* Eucharistiam indicare fideliter potest; ibique Deum suum esse certissimè affirmare. Ideoque Ecclesiæ sanctæ verbis Deum precari possumus: *Vt quæ visibilibus mysteriis sumenda percipimus, inuisibili consequamur effectu.* Quòd autem ibi Dominus lateat, nos ab eius suauissimo colloquio remouere non debet. Nã fidelis anima de cœlesti sponso sub Eucharistiæ sacramento latente iuxta sacros interpretes ait: *En ipse stat post parietẽ nostrũ, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos*: Per fenestras scil. ligneis regulis reticulatas. In Eucharistia enim sub sacramentalibus speciebus, veluti sub fenestralibus cancellis Dominus latet. Sicut autem latens sub ligneis fenestræ cancellis videt, & non videtur: ita etiam Dominus in Eucharistia latens, nos, quamuis non videatur, videt. Quod autem tali modo in Eucharistia Dominus lateat, non propterea eum amanter alloqui, nostrasque ei preces offerre non possumus. Ideo subdit ibi Sponsa: *En dilectus meus loquitur mihi. Nec enim corporeæ visionis, qua carebat, tardabatur obiectu, quominus in eum aciem mentis intenderet*, cum sancto Leone dicere possumus.

(Gen 1. 26. — Serapionis querelis corporalem Dei præsentiam expetentis Eucharistia satisfacit. — Ps. 41. 4. & 12. Ps. 78. 10. Ps. 113. 2. — In Missa Ascensionis. — Eucharistię in sacramẽto quòd Dominus lateat, nos à familiari cũ eo colloquio remouere non debet. — Cant. 2. 9. — S. Leo ser. 2. de ascensione.)

236. *Panis absconditus suauior* dicitur Prouerb. c. 9. 17. Verè mysticus Eucharistiæ panis, quòd absconditus nobis sit, suauior est; cum fidei meritum augeat. *Auidius requiritur quod latet; & pretiosius est, quod cum fide quæritur*, ait S. Paschasius. *Quod redemptoris nostri conspicuum fuit, in Sacramenta transiuit; vt fides excellentior esset, & firmior*: ait S. Leo. *Verè tu es Deus absconditus, Deus Israel Saluator*, Dei filio in Eucharistia latenti mysticè dicitur Isa. 45. 15. Vbi particula illa, VERE, non solùm ad absconditum, sed ad Deum referri potest; ita vt sensus sit: Quamuis absconditus sub panis, vinique speciebus sis, verè tamen es Deus; talemque te esse ex mentis nostræ illuminatione, ex sancto charitatis ardore, ex cœlestium gratiarum vbertate inde largissimè prouenięte cognoscimus. Ita vt experimento dicere possimus: *Ibi abscondita est fortitudo eius.* Inde enim efficacissimos amoris stimulos; inde robur ad infernos hostes debellandos, inde vim ad cœlum violenter rapiendum prodire fidelis anima experitur. Propterea iuxta Rupertum, Bedam, & alios Apoc. cap. 2. 17. de Eucharistia sub mannæ nomine mysticè significata à Deo dicitur: *Vincenti dabo manna absconditum.* Eucharistia enim ad vincendos infernos hostes prius robur exhibet: deinde tamquam æternæ beatitudinis pignus est ipsis vincentibus præmium.

(Eucharistia tamquam panis absconditus suauior. — Paschasius de corpore, & sanguine Christi c. 13. — S. Leo supra — Habacuc. c. 3. 4. — Eucharistia manna absconditũ.)

237. De Eucharistia præcipuè dicitur Psalm. 30. 20. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te!* Vbi bene Augustinus ait: *Hic homo impius si dicat: Vbi est ista multitudo dulcedinis? Respondebo: Quomodo tibi ostendam multitudinem huius dulcedinis, qui palatum de febre iniquitatis perdidisti? Mel si non nosses quàm bene saperet, non amares, nisi gustasses. Palatum cordis non habes ad hæc bona gustanda; quid tibi faciam? quomodo ostendam? Non est cui dicam: Gustate, & videte quoniam suauis est Dominus.* Quam verè Augustinus pronunciauit *iniquitatis febre laborantem palatũ perdere. Febris auaritia est*, ait Ambrosius. Hac febri Iudas vehementer laborans spiritualem gustum amisit; ideoque Eucharisticam dulcedinẽ sentire non potuit; sed *in felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis* miserrimè perstitit.

(Eucharistię dulcedinem qui gustẽt, quique non sentiant: hic, & sequentibus. — Ps. 33. 9. — Eucharistię dulcedinẽ iniquitatis febris sentire prohibet. — Ambros. lib. 4. in Lucam c. 4. — Act. c. 8. 23.)

238. Subditur citato Psal. 30. de Eucharistiæ dulcedine: *Perfecisti eis, qui sperant in te.* Spiritualem enim Eucharistiæ suauitatem iis Deus perficit, perfectamque, & vberem exhibet, qui non sperant *in incerto diuitiarum*; sed in Christo Iesu; in quo abscondito *sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei absconditi.* Subditur deinde à Dauide: *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ.* Vbi Augustinus ait: *Qualis est locus iste? Non dixit: Abscondes eos in Cœlo tuo: Non dixit: Abscondes eos in Paradiso; Non dixit: Abscondes eos in sinu Abrahæ. Vilescat totum quidquid præter Deum est. Purgate cor. Esto domus eius, & erit domus tua; habitet in te, & tu habitabis in eo.* Augustini monitum si seruemus, *vita nostra abscondita erit cum Christo in Deo*, vt Apostolus ait ad Coloss. 3. 3.

(Ad Timoth. 1. c. 6. — Ad Coloss. c. 2.)

239. *Vbi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum*, Dominus ait Matth. 6. Christus Dominus in Eucharistia thesaurus noster absconditus est; ibi ergo cor nostrum sit. Absconditum in agro thesaurum *qui inuenit*, si sapit *vadit, & vendit vniuersa quæ habet, & emit agrum illum.* Mysticus ager Eucharistia est, vbi *frumentum electorum, &*

(Eucharistia thesaurus absc̃õditus. — Matth. c. 13)

vinum germinans virgines nascitur; vbi noster thesaurus absconditus est. Vt hic ager, thesaurusque acquiratur, impensæ nullæ parcamus. *Quia cælestes diuitiæ nonnisi damno seculi possidentur; qui inuenit, contemnere secularia debet*, ait Hilarius in Matth. c. 13.

240. De Iudæis egestate, & fame laborantibus dicitur à Ieremia Thr. 1. *Omnis populus eius gemens, & quærens panē: dederunt pretiosa quæque pro cibo ad refocillandam animam:* Multò magis in Euangelica lege fidelis cœlestem Eucharistiæ panem appetens pretiosa omnia, quæ mundus, & diabolus offerre potest, contemnere debet ad spiritualiter animam refocillandam. Quæ mundus, & diabolus offert, cor humanum explere nequeunt: ideo c. 55. exclamat Isaias: *Quare appenditis argentum non in panibus; & laborem vestrum non in saturitate?* Ideo Plato lib. 6. de Rep. quamuis caliginoso lumine ductus ait: *Qui bene natus est, non hærebit in his bonis, quæ vulgus admiratur, quæ verè non satiant: sed perget vlterius ire; sed mistus vero enti, idest complexus animo verum ens, hoc est Deum, vere viuet, vere nutrietur, verè saturabitur.* Profectò, *qui bene natus est*, nempe fidelis per baptismum, & gratiam natus, *vere viuet, verè nutrietur, vere saturabitur*; si vero enti misceatur complexus animo verum ens, nempe Deum. Quod in Eucharistia fit; vbi Dominus *semetipsum nobis immiscuit, & corpus suum in nos contemperauit; vt vnum quid simus*, iuxta Chrysost. hom. 6. ad populum: *Concorpores, & consanguinei Christi facti*, vt Cyrillus Ierosolym. ait catech. Mystagog. 4.

Tēporalia bona animam non satiant.
Plato lib. 6. de Repub.

241. Gen. 3. post vetiti pomi comestionem, *Abscondit se Adam, & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni Paradisi*; medias scilicet inter Paradisi arbores. Tunc ne à Cœlesti Iudice condemnarentur, se primi parentes reos absconderunt. Sed in Eucharistiæ Sacramento se cœlestis Iudex abscondit, ne reos nos damnaret; sed pœnitentes potius sine tanti Iudicis timore ad se alliceret. Si medias inter Paradisi arbores, præcipuè arboris vitæ obiectu, quæ *erat in medio Paradisi*, se primi parentes absconderunt; Christus cœlestis Iudex similiter in Eucharistiæ sacramento abscondit; quod lignum vitæ iuxta Irenæum l. 5. c. 2. præfigurabat. Primorum parentum absconsio fuit ex noxia vetiti pomi comestione; Christi Domini in Eucharistia absconsio est, vt nos ad salutarem sui comestionem inuitet.

Eucharistiæ in sacramēto Christi absconditi, & Adami in medio ligni Paradisi absconditi discrimen.
Gen. 2.
Eucharistię figura lignū vitæ.

242. De Christo Domino in passione dicitur Isa. 53. 3 *Quasi absconditus vultus eius*; absconditus scilicet sub sputis, sub liuidis percussionum signis, sub sanguine vndique ex spinea corona defluente. In passione absconditus est Christi vultus ad nostram redemptionem: in Eucharistia idem Christi vultus ad nostram refectionem absconditur, vt sit idem Redemptor, pastor, & pabulum. Caueamus tamen ne indignè Eucharistiam sumentibus sancti Iobi verbis nobis dicatur: *Ipse vos arguet, quoniam in abscondito faciem eius accipitis*; cum tali cœlesti cibo indigni sitis. Causas ex quibus velatum datur Eucharistiæ Sacramentum affert sanctus Th. opusc. de Sacramento altaris c. 7. & 8.

Eucharistię in sacramēto, & in passione diuersimodè Christus abscōditus.
Iob c. 13. 10.
Eucharistię in sacramēto cur Christus abscondere se voluerit: hic & sequenti.

243. Olim peccatori in supplicium comminatus est Deus: *Saturabo de te bestias vniuersæ terræ; & dabo carnes tuas super montes. Solem nube tegam.* At in Euangelica gratiæ lege ex Deo vltionum misericors Deus, non bestiis terræ humanas carnes in cibum daturum se ait; sed ipsam sanctissimi filii sui carnem in comestionem homini offert: Additque etiam *Solem nube tegam*: non quòd, vt olim, materialis sol caliginosa nube tegendus esset; sed quòd Christus iustitiæ sol sub sacramentalibus speciebus, veluti sub nube tegendus foret; vt ibi vehementiores iustitiæ radios ad misericordiam temperaret.

Ezech 32.
Eucharistię in sacramēto Deus vltionum antea, se Deum misericordiarū ostendit.
Hieron in Matth. c. 6.
Cyrillus catech. 5. Mystagogi.

A

244. A materiali sole, cum eius calore frumenti seges maturescit, panem expectamus. A Christo Domino diuino sole sacramentalem Eucharistiæ panem exposcimus. Propterea iuxta SS. Hieronymum, Cyrillum, Ambrosium, & alios plures, ad Eucharisticum panem postulandum in oratione Dominica à Christo Domino dicere docemur: *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie* Primò supersubstantialis dicitur, eo quòd *super omnes substantias sit, atque omnes creaturas sublimitas magnificentiæ eius, & sanctificationis excedat*, ait Cassianus 2. Dicimus panem nostrum, quia nobis non Angelis ad manducandum talis cibus est datus. Hebræorum quidem manna Angelorum panis fuit, vt dicitur Psal. 77. 24. *Panem Angelorum manducauit homo*, Angelorum scilicet opera factum. Sed Eucharisticus panis noster est panis: hominibus enim, nempe sacerdotibus rite consecrantibus illum conficiendi potestas datur; hominibusque tantùm in cibum conceditur. Angeli autem illum tantùm prospicere, & venerari queunt. Propterea de beatis illis spiritibus expectantibus sacerdotem, qui Christum in Sacramento præsentem exhibeat, dicitur: *In quem desiderant Angeli prospicere*; vt iuxta S. Marci Liturgiam Turrianus, & alii docent. 3. Idē supersubstantialis panis apud S. Lucam *panis quotidianus*, dicitur. Ideo Ambrosius ait: *Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis? Sic viue, vt quotidie merearis accipere.* Mendicus quotidie panem petit; nos similiter quotidie Eucharistiæ panem petere, vel saltem appetere debemus. Hinc August. ait: *Quid à te petit mendicus? panem: Et tu quid petis à Deo, nisi Christum, qui dixit: Ego sum panis viuus, qui de Cœlo descendi.* Hunc panem, Deo dicamus, *da nobis hodie. Hodie ad præsentem vitam potest intelligi; idest dum in hoc seculo commoramur, præsta nobis hunc panem. Nouimus enim eum his, qui meruerint, à te & in futuro esse præstandum: Sed rogamus vt eam nobis hodie largiaris: quia nisi eum percipere quis in hac vita meruerit, in illa eius particeps esse non poterit*, ait Cassianus.

Eucharistia cur panis supersubstantialis dicitur.
Ambros. lib. 5. de sacrā. c. 4.
Matth. 6. 11.

B

Cassianus collat. 9 c. 21.
Eucharistia cur speciali titulo panis noster dicitur.

C

Turrianus trac. 2. de Euchar. c. 16. 17. & 18.
Ep. 1. Petri c. 1. 12.
Eucharistia cur quotidianus panis dicitur.
Lucae. 11.
Ambr. in Lucam.
August. serm. 15 de verbis Domini secundum Matthaeum
Ioan. 6.
Cassianus supra.

D

245. Eumdem, qui supersubstantialis, & quotidianus panis dicitur, *panem crastinum* in Hebræo Euangelio Nazaræorum dici docet S. Hieronymus. Dicitur autem crastinus; non quòd quotidianus non sit; sed quia fideles ad Eucharistiam crastino die sumendam, antecedente die parare se debent, vt debita pietate, animique bene purgati dispositione, & qua decet veneratione, tam eximio cibo vescantur. Quod sane fit si pœnitentiæ lacrymis commissa crimina defleantur. Ideo Psal. 79. 6. de Eucharistico pane mysticè dicitur: *Cibabis nos pane lacrymarum:* Pane scilicet, quem pœnitentiæ lacrymis sumere mereamur. Nam cœlestes oris, cordisque deliciæ piis oculorum lacrymis, quas Deus vt gemmas æstimat, sunt emendæ. Iuxta Hieronymum Prouerb. 20. 13. de Eucharistico pane mysticè dicitur. *Aperi oculos tuos, & saturare panibus.* Cum in Eucharistia Dominus sub sacramentalibus speciebus oculis corporeis abscondatur; si quæras cur oculos aperiendos esse præcipitur? Respondetur prius in patientiæ lacrymas oculos esse

Eucharistia cur panis crastinus dicitur.

E

Eucharistię cibum, cœlestesque delicias lacrymis, velut gemmis emere debemus.
Hieron. in Isaiam c. 65
Eucharistiā sumens cur oculos aperire iubetur.

eſſe aperiendos; vt poſtea diuinam gratiam eſuriens anima, cœleſti pane vberrimè ſatietur.

Euchariſtia cur ſimul panis quotidianus, & craſtinus dicitur, hîc, & n. ſequenti.

246. Dicitur 2. Idem Euchariſticus panis quotidianus, & craſtinus; quia ita quotidie ſumi debet, vt in craſtinum eumdem ſumendi ardens deſiderium ſit; cum anima tam eximia ex eo dona, & gaudia percipere experiatur. Quare præ ardenti cœleſtem hunc panem ſumendi deſiderio, *vnus ſit nobis dolor hac eſca priuari. Igitur accedat nemo cum nauſea*, ait Chryſoſt. Caueamus ne ingratis Hebræis ſimiles nos reddamus. Illi enim de materiali manna Euchariſtiam præfigurante dixerunt: *Anima noſtra iam nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo*. Celebris eſt Hyppocratis aphoriſmus: *Omnis repletio mala: panis autem peſſima*. Vbi melius ex Græco textu legitur: *Omnis nauſeatio mala, panis autem peſſima*. Panis enim cibum faſtidire maximi morbi indicium eſt. Quod de materiali pane dicitur, multò magis de Euchariſtico pane dicendum eſt; illius enim faſtidium & nauſea ſpirituales animæ languores, & morbos peſſimos indicat. Iure abhorrebant Ægyptii à fœtidis ipſorum Diis manducandis.

Chryſoſt. hom. 58. in Matth. Numer. c. 21. 5.

Euchariſtici panis nauſeatio peſſima.

Ægyptiorũ porrum, & cepe fœtida numina. *Iuuenalis Satyra 15.*

Porrum, & cepe nefas violare, ac frangere morſu.
O ſanctas gentes, quibus hæc naſcuntur in hortis
Numina,

irridens Iuuenalis ait: At Chriſtum Dominum, Deumque noſtrum in Virginis concluſo horto, animatoque Paradiſo natum ad ſpiritualem animæ refectionem ſacramentaliter in cibum ſumere iure optimo ſemper eſt appetendum.

247. Dicitur 3. cœleſtis hic panis quotidianus & craſtinus; quotidianus ſcilicet in præſenti vita, craſtinus in futura. De futura enim beata vita Dominus ait: *Ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum; vt edatis, & bibatis ſuper menſam meam in regno meo. Beatus qui manducat panem in regno Dei. Quis eſt panis de regno Dei; niſi qui dicit: Ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendi?* ait Auguſtinus. Similiter de æterna Electorum felicitate dicitur Apoc. 19. 9. *Beati, qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati ſunt. Prandium eſt gratia Eccleſiæ; ſed cœna eſt gloria cœleſtis patriæ* ait Hugo Card. Quare, quòd idem cœleſtis cibus ſit hodiernus, & craſtinus, in hac ſcilicet, & in altera vita, Chriſtus Dominus iuxta Chryſoſtomum ait: *Qui vobis hic me ipſum tradidi, multò magis id in futuro faciam*. Qui conueſcens ſe nobis in eſcam dedit, *ſe regnans dat in præmium*, vt Eccleſia canit.

Lucæ 22. 29. Lucæ 14. 15.

Auguſt. ſer. 33. de verbis Domini. Ioan. 6.

Euchariſtia in mensa in vita pabulũ, in immortali præmium. *Chryſoſt. hom. 6. ad populum.*

248. SS. Chryſoſtomus, & Auguſtinus myſticè de Euchariſtia intelligunt Salomonis ſententiam Prouer. 23. *Quando ſederis, vt comedas cum Principe, diligenter attende, quæ apposita ſunt ante faciẽ tuam: & ſtatue cultrum in gutture tuo: ſi tamen habes in poteſtate animam tuam*. Ad Euchariſtiæ autem panem ſignificandum fauet alia lectio: *Quãdo ſederis, vt comedas panem*. Addunt Septuaginta: *Iniice manũ tuam, ſciens quod oporteat te talia preparare*. Hanc Salomonis ſententiam explicãs Aug. ait: *Quæ menſa eſt Potentis, niſi vnde comeditur corpus, & potatur ſanguis eius; qui animam ſuã poſuit pro nobis? Quid eſt ad eam ſedere, niſi humiliter accedere? Quid eſt conſiderare, & intelligere quæ apponuntur tibi; niſi dignè tantam gratiã cogitare? Quid eſt ſic mittere manum, vt ſcias, quia talia te oporteat præparare; niſi, quia, ſicut pro nobis Chriſtus animam poſuit, ſic & nos debemus animam pro fratribus ponere?* Non ſolùm autem pro fratribus aliis; ſed præcipue pro Chriſto, qui iuxta Chryſoſtomum ait: *Volui frater veſter fieri; carni propter vos, & ſanguini communicaui; vobis viciſſim ipſam carnem, & ſanguinem, per quæ cognatus veſter factus ſum, trado.*

Auguſt. tractatu 84. in Ioannem.

Euchariſtiç beneficio quomodo gratia referenda. *Ioan. Epiſt. 1. c. 3. 16.*

Chryſoſt. hom. 6. ad populum.

249. *Quando ſederis, vt comedas cum Principe.* Affert circa hæc verba dubitationem Salazar dicens: *Quomodo quis in Euchariſtiæ eſu cum Principe comedere dicendus ſit? Nam comedere cum aliquo, eſt ita apud ipſum epulari; vt ipſe etiam, qui inuitauit, ex ipſa menſa epuletur.* Reſpondet cum S. Thoma opuſc. de Sacramento Altaris c. 20. In Euchariſtiæ conuiuio intercedere manducationẽ, & remanducationẽ; nam qui dignè Euchariſtiam in cibum ſumit, viciſſim ſpiritualiter à Domino remanducatur. *Et huius ratio eſt, quia dum corpus Domini dignè à fidelibus manducatur; non ipſum corpus, vt alij cibi, in manducantem conuertitur; ſed è conuerſo illud vere manducans, in illud ſpiritualiter mutatur. Nam manducantem ſe Dominus ſui corporis membrum facit.*

Euchariſtiã ſumens fit Chriſti cibus.

250. Reſponderi poteſt ſecundò in Euchariſtiç conuiuio Chriſtum Principem ſuum etiam cibũ habere, illum nempe cibum, de quo ipſe Dominus dixit Ioan. 4. 34. *Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius qui miſit me, vt perficiam opus eius.* Hominum ſalutem hoc in loco ſuũ Chriſtus cibum appellat. Hunc cibum in Euchariſtiæ menſa Dominus habet; cum inde hominum ſalus maximè proueniat, teſtante Domino: *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum: Et panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.* Porrò ſicut Petro Chriſtus Dominus dixit: *Paſce oues meas*; ita ipſi Chriſto, *Paſce oues meas* æternus Pater etiam dixit. Propterea Chriſtus Dominus, vt Patris mandatum exequeretur, ita fuit *bonus Paſtor, vt in Sacramento noſtro, corpus ſuum & ſanguinem verteret, & oues quas redemerat carnis ſuæ alimento ſatiaret*, ait Gregorius hom. 14. in Euang.

Euchariſtia in menſa quem cibũ ipſe Dominus habeat.

Ioan. c. 6. 52.

Ioannis. c. 21. 17.

251. Reſpondetur tertiò, Principis nomine ſacerdotem intelligi. De Apoſtolis enim, iiſque ſuccedentibus ſacerdotibus dicitur Pſalmo 44. *Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram; memores erunt nominis tui, Domine*; memores ſcilicet in Euchariſtiæ ſacrificio, cum eis dictum ſit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Dicitur ergo: *Quando ſederis, vt comedas cum Principe*, nempe cum Sacerdote Miſſam celebrante, & in ea Euchariſtiam ſumente, *diligenter attende, quæ apposita ſunt ante faciem tuam*; quàm eximia ſint, quàm pretioſa, nempe Chriſti corpus, & ſanguis. *Sapienter intellige, quæ apponuntur tibi*, legunt Septuaginta. Hoc eſt, ne ſecundum externam ſpeciem, oculorumque viſum, quæ apponuntur ante faciem tuam videas; ſed profundè & ſapienter intellige quæ ſub externis ſpeciebus latent.

Sacerdos nomine Principis ſignificatur.

Epiſt. 1. ad Corinth. 11.

252. *Statue cultrum in gutture tuo.* Dionyſius tyrannus ſupra Damoclis caput regiæ menſæ aſſidentis, gladium ſeta equina pẽdente poni iuſſit; vt inde terreretur, quaſi ſibi mortem imminere cognoſceret. Similiter, qui ad Euchariſtiam accedit, minacem ſuo gutturi gladium imminere cogitet; lethalemque fore ſacram menſam intelligat; ſi ad eam indignè accedere præſumat.

Euchariſtiç ad menſam accedens quid cogitare ſecum debet. *Cicero 5. Tuſculan.*

253. 2. Ad terreſtrem Paradiſum cuſtodiendũ, ne inde vitæ ligni fructus extraheretur, Angelos, igneumque gladiũ Deus collocauit. Gen. 3. *Eiecit Adam; & collocauit ante Paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque verſatilẽ ad cuſtodiendam viam ligni vitæ.* Euchariſtiam dignè ſumens, cum Chriſtum intra ſe accipit, Paradiſus redditur. Ideo pio latroni, quamuis non ſta-

Euchariſtiã dignè ſumens veluti Paradiſus redditur, ſeque vt Paradiſum diligenter cuſtodire debet.

tim in cœleste regnum ascensuro Dominus dixit: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Quia, vt ibi ait Ambrosius; *Vbi Christus, ibi regnum*; adeoque ibi Paradisus. Ritè ergo communicans cum Adamum, hoc est veterem hominem procul eiecerit; ad seipsum tamquam Paradisum custodiendum, gladium gutturi suo admouere debet; ne in illud crapula ingrediatur; ne in eo mendaces, lasciuæ, maledicæ, & iracundæ voces vnquam formentur: Ne inde arboris vitæ fructus, hoc est sacræ Eucharistiæ fructus extrahatur; sed in eo potius semper in posterum augeatur. *Arbor ligni vitæ Christus nunc in Ecclesia est, cuius imago in Paradiso arbor illa fuit*, ait S. Paschasius supra c. 7.

Lucæ 23. Christum arbor vitæ præfigurauit.

254. Tertiò *Statue cultrum in gutture tuo*: Ex Hebræo legitur: *Statue spinas in gutture tuo.* Qui enim Eucharistiam sumit, Dominicæ passionis, Dominique spinis coronati memoriam recolere debet. Cur autem spineæ Domini coronæ præcipue memoria est recolenda? Quia scilicet in Eucharistia Dominus frumentum illud est quod ad humanam redemptionem *cecidit inter spinas*, vt Lucæ 8. dicitur. Præterea, quia in Eucharistia vinum illud sumitur, de quo dicitur Psalmo 59. 5. *Potasti nos vino compunctionis*; quo scilicet ad resipiscendum internæ compunctionis gratia perfundimur, vt explicat Berengarius. Ideo, ad salutarem hanc compunctionem indicandam sumenti Eucharistiam dicitur: *Statue spinas in gutture tuo*; hoc est te ad contritionem compunge. *Potasti nos vino stimulationis*, legit Augustinus. Nos enim stimulis, & veluti calcaribus Eucharistia configere debet, ad viam salutis alacriter, velociterque percurrendam.

Eucharistiā sumens Christi passionis, præcipue spineæ coronæ memoriam recolere debet. Eucharistia cur vinum compunctionis dicitur. *Berengarius ser. 2. de Martyr.*

255. *Inijce manum tuam sciens, quòd oporteat te talia præparare. Quia sicut pro nobis Christus animam posuit; sic & nos debemus animam pro fratribus ponere. Hoc beati martyres ardenti dilectione fecerunt*, vt Augustinus supra citatus ait. Animam autem ponere pro fratribus, & præcipue pro Christo *in multis fratribus primogenito*, non solùm martyrium carnificis manu subire significat; quod quidem non omnibus datur; sed iuxta multiplicem alium significatum animam poni debere est intelligendum. Anima sæpe pro animæ cogitationibus, affectibus, ac desideriis ponitur. Sic Genes. 34. dicitur. *Filij mei anima adhæsit filiæ vestræ.* & Act. 4. dicitur *Credentium erat cor vnum, & anima vna.* Vt Christo, qui pro nobis in cruce immolatus, & in Eucharistiæ Sacrificio immolatur quotidie, debitas gratias rependamus, prauas cogitationes, & animæ affectus diuinæ voluntati obsistentes, & contra proximum insurgentes mortificationis gladio statim immolare debemus; ita vt verè cum Dauide dicere possimus: *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ; vt disperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem. Oriente in nobis sole iustitiæ, qui habitaculum Domini sumus*; cum eum in Eucharistia sumimus; *omnis cogitatio iniqua (enecatur)*, iuxta Ambrosium ser. 3. in Psal. 21. Idem in Psal. 118. ser. 16. ait: *Quomodo vnus omnes interficere poterat peccatores terræ? sed si consideres iustum, cui nox præcessit, dies appropinquauit; potes videre quomodo exoriente tibi sole iustitiæ de luce vigilans interficias fomenta omnia delictorum.* Similiter Hieron. *Orto nobis sole iustitiæ*; cum scilicet sub Sacramentali nube fidei radius nobis illuxit; *Fugantur tenebræ, & statim interficimus omnes cogitationes, quæ ad peccata nos prouocant; & de ciuitate mentis nostræ illos disperdimus peccatores*, de quibus Saluator loquitur: *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ, & reliqua.*

Ad Rom. c. 8. 29.

Anima pro cogitationibus, & affectibus animæ vsurpatur.

Eucharistiā sumens immolare Deo debet prauas animi cogitationes, & affectus hîc, & in sequētibus. *Psal. 100.* *Ad Rom. c. 13. 12.*

Hieronymus in Isa. c. 5.

Matth. c. 15.

256. Psal. 136. iuxta Ambrosium dicitur: *Beatus, qui tenet, & allidit infantes suos ad petram. Quod vtique parricidium esset, si petra ista figuram Christi corporis non haberet*, ait Ambrosius. Proinde peccatrici animæ sub Babylonis nomine significatæ iuxta Ambrosium dicitur: *Beatus qui allidet paruulos tuos ad petram*, hoc est infirmas, & lubricas *cogitationes, irrationabiles motus elidet ad Christum*: Præcipue cum ad nos sacramentaliter venit. Ideo Arnobius ait: *Veni, Domine Iesu Christe, veni inuisibiliter contra inuisibiles; & allide non solùm ipsos bellatores gigantes; sed & paruulos ad petram; ita vt non solùm crimina ingentia; sed etiam paruulum, & quod minus omnibus peccatis esse videtur, etiam hoc mortifices in nobis; dans nobis consilia, vt peccata statim, vbi nata fuerint, allidamus ad petram, & eadem crescere non sinamus.* Cum ergo ex diuinæ legis obseruantia insurgentes prauos animæ affectus cohibemus, & extinguimus; tunc Christo Domino, qui pro nobis animam posuit, ratas vices rependimus; & veluti martyres pro eo animam ponimus. Bene enim Augustinus ser. 150. de tempore ait: *Nemo dicat, fratres carissimi, quod temporibus nostris martyrum certamina esse non possint; habet enim & pax nostra martyres suos. Nam iracundiam mitigare, libidinem fugere, iustitiam custodire, auaritiam contemnere, superbiam humiliare, pars magna martyrij est.* Ad huiusmodi martyria subeunda vnusquisque sui ipsius martyrij minister *statuat cultrum in gutture suo*; scilicet vt contra superbiam humilis abiectionis culter adhibeatur: contra auaritiam liberalitatis culter pauperibus bona diuidens præsto sit: Contra libidinem culter *pertingens vsque ad diuisionem carnis, & spiritus* exacuatur: Contra ignauiam piæ sedulitatis culter veluti stimulus admoueatur; & sic de reliquis prauis animæ passionibus. Et quoniam, vt ait Ambrosius: *laudabilis virginitas martyres facit*; ideo non solùm iuxta aliam lectionem, *statue spinas in gutture tuo*; sed ad corporis, animique puritatem seruandam, si necesse sit, toti corpori spinas admoue, S. Benedicti exemplum secutus, de quo S. Gregorius ait: *Vrticarum, & veprium iuxta densa succrescere frutecta respiciens, exutus indumento nudum se in illis spinarum aculeis, & vrticarum incendijs proiecit: Ibique diu volutatus toto ex eis corpore vulneratus exijt; & per cutis vulnera eduxit è corpore vulnus mentis; quia voluptatem traxit in dolorem; cumque bene pœnaliter foris arderet, extinxit quod intus illicitè ardebat. Vicit itaque peccatum, qui mutauit incendium. Ex quo tempore ita in eo est tentatio voluptatis edormita, vt tale aliquid in se minime sentiret.* Verè tunc Benedictus fuit *lilium inter spinas.*

Babylonis nomine peccatrix anima dicitur. *Ambros. lib. 2. de pœnitentia sub finem.*

Martyr etiā non effuso sanguine quomodo quis esse possit: hîc, & sequentibus.

Ad Hebr. c. 4. 12.

Ambros. l. 1. de Virg.

S. Benedictus quomodo lasciuiā vicerit. *Gregor. lib. 2. c. 2. in vita S. Benedicti.* S. Benedictus fuit lilium inter spinas.

Cantic. c. 2. 2.

257. *In morbum incidisti, & multi adsunt, qui cogunt, alij quidem incantationibus, alij amuletis, alij vero quibusdam alijs superstitionibus sedare malum. Tu vero propter Dei metum forti animo tulisti; & maluisti quiduis pati, quàm sustineres, vt aliquid ageres impium. Hoc tibi affert coronam martyrij*, ait Chrysostomus. Hanc certè martyrii coronam consecutus est S. Casimirus Poloniæ Princeps; qui graui pressus infirmitate mori potiùs, quàm castitatis iacturam ex

Chrysost. hō. 3. in epist. 1. ad Thess. S. Casimiri virginitatis amor.

medicorum conſilio ſubire, conſtanter decreuit, in eius vita legitur.

258. Secundò in incruento Miſſæ ſacrificio Euchariſtia, quæ eſt hoſtia viuens, dicitur *oblatio rationabilis, hoſtia pura, hoſtia ſancta, hoſtia immaculata.* Similẽ ergo hoſtiam cum Euchariſtiam ſumimus, Domino præparare, & exhibere debemus. Propterea nos monet Apoſtolus: *Obſecro vos, fratres, per miſericordiam Dei; vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum.* Vbi dicitur *obſecro vos per miſericordiam Dei,* in Hebræo textu legitur: *Per viſcera miſericordiæ Dei,* hoc eſt per viſceralem Dei miſericordiam; qua ſcilicet Dei filius ex intimis viſceribus prius in paſſione, deinde eumdem in Euchariſtia ſuum nobis ſanguinem propinauit. *Cum hoſtiam dixiſſet,* ait Chryſoſtomus, *ne quis putet, quod præcipiat mactari corpora, ſtatim ſubiunxit,* VIVENTEM. *Et quomodo corpus, inquies, hoſtia fiet? Nihil mali reſpiciat oculus, & factus eſt hoſtia. Nihil turpe loquatur lingua, & facta eſt oblatio. Nihil iniqui committat manus, & facta eſt holocauſtoma. Non ſufficiunt iſta; ſed, vt bona etiam faciamus, opus eſt. Nimirum Eleemoſinam faciat manus; calumnias inferentibus benedicat os, auditus diuinis continuò ſermonibus vacet.* Quoniam verò, vt Poëta cecinit:

Ad Rom. c. 12.

Hoſtia viuens quomodo Deo offerri poſſit.

Ouid.

Hoſtibus à domitis hoſtia nomen habet:

quomodo à domitis hoſtibus homo hoſtia fieri poſſit; docet Origenes: *Si ſuperbiam corporis tui vincas, & reſeces, immolas Deo vitulum: Si iracundiam, arietem: ſi libidinem, hircum: Si vagos & lubricos cogitationum volatus, columbam, & turturem.* Vt corporis noſtri hoſtia ſancta, & immaculata ſit, Deoque placens; in iuſtum, & rationabile eius obſequium, quid vnicuique Chryſoſtomus dicat audiamus: *Quoniam membra tua Deo ſunt ſiſtenda, quoniam hoſtia ſunt, omnem ab illis maculam auferto. Nam ſi maculam habuerint, hoſtia iam vtique non erunt. Neque enim offerri poterit oculus ſcortationi ſeruiens; neque manus rapiens, & defraudans; nec pedes claudicantes, theatraque viſitantes; nec venter delicijs ſeruiens, voluptatumque deſideria inflammans; nec cor iram, aut amorem fornicarium fouens; neque lingua turpia loquens.* Citata Apoſtoli verba explicans Gregorius ait: *Hoſtia occiditur, vt offeratur: Sed hoſtia viuens, eſt corpus Domino afflictum. Quod & hoſtia dicitur, & viuens; quia viuit in virtutibus, & eſt à vitijs occiſum. Hoſtia videlicet, quia iam huic mundo eſt à prauis actibus mortuum: Viuens autem, quia cuncta, quæ praualet, operatur.* Si templum, & altare, vbi huius hoſtiæ ſacrificium peragendum ſit, quæratur; reſpondet Gregorius: *Quid eſt templum, niſi fidelis populus? Sicut per Apoſtolum dicitur: Templum Dei ſanctum quod eſtis vos. Et quid eſt altare Dei, niſi mens bene viuentium? Qui peccatorum ſuorum memores lacrymis ſe lauant, carnem per abſtinentiam macerant, nullis ſe mundi huius actionibus miſcent; quæ habent indigentibus tribuunt, & habere quæ non habent, non concupiſcunt. Rectè horum cor altare Dei dicitur; vbi ex mœrore compunctionis ignis ardet, & caro conſumitur. Altare ergo ante faciem templi eſt; cum multi in ſanctæ Eccleſiæ conſpectu ſunt propoſiti, qui æterni iudicij memores, ſemetipſos quotidie Deo ſacrificium in lamento compunctionis mactant.*

Origenes in Epiſt. ad Rom. c. 12.

Gregor. hom. 22. in Ezech.

ſupra Gregorius.

1. ad Cor. c. 3.

Iuſtorum cor altare Dei.

259. Tertiò ſumenti Euchariſtiam cum dicitur: *Oportet te talia præparare,* ſenſus eſt: Quemadmodum Chriſtus in ſuum corpus, & ſanguinem, & in ſacramentalem hominum cibum panis, viniquе ſubſtantiam conuertit; ſimiliter tu alium panem, aliudque vinum in Chriſti Domini conuiuium conuertere debes. Nam de peccatoribus dicitur Prouerb. 4. 17. *Comedunt panem impietatis, & vinum iniquitatis bibunt:* Hunc impietatis panem, & hoc iniquitatis vinum, in panẽ lacrymarum, & in vinum compunctionis conuertere quiſq; debet, qui ad Euchariſtiã accedit; Domino, qui humanam ſalutem eſurit, & peccatorum lacrymas ſitit, conuiuium paret. *Pietatis, non voluptatis exhibeas conuiuium; pœnitentia ponat menſam, fercula compunctionis apponat; panem doloris inferat; potum lacrymis temperet in menſa: Et ad delicias Deitatis totas totam pulſet cordis ſui, & corporis ſymphoniam: organi planctibus det clamorem; citharam per ſuſpiria longa moduletur; gemitus aptet in fiſtulam: & dum pectus ipſam conſcientiam arguens ſæpe percutit, faciat placitura Deo cymbala perſonare: dumque taliter apportat diuinis oculis cibos, totas miſericordiæ copias ſic reportet,* vt Chryſologus ait ſer. 93. de Magdalena.

Quale panis, viniquе ſacrificium Deo eſt offerendum.

Conuiuium quale Deo parandum.

260. Quartò Dominus in qualibet parte panis, viniquе conſecrati cibus eſſe voluit, vel potus; & ſimul cum ſanctiſſima anima, & Diuinitate, nec minimam partem ſuæ carnis, nec minimam guttam ſui ſanguinis relinquere, quam homini ſumenti Euchariſtiam indiuiſibiliter non communicaret. Hoc ſimiliter vt nos Deo exhibeamus, ſeruandum eſt, quod Deut. 6. 5. dicitur: *Audi Iſrael: Dominus Deus noſter Dominus vnus eſt. Diliges Dominũ Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua:* Seu iuxta S. Lucam: *Ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua.* Quare ante præceptum omnimodæ dilectionis erga Deum, Moſes præmiſit: *Deus vnus eſt?* Quia ſicut Deus vnus eſt, hoc eſt indiuiſus in ſe, ac diuiſus à quocumque alio: Ita nos etiam indiuiſos in nobis, & diuiſos à quocumque alio Deo exhibere debemus. Quod fit, ſi Deum *ex toto corde, ex tota anima, & ex tota fortitudine* hoc eſt viribus noſtris omnibus diligamus. Quod explicat Auguſtinus dicens: *Cum ait: Diliges ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, nullam vitæ noſtræ partem relinquit, quæ vacare debeat, & quaſi locum dare, vt alia re velit frui. Sed quidquid aliud diligendum venerit in animam, illuc rapiatur, quò totus dilectionis impetus currit. Sic enim proximum diligens ſicut ſe ipſum, totam dilectionem ſui, & illius refert in illam dilectionem Dei, quæ nullum à ſe riuulum extra ſe duci patitur, cuius deriuatione minuatur.* Bernardus autem ait: *Mihi videtur amor cordis ad Zelum pertinere affectionis; animæ vero amor ad induſtriam, ſeu iudicium rationis; virtutis verò dilectio ad animi poſſe referri conſtantiam, vel vigorem. Quaſi dicat: Dilige Dominum Deum tuum toto, & pleno cordis affectu. Dilige tota rationis vigilantia, & circũſpectione. Dilige ex tota virtute, & vt nec mori pro eius amore pertimeſcas.*

Euchariſtia ad diligendum Deum ex toto corde, ſpeciali titulo nos mouere debet.

Luc. c. 10. 27.

Auguſt. l. 1. de doctrina Chriſtiana c. 22.

Bernardus ſer. 20. in Cantica.

261. Quòd Dominus pro nobis ſua in paſſione lancea cor diuidi voluerit; Cum *vnus militum lancea latus eius aperuit* Ioan. 19. hoc ipſum maximum incentiuum eſſe debet; vt Dominum integro corde, non in creaturarum dilectione diuiſo diligamus. In Euchariſtia Dominus ait, *caro mea verè eſt cibus.* Cum dicitur CARO DEI, ſi literarum ordo inuertatur, DA COR EI, reperitur. *Tunc cor hominum Deo datur, quando omnis cogitatio terminatur in eum, gyrat, & circumflectitur ſuper eum, & nihil vult poſſidere pe-*

Ioan. c. 6.

nitus præter eum: Sicque colligato sibi animo eum diligit; vt sine ipso amarus sit omnis amor. Nec aliud dixerim cor Domino dare; quàm ipsum captiuare in omne obsequium eius; & ità voluntati eius ex toto supponere, vt nihil aliud velit, quàm nouerit eum velle, ait Bernardus epist. 353. *Cor paruum est, & magna cupit. Vix ad vnius milui refectionem sufficere posset; & totus mundus ei non sufficit*, ait Hugo Victorinus. Sed quamuis humanum cor in cibum datum vix vnius milui refectioni sufficiat; nihilominus si Domino, qui se ipsum nobis in cibum dedit, humanum vicissim cor integrum offeratur; illo omnino contentus erit. *Dominus indiuisum, & integrum corpus suum obtulit mihi; malè ergo diuidor, & vel minima illi parte illum defraudo*, ait S. Bonauentura. Vt cor Domino integrum, mundumque offeratur, cauendum est, ne externi sensus aliquam inde prædam asportent. *Oculus meus deprædatus est animam meam*, queritur Ierem. Vbi Greg. ait: *Per oculum corporis perdidit prædā cordis. Nobis ad cordis munditiem sensuum disciplina seruanda est. Carnales sensus ad fluxa quæque, & lenia mentem eneruem trahunt.* Vt cor ergo integrum Deo custodiatur, sensus coercendi sunt: hos autem vt coerceamus, incentiuum nobis esse debet, quòd iuxta S. Thomam, & alios Christus Dominus sensuum vsu in Eucharistia caret. Sicut ergo ipse Dominus, vt nobis in cibum foret, sensuum vsum impedire voluit; ita nobis vicissim coërcendus est sensuum vsus, ne per eos integra nostri cordis oblatio Domino debita defraudetur.

Hugo Vict. l. 3. de anima.

Ierem. Thr. c. 3. 51.

S. Th. 3. p. q. 76. a. 7. ibid. Suar. disp. 52. sect. ..

Eucharistiæ in sacramēto sensuum vsu Christ' Dominus caret. Hinc ad nostros coercēdos sensus incētiuū nobis esse debet.

262. Denique, vt Christo nobis in cibum dato, similia, quantum fieri potest, præparentur, & exhibeantur; in egenorum cibum vniuscuiusque facultates sunt exhibendæ. Sicut enim, vt ait S. Paschasius, *Christus patitur in suis, & esurit, & sitit, & vestitur, & suscipitur*; ita in suis etiam cibatur; iuxta id quod extremo iudicio edicturum dixit Matth. 25. 40. *Quamdiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Additur à Salomone citato loco: *Si tamen habes in potestate animam tuam*: Domino scilicet se tibi in cibum danti, similia quantum poteris præparabis; si tamen sapies, si sub diaboli potestate non eris; sed assertus *in libertatem gloriæ filiorum Dei*, animam tuam in potestate habes. Alioquin maledictioni illi subiicieris, *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributiones, & in scandalum.* Quod infelix expertus est Iudas, qui indignè Eucharisticæ mensæ particeps, paulo post laqueo se suspendit. De Iuda, eique similibus indignè Eucharistiam sumentibus, mysticè dicitur Ezech. 16. 19. iuxta Sanctum Paschasium, *Panem meum, quem dedi tibi, posuisti in conspectu Idolorum.* Idola sunt prauæ cupiditates; præcipuè auaritia, quæ iuxta Apostolum est *simulacrorum seruitus*; qua auaritia captus est Iudas.

S. Paschas. supra.

Eucharistia misericordiam in egenos exigit à nobis.

ad Rom. 8. 21.

Psal. 68. 23.

Eucharistiā indignè sumens cœlestem panem in cōspectu Idolorum ponit.

S. Paschas. supra c. 12.

ad Eph. 5. 5. ad Col. 3. 5.

263. De duodecim Propositionis panibus, qui in veteri lege in sacra Tabernaculi mensa Domino offerebantur, dicitur Leuit. 24. *Comedant eos in loco sancto, quia sanctum sanctorum est.* Vbi cum docuisset Origenes sacros illos panes Eucharisticum panem præfigurasse, addit: *Simili modo tibi lex ista proponitur; vt cum acceperis panem mysticum, in loco mundo manduces eum; hoc est ne in anima contaminata, & peccatis polluta Dominici corporis sacramenta percipias: Sancta enim sanctorum sunt. Vide quomodo non dixerit, sancta tantummodo, sed sancta Sanctorum; tanquam si diceret: cibus iste sanctus, non est communis omnium, nec cuiusque indigni, sed Sanctorum est.*

Eucharistia maximam munditiem in eam sumente requirit.

Origl. hom. 13. in Leuit.

264. Olim Dominus in hac mortali vita passibilis manus impij Herodis eum ad necem quærentis effugit. Nunc autem eumdem Dominum in Cœlo impassibilem aliorum Herodum persecutionem vitare non videmus. Qui autem sint hi Herodes, explicat Chrysostomus hom. 7. in cap. 2. Matth. dicens: *Caue, ne Herodi efficiaris similis, & dicas: vt & ego veniens adorem eum; cumque veneris, interimere coneris. Huius similes sunt, qui abutuntur communione mysterij. Reus enim est iste corporis & sanguinis Domini. Qui enim huiusmodi sunt, habent in se tyrannum, & regno Christi iugiter inuidentem. Hic suos cultores simulat, & mittit ad Christum; vt specie quidem adorare videantur; quantum verò in ipsis est, interimunt eum, quem adorare se simulant.* Quare idem Chrysostomus asserit. *Mirum non esse, si qui non munda conscientia Christi corpus accipiunt, idem supplicium habeant, quod qui eum clauis cruci affixerunt.*

Eucharistiā indignè sumens Herodi similis.

1. ad Cor. 11. 27.

Chrysost. hō. 45. in Ioan.

265. De indigno ad Eucharistiam sumendam accedente, idem Chrysostomus ait: *Malo dæmoniaco peior est, qui peccati sibi conscius accedit.* Dæmoniaci, vbi Christi nomen inuocatur, inde se retrahunt: at impudentes peccatores ad Christum accedere, eumque intra se sumere audent. In Iudam post sumptam Eucharistiam Satanas intrauit; istorum animæ antequam Eucharistiam sumant, dæmonum habitacula sunt: idemque dæmonibus, & Christo Domino hospitium exhibere non timent. Sunt ergo dæmoniacis omnino peiores.

Eucharistiā indignè sumens dæmoniaco peior.

Chrysost. hom. 83. in Matth.

266. Exodi 19. dicitur: *Descendit Dominus super montem Sinai. Cauete, ne ascendatis in montem, nec tangatis fines illius. Omnis, qui tetigerit montem, morte morietur. Manus non tanget eum, sed lapidibus opprimetur, aut confodietur iaculis.* Bene hinc à minori ad maius arguit Chrysostomus: *Vsque adeo indigni censebantur montis illius ascensu. Quid sacra communione, qui sancti non sunt.* Iuxta S. Hieronymum Sinai interpretatur *Amphora mea*: est autem amphora vas ad vinum seruandum. Si mons vasis materiale vinum seruantis nomen habens, tanta veneratione dignum fuit; vt ad illum accedere sub capitali pœna Israëlitis iam mundis & à Mose sanctificatis prohibitum fuerit; quo supplicio dignus erit, qui lethali labe immundus ad Eucharistiæ Sacramentum accedit; vbi non materiale vinum, sed verum Christi corpus, & sanguis continetur? Hic certe tanquam fœdissimè contaminatus, ne à carnificis quidem manu tangendus est, ne in attrectantem inferat labem; sed eminus lapidibus, aut iaculis perimi meretur. Quod dæmones, nisi pœnitens resipiscat, duris obstinationis lapidibus, igneisque prauarum cupiditatum iaculis exequentur; vt post mortem æterno gehennæ incendio crucietur.

Eucharistiā indignè sumens quo supplicio dignus: hic, & seqq.

Chrys. hom. 3. in epist. ad Ephes.

Hieron. de nominibus Hebraicis.

267. *In altari cibum vitæ, & stipendium militiæ nostræ sumimus*, ait S. Paschasius. Miles, qui stipendium sumpsit, si se militiæ subtrahat, capitalem pœnam incurrit. Similiter Christianus, si post sumptum in Sacramento cibum vitæ, & Christianæ militiæ stipendium contra spiritus rebelles decertare detrectet: æternæ mortis supplicio addicitur. Propterea vbi dicitur: *Si tamen habes in potestate animam tuam*, Septuaginta legunt, *Si insatiabilis es*: hoc est, si te vitæ cibus non explet, si diuino stipendio contentus non es, *statue cultrum in gutture tuo*, iam velutí adacto

Eucharistia Christianæ militiæ stipendium.

S. Paschas. de corp. & sanguine Dom. cap. 8.

Prou. 23.

gutturi gladio, morti te addictum ſcias; cumque vitæ ſtipendio te indignum reddideris, mortis ſtipendium diaboli miles habebis; & vt à Chriſto transfuga punieris. Ne ergo poſt ſumptum in Euchariſtia Chriſtianæ militiæ ſtipendium, Chriſtianus transfuga ſit, monet Apoſtolus: *Milites bonam militiam, habens fidem, & bonam conſcientiam.* Vbi Chryſoſtomus ait: Eſt militia mala, de qua alio in loco ait: *Exhibuiſtis membra veſtra arma peccato, & immunditiæ. Illi ſub tyranno militant, nos æterno Regi militamus. Nobis opus eſt armis validis, ſobrietate ſcilicet, temperantia, precibus, perpetuiſque vigiliis; quia non aduerſus ſanguinem pugnare pergimus; quia prælia nobis cum atrociſſimis hoſtibus conſerenda ſunt.* Simile eſt aliud Apoſtoli monitum: *Labora ſicut bonus miles Chriſti Ieſu. Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus.* Si enim laici pro eorum ſtatu temporalia negotia ſuſcipere coguntur, iis tamen ſe implicare, & irretire non debent; vt animo ad cœleſtia identidem euolare non poſſint.

1. ad Tim. c. 1.
Miles Chriſtianus quibus armis pugnare debet.
ad Rom. c. 6.
2. ad Tim. c. 2.

268. Iuxta S. Paſchaſium in Euchariſtiæ figuram ex Ægyptia ſeruitute Iſraëlitarum populus à Deo eſt liberatus; *vt ſanguinem vuæ biberet meraciſſimum.* Similiter à Deo per baptiſmum, & pœnitentiam è peccati iugo Chriſtianus populus liberatur, vt in Euchariſtia puriſſimum myſticæ vuæ ſanguinem biberet. *Hic eſt ſanguis vuæ meraciſſimus, quem Chriſtiani bibunt ex illa vite, de qua Saluator dixit: Ego ſum vitis vera,* ait Origenes: *De quo ſanguine inebriatur omnis Chriſti Eccleſia; & ideo ſpeciem vini iure tenet in ſenſu, dum ſpiritaliter ſanguis potatur in myſterio,* ait S. Paſchaſius. Vt Iſraëliticus populus meraciſſimum vuæ ſanguinem biberet, *conſtituit eum Deus ſuper excelſam terram.* Similiter Chriſtianus populus ex ima terra in excelſum ſpiritualis altitudinis culmen elatus, puriſſimum Chriſti ſanguinem in Euchariſtia guſtare debet. Quandoquidem Euchariſticum Sacramentum ſemper ad ſublimia animum eleuat, *Noſtra accipientium præparanda ſunt corda; vt tali epulo refecti ad altiora in fortitudine tranſeamus. Aſcendamus ſurſum, quia qui deorſum iacent, non muſta cum Chriſto, ſed fel draconum infeliciter cum Iuda vt ſint in felle amaritudinis, bibunt,* S. Paſchaſius ait. Similiter monet Chryſoſtomus: *Aquilæ in hac vita facti ad ipſum cœlum euolemus; vel potius ſupra cœlum. Vbi enim cadauer, inquit, illicet aquilæ. Cadauer Domini corpus propter mortem; niſi enim ille cecidiſſet, nos non ſurrexiſſemus: Aquilas autem appellat, vt oſtendat ad alta eum oportere contendere, qui ad hoc corpus accedit; & nihil cum terra ei debere eſſe commune; neque ad inferiora trahi, & repere; ſed ad ſuperiora ſemper volare; & in Solem iuſtitiæ intueri, mentiſque oculum acutiſſimum habere. Aquilarum enim, non graculorum hæc menſa eſt.* Graculi furaces ſunt; hinc huiuſmodi aues monedulæ etiam dictæ ſunt à furandis monetis. *Huic ſoli auri furacitas auri, argentique præcipuè mira eſt,* ait Plinius. Propter furacitatem graculus fuit Iudas. Ideo Chryſoſtomus monet: *Nullus Iudas adſiſtat, nullus auarus, nam tales menſa non ſuſcipit. Aquilarum, non graculorum hæc menſa eſt.*

Deut. c. 32. 14.
Ioan. 15.
Origen. lib. 16 in Num.
Paſchaſ. ſupra c. 10.
S. Paſcha. ſupra c. 10 & c. 21.
Euchariſtia ad ſublimia animam eleuat.
Chryſ. hom. 24 in ep. ad Cor.
Matth. 24.
Euchariſtia eſt aquilarū, non graculorum menſa dicitur.
Plin. l. 10. c. 29.
Chryſoſtom. homil. 83. in Matth.

269. Teſte Plinio, *Androcydes ſapientia clarus ad Alexandrum magnum ſcripſit, eius cohibens intemperantiam: Vinum poturus, Rex, memento te bibere ſanguinem terræ.* Vt à nimio vini potu procliuem Alexandrum reuocaret, Philoſophus vinum ſanguinem terræ eſſe dixit. Nos contra, vt ad myſticum Euchariſtiæ vinum guſtandum incitemur, Cœli ſanguinem eſſe mente recolamus.

Plin. l. 14 c. 5.
Vinū materiale terræ ſanguis: vinum Euchariſticū cœli ſanguis.

270. Moſes Num. 13. ad Promiſſionis terram exploratores mittens dixit: *Conſiderate terram qualis ſit; & afferte nobis de fructibus eius. Qui pergentes abſciderunt palmitem cum vua ſua quem portauerunt in vecte duo viri. Per figuram Chriſtus vua dicitur, quam viri exploratores ad nos detulere,* ait S. Paſchaſius. Huius vuæ ſanguinem qui in Euchariſtia guſtat, quàm nobilis, quàm iucunda, quàm deliciis omnibus plena ſit cœleſtis patria nobis promiſſa, bene cognoſcere poteſt. Si enim fidelis anima videns, & guſtans ſub Sacramentali ſpecie Chriſtum Dominum tanta cœleſtium deliciarum voluptate perfunditur; quanta cœleſtium gaudiorum copia erit, cum eumdem Dominum facie ad faciem dabitur intueri? Sed quia, vt Gregorius ait: *Ad magna præmia perueniri non poteſt, niſi per magnos labores:* vt ad Euchariſtiam dignè ſuſcipiendam, & per eam ad cœleſte regnum perueniamus, labores, & ærumnas noſtrarum paſſionum mortificatione ſubire debemus. Quare Cantic. 5. iuxta S. Paſchaſium dicitur: *Vindemiaui myrrham cum unguentis, ſiue aromatibus meis: Manducaui panem meum cum melle meo; & bibi vinum cum lacte meo. Non prius panis comeditur, quam myrrha in nobis mortificationis turgeſcat; & unguentum boni odoris naribus reſpergatur. Tunc itaque panem cum melle, quod de petra, qui Chriſtus eſt, fluxit, comedimus; tunc vtique vinum ſuauitatis cum lacte bibimus. Comedimus panem cum melle, quoniam in Chriſto Diuinitatis dulcedo cum eius humanitate guſtatur,* idem S. Paſchaſius ait.

Palmites cū vua è promiſſionis terra allati, Euchariſtiā præfigurarunt
S. Paſchaſ. ſupra.
Euchariſtia cœleſtis patriæ delicias indicat.
Grego. hom. 37 in Euāg.
S. Paſchaſ. ſupra iuxta verſionem Septuaginta
Euchariſtiā paſſionum mortificatio præcedere debet; ſicut in Cāt. myrrha ante panem memoratur

271. Ad Deum placandum, eiuſque miſericordiam impetrandam dicitur Pſalm. 88. 47. *Vſquequo, Domine, auertis in finem? Exardeſcet ſicut ignis ira tua? Memorare quæ mea ſubſtantia:* nempe, *quam fragilis ſit,* iuxta Hugonem, ſed ſuauior eſt S. Paſchaſij interpretatio; ſcilicet quòd ad Dei miſericordiam conſequendam, non humanæ ſubſtantiæ fragilitas, & vilitas; ſed eius potius dignitas per Euchariſtiam acquiſita commemoratur. *Cum ni caro ſpiritualiter commiſcerata transformatur; vt Chriſti ſubſtantia in noſtra carne inueniatur; ſicut & ipſa noſtram in ſuam conſtat aſſumpſiſſe Deitatem. Vnde orantes ad Deum cum Propheta dicimus; Memorare quæ mea ſubſtantia* ait S. Paſchaſius. Iuxta eumdem S. Paſchaſium Geneſ. 28. Iacob ſi non pro ſe, pro ſua tamen futura progenie Sacramentalem Euchariſtiæ panem myſticè popoſcit dicens: *Si fuerit Deus mecum, & dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum, erit mihi Dominus in Deum. Quotquot in Chriſto baptizantur, Chriſtum induunt, & panem Angelorum comedunt. Qui Chriſtum induunt veſtem contextam habent in vellere Agni, quæ albi nuptialis dicitur,* addit S. Paſchaſius. Addit etiam citato loco Gen. Chryſoſtom. *Ne temporale aliquid à Deo petamus. Indignum enim valde eſt a tam liberali, & tanta virtute præſtante huiuſmodi petere; quæ in præſenti vita diſſoluuntur, & magnam multitudinem, & mutationem experiuntur. Id genus enim ſunt humana omnia, ſiue diuitias dixeris, ſiue potentiam, ſiue humanam gloriam. Sed petamus ſemper manentia, & viciſſitudinis neſcia.* Chryſoſtomi monitum verbis Domini conſonat Ioannis 6. *Operamini non cibum, qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam; quem filius hominis dabit vobis;* hoc eſt opera veſtra, & labores impendite non tam ad corporalem, quàm ad permanen-

Euchariſtia Dei iram auertit.
S. Paſchaſ. ſupra c. 19.
Idem c. 21.
Chryſoſt. hom. 54.

tem cibum acquirendum, nempe Eucharisticum; per quem tanquam sublimis itineris viaticum ad æternam vitam peruenire poteritis.

272. 4. Reg. 2. dicitur: *Ascendit Elias per turbinem in cœlum. Eliseus autem leuauit pallium Eliæ, quod ceciderat ei: Et tulit meloten Eliæ, quæ ceciderat super eum*. legunt Septuaginta. Melote ex ouina pelle vestis erat. De hac Eliæ melote ait Chrysostomus: *Tanquam maximam hereditatem Eliseus melotem suscepit*: Verè enim *maxima fuit hereditas omni auro pretiosior. Quid si vobis demonstrauero quod illo multò maius omnes sacris mysteriis imbuti recipimus? Elias nempe melotem discipulo reliquit; filius autem Dei ascendens suam carnem nobis dimisit: Sed Elias quidem exutus; Christus autem & nobis reliquit, & ipsam habens ascendit.* Quanto nobilior est cœlestis Agni caro, quàm terrestris ouis pellis! Meloten Eliseo relinquens Elias iuxta Chrysostomum dixit: *Cum hac cum diabolo pugnans; & in contra illum armatus hanc capies.* Nos autem Christi carne refecti *tanquam leones ignem spirantes ab illa mensa recedamus facti diabolo terribiles*, vt idem Chrysostomus ait: Eliæ veste diuisis aquis per medium Iordanem pertransiit Eliseus: Nos Christi carne roborati per cœli medium vsque ad Empyreum felicem reserare aditum possumus.

Eucharistia & Eliæ melota Eliseo relicta cōparantur.
Chrysost. hom. 2. ad pop.
Chrys. hom. 6. ad pop.
4. Reg. c. 2.

273. Præclarum est Chrysostomi monitum hom. 60. ad populum: *Si vis honorare sacrificium, offer animam, propter quam immolatus est Christus; hanc fac auream: si verò plumbea maneat, & testa deterior; vas autem aureum, quid vtilitatis? Itaque ne hoc consideremus, vt aurea vasa duntaxat offeramus. Non erat illa mensa temporibus Apostolorum ex argento, nec aureus calix; pretiosa tamen erant illa omnia, & veneranda; quoniam erant spiritu plena. Nec enim aureis vasis Deus eget, sed aureis animabus.* Quomodo aurea anima fit docet S. Paulinus epist. 4. vbi Cantic. 5. de cœlesti sponso testimonium afferens, *Caput eius aurum optimum*, subdit: *Hoc aurum forma Sanctorum est; qui in capite corporis vt lumina micant; & sunt aurum ignitum Deo. Quia videlicet eos per examina passionum in huiusmodi fornace conflatos inuenit, vt scriptum est, dignos se. Et in his sacram imaginis suæ percussit monetam, imprimens cordibus, & linguis eorum veritatis suæ verba; eosdemque ipsos statuens nummularios vt secundùm suam formam probabiles Domino cuderent nummos; & abolita de nobis figura Cæsaris, viuum Regis æterni numisma signarent; & spiritu redemptionis inscripti, ceruice iam iugo libera, & salutis titulo præmunita fronte caneremus: Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine. Summa itaque ope enitamur ita nos comparare; vt diuini capitis (quod per gratiam Dei Christus est) crines, & aurum esse mereamur.* Sappho Poëtria *aurum solis filium* appellauit. Iusti, Deique amici *Filij vocis vocantur* Lucæ 16. 8. Si diuini Solis, eiusque lucis filij homines sint, aurei reddentur.

Eucharistia non tam in aureo vase, quā in anima aurea reponenda est: hic, & n. seq.
Sap. c. 3.
Matth. 22. Iustus aureum Dei numisma.
Psal. 4.
Aurum solis filius.

274. Sed quoniam ad sacram Eucharistiam sumendam, *auream fac animam*, monet Chrysostomus; ita insuper aurea anima esse debet, vt sit aurum mundum, ab omni scilicet terrena forde purgata. Talis enim debet esse anima, quæ Deum excipit; cum talis sit Cœlestis Ierosolyma Dei habitaculum: Ea enim dicitur Apocal. 21. 18. *Ipsa ciuitas aurum mundum, simile vitro mundo.* Quomodo aurum relictis sordibus mundum reddatur, docet Augustinus in Ps. 61. dicens: *Numquid lucet aurum in fornace artificis? In*

A *monili lucebit, in ornamento lucebit. Patiatur tamen fornacem, vt purgatum à sordibus veniat ad lucē. Fornax ista, ibi palea, ibi aurum, ibi ignis, ad hanc flat aurifex. In fornace ardet palea, & purgatur aurum; illa enim in cineres vertitur; à sordibus illud exuitur. Fornax mundus, palea iniqui, aurū iusti, ignis tribulatio, aurifex Deus. Quod vult ergo aurifex, facio; vbi me ponit aurifex, tolero: Iubeor ergo tolerare; nouit ille purgare. Ardeat licet palea ad incendendum me, & quasi consumendum me; illa in cinerem vertitur; ergo sordibus careo. Quare? Quia Deo subijcitur anima mea.* Anima diuino subiecta aurifici, aurea, & omnino pura redditur; & talis reddita ad Deum intra se

Anima quomodo aurea reddenda sit.

B sumendum fit digna. De terrea gleba, quæ ex auri fodinis eruitur, Tertullianus ait: *Terra planè gloriosior in igne nomen terræ relinquit; atque exinde de tormentis in ornamenta, de supplicijs in delicias, de ignominiis in honores metalli refuga mutatur.* Dicitur autem metalli refuga; quòd à metallo terrenis sordibus misto se subducat. Tale aurum fuisset Iudas; nisi ex sordida auaritia diuinæ charitatis auro triginta argenteos prætulisset.

Tertull. de habitu muliebri c. 3.

275. Gregorius explicans Iobi sententiam 36. 7. *Non auferet à iusto oculos suos, & Reges in solio collocat in perpetuum*, ait: *Bene viri Sancti diuina Scriptura testimonio Reges vocantur;*

Gregorius 26. Moral. c. 21.
Iusti merito titulo Reges dicūtur.

C *qui prælati cunctis motibus carnis; modò luxuriæ appetitum frænant; modò æstum auaritiæ temperant; modò gloriam elationis inclinant; modò suggestionem liuoris obruunt; modò ignem furoris extingunt. Reges ergo sunt, quia tentationum suarum motibus non consentiendo succumbere, sed regendo præesse nouerunt.* Ideo Apocalyps. 1. 6. Vbi iusti de Christo dicunt: *Fecit nos regnum*: Tertullianus, & alij legunt: *Fecit nos Reges.* Talium Regum Eucharistia cibus est; ideo iustorum cœtui promittitur Isaiæ 60. 16. *Mamilla Regum lactaberis.* Quòd si quæras quare mamilla Eucharistia dicatur, respondet Clemens Alexandr. *Quod lac esset hic infantulus puer, & appositus; scilicet corpus Christi.* Tam pretioso lacte non

Eucharistia Regum mamilla.
Clemens li. 1. Pædag. c. 6.

D viles homunciones suarum cupiditatum serui; sed Reges, & Principes prauis affectibus dominantes sunt nutriendi. Ideo Hieronymus explicans Isaiæ verba cap. 21. *Pone mensam, contemplare in specula comedentes, & bibentes. Surgite Principes, arripite clypeum*, ait: *Dicitur per Prophetam ad omnes credentes, vt comedentes, & bibentes corpus, & sanguinem Christi, vertantur in Principes Ecclesiæ: & cum Apostolis audiant: Surgite: arripiantque clypeum fidei de armatura Apostoli Pauli: in quo possint ignita Diaboli tacula extinguere.*

Hieron. l. 7. in c. 21. Isa.
ad Ephe. 6. 16.

276. Isaiæ 62. *Iurauit Dominus in dextera sua, & in brachio fortitudinis suæ: Si dedero triticum tuum vltra cibum inimicis tuis: & si biberint*

E *filij alieni vinum tuum, in quo laborasti. Qui congregant illud comedent, & laudabunt Dominum: & qui comportant illud, laudabunt Dominum in atrijs sanctis meis.* Vbi quamuis quod ad literæ corticem spectat, id intelligatur post deuictos à Gedeone Madianitas; qui antea *in herbis cuncta vastabant, nihilque omnino ad victum pertinens relinquebant in Israël*, vt dicitur Iudicum 6. 4. nihilominus, quia superuenientibus aliis hostibus suarum frugum, & facultatum possessio Israëlitis diuturna non fuit; ideo promissionem hanc in Euangelica lege completam Hieronym. bene censet dicens: *Hoc est triticum, & hoc vinum, quod non comedent, nisi laudantes Dominum: &*

ron bibent, niſi in atriis ſanctis eius. Quæ ex parte complentur in Eccleſia, quando dicit Dominus diſcipulis ſuis: Bibite amici, & inebriamini fratres: Quod vinum lætificat cor hominis: Et in plena luce bibitur à Ioſeph cum fratribus ſuis. Triticum quoque, de quo panis cæleſtis efficitur, illud eſt, de quo loquitur Dominus: Caro mea vere eſt cibus: rurſumque de vino, & ſanguis meus vere eſt potus. Profectò non niſi qui tam eximium beneficium bene noſcunt; & pro eo Dominum perenniter laudant, Euchariſtiam ſumere digni ſunt; ita vt Euchariſtico ſacrificio ſacrificium illud bene reſpondeat; de quo Pſalm. 49. dicitur: *Immola Deo ſacrificium laudis. Sacrificium laudis honorificabit me: Et illic iter, quo oſtendam illi ſalutare Dei*; oſtendam ſcilicet Chriſtum humani generis ſub Sacramentalibus ſpeciebus Saluatorem. Præterea bene Hieronymus conuiuium à Ioſepho fratribus exhibitum Euchariſtiam præfigurare docet. Eo enim in conuiuio cum Ioſeph præcepiſſet: *Ponite panes*, Ægyptij ſeorſum à Ioſephi, eiuſque fratrum menſa ſederunt. Fideles enim tantùm, Deique amici; non autem Ægyptij, hoc eſt peccatores in Euchariſtica menſa ſunt admittendi. Nam peccatoribus de Euchariſtiæ conuiuio iuxta Hieronymum Iſaiæ 65. dicitur: *Ecce ſerui mei comedent, & vos eſurietis. Ecce ſerui mei bibent, & vos ſitietis. Ecce ſerui mei lætabuntur, & vos confundemini.*

Cantic. 5. Pſ. 103. 15. Geneſ. 43. Ioan. 6. Hieron. l. 17 c. 62. Iſa. Geneſ. 43. Euchariſtia conuiuio à Ioſepho fratribus exhibito cõparatur.

277. Sed qui Dei ſerui comedent, & bibent? Illi ſcilicet, qui in domo Dei vigilantes ſunt, non otioſi. *Panem otioſa non comedit*, dicitur Prouerbiorum 31. 27. *Panem otioſa non comedit anima, cum ſacrificium Dominici corporis percipiens ſtudet imitari vita, quod myſterio celebrat; multùm ſollicita, ne indignè panem Dei comedendo, & calicem bibendo iudicium ſibi manducet, & bibat*: ait ibi Hieronymus. De hac anima ibi dicitur: *Conſiderauit ſemitas domus ſuæ*, ſeu, vt Septuaginta legunt: *Conſtrictæ*, vel *anguſtiatæ ſunt viæ domus eius.* Animæ viæ ſenſus ſunt: anima diuino pane refecta has vias conſtringit, anguſtaſque reddit, ne quid ſordidum in eas ingrediatur. Occludit oculos, *ne videant vanitatem*; ne laſciuiæ obiecta intueantur: Occludit aures, ne in eas impudica, aut detractionis verba aditum habeant: Occludit guſtum, ne à crapula deprauetur: tactum occludit, ne impudicitia polluatur, nares occludit, vt ex ſolo odore oblectentur, quo allectæ, cæleſti ſponſo vnà cum fideli ſponſa dicere poſſint: *Trahe me poſt te curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Rurſus, ne in hac mortali vita animæ dici poſſit: *Quid hic ſtas tota die otioſa?* ad myſticam vineam illam mittitur, ex qua *vinum germinans virgines* bibitur. *Otium omnis malitiæ mala radix*. dicitur à Chryſoſtomo. Radix hæc omnino extirpari debet ex anima, cui *vinum germinans virgines* datur; & quæ *frumento electorum* cibatur. Zachar. 9. *Frumentum electorum, frumentum iuuenum*, legunt Septuaginta. Iuuenum autem frumentum Euchariſtia dicitur; eò quod, qui tali cibo reficiuntur, iuuenili robore ad operandum, otiumque arcendum præſtare debent.

Euchariſtiã ſumẽs, à deſidia, & otio abhorreat: hic & ſeqq. 1. ad Cor. c. 11.

Euchariſtiã ſumẽs ſen ſuum aditum occludere debet. *Pſa. 118. 37.*

Cantic. c. 1. Matth. 20. Zach. 9. Chryſ. in ep. ad Epheſ. Otium malitiæ mala radix.

278. *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo*, Adæ dictum eſt Geneſ. 3. *Soli homini vita curſus in labore præſcribitur, qui non eſt contentus animalium pabulo cæterorum; ſed delicias variarum ſibi exquirit epularum; delicias ſibi tranſmarinis accerſit è terris, delicias verrit è fluctibus. Recuſare non debet, qui labore victum requirit breuem,*

Ambroſ. in Præfat. in Lucam.

A *ſi laborem pro vita ſubeat æterna*, ait Ambroſius. Æternam vitam Euchariſtiæ pane conſequimur, dicente Domino: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Pro hoc igitur pane æternam vitam largiente multò magis, quàm pro materiali cibo eſt laborandum. Cumque Euchariſtiam ſumimus, recogitare debemus nos non à tranſmarinis terris, non à fluctibus, ſed à cœlo ſpirituales delicias longè ſapidiores accerſere.

Ioan. 6.

279. Sunt labores, qui ipſis laborantibus lætitiam afferunt; de his Iſaias 9. ait: *Lætabuntur coram te, ſicut qui lætantur in meſſe: ſicut exultant victores capta præda.* In meſſe laborantes meſſores lætantur; quia inde ſibi cibum comparant. B In bello lætantur bellatores, quia inde ſibi prædam acquirunt. Similiter cum aduerſus inuiſibiles hoſtes pugnamus; cum in purgando corde laboramus, vt digni ad Euchariſtiam accedere poſſimus; talis labor lætitiam, gaudiumque afferre debet; quia propter eam meſſem laboramus, ex qua *frumentum electorum* colligimus; & eo in bello pugnamus, in quo prædam illam acquirimus, de qua Pſal. 110. dicitur: *Eſcam dedit timentibus ſe, prædam dedit timentibus ſe*, legit Theodoretus, & alij. Vbi præda Euchariſtia dicitur, quòd eam non niſi pugnando contra infernos hoſtes, prauoſque noſtri cordis affectus debellando, ſumere digni ſimus. Propterea Pſ. 67. de Euchariſtiæ conuiuio iuxta Hugonem dicitur: C *Iuſti epulentur, & exultent in conſpectu Dei, & delectentur in lætitia. Iuſti epulentur, non iniuſti*, ait Hugo. *Exultent in conſpectu Dei, id eſt in conſcientia, vbi Deus inſpicit. Hinc Eccleſiaſtæ 9. dicitur: Vade ergo, & comede in lætitia panem tuum: & bibe cum gaudio vinum tuum: quia Deo placent opera tua. Quaſi dicat: Quia iuſtus es, & opera pœnitentiæ habes: ideo ſecure, & cum exultatione accedas ad ſacramentum corporis & ſanguinis Domini.* Hugoni conſonat Cyrillus Ieroſol. Qui etiam citata Eccleſiaſtæ verba de ſacramentali pane, & vino interpretatur.

Zachar. c. 9. Euchariſtia cur præda dicatur.

Cyrillus Catecheſ Myſtag. 4.

280. De Euchariſtiæ Sacramento vide dicta feria tertia Dom. 2. de Sacerdotum dignitate. D Præterea Dominica Paſſionis in illa verba: *Abſcondit ſe*: & feria 5. maioris heb.

An pedum lotio Euchariſtiæ inſtitutionem præceſſerit.

281. Reſpondetur affirmatiuè, vt fuſius explicatum eſt fer. 5. maioris heb. Quam etiam ſententiam probat Suarius 3. p. t. 3. qu. 73. art. 5. diſp. 41. ſect. 2. Confirmari hęc ſententia videtur ex Geneſ. 47. vbi conuiuium à Ioſepho fratribus exhibitum Euchariſtiam præfiguraſſe docet Hieronymus ſupra citatus. Eo in conuiuio pedum lotio præceſſit: *Attulit aquam, & lauerunt pedes ſuos.* Vt ergo figuræ figuratum E reſponderet, pedum lotio Euchariſtiæ conuiuium præcedere debuit. Notandum autem eſt, quòd Ambroſius aſſerit, non tum primum in vltima cœna, ſed antea ſæpe Dominum ſe ad pedes aliis abluendos demiſiſſe. *Quis præferendus magis omnibus videtur, quàm Chriſtus, qui pedes ſuis lauare conſueuit hoſpitibus?* Niſi dicas Ambroſium allatis verbis indicare tantùm voluiſſe conſuetudinem à Chriſto Domino in Eccleſia relictam circa pedum ablutionem: qua poſita conſuetudine Apoſtolus de Vidua dixit: *Si hoſpitio recepit: ſi ſanctorum pedes lauit.* 1. ad Timoth. cap. 5. 10.

Chriſtus nõ ſemel pedes aliorum lauit.

Ambroſ. l. 6. in c. 9. Lucæ.

Et hymno dicto exiuit in montem Oliueti.

Psalmi Dauidis dicuntur hymni. Nyssenus tract. 2 in Psalm. Alleluia Laudate Deum significat.

282. Dauidis Psalmi hymni appellantur Paralipom. lib. 2. cap. 7. & alibi. Dominum cum Apostolis Dauidis aliquot Psalmos *alleluia* inscriptos cecinisse communiter sacri interpretes docent: *Alleluia* autem, *Laudate Deum* interpretatur. Hinc Nyssenus asserit, quando vox ALLELVIA alicui Psalmo præscribitur, quod sequitur ad Dei laudationem, & prædicationem ducere. *Laude mea infrenabo te, ne intereas*, Israëlitico populo dictum est Isaiæ 58. 9. At Christi Domini os, quo imminentem mortem arcere poterat, diuina laude, & gloria: vt pro humana redemptione interiret, frænatum est. Inter Psalmos ALLELVIA inscriptos præcipuus est centesimus decimustertius, *In exitu Israel de Ægypto, domus Iacob de populo barbaro, facta est Iudea sanctificatio eius.* Verba hæc bene Dominus è barbaro Hebræorum populo per mortem exiturus, suaque morte Christianam Ecclesiam sanctificaturus pronunciauit. Cum Apostoli vna cum Domino Dauidis Psalmos canerent, iam Iudas ad proditionem discesserat; ne scilicet *streperet anser inter olores*. Cum Dauidis Psalmos Apostoli canerent, adimpletum videtur Dauidis vaticinium Psalmo 64. 14. *Valles abundabunt frumento; clamabunt, etenim hymnum dicent*: pauperes scilicet Apostoli, veluti demissæ valles Eucharistico electorum frumento abunde reficientur; propterea alta voce clamantes Deoque gratias agentes in canticum ora soluent, hymnumque Deo dicent.

Oliueti in montem cur ante passionem Dominus iuerit.

283. Exierunt in montem Oliueti. Relicto cœnaculo in montem Oliueti cum Apostolis Dominus secessit; primò, vt ad orandum semotum locum haberet. Secundò, iuxta Chrysostomum, in locum Iudæ notum, & aliàs à se frequentari solitum Dominus venit; *vt manifestum se daret ad capiendum. Sciebat Iudas, qui tradebat eum, locum; quia frequenter Iesus conuenerat illuc cum discipulis suis*, ait Ioannes 18. Tertiò, ne, si in cœnaculo remansisset, ab aduenturis militibus hospes damni aliquid pateretur. Quartò, quia oliua misericordiæ symbolum est, *ipse mons misericordiæ est electus, vbi Dominus prænunciaturus fuit scandalum infirmitatis discipulorum; iam tunc paratus, vt non repelleret discipulos discedentes, sed vt reciperet reuertentes*, ait Origenes.

Tunc dicit illis: Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte.

Aug. tract. 103. Luca c. 24. 21.

284. Scandalum vocat culpam, in quam à debita Deo fiducia deficientes Apostoli inciderunt; cum Domino *relicto omnes fugerunt*. S. Augustinus aliique interpretes eum secuti discipulos mente fidem reliquisse censent. *Venerunt*, inquit Augustinus, *ad tantam desperationem, & pristinæ fidei mortem, quanta in Cleopha fuit, qui dixit: Nos autem sperabamus, quòd ipse fuerat redempturus Israel.* Sed quidquid dicatur de Cleopha, eiusque comite, qui ex duodecim Apostolis non erant; quod spectat ad resurrectionis fidem, dico Apostolos eam non perdidisse; sed oblitos Domini prædictionis tardius eius resurrectionem credidisse. Qui tamen defectus Domini resurrectionem tardius credendi, non pertinet ad culpam, de qua dicitur: *Scandalum patiemini in ista nocte* Addit Augustinus Dominum dixisse Ioannis 16. 31. *Modò creditis: Tanquam diceret: Tunc vos perturbabimini, vt etiam quod modo creditis, relinquatis.* Sed allatis verbis Dominus non eos fidem amissuros dixit; sed non ita firmam habituros fidem, & ardente charitate formatam, qualem tunc habebant; quoniam eum fugientes relicturi erant; quam fugam prædicens Dominus ibi dixit: *Ecce venit hora, & iam venit, vt dispergamini vnusquisque in propria, & me solum relinquatis.* Non omnes autem, qui suæ vt incolumitati alia, quàm par est, via consulunt; nec in diuina ope, vt debent, fiduciam habent, fidem amittunt.

Scandalum Apostolorum non fuit fidei amissio.

Ioan. 16. 31.

285. Quare probabilius, cum in scandalum incursuros Dominus Apostolos dixit, eos non internam fidem amissuros significauit; sed tantum debitam constantiam, quæ internæ fidei, nisi ob nimium timorem turbati fuissent, respondere debebat. Si enim sub scandali voce internæ fidei iacturam Dominus præsignificasset, talem iacturam subiisset etiam Petrus; cum Dominus vniuersè dixerit: *Omnes vos scandalum patiemini in nocte ista.* Et tamen Petrum neque cum Dominum negauit fidem perdidisse S. Leo asserit. Quòd, præter Leonis auctoritatem, confirmatur etiam ex Domini verbis, quibus Petro dixit Lucæ 22. 31. *Simon, Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum: Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Quæ Domini ad æternum Patrem rogatio irrita certè fuisse non videtur. Porrò, sicut cum cribratur triticum, excutitur quidem, sed non cadit: ita cum condiscipulis Petrus ob nimiam formidinem excussus quidem est; non tamen internæ fidei iactura deiectus est. Quare Augustinus, qui in oppositum supra est citatus; libro tamen de correptione & gratia cap. 8, ait: *An audebis dicere etiam rogante Christo, ne deficeret fides Petri, defecturam fuisse? Sed quia preparatur voluntas à Domino; ideo pro illo Christi non posset esse inanis oratio.* Similiter Chrysostomus hom. 83. in Mat. ait: Petro Dominus non dixit: *Vt non neges; sed: Vt non deficiat fides tua, vt non prorsus pereat. Cura enim ipsius, atque fauore factum est, ne omnino Petri fides euanesceret.* Quod si Petrus in interna fide non defecit; multò magis id de Apostolis aliis, qui Dominum non negauerunt, est dicendum; præcipuè de Ioanne, qui cum sanctissima Matre iuxta Domini crucem stetit.

Scandalum Apostolis fuit debitæ constantiæ defectus.

S. Leo ser. 9. de Pass.

286. *Apostolorum fuga Dominus nos docet quales ante crucem fuerint discipuli, & quales post crucem. Etenim, qui neque cum Christo dum crucifigebatur stare poterant, post mortem Christi fuerunt adamante fortiores*, ait Chrysostomus. Apostoli autem post Domini passionem roborati, veluti adamantes fuerunt, iterumque sub Domini imperio se constituerunt. Quare Amos 7. 7. *Visus est Dominus stans super murum litum, & in manu eius trulla cementarij.* Iuxta Septuaginta legitur: *Dominus stabat super murum adamantinum, & in manu eius adamas.* Vbi Hieronymus ait: *Dominus stat super murum adamantinum, id est super Sanctos, & Apostolos suos, quibus donauit, vt ipsi adamantes vocarentur, & à nullo superati dicerent: Quis nos separabit à Charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas; an periculum, an gladius? Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei. quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Petrus quoque, quia erat fortissimus adamas, portæ inferorum non præualuerunt aduersus eum.*

Apostoli ob eximiam constantiam adamantes dicuntur.

ad Rom. 8 38.

Matt. 16 18.

cum. Quare, cum Apostoli aduersus Iudæos concertaturi essent, vnicuique eorum à Domino dictum est: *Domus Israel attrita fronte*, id est effrons, & impudens, *& duro corde est. Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum; & frontem tuam duriorem frontibus eorum: vt adamantem, & silicem dedi faciem tuam.*

Ezech c. 3.

Scriptum est enim: Percutiam Pastorem, & dispergentur oues gregis. Postquam autem resurrexero præcedam vos in Galilæam.

287. SCriptum est Zach. 13. 7. *Framea suscitare*, seu ex Hebræo: *Consurge ò gladie, super Pastorem meum, & super virum cohærentem mihi, dicit Dominus. Percute Pastorem, & dispergentur oues; & conuertam manum meam ad paruulos.* Quæ æterni Patris verba sunt. Præuidens enim Deus perfidam Iudæorum nequitiam, ob quam Christum occisuri erant, decreuit id eis in humani generis redemptionem permittere. Ideo Psalm. 68. 27. Deo Patri Christus ait: *Quem tu percussisti, persecuti sunt; & super dolorem vulnerum meorum addiderunt. Patris voluntate percussus est Vir cohærens Deo, qui ait: Ego in Patre, & Pater in me*, ait Hieronymus in Zach. cap. 13. In sensu ergo permissiuo Deus ait: O Iudæorum framea, seu gladiè, in Christi necem excitare; Percute Pastorem meum, nempe Christum, quem ouium mearum Pastorem constitui; & *Virum cohærentē mihi*; Virum scilicet qui ratione hypostaticæ vnionis meus filius est adeóque mihi in Diuinitate consubstantialis. Porrò frameæ seu gladij, seu iuxta, Septuaginta, romphææ nomine vniuersa Domini Passionis instrumenta intelliguntur. *Hic gladius*, ait Hieronymus, *& hæc romphæa, est & framea, de qua vigesimo primo Psalm. Dominus loquitur ad Patrem: Erue à framea animam meam.* Quod quidem per resurrectionem Dominus consecutus est. Simili significatu Lucæ 2. 35. Cum Beatæ Virgini dictum est: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*, seu ex Græco textu *romphæa*, seu vt Augustinus legit, *framea*; nomine gladij, seu romphææ, seu frameæ omnia Christum cruciantia instrumenta, ipsius Matris animam pertransitura dicuntur. *Tribulationem gladij nomine significatam esse credibile est, quo materna anima vulnerata est doloris affectu*, ait Augustinus. De huiusmodi gladio Bernardus ait: *Verè tuam, ò Beata Mater animam gladius pertransiuit: alioquin non nisi eam pertransiens, carnem filij tui penetraret.* Idem gladij significatus habetur Psalmo 104. 19. vbi de Iosepho dicitur: *Ferrum pertransiuit animam eius. Ferrum, quod pertransiuit animam Ioseph, pro dura tribulatione positum mihi videtur*, ait Augustinus. Porrò cum Zacharias dixisset: *Percute Pastorem meum*. Dominus ad significandum verba illa de sua passione fuisse vaticinium, *Percutiam Pastorem*, dixit, *& dispergentur oues*, nempe Apostoli. Subditur apud Zachariam: *Et conuertam manum meam ad paruulos*, nempe ad Apostolos, iuxta Hieronymum, quibus antea Dominus dixerat: *Nolite timere pusillus grex*: Et Isaiæ 8. 18. *Ecce ego, & pueri mei*, siue, *paruuli mei, quos mihi dedit Deus.* Hieronymo consonat Hugo, qui ait: *Post dispersionem Apostolorum in Passione, subdit de reuocatione eorū in resurrectione, dicens: Et conuertam manum meam ad paruulos, id est potentiam misericordiæ ad paruulos, id est ad humiles Apostolos; vt scilicet colligam eos, & reuocem in vnum.* Ad hoc autem significandum Dominus

Ioan 10 38.

Tribulatio gladij nomine significatur. *August. ep. 59.* *Bernardus ser. super signum magnum.*

Augustinus supra.

Luca c. 12.

A Apostolis dixit: *Postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam*; vbi vos à fuga, nimioque timore resipiscentes confirmabo, benignèque solabor.

288. Obijci hic potest Apostolos fugam arripuisse, cum primùm Dominus captus est; antequam flagellis, aliisque Passionis tunsionibus percuteretur: Cur ergo dicitur, *Percutiam Pastorem, & dispergentur oues?* Respondetur credibile esse quando immanes satellites, *cum gladiis, & fustibus accesserunt, & manus iniecerunt in Iesum, & tenuerunt eum*; tunc Dominum ab iis pugnis, fustiumque etiam ictibus fuisse percussum.

Christus in Gethsemani horto captus, à satellitibus eā percussus.

B *Respondens autem Petrus ait illi: Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor.*

289. VIdetur, ait Remigius, *accusabilis Petrus, & quoniam contradixit, & quoniam aliis se ipsum prætulit, & quoniam totum sibi attribuit, quasi fortiter esset perseueraturus. Vt hoc igitur in eo sanaret, permisit fieri eius casum.* Scilicet, vt triplici culpæ triplex negatio responderet. Sed cum deinde resipuisset Petrus, sua gratia clemens Dominus effecit, vt responderet Petri *negationi trinæ trina confessio; ne minus amori lingua seruiret, quam timori: Et plus vocis elicuisse videretur mors imminens, quàm vita præsens*,
C vt Augustinus ait. Quod quidem contigit, cum post resurrectionem ter Domino ex toto corde Petrus dixit: *Domine, tu scis, quia amo te*, Ioan. 21. *Petro à Domino responsum est, quòd illum esset ante galli cantum ter negaturus*, ait Augustinus: *Sicut etiam post resurrectionem ter illum interrogat, vtrum illum amet:* Scilicet vt triplicem culpam triplici amoris confessione corrigeret.

Petri ante Domini passionem triplex culpa: in Domini passione triplex negatio: eiusdem post Domini resurrectionē emendatio triplex. *Aug. de concordia Euāgelist. l. 3. c. 2.* *Aug. tract. 123 in Ioan.*

290. Sed quoniam diabolica versutia, vt Chrysologus loquitur, *de remediis creat morbos; conficit de medicina languorem; sanctitatem vertit in crimen; placationem facit reatum; generat de propiciatione discrimen*; Petrus bona, piáque sua conscientia fretus in triplicem allatam culpam inci-
D dit. Vt hinc disceremus, quàm cautè in via Domini semper incedere debeamus; quamuis nullius nobis culpæ conscij simus, iuxta Apostoli monitum: *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* Hinc ita Petrum Chrysostomus alloquitur: *Quid ais, ô Petre? Propheta dixit: Dispergentur oues; & Christus confirmat quod dictum est; & tu dicis: Nequaquam. Quando dixit: Vnus ex vobis me tradet, timebas, ne tu esses traditor; quamuis nihil tibi tale conscius eras. Nunc autem manifestè eo dicente, quoniam omnes scandalizabimini, contradicis. Sed quia exutus erat ab anxietate, quam de proditione habuerat, confidens de reliquo dicebat: Ego nunquam scandalizabor.* Sed dicenti Petro: *Ego nunquam scandalizabor*, non proinde eum
E Domini verbis aliter prædicantibus non credidisse dicendum est; sed putasse verbis iis Dominum non absolutè; sed tantùm conditionatè futurum scandalum, & ouium dispersionem prædixisse: ita vt veluti comminatoria prædictio foret, quasi diceret: Nisi sollicitè vos constantiam, debitumque in me amorem seruare conemini, in scandalum, & erga me offensam incidetis, & fugientes dispergemini. Talis ergo à Petro, qui antea Dominum Dei filium esse, adeoque omnia præscientem apertè confessus erat, existimata est Domini prædictio; sicut illa Ionæ c. 3. *Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur:* Vbi subintelligendum est, nisi pœnitentiam Niniuitæ egerint, mu-

Chrysologus serm 7. Diabolus de remediis creat morbos.

1. ad Cor c. 10. 12. Cautela, & timore commune in via Domini incedendum.

Petrus dicens: Ego nunquam scandalizabor, Domini vaticinio non contradicit.

Prædictiones interdū non absolutè futuræ, sed conditionatè sunt intelligēdæ.

tentque mores, & à Deo excidij sententiam tolli, precibus, & pœnitentiæ operibus impetrent. Quare ibi Hieronymus ait: *Quia Dominus magis pœnitentiam peccatoris, quàm mortem, libenter mutauit sententiam, quia vidit opera commutata. Qui exoratus à Niniuitis, quæ prædixerat per Ionam non fecit; possibile etiam fuit, vt repelleret etiam scandalum à Petro deprecante*, ait Origenes. Similis conditionata prædictio est etiam illa Isa. 38. in Ezechiam prolata: *Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues.* Similis etiam refertur à S. Augustino de excidio vrbis c. 6. anno Domini 396. sub Arcadio Imperatore. De huiusmodi conditionatis prædictionibus vide S. Thomam 1. p. q. 19. a. 7. Cum ergo tali modo prædicentia Domini verba Petrus intellexisset, bene Hieronymus ait: *Non est temeritas, neque mendacium, sed fides est Apostoli Petri, et ardens affectus erga Dominum Saluatorem.* Fides scilicet Petri fuit, quia credidit se diuinæ gratiæ ope constantem perseueraturum. Quòd autem ita non euenerit, fuit hoc de humana fragilitate documentum.

Origenes in Matth.

Ait illi Iesus: Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis.

291. De gallo Gregorius ait: *Profundioribus horis noctis valentiores, et productiores edere cantus solet: Cum verò matutinum iam tempus appropinquat, leniores, et minutiores omnimodo voces format.* Ideo Marcus post tertiam Petri negationem subdit: *Et statim gallus iterum cantauit*, iterum, scilicet sub auroram; cum alter media nocte galli cantus præcessisset. Propterea iuxta Marcum Petro Dominus dixit: *Tu hodie in nocte hac, prius quam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus.* Fuit ergo Petri tertia negatio ante auroram, quod tempus ex galli cantu gallicinium appellatur. Neque ab hoc dissentiunt cæteri Euangelistæ, qui absolutè Petro Dominum dixisse scribunt: *Antequam gallus cantet, ter me negabis*: Eoquòd prioris nocturni galli cantus nullam rationem habuerunt. Cur autem talis cantus rationem nullam habuerint, duplex ratio redditur. Prima est, quia prior ille galli cantus, cum profunda nocte, adeoque somni tempore fiat, obseruari communiter non solet; sicut gallicinium, cum expergiscimur, obseruari solet. Quod adeo verum est, vt Plinius lib. 10. cap. 21. de multiplici galli cantu agens matutinum quidem illius cantum referat, nulla omnino nocturni cantus mentione facta. Hæc tamen ratio Apostolo Petro, qui nocturno illo tempore vigilabat, bene aptari non videtur.

Gregorius l. 30. Moral. c 7. Gallicantus qualis diuerso tempore fit. *Marci c. 14. 72.* *Ibid. n. 30.* Galli circa cantum in prædictione prædicta Petro, Euāgelistæ quomodo non discrepent: hic, & seqq.

292. Secunda ratio est, quia Domini prædictionem de Petri negatione intellexerunt alij Euangelistæ præsuppositis ancillarum, aliorumque verbis ipsi Petro dictis: *Et tu cum Iesu Nazareno eras*: à quo termino incipiendo, cum iam antea præcessisset prior ille galli cantus, illius ratio habenda non erat. Augustinus censet Petrum ante priorem galli cantum negare cœpisse. Ideo ait: *Quia ante primum galli cantum cœpta est illa trina negatio, attenderunt tres Euangelistæ, non quando eam completurus esset Petrus; sed quando futura esset, et quando inceptura, id est ante galli cantum. Quamquam in anima eius, et ante primum galli cantum tota possit intelligi; quoniam ante galli cantum tantus timor obsederat mentem, qui eum posset vsque ad tertiam negationem perducere.* Ad hanc interpretationem probandam affert Augustinus exemplum: *Tanquam si alicui diceretur: Antequam gallus cantet, ad me scribes epistolam, in qua mihi ter conuiciaberis: Non vtique si eam ante omnem galli cantum scribere inciperes; et post primum galli cantum finires; ideo dicendum erat falsum fuisse prædictum.*

Aug. de cōcordi. Euāgelistarum lib. 3. cap. 2.

Augustini solutio non plenè satisfacit.

Sed contra est, quia valde diuersa ratio est de actione continuata, qualis est epistolæ scriptio, & de actibus discontinuatis, & discretis, quales Petri negationes fuerunt coram diuersis testibus, aliquo interposito tempore prolatæ. Hæ enim, vt quid vnum, accipi bene non possunt; quare initium vnius ad alterius initium non pertinet; atque adeo quod vna inceperit, alteram incepisse dici non potest. Tria autem conuicia in eadem continuata epistola scripta, etiam ipsa continuationem quamdam, & vnitatem habere videntur; atque adeo, vt quid vnum accipi possunt. Præterea in exemplo ab Augustino allato quamuis dici potuerit: *Ante galli cantum ad me scribes epistolam*, non tamen dici potuisset: *Ante galli cantum ter mihi conuiciaberis*, si tria conuicia ante galli cantum prolata non fuerint. Id vero quod Augustinus addit in Petri nimio timore contentas fuisse tres Petri negationes, neque satisfacit: Dominū enim non de negationibus in causa, sed in actu prolatis, & consummatis prædixisse ex Euangelico textu patet.

293. Censent alij ante primum galli cantum Petrum in domo Annæ ter Dominum negasse; & iterum ante secundum galli cantum ter etiam negasse in Caiphæ domo. Huius sententiæ est Caietanus in c. 18. Ioan. Qui non contentus sex Petro negationes tribuere; insuper cum dixisset Petrum ter ad vocem mulieris negasse, ait: *Secundum planum Euangeliorum sensum negauit bis ad vocem virilem in domo Annæ apud Ioannem, & bis in domo Caiphæ apud Lucam: ita quod septies secundùm historiam Petrus negauit.* Addit Caietanus: *Puerile est ambigere de multiplicato negationum numero, ex eo quòd Iesus dixerat, Ter. Qui enim plusquam ter negat, constat, quòd ter negat; & qui plusquam tres aureos soluit, tres aureos soluit.* Sed cōtra est, quia in prædictionibus, vt præuisio certa fuisse videatur, non debent variari neque in numero, neque in circumstantiis. Præterea quæ causa afferri potest, ob quam Dominus præuidens septies Petrum negaturum, dixerit *ter me negabis.* Quare sicut puerile non est ambigere de multiplicato negationum numero supra tres, ita senilis iudicij non est, vbi dicitur ter, intelligere septies. Quærerem enim à Caietano dicente Apostolo 2. ad Cor. cap. 11. 25. *Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci*; an aliquis benè affirmaret eum plusquam ter virgis cæsum; vel lapidatum fuisse plusquam semel? Respondebit Caietanus ex Euangelistis colligi Petri negationes plures tribus fuisse. Sed hoc verum non esse suo loco infra ostendemus; idemque bene probat Suarius ibi citandus.

Petrum sexies Dominum negasse falso asseris Caietanus.

Ait illi Petrus: Etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter & omnes discipuli dixerunt.

294. De hac Petri responsione, qua Domini prædictionem complendam credere non videtur; idem dicendum, quod supradiximus de alia Domini prædictione: *Omnes vos scandalū patiemini in me.* Cui Petrus respondit: *Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor.* Vbi Domini prædicationem non absolutam, sed conditionatam existimasse Petrum diximus. Petri exemplum secuti discipuli alij etiam nunquam Dominum se negaturos affirmarunt;

Ecclesiastæ alios hortātes, & monentes, ne ipsi præuaricentur timeant.

quod profectò præſtiterunt. Petrus autem, qui aliis ad id dicendum feruidæ charitatis ardore præluxerat, non præſtitit. Perpendat hoc Eccleſiaſtes, qui ſuis concionibus alios ad fidem, charitatemque in Deum ſeruandam excitat, dicatque ſibi cum Apoſtolo: *Ne forte cum aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar. Quod ſi Paulus hoc timuit, cum talis eſſet Præceptor; & poſt prædicationem, & orbis terrarum ſuſceptum patrocinium, hoc formidauit, quidnam nos dicemus?* ait Chryſoſtomus. *Paulus implet facto, quod docet verbo; ne ſe damnet ore proprio*, ait S. Thomas. *Illaqueatus es verbis oris tui, & captus propriis ſermonibus*, ei dicitur à Salomone, qui quod docet, opere non implet. *Suo timore nos terruit Apoſtolus. Quid enim faciet agnus, vbi aries timet, & tremit?* ait Auguſtinus. Timeat ergo Eccleſiaſtes, ne ei dicatur: *Ecce docuiſti multos, & manus laſſas roboraſti: Vacillantes confirmauerunt ſermones tui; & genua trementia confortaſti. Nunc autem venit ſuper te plaga, & defeciſti.* Plaga ſcilicet tentationis, prauæque ſuggeſtionis, & timoris, *& defeciſti.* Quod quidem Petro accidit; cum ancillæ voce territus, ſuggerente diabolo, vt ſuæ incolumitati conſuleret, Chriſtum dominum turpiſſimè negauit.

1. ad Cor. c. 9. 27.
S. Th. lec. 5. in 1. ad Cor. c. 9.
Prouerb. 6.
Auguſt. de verbis Apoſtoli ſer. 21.
Iob c. 4.

Tunc venit Ieſus cum illis in villam, quæ dicitur Gethſemani.

295. CAnninius ex Syriaca lingua Gethſemani villam *Pecuariam butyri*, interpretatur, quòd in ea butyrum è bubulo armento exprimeretur. Sanctus Gregorius explicans Iob verba c. 20. *Non videat riuulos fluminis, torrentes mellis, & butyri*, ait: *Mel deſuper cadit, butyrum verò ex animalium lacte colligitur. Mel itaque ex aëre, butyrum vero ex carne eſt. Summi autem Patris vnigenitus, cum ſit Deus ſuper omnia, homo eſt factus inter omnia:* qui *cum nos dulcedine diuinitatis ſuæ, & myſterio incarnationis replenit, melle nos pariter, & butyro ſatiauit.* De hoc myſtico, tamque pretioſo melle, & butyro, & de perfido Iudæorum populo dictum eſt: *Non videat torrentes mellis, & butyri.* In Gethſemani enim hortum veniens, ibique Dei filium ad necem quærens Iudæus populus, eius diuinitatem, ſanctiſſimamque humanitatem ad nos reficiendos largiſſimi inſtar torrentis miſſam non agnouit. Cum igitur cœleſtes delicias Iudæus populus reſpuiſſet, bene ibidem de eo Iob prædixit: *Caput aſpidum ſuget, & occidet eum lingua viperæ.* Veneno ſcilicet diabolicarum ſuggeſtionum paſtus, infernalis viperæ ore peribit.

Canninius de locis Hebraic.
Mel Chriſti Diuinitatē, butyrum eiuſdem humanitatem myſticè ſignificat.
Iudæorum perfidiæ ſupplicium.

296. Hæc Gethſemani villa teſte Hieronymo ad radices montis Oliueti ſita erat, ex quo monte Dominus in cœlum aſcendit. Eundem ergo montem ad paſſionis ignominiam ſubeundam, & ad aſcenſionis gloriam oſtendendam Dominus elegit: Vt nos doceret per paſſionum, ærumnarumque tolerantiam ad cœlum aditum reſerari.

Hieronym. de locis Hebraicis.
Paſſione, & ignominia tolerata fit ad gloriam aditus.

Et dixit diſcipulis ſuis: Sedete hic, donec vadam illuc, & orem.

297. DOnec vadam illuc, ſcilicet in hortum villæ Gethſemani proximum. *Nam ex Adami peccato qui cecidimus in horto paradiſi, vidimus in horto ſalutarem paſſionem ſumpſiſſe initium, & omnia prius corrupta reparaſſe*, ait Theophylactus Ioan. 18. Quieſcere autem diſcipulos Dominus voluit, cum ipſe in mortis agoniam,

A hoc eſt certamen ſecederet. Membra ergo quieſcebant, cum eorum caput in faciem ſuam procideret. Porrò in Gethſemani villa, vbi vallis Ioſaphat erat, ſedere Dominus Apoſtolos præcepit, dum iidem ſupra eandem vallem iudices in extremo iudicio ſeſſuri eſſent: Sicut eis Dominus promiſit Matth. 19. *Vos, qui ſecuti eſtis me, ſedebitis ſuper ſedes duodecim iudicantes duodecim tribus Iſrael.* In valle autem Ioſaphat congregandos eſſe ad iudicium rediuiuos homines indicat Ioël 3. *Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Ioſaphat, & diſceptabo cum eis:* Seu, vt alij legunt: *Iudicabo eas.* Quare vallem Ioſaphat *Iudicium Domini* Hieronymus interpretatur.

Vallis Ioſaphat extremi iudicij locus in Gethſemani villa.
Hieronym. de locis Hebraicis.

B 298. *Sedete hic, & orate, ne intretis in tentationem*, iuxta Lucam 22. 40. Apoſtolus Paulus cum in tetro, fœtidoque carcere ſederet, ad Eph. tamen c. 3. ſcribens de Deo dixit: *Conſedere nos fecit in cœleſtibus in Chriſto Ieſu.* Piè enim orantes vbicumque verſentur, in cœleſtibus ſi non corpore, mente quidem certè ſatis delectabiliter ſedere dicuntur.

Orantes in cœleſtibus conſidere.

299. Circa locum, vbi octo diſcipulos, exceptis Petro, Iacobo & Ioanne, Dominus reliquerit, diſſonantia apparet inter Euangeliſtas, quam ab interpretibus diſcuſſam non reperio. Lucas enim c. 22. 39. ait: *Egreſſus ibat ſecundùm conſuetudinem in montem Oliuarum; ſecuti ſunt*
C *autem illum & diſcipuli. Et cum perueniſſet ad locum dixit illis: Orate, ne intretis in tentationem: Et ipſe auulſus eſt ab eis quantum iactus eſt lapidis.* Similiter Ioannis cap. 18. *Egreſſus eſt cum diſcipulis ſuis trans torrentem Cedron, vbi erat hortus, in quem introiuit ipſe, & diſcipuli eius.* Ex his duobus Euangeliſtis videntur diſcipuli cum Domino in hortum introiſſe. Contra verò à Matth. hoc cap. 26. dicitur: *Venit in villam, quæ dicitur Gethſemani, & dixit diſcipulis ſuis: Sedete hic, donec vadam illuc, & orem. Et aſſumpto Petro, & duobus filiis Zebedæi cœpit contriſtari, & mœſtus eſſe.* Similiter Marcus 14. 32. *Veniunt in*
D *prædium, cui nomen Gethſemani, & ait diſcipulis ſuis: Sedete hic, donec orem. Et aſſumit Petrum, & Iacobum, & Ioannem ſecum; & cœpit pauere, & tedere.* Ex his autem duobus aliis Euangeliſtis videtur Dominus octo diſcipulos in villa ſeu prædio Gethſemani reliquiſſe, ſecum in hortum ducendo Petrum, Iacobum & Ioannem. Ad hanc diſſonantiam concordandam dicendum videtur Matth. & Mar. diſtinctius hiſtoriam narraſſe; & Dominum in Gethſemani villa, vbi ex S. Hilario erat domus ruſtica, relictis diſcipulis octo, ſecum in hortum tantùm tres reliquos duxiſſe. Quare cum à Luca indicatur, & clarius à Ioanne dicuntur diſcipuli cum Domino in hortum introiſſe; id de Petro, Iacobo, & Ioanne eſt intelligendum. Ioannes autem trium diſcipulorum nomina reticuit, ne ſuum præ aliis priuilegium in-
E dicaret; idque ex humilitatis affectu. Sicut neque ſuum in montem Thabor aſcenſum, neque ſe cum Petro, & Iacobo in domum Archiſynagogi ad puellam ſuſcitandam à Domino introductum ſcribere voluit; cum id apud alios Euangeliſtas ſcriptum reperiatur.

Euangeliſtarum narrandi diuerſitas conciliatur.

300. Porrò à tribus diſcipulis Dominus in interiorem horti locum ſecedens *auulſus eſt, quantum iactus eſt lapidis*, vt Lucas ait. Circa quæ Lucæ verba duo perpendenda ſunt. Primò, Dominum cum ad orandum ſecedere vellet; non ſolùm à cœnaculo intra Ieroſolymam, & à villa Gethſemani in remotum hortum ſeceſſiſſe; ſed in ipſo horto ſub concaua rupe, vt Ioannes Sua-

Ioannes Suarez in Euãg. Marci c. 14. Solitaria loca ad orandum quærenda. Theophyl. in Matth. cap. 26. Solitaria loca silentij officinæ. In his officinis quæ arma elaborẽtur. ad Eph. 6. Christi erga suos tener affectus.

rez refert, discipulis tribus relictis, in remotiorem horti locum se recepisse; vt hinc intelligeremus solitudinem, & ab hominum consortio secessum ad orandum nos eligere debere; vt soli Deo solitaria, piaque quiete vacemus. *Solitaria loca, & silentij officinas, quærere solebat Dominus*, ait Theophylactus. In huiusmodi silentij officinis arma illa elaborantur, quæ habere nos debere monet Apostolus; nempe *loricam iustitiæ, scutum fidei, galeam salutis, & gladium spiritus.* De solitudine ad orandum opportuna plura diximus Dominica prima Quadrag. & fer. 5. dom. 3. & dom. 4. Secundò, notandum est, quàm tenero affectu suos discipulos, licet eum mox fuga relicturos, Dominus dilexerit: Cum ab iis non B seiunctus, sed *auulsus* fuisse dicatur: Auulsus scilicet vim sibi inferendo, cum eos tantisper relinqueret. Porrò Gethsemani villa, vbi discipuli octo remanserant, horto, in quem Dominus secessit, valde proxima erat; ita vt inde audito satellitum strepitu, statim discipuli in hortum, vbi Dominus captus est, accurrere potuerint. Centum & octoginta septem passuum distantiam illam fuisse Stella in Lucam cap. 22. asserit.

Et assumpto Petro, & duobus filiis Zebedæi, cœpit contristari, & mœstus esse.

Petrum, Iacobum, & Ioannẽ cur relictis aliis secum Dominus duxerit, rationes quinque.

C 301. Cur hos tantùm secum duxerit primam rationem reddit Remigius: *Quia turbandos, & dispergendos præsciebat quos sedere iussit.* Similiter Cyrillus Alexandr. *Alios non secum accepit ne laberentur, & caderent.* Similiter Victor Antiochenus: *Hos tres tantùm, & non simul omnes assumpsit; ne omnes simul animis conciderent.* Hæc ratio non satisfacit; quia ob eamdem rationem neque Petrus, Iacobus, & Ioannes in hortum ducendi erant. Tam enim de tribus his, quàm de aliis octo iam prædixerat Dominus: *Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte*: scandalum autem fore fugam indicans subdidit: *Scriptum est enim: Percutiam Pastorem, & dispergentur oues.* Quare probabiliter, vt supra diximus, dici videtur discipulos extra hortum relictos audito satellitum strepitu in hortum accurrisse; inde tamen Domini captura territos simul cum tribus aliis fugam arripuisse.

302. Secunda ratio affertur à Theophylacto, & Euthymio, ne scilicet cum infirmiores essent scandalizarentur, videntes eum contristatum & timentem: *Vt eum gementem, & rugientem non audirent*, Albertus Magnus ait. Addit alius interpres ob eamdem rationem à tribus aliis discipulis Dominum recessisse *quantum iactus est lapidis.* Sed contra est, quia hoc capite 26. Matth. ait: *Assumpto Petro, & duobus filiis Zebedæi cœpit contristari, & mœstus esse. Tunc ait illis: Tristis est anima mea vsque ad mortem* Non ergo ad tristitiam celandam, sed ex causa supra allata à tribus illis discipulis auulsus est Dominus.

303. Tertia ratio ex Origene hæc est: *Cæteros sedere iussit, vt infirmiores; tres alios vt firmiores voluisse.* Sed contra est, quia, vt euentus docuit, neque hos vt firmiores Dominus reperit: Cum his tribus ipse Dominus dixerit: *Sic non potuistis vna hora vigilare mecum?* Cumque omnes fugerint; & Petrus insuper Dominum negauerit.

304. Quarta ratio ex Glossa ordinaria est Petrum, Iacobum, & Ioannem secum à Domino in hortum fuisse ductos, eo quòd in Apostolorum collegio ipsi Domino magis familiares A forent. Quare ob eamdem causam, cum ad vitam Archisynagogi filiam Dominus reuocare vellet, *non admisit quemquam se sequi, nisi Petrum, Iacobum, & Ioannem*, vt dicitur Marci 5. 47. Similiter transfigurandus Dominus in monte Thabor, eosdem tres tantùm secum ascendere Dominus voluit Matth. 17.

305. Quinta ratio ex S. Thoma, & communi multorum Patrum sententia, quia *ostenderat eis gloriam* scilicet in monte Thabor; *ideo volebat, quòd sicut viderant gloriam, ita viderent infirmitatem*: atque adeo ex visa prius Domini gloria eiusdem postea visa tristitia non scandalizarentur. *Scientes quoniam sicut socij passionum estis, sic eritis & consolationis* ait Apostolus. Inuerso autem ordine, quia tres hi Apostoli in monte Thabor consolationis socij fuerant, desolationis etiam socios habere Dominus voluit. Sed quæ humana fragilitas est, idem Petrus, qui Domini visa gloria in monte Thabor tabernaculum figere voluit, ex montis Oliueti horto, visa capti Domini ignominia fugam arripuit. 2. ad Cor. 1.

306. *Cœpit contristari, & mœstus esse. Cœpit pauere, & tædere*, ait Marcus. Vbi ex Græco textu legitur: *Cœpit obstupescere.* Dominus enim experimentali scientia suum ex imminente morte pauorem noscens, cum alioquin mortem, & æterni Patris mandatum implere, & genus humanum redimere ardentissimè expetierit; quòd in præsentia tantus ex imminente morte ei pauor, & tristitia incuteretur, obstupuit. Iob, qui suis in ærumnis Dominum præfigurauit, dixit: *Tædet animam meam vitæ meæ.* Vbi vitæ tædium triplex distinguit Hugo, bonum scilicet, malum, & medium. Bonum oritur ex amore rei bonæ, quæ differtur; malum ex acedia, seu pigritia; medium ex miseria, quæ affligit: Excepto vitioso pigritiæ tædio, primum, & vltimum in Christo Domino fuit. Primum quidem in superiore animæ parte; cum humanæ salutis opus, & ad Patrem reditum nullatenus differre cuperet: Vltimum in parte D inferiori, cum eius animam immitis, & bene præuisa mortis acerbitas vehementer affligeret. Similiter Apostolus Paulus ob ingentem tribulationem aiebat: *supra modum grauati sumus, supra virtutem*, scilicet supra vim naturæ, non gratiæ; *ita vt tæderet nos etiam viuere.* Eumdem etiam ob desiderium Deum videndi, vitæ tædebat; ita vt propterea dixerit: *Coarctor desiderium habens dissolui, & esse cum Christo.* Elias, qui vt Rupertus ait, Domini typum gerebat, *petiuit animæ suæ, vt moreretur, & ait: sufficit mihi, Domine, tolle animam meam.* Elias Angelum consolatorem habuit: *Ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi: Surge, & comede.* Similiter Domino *apparuit Angelus de cœlo confortans eum.* Sed Eliæ Angelus subcinericium panem ad eius E vires reficiendas dedit: Christus autem Dominus mœrore pressus non alium panem, quàm *lacrymarum panem* habuit: Cum iuxta Theodoretum in Gethsemani horto *preces, supplicationesque ad eum, qui possit illum saluum facere à morte, cum clamore valido, & lacrymis obtulit.* Elias sub Iunipero dormiit. Si quæratur Dominus Eliæ antypus, quas inter arbores in somnis nocturnum tempus in Gethsemani horto peregerit? Cedros fuisse reperiemus: *In Gethsemani horto erat copia cedrorum enascentium*, Lyranus ait. E cedri, & oliuæ lignis Crucem fuisse cõpactam habetur ex Glossa relata in Clementina 1. de summa Trinitate: Olineti igitur proximi montis oliuas, & Gethsemani cedros, quòd huiusmodi arbores

Iob c. 10. Tædium triplex, bonum, malũ, & medium.

2. ad Cor. c. 1. 8.

ad Philip. c. 1. 23.

Rupertus l. 1. c. 10.

3 Reg. 19. Eliæ, & Christi Domini comparatio.

Luc. c. 22. 43

Psal. 79. 6.

ad Hebr. c. 5. 7.

sibi crucem parassent, ad solamen Dominus morti proximus habere voluit.

307. *Cœpit contristari, & mœstus esse. Dominus noster, vt veritatem probaret assumpti hominis, verè quidem contristatus est; sed ne passio in animo illius dominaretur, per passionem cœpit contristari: aliud est enim contristari, & aliud incipere contristari*, ait Hieronymus. Incipere contristari est tristitiam non coactè, sed liberè subire; cum eam diuinitus omnino repellere posset. Quod explicans Ambrosius ait: *Ille hos motus certissimæ dispensationis gratia sua, cum voluit, suscepit animo humano; vt, cum voluit, factus est homo. Habemus quidem & nos huiusmodi affectus ex humana conditionis infirmitate; non autem ita Dominus Iesus, cuius infirmitas fuit ex potestate.*

Christus liberè tristitiæ, aliosq; similes affectus suscepit.

Ambros. in Lucam c. 22

308. Cum Dominus suæ conceptionis initio futura omnia, adeoque omnes, quos subiturus erat cruciatus, clarè præcognouerit; ideoque dixerit Psal. 37. 18. *In flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper*: Cur ergo prope mortem, quasi antea mœrorem, doloremque non habuerit, contristari incepisse dicitur? Respondetur tunc contristari cœpisse, non quomodocumque; sed mœrore, & iam imminentis mortis pauore valdè intenso. Sicut de eodem Domino dicitur Matth. 4. *Cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit*: Non quòd antea non esurijsset; sed quòd tunc intensiorem esuriem sentire cœperit, vt Dom. 1. quadr. diximus.

309. Mirum profectò fuit Isaiæ c. 11. 6. vaticinium de adueniente Domino sub humana carne, & de efferatis gentibus euangelica fide mansuefactis iuxta Basilium, Hieronymum, Origenem, Chrysostomum, & Gregorium: *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit. Vitulus, & leo, & ouis simul morabuntur.* Sed longe mirabilius fuit in eodem Christo Domino duo multò magis contraria locum habuisse; scilicet beatificum gaudium & beatificā Dei visionē; & cum eodem gaudio ingentem mortis tristitiam. Reiicienda est igitur Melchioris Cani sententia asserentis in Christo suspensum fuisse gaudium connaturaliter ex Dei visione consequens, quo tempore fuit viator; vt dolere & tristari posset. Sed in hoc Thomista apertè sancto Thomæ contradicit, qui 3. p. q. 46. a. 8. ait. *Dum Christus erat viator, non fiebat redundantia gloriæ à superiori parte in inferiorem; nec ab anima in corpus. Sed, quia nec è conuerso superior pars animæ impediebatur circa id, quod est sibi proprium, per inferiorem: consequens est, quod superior pars animæ perfectè fruebatur. Christo patiente.* Vide ibi Scholasticos. Christus igitur Dominus, qui pro humano genere fuit *simul in vnum diues, & pauper*; voluit simul esse beatè gaudens, & miserè mœrens. Sed, quod mirabilius est, beatifica Christi visio eius mœrorem, doloremque vehementer auxit: Clarè enim intuendo infinitam Dei maiestatem & bonitatem, cum in eam peccare homines cerneret; hinc eius mœror, dolorque incrementa capiebat. Ita vt Christus non solùm cruciatus, sed beatitudinem ipsam, & gaudium ad patiendum tortores habuerit.

Basilius hom. 10. in Hexam. Hieronym. in Isa. c. 11. Origenes hom. 2. in c. 6. Gen. Chrysostomus ibidem hom. 23. Gregor. in Ezech. hom. 16.

Melchioris Cani sententia non Thomistica refellitur. Canus lib. 12. de locis c. 14.

Christo patiente, in eius superiori animæ parte gaudium non impediebatur.

Psal. 48. 3.

> *Semina quàm dulci sua profert germina mœror!*
> *Gaudia si cruciant, crux erit vnde procul?*

310. Porrò Christi tristitiæ, præter propinqua mortis, & imminentium cruciatuum prævisionem, multiplex causa afferri potest. Prima fuit cognoscere peccata omnia præterita, præsentia, & futura, vt diuinæ bonitatis iniurias; præcipuè peccata illa, quæ omnino irritam suæ passionis medelam reddebant. Præcognoscendo autem post suam passionem futura hominum scelera maximè tristabatur. Tunc ergo Domini animo repræsentati Caligulæ, Nerones, Diocletiani, Maximiani, aliique immanes tyranni; ei maximam tristitiam inferebant. Quare id genus crudelitatis monstra, antequam in Martyres Domini membra sæuirent, in seipsum Dominus Martyrum caput tortores immanissimos habuit. Præterea rapinæ omnes, hominumque lasciuiæ iustissimum purissimumque Christi animum vehementissimè cruciabant. Quare verè Christo Domino dici potuit. *Magna est velut mare contritio tua*, seu ex Hebr. *tristitia tua*. Sicut enim *omnia Flumina intrant in mare*; ita scelera omnia Christo Domino dolorem afferentia in eius animum introibant. Propterea sub Dauidis persona Psal. 17. 5. Dominus dixit: *Circumdederunt me dolores mortis: & torrentes iniquitatis conturbauerunt me.* Vbi iuxta Hebraismum particula, ET, pro particula, QVIA, ponitur: Ideo enim mortis dolores circumdederunt Dominum; quia torrentes humanæ iniquitatis sanctissimam eius animam conturbarunt.

Christi tristitiæ ries.

Ieremia Thr. 2. Eccles. c. 1. 7

Et, particula pro QVIA ponitur.

311. Secundò iuxta Hieronymum speciatim *contristabatur Dominus propter infelicissimum Iudam, & scandalum omnium Apostolorum, & reiectionem, vel reprobationem populi Iudæorum, & euersionem miseræ Ierusalem.* Quare antequam Titus Ierosolymam diu obsidione, fameque pressam euerteret; antequam sanctissimum templum incenderetur, Ierosolmæ famis, & euersionis pœnam templique flammas in se ipso Dominus vehementissimè sensit. Similiter antequam Iudas sui sceleris veniam desperans se ex infelice ligno suspenderet, infelix lignum illud Domini animo acerbissimam Crucem exhibuit.

312. Præcipuè contristatus est Dominus ob suæ sanctissimæ Matris in futura sua passione mœrorem, acerbissimosque dolores. Cumque, vt testatur Damascenus, & ex eo Adrichomius, in Gethsemani agro vbi Christus tristabatur, Beatissimæ Virginis sepulchrum fuerit; eam alioquin morti non subiiciendam, ob Adami peccatum, ab ea non contractum, morti tamen obnoxiam peramantissimus filius maximè doluit.

Damasc. orat. 2. de B. V. Adrichomius in descriptione Ierusalem n. 158

B. Virgo in Gethsemani agro sepulta.

313. *Cœpit pauere*, iuxta S. Marcum. *Perfecta charitas foras mittit timorem*, ait Ioannes; seruilem scilicet imperfectumque timorem. In Christo autem à perfecta charitate perfectus, nobisque salutaris admissus est timor: Voluntariè enim mortis timorem subire Dominus voluit; vt suis fidelibus in ærumnis timorem adimere mereretur; eosque ad cruciatus subeundos fortes impauidosque redderet. *Timor Domini sanctus, permanens in seculum seculi*, dicitur Psal. 18. *Timor Domini mundus* legitur ab Euthymio qui addit: *Mundus ideo dicitur Domini timor, quia munditiæ est causa, & mundos homines reddit.* Domini quidem timor humanæ sanctitatis, & munditiei meritoria causa fuit, per quam homines ad cœlestem gloriam extulit. Ideo talis timor, scilicet eius affectus, *in seculum seculi*, idest in æternum permanere dicitur. Ex meritorio enim Christi timore æterna nobis beatitudo est comparata. Spes, & timor inter se pugnant: nihilomi-

Ioan. epist. 1. c. 4. 18.

Christi timor nostræ spei vigor, & vigor.

nus ex Christi timore nostra spes virorem, vigoremque seruat.

Tunc ait illis: Tristis est anima mea vsque ad mortem.

HOrum verborum sensus est: Quanta sit mea tristitia, vt explicem, eam vsque ad mortis angorem sentiendum me pertrahere dico. Vel, vt ait Hieronymus: *Non propter mortem, sed vsque ad mortem Dominus dicitur contristatus; donec Apostolos sua liberet passione.* Non dissimiliter Origenes: *Tristis est anima mea vsque ad mortem. Quasi dicat: Tristitia cœpta est in me, non semper, sed vsque ad tempus mortis; vt cum mortuus fuero, peccato moriar*: scilicet pro peccato delendo subeam mortem.

Sustinete hic, & vigilate mecum.

314. HOc mihi à vobis solamen posco, vt dum ego pro vobis vigilo, & in agonia propinquæ mortis laboro, vos mecum grato animo vigilantes habeam. Vigilate ergo, non quomodocumque, sed *vigilate in orationibus. Phialæ aureæ plenæ odoramentorum sunt orationes Sanctorum.* Has phialas mihi ad mœroris lenimen à vobis habere cupio; dum me ad passionis bibendum calicem comparo. Cùm primum in hunc mundum veni, reperi prope Bethleem *pastores vigilantes & custodientes vigilias noctis super gregem suum*: Nunc ex hoc mundo discessurus vos super me pastorem vestrum vigilare desidero. Præterea ob vestram vtilitatem vos vigilantes, & orantes volo: *Orate, ne intretis in tentationem.* Intrantes enim in tentationem à me recedentes fugam arripietis. Ideo ante etiam vos monui: *Vigilate omni tempore orantes; vt digni habeamini fugere ista omnia*; vitando præcipue fugam, qua me derelinquatis: *Et stare ante filium hominis*, mereamini, imperterrita scilicet animi constantia. *Sustinete hic igitur, & vigilate mecum*, qui etiam vigilando præeo vobis exemplo.

1. Petri c. 4.
Apoc. c. 5. 5.
Lucæ c. 2. 8.
Lucæ 21. 36.

Et progressus pusillùm procidit in faciem suam.

315. FAciem illam Dominus ad terrã procidẽs deiecit, *in quam desiderant Angeli prospicere. Oratio humiliantis se nubes penetrabit*, dicitur Ecclesiastici 35. 21. Ex Syriaco & Tigurino textu legitur: *Oratio afflicti super nubes ascendit; & coram Domino maiestatis ingreditur.* Verè cum tristis & afflictus Dominus sacram faciem ob humilitatem, & æterni Patris reuerentiam ad terram dimisisset; eius oratio super nubes ascendere, & coram Domino maiestatis ingredi meruit. *Magna armatura oratio est*, ait Chrysostomus. Si quæratur cui armaturæ oratio assimiletur, sagittæ similis dici bene potest. Quò enim sagitta tenso arcu magis retrahitur, eò velocius ad scopum fertur: ita oratio humilitatis affectu valde demissa, velocius, & vehementius ad Deum tendit.

Epist. 1. Pet. c. 1. 12.
Christus orans cur faciem ad terram demiserit, rationes quinque.
Chrysost. hom. 41. ad populũ.
Oratio sagittæ similis.

316. Secundò præter erga æternum Patrem obsequium, faciem ad terram Dominus deiecit; vt primæ parentis culpam expiaret; quæ faciem extulit, vt vetitum pomum aspiceret, vt decerperet; indeque in humanum genus peccati, mortisque perniciem intulit.

317. Tertiò faciem ad terram Dominus dimisit; vt terræ, quam Deus iudex maledixerat, Deus redemptor benedictionem impertiretur.

318. Quartò faciem Dominus in terram demisit, vt terram, quæ ei in pœnalem coronam spinas nutrierat, oscularetur: Quasi gratias agens, quòd ipsi pro humana salute, & æterni Patris obedientia cruciatum ministrasset.

319. Quintò, quoniam ex cedro compacta crux fuit, & Gethsemani hortus cedris abundabat, vt supra diximus; ex eo fortasse horto Ierosolymæ proximo, crucis lignum desumptum fuit; ideo locum vnde crucis lignum erutum est, Dominus crucis amantissimus demissa facie est osculatus. Porrò cum Christus Dominus suam pro nobis initurus passionem in terram faciem demiserit; bene Deo fidelis anima dicere potest. *Domine Deus virtutum, exaudi orationem meam: Respice in faciem Christi tui.* Cum enim pro nobis sanctissimam suam faciem ad terram Christus deiecerit, hinc à Deo flagitamus, vt in cœlesti Patria faciem ad ipsum Christum videndum, mentemque ad beatificam visionem attollere mereamur.

Ps. 83.

Orans, & dicens: Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste. Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.

320. HÆc verba explicata sunt sabbato post Dominicam passionis in illa verba: *Pater salui fica me ex hac hora.* Quod Christus Matth. 6. 10. nostra in oratione faciendum docuit; scilicet, vt Deo dicamus: *Fiat voluntas tua sicut in cœlo, & in terra*, idem ipse orans præstitit dicens: *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Hominis voluntas infernum facit: *Cesset voluntas propria, & infernus non erit*, ait Bernardus. E contrario, qui Dei voluntatem exequitur, terram in cœlum mutat. Quare cum Dominus nos orare docuit: *Fiat voluntas tua sicut in cœlo, & in terra. Antequam superna illa præstetur habitatio, cœlum quodammodo fieri iussit è terra; vt scilicet tales sint etiam dum in ea degunt; ita omnia faciant, & loquantur, quasi qui prorsus conuersantur in cœlo*, ait Chrysostomus. Sic ergo terra quasi cœlum erit, & homines velut Angeli. Angelis enim tamquam quid eis proprium, maximèque eximium dicitur: *Benedicite Domino omnes Angeli eius, potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum eius. Benedicite Domino omnes virtutes eius, ministri eius qui facitis voluntatem eius.* Porrò cum Dei voluntate conformitas non solùm homines Angelos reddit, sed etiam Christi Domini spirituali nexu consanguineos: cum ipse Dominus dixerit Matt. 12. *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ille meus frater, & soror, & mater est*: Prouenit enim iste spiritualis consanguinitatis nexus, quia, vt Bernardus ait: *Talis conformitas maritat animam Verbo.*

Voluntas humana infernũ facit.
Obediendo diuinæ voluntati fit cœlum.
Bernardus ser. 3. de Resurrect.
Chrysost. hom. 20. in Matth.
Psal. 102. v. 20 & 21.
Conformitas cum diuina voluntate: animã Deo maritat.

321. Hoc in coniugio quæ dos sit, si quæratur, respondeo seruari in tali coniugio antiquum morem, quo sponsus sponsæ vicissim dotem tribuebat. Iuxta quem morem Genes. 34. Sichen Chananæus Princeps Dinam sibi in sponsam poscens, Iacob Dinæ Patri, fratribusque Dinæ dixit, *Augete dotem, & munera postulate, & libenter tribuam quod petieritis.* Dos autem quam Deus suæ sponsæ in cœlesti regno tribuit, multiplex est. Tres animæ dotes sunt, Dei visio, dilectio, & fruitio. Corporis dotes quatuor sunt; impas-

Bernardus, ser. 28 in Cantica.
Dos spiritualis coniugii.

sibilitas, claritas subtilitas, & agilitas. Quas omnes affert, & explicat S. Thomas in 4. dis. 49. q. 4. a. 5. Impassibilitas Beatorum corpora omnino incorruptibilia, nullique extrinseco agenti obnoxia reddit: Ita vt in medio igne non ardeant; mediis in aquis non madeant. Claritatis dos Beatorum corporibus ingentem splendorem impertitur; Ita vt quilibet Beatus *amictus lumine sicut vestimento* solare lumen omnino superare videatur. Iure autem Beato, qui diuinæ voluntati se conformauit, claritatis dos datur. Nam iuxta Apostolum. *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra; vt abstineatis vos à fornicatione; vt sciat vnusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione*, hoc est in castitatis puritate. Propterea hanc Dei voluntatem exequenti dicitur Sap. 4. *O quam pulchra est casta generatio cum claritate!* Agilitatis dos Beatis tam expeditam velocitatis vim tribuit, vt quolibet celerrimè, vllo sine impedimento, se conferre possint. Hanc autem agilitatis dotem Beati meritò consequuntur. Cum enim Deus ad aliquid per seruos suos exequendum, *emittit eloquium suum terræ, velociter currit sermo eius.* Ideo ergo iustis Dei sermonem, voluntatemque velociter exequentibus, in cœlesti patria velocissima agilitatis dos est tribuenda. Quarta dos Beatorum erit subtilitas, qua solida corpora, alioquin imperuia facillimè penetrare poterunt. Ideo Apostolus fidelibus ait: *Habentes Pontificem magnum, qui penetrauit Cælos Iesum filium Dei, teneamus confessionem.* Quasi dicat, vt ibi Cornelius bene explicat: *Persistite in fide Christi; ad requiem in cœlis properate: Este cœli longe à nobis absint, facilè eos conscendemus, & penetrabimus duce Christo, qui eos penetrauit, eosque nobis peruios fecit, dummodo confessionem, id est professionem retineamus.* Professio autem fidelium est diuinæ voluntati se in omnibus conformare.

Psal. 103. 2.
Ad Thessal. ep. 1. c. 4.
Psal. 147. 4.
Ad Hebr. 4 14.

Et venit ad discipulos suos, & inuenit eos dormientes, & dicit Petro: Sic non potuistis vna hora vigilare mecum? Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem.

322. AD Petrum, vt Apostolorum caput, Dominus sermonem dirigit; eiusque præcipuè somnolentiam reprehendendo, eum excitare conatur. Expergefacto capite cætera membra soluuntur. Quam iustè Petro, Iacobo, & Ioanni somnolentia à Domino exprobari poterat; cum Lucæ 5. de se, suisque sociis Iacobo, & Ioanne Petrus Domino dixerit: *Præceptor per totam noctem laborantes nihil cepimus.* Ad pisces è stagno extrahendos totam noctem insomnem cum Iacobo, & Ioanne peregit Petrus; qui postea, vt orando è cœlo cœlestium gratiarum margaritas expiscari possent, vna hora vigilare non potuerunt. Teste Plutarcho Persarum Rex cubicularium habebat, qui mane Regem excitans diceret: *Surge Rex; atque ea cura, quæ curare voluit Mesoromasdes tuus Deus.* Similiter dormienti Petrò dici poterit: Surge atque ea cura, quæ Christus Deus tuus curare vult: Scilicet, vt vigilans ores, ne intres in tentationem; Et in hoc aliis exemplo præluceas. Si præ ardentissimo amore, quem erga Dominum Petre profiteris, eum, vt cor tuum æstimare debuisti; ideo cum in soporem incideres, statim euigilans tibi exprobrare debebas: *Ego dormio, & cor meum vigilat.*

Vigilantia maior in temporalibus, quàm in spiritualibus acquirendis reprehēditur.
Plutarchus lib. de doctrina Principū Persarum Rex ad quid cubicularium è somno eum excitantem haberet.
Cantic. c. 5. 2.

323. Cum vigilanter suum gregem pastor Iacob custodisset, dixit: *Fugiebat somnus ab oculis meis.* Quòd à Petro sociorumque oculis somnus non fugerit, ipsi in tentationem intrantes postea derelicto Domino fugam arripuerunt. Sicut iusti dicuntur *filij lucis*, ita peccatores filij tenebrarum sunt. Lux ab oculis somnum excutit; tenebræ verò in oculos somnum inducunt. Pudere ergo debet lucis filios in Dñi obsequiū somnolentos esse; tenebrarum autem filios ad sua scelera perpetranda esse vigilantes. Ideo benè à Domino somnolentis Apostolis exprobratur: *Iudam non videtis quomodo non dormit; sed festinat tradere me Iudæis?*

Gen. 31. 40.
Luc. 16. 8.
Filios lucis somnolentos esse pudeat, cum filii tenebrarum vigilantes sint.
In officio Fer. 5. mai. hebd. Nocturn. 3.

Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.

324. DE quo hæc verba Dominus dixerit, discordes interpretes sunt. S. Remigius de se Dominum locutum esse censet dicens; *His verbis ostendit se veram carnem ex Virgine sumpsisse, & veram animam habuisse. Vnde dicit spiritum suum promptum esse ad patiendum; carnem verò infirmam timere dolorem passionis.* Sed probabilius cum S. Hilario dicendum est ea verba Dominum de discipulis, quos excitans alloquebatur, protulisse; vt eos scilicet excusaret, quòd ex carnis infirmitate somno premerentur; cum alioquin tunc spiritum ad ipsum Dominum non derelinquendum promptum haberent. *Viuus est sermo Dei, & efficax, pertingens vsque ad diuisionem animæ, & spiritus*, ait Apostolus. Viuus profectò est sermo Dei, idest Dei Verbum, Dei filius; & pertingit vsque ad diuisionem animæ, nempe partis inferioris, & spiritus, scilicet partis superioris, & rationalis: ita vt bene noscat quid ex fragilitate interioris partis proueniat; quid contra è spiritus charitate, & feruore. *Quis accusabit aduersus electos Dei? Christus Iesus, qui etiam interpellat pro nobis?* Quod interrogando addit Apostolus, vt negatiuum sensum inferat. Christus enim Dominus suos amicos, licet ex carnis infirmitate in aliquo deficiant, excusat; & pro iis intercedens æternum Patrem interpellat. Quare si ex Apoc. 12. *Accusator fratrum diabolus est*; Christus Dominus, qui aduenit; *vt dissoluat opera diaboli*, fratrum est excusator.

Ad Hebr. c. 4. 12.
Accusator fratrum diabolus est: Christus autem excusator.
Ad Rom. c. 8. 33.
Ioan. ep. 1. c. 3. 8.

Iterum secundò abiit, & orauit dicens: Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua.

325. SIcut antea æterno Patri dixerat: *Non sicut ego volo, sed sicut tu*: Ita idem iterum repetit dicēs: *Fiat voluntas tua.* Quæ verba, quòd frequentissimè Dominus suis in omnibus desideriis, & operibus vsurpauerit, patet ex eo, quòd æterni Patris voluntatem exequi suum cibum esse dixerit Ioan. 4. *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me.* Sicut ergo cibus quotidianus est; ita quotidiana insuper, & frequentissima hæc ad æternum Patrem Christi Domini oratio erat: *Fiat voluntas tua.* Diuinæ voluntatis cibum, antequam lac sugeret, Christus Dominus suauissimè prægustauit. Ideo iuxta Psalmum 391. & Apostolum ad Hebræos 10. Christus Dominus æterno Patri *ingrediens in mundum dixit: Corpus aptasti mihi. Tunc dixi*; tunc iuxta S. Anselmum, & S. Thomam, in ipso primo meæ Incarnationis instanti, *tunc dixi, ecce venio:* Ecce scilicet promptus venio, vt hu-

Voluntas Dei Christi cibus quotidianus. Hunc cibū, antequā lac sugeret, prægustauit.

manum corpus, quod mihi aptasti, fundendo sanguinem tibi in sacrificium pro hominum redemptione offeram: *Vt faciam, Deus, voluntatem tuam. Sponsionem suam opere comprobauit*, ait Hieronymus. Hinc *virum voluntatis meæ* insigni titulo æternus Pater Christum appellat Isaiæ 46. Felix, qui eiusdem tituli particeps esse conatur. Porrò quod ab initio suæ Incarnationis Dominus cœpit, frequentissimè toto vitæ cursu iterauit, semper Deo repetens: *Fiat voluntas tua.* Ex tali magistro B. Gertrudis trecenties sexagies quinquies eadem verba: *Fiat voluntas tua*, quotidie pronunciare didicit.

Christus vir voluntatis Dei insigni titulo dicitur.

B. Gertruda trecenties sexagies quinquies Deo *Fiat volūtas tua* quotidie repetebat.

326. De iusto dicitur Psalmo 1. *In lege Domini voluntas eius*; nam voluntatem aliam non habet, quàm vt Dei voluntatem diuina lege significatam semper exequatur. Ibidem de eodem iusto subditur: *Omnia quæcumque faciet, prosperabuntur.* Quibus verbis Dei voluntatem in omnibus adimplere cupienti cum omnia prospere, feliciterque euentura, diuinus sermo testetur; quæritur quomodo id verificetur; cum iustum diuinam voluntatem exequentem plurimas aduersitates, & ærumnas sæpe subire videamus. Huic difficultati pius mendicus maxima pressus egestate respondit apud Taulerum in colloquio Theologi, & mendici; *Fuit olim insignis quidam Theologus, qui annis 8. precibus continuis à Domino id cupiebat obtinere, vt ipsi hominem quemdam ostenderet, qui eum viam veritatis edoceret. Cumque vice quadam vehementissimo huius rei flagraret desiderio, vox quædam cœlitus lapsa, ita ipsum allocuta est: Exi foras ad limina templi, & offendes illic hominem, qui te viam veritatis edoceat. Exiens igitur, inuenit Mendicum quemdam diruptis, sordidis, lutosis pedibus, cuius vestes in vniuersum vix tribus obolis supputares? quem salutans, ita affatus est, Det tibi Deus prosperum mane. Respondit mendicus, Non memini me vnquam aduersum mane habuisse. Et Magister: Eia, inquit, vt fortunatum te faciat Deus, quid ita loqueris? Respondit pauper, sed nec infortunatus aliquando fui. Et ille, Felix esto, quid sibi hæc tua verba volunt? Et pauper: Nunquam, ait, infelix fui. Rursus itaque Magister, saluet, inquit, te Deus, iam nunc apertius loquere, neque enim capio quid dicas. Tum pauper respondit, Libenter id faciam. Optabas mihi, Domine Magister, prosperum mane; & ego me nunquam aduersum mane habuisse respondi. Quando enim fame premor, Deum laudo. Si frigus patior, si grando, si nix, si pluuia cadit, si aura serena est vel turbulenta, Deum laudo; si miser sum, atque despectus, Deum similiter laudo; & ideo nunquam triste mane mihi contigit. Optabas etiam fortunatum me fieri, & ego nunquam me infortunatum fuisse respondi. Noui enim cum Deo viuere, certusque sum quicquid ille facit, non posse non esse optimum. Vnde quidquid ipse vel dabas, vel euenire permittebas, siue gratum id esset, siue contrarium, dulce, vel amarum, lætus id tamquam optimum ab ipso suscepi; & ideo numquam infortunatus fui. Dicebas præterea, vt felicem me faceret Deus, ad quod ego similiter, numquam me infelicem fuisse subiunxi. Soli namque diuinæ voluntati inhærere statui, in quam sic integrè omnem meam transfudi voluntatem, vt quidquid ille vult, & ego velim. Et hac de causa numquam infelix fui; cum, vt dixi, illius dumtaxat voluntati inhærere velim, & meam ipsi voluntatem ex integro resignarim. Hæc cum Mendicus ille retulisset, ita eum rursus Magister affatus est, Quid obsecro, dictarius esses, si te*

Voluntatē diuinam exequi cupienti omnia prosperè euenisse.

A *Dominus maiestatis in abyssum demergere vellet? Et ille, in abyssum, inquit, me demergeret? Et re vera si id faceret, duo mihi brachia sunt, in quibus eum amplexarer*, &c.

327. Sed quia, vt supra Dominus dixit: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*; ad carnis infirmitatem corroborandam, eamque spiritui conformem reddendam, Deum sic orare nos Christus docuit: Matt. 6. *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra.* Vbi terræ nomine carnem intelligendam esse docet Cyprianus; cœli vero nomine spiritum. *Cum corpus è terra, & spiritum possideamus è cœlo, ipsi terra, & cœlum sumus; & in vtroque, idest corpore, & spiritu, vt*
B *Dei voluntas fiat, oramus. Est enim inter carnem, & spiritum colluctatio; & discordantibus aduersus se inuicem quotidiana congressio; vt non quæ volumus ipsa faciamus; dum spiritus cœlestia, & diuina quærit; caro terrena, & secularia concupiscit. Ideo petimus impensè inter duo ista ope, & auxilio Dei concordiam fieri; vt dum spiritu, & carne voluntas Dei geritur, quæ per eum renata est anima seruetur.*

Cyprian. ser. 6. de Orat. Domin.

Homo spiritu, & corpore veluti cœlum, & terra est. Spiritum inter, & carnē quomodo concordia procuranda.

328. Genesis 1. *Dixit Deus, fiat lux, & facta est lux. Fiat firmamentum; & fecit Deus firmamentum, vocauitque Deus firmamentum cœlum.* Potentibus, & efficacibus his Dei verbis comparari possunt hominis verba Deo dicta:
C *Fiat voluntas tua.* Cum enim hæc verba annuendo Gabrielis nuncio B. Virgo dixit; tunc non solùm cœlum creatum est; sed quod longe maius est, Deus cœli conditor, factus est homo. Cumque ex Deo homine facto hominis redemptio, & inde glorificatio prouenerit, bonum omne quo humanum genus gaudet sanctissimis hisce verbis tribuendum est. *Dixit Deus: Fiant luminaria in firmamento cœli, & illuminent terram; & factum est ita.* Sed cum pia anima Deo dicit: *Fiat voluntas tua*; spirituales illuminationes sole, & luna multò nobiliores piæ animæ mentem irradiant. *Dixit Deus: Germinet terra herbam virentem, & factum est ita.* Sed quòd magnus iustorum numerus verba hæc, *Fiat vo-*
D *luntas tua*, toto corde protulerit, quot inde virtutum germina prodierunt? Inde purpureæ Martyrum rosæ; inde candida Virginum lilia? inde pallidulæ Confessorum violæ floruerunt; inde immortales electorum amaranthi Empyrei vireta iucundissimè decorarunt.

Iustus, Fiat voluntas tua Deo dicens, ipsi Deo creatori similis.

329. Sed inæstimabile præmium eximiæ huius orationis, *Fiat voluntas tua* est, quod Deus vicissim taliter orantium voluntatem facit iuxta Dauidis testimonium Psal. 144. 19. *Voluntatem timentium se faciet:* Eorum scilicet, qui filiali timore, Deique amore ducti diuinæ voluntati in omnibus conformare se student. Hi profectò humanam voluntatem in se omnino limitatam
E Deo offerunt; & ingenti fœnore illimitatam, & omnipotentem Dei voluntatem ipsis obsequentem habent.

Iustus diuinæ voluntati obediens, magno fœnore Dei voluntatem sibi obsequentē habet.

330. *Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus?* Iob dixit c. 2. 10. Quibus sanctissimi viri verbis respondere quis posset, libenti animo suscipi bona, quia prosunt, & delectant; mala non suscipi, quia nocent, & cruciant. Quòd ita obiicere aliquis posset, Iob mala suscipienda non absolutè, sed de manu, hoc est ex Domini voluntate suscipienda dixit. Suauissima enim Dei voluntas mala materialiter mala, formaliter bona, nobisque valde meritoria, & vtilia reddit. Si venenatus serpens in Mosis manu coluber esse desiit, in imperii virgam mirabilia

Dei voluntas iniucunda iucunda reddit, & amara suauia.

mirabilia operaturam mutatus, cur in manu Domini ærumnæ, & pœnæ malæ esse non desinent, easque vt omnino bonas non accipiamus? Cum amaros, acerbosque fructus infusa suauis liquoris dulcedo dulces reddat; non dissimiliter benignissima, & suauissima Dei voluntas animæ veluti saccharum esse debet, quod cruciatus omnes, ærumnasque dulces reddat. Apoc. 10. 10. Ioannes ait: *Accepi librum de manu Angeli; & erat in ore meo tamquam mel dulce; & cum deuorassem eum, amaricatus est venter meus.* Liber hic est Dei verbum diuinam voluntatem nobis indicans; venter est pars sensus inferior; os pars est superior rationalis. Quãuis inferiori animæ parti Dei voluntas amara videatur; superiori tamen valde dulcis esse debet. *Verbum Dei dulce est rationi, sed amarum sensualitati.* ait S. Thomas.

331. Quare non sensualitatis amaritie territi, sed rationis dulcedine allecti, valde cupidi diuinã voluntatem exequendi Deo dicamus: *Doce me*

Ps. 142. 10. *facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.* Cũ enim Deus meus sis, & ego opus manuum tuarum; nihil à me vis, quod mihi profuturum non sit: *Doce ergo me facere voluntatem tuam.* Quæ autem sit Dei voluntas bene docet Cyprianus dicens: *Qui in æternum manere volumus, Dei qui æternus est, voluntatem facere debemus. Voluntas Dei est, quam Christus docuit, & fecit. Humilitas in conuersatione, stabilitas in fide, verecũdia in verbis, in factis iustitia, in operibus misericordia, in moribus disciplina: Iniuriam facere non nosse, & factã tolerare posse; cum fratribus pacem tenere, Deum toto corde diligere; amare in illo quod Pater est, timere quod Deus est: Christo nihil omnino præponere; quia nec nobis ille quidquam proposuit: Charitati eius inseparabiliter adhærere; cruci eius fortiter, & fidenter adsistere. Quando de eius nomine, & honore certamen est, exhibere in sermone constantiam, qua confitemur; in quæstione fiduciam, qua congredimur; in morte patientiam, qua coronamur. Hæc est voluntas Dei, vt terrena cœlestibus cedant; spiritualia, & diuina præualeant.*

Cyprianus supra. Voluntas Dei quæ sit.

Et venit iterum, & inuenit eos dormientes; erant enim oculi eorum grauati.

332. CVm Dominus iterum orationem intermissa ad discipulos redeat, & postea iterum ad orationẽ reuertatur, nos docet non ita semper orationi vacandum; vt ad proximorum salutem procurandam non redeamus; neque semper cum proximis esse versandum, ita vt ad orationem non reuertamur. Nostra enim, & proximorum salus per vices est procuranda; hæc enim sibi inuicem adiumento sunt. Ideo S. Bonauentura ait: *Dominus rediit ad discipulos excitandum, & iterum rediit ad Deum orandum; vt sic manifestè ostenderet, quòd piissimus, & vigilantissimus erat, & ad subditos, & ad Deum, tamquam optimus Prælatus.*

Oratio, & proximorũ salutis cura intermiscenda. Bonauentura in Lucã c. 22.

Et relictis illis iterum abiit, & orauit tertiò eumdem sermonem dicens.

333. NOn iteres verbum in oratione tua, dicitur Eccli. 7. Quomodo hoc Sapientis monitum Christo eumdem sermonem iteranti non contradicat, vide quæ diximus fer. 5. dom. 1. n. marginali 16. & seq. Cur Dominus ter ad orationem redierit, multiplex congrua ratio à sacris interpretibus affertur; quibus addi potest trinam orationem opposuisse Dominum contra triplicẽ, quo premebatur, affectum. Cum enim ex S. Mattheo, & Marco, vt supra diximus Dominus cœpisset *contristari, pauere, & tædere*; contra tristitiam, pauorem, & tædium ternæ orationis antidotum adhibere voluit. Cum triplici huiusmodi affectu Dominus angeretur, quid S. Lucas à Matthæo, aliisque Euangelistis omissum addat, videamus.

Oratio antidotum mœroris, pauoris, & tædii.

Apparuit ei Angelus de cœlo confortans eum. Et factus in agonia prolixius orabat: Et factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.

334. PRobabiliter censet Cornelius absoluta tertia oratione Angelum Domino apparuisse; & Angeli admissa confortatione desiisse Dominum tristari, & pauere; & ab oratione surgendo alacrem, & impauidum ad locum, vbi tres Apostoli erant, & vbi à missis militibus captus est, iuisse. Nec obstat quòd Lucas postquam confortantem Angelum apparuisse ait, tamquã quid posterius addat: *Et factus in agonia prolixius orabat: Et factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Nam particula, ET, iuxta Hebraicum idioma ibi non est coniunctiua, ita vt subdat aliquid posterius; sed est particula causalis rationem reddens; significatque QVIA: Vt Isaiæ 64. 5. *Ecce tu iratus es, & peccauimus.* Ioan. ep. 1. c. 1. *Manus nostræ contrectauerunt de Verbo vitæ, & vita manifestata est, & vidimus, & testamur,* idest, quia manifestata est, & vidimus, & testamur. Ibidem cap. 3. *Omnis, qui facit peccatum, & iniquitatem facit; & peccatum est iniquitas:* id est, quia *peccatum est iniquitas* Ioann. 14. *Qui metit mercedem accipit; & congregat fructum in vitam æternam,* idest, quia congregat in vitam æternam fructum. Similiter ergo cum dicitur: *Apparuit illi Angelus de cœlo confortans eum; & factus in agonia, idest, quia factus in agonia prolixius orabat;* & quia *factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Ita vt propter prolixiorem orationem, propter intensiorem agoniam, & angorem, & propter sanguineum sudorem tandem ab æterno Patre confortantem Angelum ad eum mitti meruerit.

Angelus post tertiã orationem Christo apparuit.

Et particula ponitur pro particula causali QVIA.

335. Soluenda remanet alia difficultas ab allata sententia omissa. Nam Matthæus ait post tertiam, & vltimam orationem discipulis Dominũ dixisse: *Dormite iam, & requiescite:* Lucas verò cum dicat post Angeli confortantis aduentum, & post sanguinis sudorem Dominum ab oratione surgentem discipulis dixisse: *Quid dormitis? Surgite, & orate, ne intretis in tentationem.* Hinc apertè deduci videtur Angeli aduentum, & sanguineum sudorem post tertiam, & vltimam orationẽ non fuisse. Respondetur in scriptura diuersis in locis interdum vsurpari duas oppositas figuras, nempe prolepsim, seu anticipationem, & anacephalæosim, seu recapitulationẽ. Per anticipationis figuram quæ postea contigerunt, prius narrantur. Hac vsus est figura Matthæus c. 27. cum Christo adhuc in cruce pendente dixit: *Multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.* Et tamen horũ resurrectio post Christi resurrectionem fuit; nemo enim ante Christi resurrectionem non vltra moriturus resurrexit: Et propterea ab Apostolo dicitur: *Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientium.* Quare de sanctis illis post Christi resurrectionem resurgentibus Matthæus ait: *Exeuntes de monumentis post resurrectionẽ eius, venerunt in sanctam ciuitatẽ, & apparuerunt multis. Sacra scriptura in superioribus suis partibus solet breuiter longè post secutura perstringere; cũ studet ad alia subtilius enuncianda properare,* ait Grego-

Scriptura vtitur figuris Anticipatione, & Recapitulatione.

1. ad Cor. c. 15. 20.

Gregor. in Præfat. Moralium

rius. Huic figuræ opponitur anacephaleosis, seu recapitulatio, per quam res antea gesta, postea narratur. Hac figura vsus est Moses dicens luminare maius nempe solem quarto creationis die vnà cũ luna, & stellis fuisse conditum. Cum iuxta S. Thomam, & alios prima die creatus fuerit sol, licet informis nempe cum Deus dixit: *Fiat lux*. Similiter dicendum est Lucam recapitulatione vsum scripsisse Dominum post sanguinis sudorẽ ad discipulos iuisse, iisque dixisse: *Quid dormitis? Surgite, & orate, ne intretis in tentationem*: Cum iuxta verum ordinem ea verba neque post secundam, neque post tertiam, sed post primam orationem discipulis Dominum dixisse Matthæus referat: Et paulo ante, quam caperetur, dixisse: *Dormite iam, & requiescite*: Non autem: *Quid dormitis? Surgite*: Vt Lucas recapitulatione vsus proprium ordinem non seruans scribit.

Genesis c. 1.

336. *Apparuit illi Angelus confortans eum*. Ex S. Hieronymo de nominibus Hebraicis Gabriel interpretatur *Confortauit me Deus*. Ex hoc igitur nomine Angelus, qui Dominũ confortauit, Gabriel fuisse videtur. Quod etiã confirmari potest ex eo, quòd idem Gabriel in pluribus ad Christum Dominum pertinentibus fuerit adhibitus. Primò ad annunciandum Zachariæ Domini præcursorẽ, vt Luc. c. 1. 19. habetur. Secundo idem ad beatam Virginem ob Domini incarnationem missus est, vt ibidem habetur v. 26. Tertio iuxta Abulensem missus est ad Iosephum Virginẽ sponsam dimittere cogitantem Matth. c. 1. v. 20. Quarto iuxta S. Cyprianum, & alios idem ad annunciandã pastoribus Christi natiuitatem missus est, Lucæ c. 2. v. 9. Quinto ex Abulensi, stellam, quã Magi ad Dominum in præsepi adorandum ducem habuerunt, Gabriel mouebat. Sexto eumdem Gabrielem, & non alium probabiliter dicendũ est apparuisse in somnis Iosepho Matt. 2. 13. Prius, vt cum Beata Virgine, eiusque sanctissimo Filio in Ægyptum Ioseph fugeret; deinde, vt inde reuerteretur. Quare à Gabriele etiam Dominum in Gethsemani horto confortatum fuisse dici debet.

Gabriel Angelus in Gethsemani horto Domino apparuit.

Cyprianus vel alius grauis auctor de natiuit. Domini Gabriel pastoribus Christi natiuitatem nunciauit.

Gabriel stellam Magorum ducem mouebat.

337. *Gabriel*, ait idem Hieronymus, *præpositus est prælus; Gabriel enim in linguam nostram vertitur fortitudo, vel robustus Dei. Vnde eo tempore, quo erat Dominus nasciturus, & indicturus bellum dæmonibus, & triumphaturus de mundo, Gabriel venit ad Zachariam, & Mariam*. Cum ergo Dominus contra mundum, & dæmones sua in passione bellum completurus erat, ad eum certaminibus præpositum Gabrielem venisse congruum fuit. Gabrielem ex secundo ordine inferioris Hierarchiæ, nempe Archangelorum esse censet Ægidius l. 2. dist. 10. dub. 2. Bagnes, aliique Thomistæ 1. p. q. 113. a. 2. Suarez 3. p. q. 30. disp. 11. sect. 1. Lodulphus c. 5. de Christi concep. Barradas l. 7. c. 6. Toletus in Lucam c. 1. annot. 45. Quare S. Thomas tertia p. q. 30. ar. 2. ad quartum ex S. Gregor. hom. 34. in Euang. deducit Gabrielem summum Angelorum esse non ratione omnium ordinum, sed ratione Angelorum. Contra verò Scotus cum Magistro sententiarum in 2. dist. 10. q. vnica. Durandus q. 1. Card. Vigerius in Decachordo Christiano chorda 1. c. 2 Molina p. 1. q. 108. Catharinus in c. 3. Gen. & alii multi ex Seraphinorum ordine Gabrielem esse docent. Cui sententiæ fauet ipsius Gabrielis testimonium Luc. 1. 19. *Ego sum Gabriel, qui adsto ante Deum*; scilicet, *Vnus ex septem Spiritibus, qui adstamus ante Deum*, vt Raphael Tobiæ dixit c. 12. v. 15. Summos autem quatuor Angelorum Deo adsistentium choros multitudine, & naturæ præstantia, alios quinque inferiores Angelicos choros superare ex S. Hierotheo suo magistro docet S. Dionysius Areopag. c. 13. cœlestis Hierarchiæ. Quare vnus è Seraphim, qui ad Isaiam volauit, excelso Dei solio ante adstare ibi dicitur.

Hieronymus in Daniel c. 8.

Gabriel ex quo Angelorum ordine sit: hic, & sequentibus.

Isaiæ 6. 6.

338. Opponitur primo contra hanc sententiã, quòd ab Augustino ser. 14. de Natiuitate, ab Ambrosio l. 1. c. 7. de Spiritu S. ab Irenæo l. 5. c. 25. contra hæreses, Gabriel appellatur Archangelus. Sed responderi facilè potest etiam Michaelem, qui absolutè supremus inter beatos spiritus esse dicitur, Archangelum nominari ab Apostolo 1. ad Thess. c. 4. 16. & à beato Iuda n. 9.

339. Opponitur secundo, quod ex Dionysio S. Thomas ait, solùm ex vltimo Angelorum, vel penultimo Archangelorũ choro nuncios ad homines mitti. Respondetur, etiam ex superiori ordine Angelos ad homines missos habetur ex citato c. 6. Isaiæ, qui ait: *Volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quẽ forcipe tulerat de altari; & tetigit os meum*. Si vnus de Seraphim ad Isaiæ labia purganda missus est; multò probabilius in Dominicæ Incarnationis mysteriis, & ad Dominum confortandum missum esse dicendum est. Si ad Isaiam purgandum, & à trepidatione, quam conceperat liberandũ, eumque ad Prophetæ munus roborandum, vnus de Seraphim volauit; multò magis ad Dominum ob imminentem passionem contristatum, & pauentem vnus de Seraphim mitti debuit.

340. Angelum, qui Dominum confortauit, assumpto humano corpore apparuisse reuelatũ est S. Brigittæ. Videtur autẽ humanum corpus pullis contectum vestibus assumpsisse; vt mœrorem, cuius in spiritu capax non erat, saltem veste, & vultu exterius indicaret; itaque quo modo posset suo Domino condoleret; cupiens, si id ei concederetur, interioris etiam cum Domino doloris participem fieri. Mat. c. 28. cũ Dominus resurrexisset, dicitur: *Angelus Domini descendit de Cælo. Vestimẽtum eius sicut nix*: *Coopertus stola candida*, dicitur à S. Marco. Hunc Angelum etiam Gabrielem fuisse valdè probabiliter censet Franciscus Lucas. Niueis ergo vestibus tunc ob Dominicæ resurrectionis lætitiam Gabriel apparuit. Sed in Gethsemani horto prope Domini passionem quantum diuersus, non candidis, sed atratis vestibus, vt suo mœrenti Domino Gabriel se conformaret, apparuit! Illum non in sublimi aëre, vt communiter pictores effingunt, apparuisse dicendum est; sed statim ad terram, vbi Dominum prostratum vidit, procidisse, eumque humillimè adorasse. Pineda explicans verba illa Iob. c. 2. de amicis ipsum Iob inuisentibus: *Nemo loquebatur ei verbum*, ait: *Forte Angelus, qui Christum Dominum orantem confortabat, ea potissimùm ratione consolabatur; non quidem verbis vllis, sed quadam adsistentia, & societate; tum etiam consideratione, atque ponderatione eorum, quibus Christi anima mœroribus angebatur: adhuc etiam habitu, gestuque simili assumpto; aut Christo assertore flectente genua, ille etiam flecteret, & cum humi prostrato se quoque prosterneret. Quæ omnia amicitiæ, & solatii officia in discipulis desiderauit. Neque verba à Petro requisiuit; sed attentam considerationem vigilantis animi; & societatem quamdam mœroris, atque doloris*. Probabilius videtur Angelum verbis aliquibus Dominum confortasse; præcipue illi commemo-

Marci 16. Gabriel sub specie humani corporis, pullis vestibus, nõ in aere, sed ad terram procidens Domino apparuit.

Gabriel an mœsto tantùm vultu veluti Domino compatiens; an etiã verbis Dominum confortauerit.

rando vberrimos è sanctissimæ crucis arbore fructus prouenturos nempe magnū electorum numerum, præsertim Martyrum, & hinc cœlestium sedium reparationem. Quibus certè suauissimis fructibus Domini amarities maximè deliniebatur. Figura huius Dominum confortantis Angeli Angelus fuit, qui Gedeoni in torculari apparuit, dixitque ei; *Dominus tecum, virorum fortissime. Vade in fortitudine tua, & liberabis Israel de manu Madian.* Similiter cum Dominus sub agoniæ torculari sanguinem effunderet, Angelus ei apparuit, dixitque eum liberaturum esse genus humanum de manu Madian, quod interpretatur *Iudicium.* Verè enim Dominus à iusto Dei iudicio, quo damnatum erat genus humanum, sua morte liberauit. Porrò quamuis quidquid diceret Angelus, Dominus bene nosset, adhuc tamen Angeli verba ad solamen Domino fuerunt. Delectat enim ea, quæ scimus, si grata nobis sunt, ab aliis etiam commemorari, magnificisque verbis celebrari. Simili modo quamuis sancti Angeli Deum semper benedicendum, & laudandum esse sciant; & ipsi à diuinis laudibus nunquam cessent; adhuc maximè lætantur, cum iis ab hominibus dicitur: *Laudate Dominum omnes Angeli eius. Laudate eum omnes Virtutes eius. Benedicite Angeli Domini Domino. Benedicite omnes Virtutes Domini Domino.*

Iudicum 6.

Psal. 148.

Daniel. c. 3.

Ieremiæ c. 20. 11.

341. *Et factus in agonia prolixius orabat.* Sanctissima Christi humanitas ob diuinum Verbum ei vnitum dicere bene potuit: *Dominus mecum est quasi bellator fortis.* Tanti bellatoris auxilio roborata sanctissima humanitas contra vehementes propinquæ passionis turbationes prolixiorem, feruentioremque orationem opponebat. De diluuio Noë tempore dicitur Gen. 7. 17. *Multiplicatæ sunt aquæ, & eleuauerunt arcam in sublime à terra.* Viua Dei arca Christus Dominus erat; ideo cum ex inferiori parte turbationum aquæ in eius animam inundarunt, per feruentiorem, & prolixiorem orationem certa spe, & in Deum fiducia sublimius eleuabatur.

Christus in agonia Noe arcæ similis

Et factus est sudor eius quasi gutta sanguinis decurrentis in terram.

342. CVm communis, & vera sententia asserat è Christi corpore verum sanguineū sudorem fluxisse; quæritur cur ab Euangelista eius sudor non absolutè dicatur sanguinis, sed quasi guttæ sanguinis? Respondetur primò particulam, QVASI; interdum non significare similitudinem, sed proprietatem. De quo alibi plura attulimus exempla; nunc satis sit illud Petri ep. 1. c. 2. 13. *Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum; siue Regi quasi præcellenti; siue ducibus, tamquam ab eo missis.* Vbi Rex propriè, non per similitudinem præcellens dicitur. Respondetur secundò, Domini sanguineum sudorem non fuisse absolutè sanguinem, sed sudore aliquo permixtum; ad quod significandum fuisse additam particulam, QVASI.

Sudor Christi verè sanguineus, cur quasi sanguinis dicatur.

343. Torcular crucem significare, ideoq; Psalmum 80. *Pro torcularibus* inscriptum feria 6. qua Dominus plurimos cruciatus subiit, cantari solitum docet Hugo. Inter torcularia, hoc est inter Domini cruciatus fuit eius sanguineus sudor, quo suas vestes, terramque respersit. Propterea Isaiæ 63. cum à Domino quæritur: *Quare rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantiū in torculari?* Respondet: *Torcular calcaui solus.* Nam aliorum Domini cruciatuum alii ministri fuerunt; hunc autem sanguinei sudoris cruciatum ipse sibi Dominus intulit. Cum enim forti animo proximæ passionis timorem, mœroremque repelleret; illa timoris, mœrorisque cum animi fortitudine pugna, à Domini venis sanguineū sudorem expressit; Sanguineus autem sudor eius indumentum rubrum reddidit. Nam, vt Albertus magnus ait: *Multæ fuerunt guttæ, quæ per vestes quas habuit, ad terram distillauerunt.* Verè tunc cum mortis amaram myrrham animo Dominus prægustaret; & ex eius corpore sanguinis guttæ defluentes vestimenta conspergerent, & in terrā decurrerent, ei dici potuit: *Myrrha, & gutta, & casia à vestimentis tuis, à domibus eburneis*; scilicet à candidissimis tuis membris in terram dimanarunt. Pretiosæ autem Domini sanguinis guttæ *casia* nominantur; quòd casiæ instar purpureū colorem haberent, suauissimumque odorē efflarent.

Torculari nomine Crux significatur.

Christus in Gethsemani horto torcular solus calcauit.

Sanguinei Sudoris Domini guttæ Myrrhæ, & Casiæ guttis similes.

Ps. 44. 9.

344. E Domini sanguineo sudore discere debemus, quanta animi vehementia, contra, quæ in animū insurgunt, tentationes, pugnandum nobis est. Fidelibus, qui enixè Christū imitari debent, Apostolus ait: *Nondum vsque ad sanguinem restitistis à duersus peccatum repugnantes*; sicut Dominus vsque ad sanguinem, vt nos à peccati seruitute eriperet, restitit. *Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ,* Deo peccator ait. *Libera me de sanguinibus,* hoc est iuxta Augustinum, *de peccatis, quæ de corruptione carnis, & sanguinis proueniunt.* Vt à tam fœtidis sanguinibus liberemur, si opus est, vsque ad sanguinem resistamus. Orientis Apostolus S. Franciscus Xauerius, cum ei per somnium impura repræsentatio oblata esset, quæ ad prauam delectationem, vel etiam consensum trahere poterat; vt eam repelleret, tantā sibi vim intulit, vt ex naribus multū sāguinis euomuerit. Hic profectò sāctissimus vir vsq; ad sanguinē restitit; illiusq; sanguinis guttæ multo pretiosiores fuerūt, quàm corallia, amethysti, & pyropi, quos vnquam India ab eo peragrata habere poterat.

Ad Hebr. c. 12. 4.

Ps. 50. 16.

S. Franciscus Xauerius quanta vehementia impuram repræsentationem repulerit.

345. Illud Cantic. 5. *Veni in hortum meum, messui myrrham meam cum aromatibus meis,* de Domini passione interpretantur Cyrillus Ierosolymitanus catechesi 13. Rupertus, & Philo Carpathius. Gethsemani ergo hortum Dominus suum appellat, quia eo sæpius ad orandum ire consueuerat, vt patet ex Luca c. 22. v. 39. & Ioann. 18. v. 2. ideo ait: *Veni in hortum meum; messui myrrham meam;* myrrham Dominus messuit, cum in horto sanguineum sudorem emisit: qui sanguineus sudor, quia fuit simul cum inuicta animi fortitudine, cum erga æternum Patrem humili obedientia, cum sui ipsius prompta ad mortē oblatione; ideo myrrhæ messis simul cum aromatibus fuisse dicitur: Eximiæ enim illæ Domini virtutes æterno Patri suauissima erant aromata. De Christo sanguineo sudore resperso verè pia anima eius sponsa dicere potuit: *Dilectus meus candidus, & rubicundus.* Candidus, iuxta Theodoretum, ob diuinitatem, quæ est *candor lucis æternæ,* candidus ob innocentiam, iuxta Gregorium; candidus ob pallorem ex angore prouenientē: rubicundus ob sanguineum sudorem. *Verè rubrum est sacrosanctum Christi corpus, quod toties fuit pro nobis sacro sanguine rubricatum,* ait Bonauentura Lucæ 22.

Christus myrrham cū aromatibus in Gethsemani horto messuit.

Cantic. 5.

Sapient. c. 7

Christus in Gethsemani horto candidus, & rubicundus.

346. In hortum Gethsemani deductos fuisse primos parentes ab Angelis eiectos de paradiso, ibique laborasse ex antiquis traditionibus refert Antonius Medina lib. de terra sancta. Cum autem in peccati pœnam Adamo Deus dixerit: *In sudore vultus tui vesceris pane*; primum Adami sudorem in Gethsemani horto laborans emisit. Quia tamen talis Adæ sudor ad

Adam cum Eua in Gethsemani hortum post peccatum deductus ab Angelis.

Gen. 3. 19.

peccati satisfactionem sufficiens non erat; secundus Adam, vt pro primi Adami peccato satisfaceret, sanguineum sudorem eodem in horto effundere voluit. *Adimpleo quæ desunt passionum Christi in carne mea*, ait Apostolus ad Colos. c. 1. 14. Passio enim Christi licet in se sufficientissima ad nostram redemptionem fuerit; exigitur tamen, vt ea non solùm in Christo tamquam in capite fuerit, sed etiam ad sua membra transfundatur; ita vt fideles Christi membra, ipsius passionis, & meritorum patiendo etiam participes fiant. Sicut ergo homines ea, quæ desunt passionum Christi adimplere debent; ita Christus Dominus ea, quæ primi hominis sudori deerant, sanguinem ipse exudando adimplere plenissimè voluit.

Christus in Gethsemani horto sudorem emittere voluit.

347. Prope Gethsemani hortum ad radices Oliueti montis situm prius Dominus lacrymas fuderat; cum appropinquaret ad descensum montis Oliueti; *videns ciuitatem fleuit super illam*; ait S. Lucas cap. 19. Paulo post in eodem horto sanguinem sudans, sanguineas etiam lacrymas effundere voluit: *Non solis oculis, sed quasi membris omnibus fleuisse videtur, vt totum corpus eius, quod est Ecclesia, totius lacrymis corporis purgaretur*, ait Bernardus. Vetitum pomum *vidit mulier, & comedit, deditque viro suo, qui comedit; & aperti sunt oculi amborum* Peccatum quod primis parentibus ad confusionem oculos aperuit, Domino toto in corpore ad sanguineas fundendas lacrymas aperire oculos potuit; cum pro iis diuinæ iustitiæ sua passione satisfacere vellet.

Bernardus serm. 3. in Dom. Palm
Genes 3. 6.
Peccatum, quod primis parentibus oculos aperuit, Domino ad sanguineas pendendas lacrymas toto corpore veluti oculos reseravit.

348. In horto Gethsemani speluncam fuisse, & in ea Dominum orasse, & lacrymasse refert Ioannes Suarez Conimbricensis Episcopus. In Bethleem spelunca primas lacrymas effundere Christus voluit: *Ego natus accepi communem aerem; & primam vocem similem omnibus emisi plorans*: de se sub Salomonis figura Dominus dixit. In Bethlemia ergo spelunca primo in mundum ingressu lacrymatus est Dominus; idem mortalis vitæ sub egressum in Gethsemani spelunca lacrymas iterare voluit. In Bethlemia spelunca primas lacrymas Virgo mater Christo Domino tersit; at in Gethsemani spelunca neminem, qui ei lacrymas tergeret, Christus habuit. In Bethlemia spelunca à matris vberibus lac suxit; In Gethsemani spelunca proprium sanguinem Dominus fudit. Ad Bethlemiam speluncam pij pastores, Regesque Orientis ad natum Dominum adorandum festinarunt: Ad Gethsemani hortum iniqui satellites ad eum comprehendendum accurrerunt: In Bethlemia spelunca Deipara Dominum *Pannis inuoluit & reclinauit eum in præsepio* In Gethsemani horto impij carnifices eumdem Dominum, vt mortis reum, arctissimis vinculis colligarunt; vt postea in durissimo crucis ligno reclinarent. Pia anima videat paris speluncæ quàm sit dispar exitus. Verè Domino immanium bestiarum spelunca facta est domus Israël.

Ioann. Suarez Marci 14.
Sap. c. 7.
Bethleem, & Gethsemani speluncæ, in qua Dominus orauit, comparatio.
Lucæ 2.

349. Cum rubescente aurora è reserato calice purpureas frondes rosa explicat, dubitationem Ethnicus Poëta proponit: Scilicet, an à rosis aurora rubeat; an potius à rubente aurora ruborem contrahant rosæ?

Vidi Pæstano florere rosaria cultu,
Exoriente nouo roscida Lucifero.
Ambigeres, raperetne rosis aurora ruborem;
An daret, & flores tingeret orta dies.

Ausonius Edylio 14.

Sudante Domino in prolixa oratione sanguinem, de eo non absimilem dubitationem proponit Si-

Simon de Cassia l. 13. de pass.

A mon de Cassia dicens: *Mens nostra semetipsam cogit inquirere, sed non potest; tamen scire peroptat. Si an orabat prolixius, quia sanguis exibat; an sanguis defluebat ex corpore, quia prolixius, & vehementius orabat? Eratne sanguis defluens orationis accensio, an oratio sic causabat? Anima Christi ante conspectum constituta diuinum sanguinem manabat ex corpore; an sanguis manans animam remittebat ad Deum?* Cui dubitationi respondere Dominus videtur verbis Psalmi 38. dicens: *Dolor meus renouatus est*; cum scilicet iterum ad meditationem proximæ meæ passionis redirem: *Concaluit cor meum intra me; & in meditatione mea exardescet ignis*. Quibus verbis si-
B gnificatur Christi cor ex feruida, & prolixa meditatione, & oratione veluti stillatoriam fornaculam fuisse, ex qua supposito ardentis charitatis igne largissimæ sanguinis guttæ defluxerunt.

Christi cor in oratione, veluti in stillatoria fornacula accensum sanguinei sudoris guttas emisit.

350. *Terra, ne operias sanguinem meum*, sub Iobi figura Dominus dixit. Quæ quidem Domini voluntas efficacitatem habuit. Sanguinem enim in terram effusum iterum intra venas diuinitus Dominus reassumpsit. Fuit enim pretiosus ille sanguis, quamuis effusus, diuino Verbo vnitus; nam, vt ait S. Thomas Quodlib. 5. art. 5. *Sanguis in passione effusus humanum genus sanctificauit, secundùm illud ad Hebr. vltimo: Iesus vt*
C *sanctificaret per sanguinem suum populum, extra portam passus est. Humanitas autem Christi salutiferam virtutem habuit ex virtute Verbi sibi vniti, vt Damascenus dicit lib. 3. Vnde manifestum est, quod sanguis in passione effusus, qui maximè fuit salubris, fuit Diuinitati vnitus.* Quæ sancti Doctoris sententia probatur, cum auctoritate sextæ Synodi actione sexta; vbi damnatur hæreticus asserens *Verbum in cruce exuisse carnem & sanguinem*: tum etiam ratione, quia in Christo vnio Verbi cum sanguine non dependet ex corpore vel anima: Sicut neque vnio cum corpore pendet ex anima, vel sanguine; neque vnio cum anima ex corpore, vel sanguine dependet. Ne-
D que contra hoc dicatur quod in terram effusus sanguis exsiccatus, & corruptus fuerit; nam ex vnione Verbi diuinitus corruptioni obnoxium non fuisse dicendum est. Sicut etiam Domini corpus ab anima separatum ex vnione cum Verbo in sepulchro corruptionem diuinitus non incurrit; iuxta certum Dauidis vaticinium Psal. 15. *Non dabis Sanctum tuum, videre corruptionem.*

Iob 16. 19.
Christi sanguis Diuinitati vnitus: hic, & sequenti.

351. Contra allatam valde probabilem sententiam Mayron in 4. dist. 43. quæst. 1. negat post effusionem sanguinem retinuisse vnionem cum Verbo; quia alioquin concedendum esset Verbum fuisse effusum, conculcatum, & similia. Respondetur sanguinem in Gethsemani horto effusum, cum iterum intra venas restitutus sit,
E non fuisse conculcatum. Quòd verò in flagellatione, & crucifixione Christi sanguis adhuc Verbo vnitus effusus, ab impijs ministris conculcatus dicatur, absurdum non est: Cum ipse Dominus se impijs satellitibus, & militibus illudendum, conspuendum, alapis, & flagellis cædendum, & crucifigendum semper cum diuino Verbo vnione retenta tradiderit.

352. Refert Carthagena aliquorum sententiam asserentium, se Dominum sanguineo sudore conspersum in torrente Cedron abluisse. Sed hæc de abluto in torrentis aqua sudore sententia plane frigida videtur: quasi verò ea abluendi sanguineum sudorem cura Dominum sollicitauerit; dum ad passionem, reliquumque etiam sangui-

Christum sanguineum sudorem in torrente Cedron abluisse refellitur.

nem profundendum ardentiſſimè properaret.

Iob 16. Christi ſanguis è noſtra memoria nunquã delendus. *Geneſ. 3. iuxta Septuaginta interpretes.*

353. Præterea cum à Domino dicitur: *Terra, ne operias ſanguinem meum*; ſeu, vt ex Hebræo legitur: *Terra, ne obliuione deleas ſanguinem meum*, id homini dicitur, cui dictum eſt Geneſ. 3. *Terra es, & in terram reuerteris.* Debet enim pro nobis effuſus Christi ſanguis noſtra è memoria nunquam obliuione defluere, ne vnquam tam pretioſi ſanguinis ſalutari largitioni impiè ſimus ingrati.

Tunc venit ad diſcipulos ſuos, & dicit illis: Dormite iam, & requieſcite. Ecce appropinquauit hora, & Filius hominis tradetur in manus peccatorum.

354. CVm Dominus diſcipulis dixiſſet: *Dormite iam, & requieſcite:* Poſt aliquod temporis ſpatium eoſdem Dominus à ſomno excitans dixit iuxta S. Marcum: *Sufficit; venit hora: Ecce Filius hominis tradetur in manus peccatorum.* Cum Dominus ter ad ſomnolentos diſcipulos ierit, *primo obiurgat; ſecundo ſilet; tertio quieſcere iubet*, ait S. Hilarius: Ratio huius diſcriminis eſt; quia Dominus non omnino ſomnum diſcipulis prohibere voluit; ſed eos tantùm per aliquod tempus prius vigilare voluit, & orationi vacare; & poſtea ſomni quietem capeſcere. Ideo eos objurgando non abſolutè dixit: *Non potuiſtis vigilare mecum*: Sed *non potuiſtis vna hora vigilare mecum.* Præcedere autem ante ſomni quietem vigiliam Dominus voluit.

Chriſtus cur diſcipulos vigilare iuſſerit, ratio triplex.

Primò, quia poſt ſanctiſſimæ Euchariſtiæ communionem gratiarum actio, & feruens oratio ſubſequi debebat. Quamuis enim de Euchariſtico calice Dominus dixerit Pſalm. 22. 5. *Calix meus inebrians quàm præclarus eſt!* Nihilominus talis ſpiritualis ebrietas ex ſe non ſomnum inducit; ſed potius reficiendo animæ vires piam animæ vigilantiam affert. Ideo *præclarus calix* dicitur; quia non corporis oculos ſomno comprimit; ſed mentis oculos ad piè vigilandum claros, & illuminatos reddit. Si enim, vt dicitur primi Reg. 14. 43. paululum mellis caligantes Ionathæ oculos illuminauit; multò magis ſanctiſſima Euchariſtia ſuper mel dulcis caligantes alioquin torpore, & ſopore oculos illuminandi vim habet.

Euchariſtiã gratiarum actio ſubſequi debet.

Chriſtus ſpiritualis Euchariſtia, non ſomnum, ſed vigilantiam affert.

Secundo aliquanto temporis vigilandum eſſe Apoſtolis Dominus dixit, vt ad futuram ex ipſius Domini captura tentationem ſe compararent. Tertio vt doceret vigiliam, & laborem ante quietem eſſe ſubeundum: Subſequens enim vigiliæ labori quies debita eſt, antecedens autem laborem quies eſt otioſa, & reprehenſibilis. *Primùm vigilemus orantes, vt non intremus in tentationem; poſtea dormiamus, & requieſcamus*; ait Origenes. Ad quod ſignificandum affert Origenes Pſalmi 131. verba: *Si aſcendero in lectum ſtrati mei; Si dedero ſomnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis; donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob.* Cum aliquis orando conſtituens intra ſe templum *inuenerit locum Domino, tabernaculum Deo Iacob, aſcendat ſuper lectum ſtrati ſui, & det ſomnum oculis ſuis*, ait Origenes.

Origenes tract. 35. in Matth.

355. *Filius hominis tradetur in manus peccatorum.* Non ait: *Tradetur ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum*, vt dixit Matthæi 20. ſed abſolutè *in manus peccatorum.* Domini enim paſſionem, doloremque maximè augebat, non quod illuſiones, flagella, & crucifixionem ſubiturus eſſet; ſed quòd per illuſiones, flagella,

A & crucifixionem peccatores in maximam ſacrilegi ſceleris culpam incurſuri erant. *Horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis*, ait Apoſtolus: At horrendius fuit incidere in manus peccatorum. Dei enim manus licet culparum vindices, adhuc hyacinthis, hoc eſt multiplici cœleſti gratia, & miſericordia plenæ parcere conſueuerunt. Peccatorum verò manus in Domini paſſione nullis illuſionibus, pœniſque nullis parcere noluerunt, teſtante Domino: *Inſurrexerunt in me viri iniqui; abſque miſericordia quæſierunt me interficere, & non pepercerunt faciem meam ſpuere; & lanceis meis vulnerauerunt me, & concuſſa ſunt omnia oſſa mea: Effuderunt furorem ſuum in me;* B *frenduerunt contra me dentibus ſuis.*

Chriſto incidere in manus peccatorũ maior cruciatus fuit, quã ipſos cruciatus ſubire. *Ad Hebr. c. 10. 31. Cant. 5. 14. In Noctur. fer. 2. maioris hebdomada.*

Surgite eamus: Ecce appropinquauit qui me tradet.

356. VT nos in noſtrarum ærumnarum timore, & mœrore quomodo gerere debeamus diſceremus, voluntariè Dominus timorem, & mœrorem admiſit: Eoſdem tamen affectus deinde expulit: & bene prænoſcens ad ipſum capiendum cum proditore Iuda venturos ſatellites, liberè, impauido, promptoque animo iis obuiam proceſſit dicens: *Surgite eamus: Ecce appropinquat qui me tradet.* Non minus de Iudaïco populo, quàm de Iuda Dominus prædixit C Iſa. 29. 13. *Appropinquat ore ſuo, & labiis ſuis honorificat me; cor autem eius longè eſt à me.* Proditor Iudas *appropinquat ore ſuo*, vt me deoſculetur; *Labiis ſuis honorificat me* dicendo: *Aue Rabbi. Cor autem eius longè eſt à me. Nec enim ipſi appropinquabat traditor eius, qui ſe elongauerat peccatis ſuis ab eo*, ait Origenes ſupra.

Chriſtus impauido, promptoq; animo ad paſſionem proceſſit.

Adhuc eo loquente, ecce Iudas vnus de duodecim venit, & cum eo turba multa cum gladiis & fuſtibus, miſſi à Principibus Sacerdotum, & Senioribus populi.

357. ANtecedens Iudas ſequentem turbæ D comitatum habebat. *Iudas antecedebat eos*, ait S. Lucas. Verè *veloces erant pedes eius ad effundendum ſanguinem* ſanguinem, quem antea ſacrilegè biberat. *Lingua ſua doloſe agebat. Sagitta vulnerans lingua eius dolum locuta eſt.* Quàm bene de ſcelerato illo Iudæ tempore eum Auguſtino exclamare licet: *O ſeculum nequam, quod tuos beare ſic ſoles amicos, vt Dei facias inimicos.* Beare ſcilicet vilis argenti lucro. Quod ſatellitũ turbam antecederet Iudas, de eo S. Petrus dixit Act. 1. v. 16. *Fuit dux eorum, qui comprehenderunt Ieſum.* Hic impiæ turbæ anteſignanus ſi quæratur quodnam ſuæ cohorti vexillum præferebat? Reſpondetur illius vexillum fuiſſe ſimile vexillo, de quo dicitur Ierem. 6. *Clangite buccina,* E *leuate vexillum; quia malum viſum eſt ab Aquilone*, ſcilicet à diaboli ſolio. *Leuate vexillum*, Septuaginta vertunt: *Leuate ſignum*: Vatablus legit; *Leuate ignem, & fumum.* Profectò ſignum, quod anteſignanus Iudas præferebat, fumus, & ignis erat, quem Satan in Iudam ingreſſus efflabat.

Lucæ 22. Pſalm. 13. Ierem. 9. Auguſtinus in Pſa. 13.

Iudas militũ cohortis dux quod vexillum præferebat.

358. Cur numeroſæ cohortis, aliorumque turbam Iudæorum Principes ad Dominum comprehendendum miſerint; & cur Iudas militibus dixerit Marci 14. 44. *Tenete eum, & ducite cautè*, rationem reddit Rupertus, quia Iudas Iudæorum Principibus de Chriſto dixerat: *In virtute Beelzebub eiicit dæmonia; quare ipſum*

Iudas Dominum diabolio, cvij dixit.

tremunt dæmones. Peruersus ergo proditor antequam proditione Christo vitam eriperet, eiusdem debitam æstimationem suis verbis demoliri ausus est. Iudæ verbis non dissentientes Iudæorum Principes, *Quia*, iuxta Origenem, *putabant in Beelzebub eijcere solere dæmonia, arbitrabantur eum quibusdam maleficiis posse effugere de medio volentium eum tenere.* Qua posita praua de Christo Iudæorum opinione, eorum inscitiam non mirari nequimus; cum tam modicè de dæmone inter inferiora dæmonia principe sentirent. Si enim Beelzebub iuxta eorum existimationem, Christo iubente, dæmonia eijcere poterat; cur non etiam militum cohortem reijcere potuisset? Extorsisset quidem Beelzebub, si pro Christo pugnasset, è militum manibus fustes, quibus eos, vt vilia inferni mancipia ad necem vsque verberasset. Quare satis ridiculè suos Iudæi milites dæmonibus validiores esse censebant. Verè, vt Augustinus ait, Iudæi *defecerunt scrutantes scrutationes. Tantum ne deseris*, Iudaica gens, *lucem consilij, & pietatis, & profunda veritatis demergeris*; vt noctu contra tenebrarum principem præualere militum cohortem cum gladiis, & fustibus arbitteris? Quare ad hominem, seu potius ad bestiam arguere licet: Non est tibi, Iudaica Synagoga, iuxta tuam prauam sententiam *colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus principem, & potestatem, aduersus mundi rectorem tenebrarum harum.* Si ex Iudæ testimonio Christum dæmones tremunt; cur contra eumdem præualere poterunt homines dæmonibus imbecilliores?

Iudæorum cæca inscitia.

August. in Psal. 63. 7.

ad Ephes. 6. 12.

359. Quàm ingens ad comprehendendum Dominum missa fuerit turba, patet ex Ioanne 18. 2. *Iudas cum accepisset cohortem, & à Principibus, & Pharisæis ministros, venit illuc cum laternis, & facibus, & armis.* Vbi Rupertus ait: *Cohors trecentis viris impletur.* Cur cohorti suos ministros Iudæi addiderint, primam rationem reddit Rupertus dicens; *Cohortem non à Principibus, & Pharisæis, sed à Præside Romano Pontio Pilato Iudas accepit; ministros suos adiungentibus Principibus Sacerdotum, & Pharisæis; vt si qui ex populo motu illo per noctem exciti Dominum defendere vellent, tam nomine Romano, quàm vtraque manu armata deterrerentur.* Secundam, & tertiam rationem reddit illustris martyr Thomas Morus, scilicet tum ad maiorem cautelam vt Christum capientium numerum augerent; tum quòd Gentilibus minus, quàm ipsi Iudæi Christo infensis satis non fidebant: *Cohorti adiunxerunt ministros, non satis fidentes Præsidis militibus; vel iuuantes numero.* Quartam rationem offert Cardinalis Vigerius dicens: *Attendite proditoris, & proditionem ementium inuidiosam rabiem. Non satis tutum arbitrabantur per solos Romanos capi Christum: Nam si per illos caperetur, non ad eos primùm, sed ad Pilatum duci; illumque dimitti dubitabant; nullis contra eum querelis expositis. Ideo cohorti Romanæ adiunt Pontifices & Pharisæi ministros singuli suos; vt Iesum ad se primùm duci procurent.* Cur vicissim suis ministris Pilati cohortem Iudæorum Principes addiderint, reddit rationem idem Vigerius: *Tum ne pro captura Iesu ipsi omnem in se inuidiam populi concitarent: Tum ne quis eius faueret capturæ: Tum, ne accusari possent de excitato tumultu. si quis per noctem defendere Iesum fuisset aggressus.* Addit Vigerius: *Quingenta quinquaginta peditum, & equitum quinquaginta sex, vt minimum numerum afferamus, à Præside armari poposcerant Pontifices, & sibi in adiutorium dari ad capiendum Iesum.* Sed probabilior videtur supra allata Ruperti sententia trecentos tantùm cohorti tribuentis. Hic enim numerus ad Iesum nulla stipatum multitudine noctu capiendum sufficiens videbatur: Maiorque numerus in populo tumultum nimium excitasset. Cumque cohors propriè peditum sit, sicut turma equitum; & equitum ab Euangelistis mentio non fiat; ideo vna cum cohorte missos fuisse equites non videtur; præsertim, quòd sine magno strepitu equites non fuissent. Cohortis milites mercede fuisse conductos ait Chrysostomus. Quare in Christum Dominum priusquam ferrum, ferro nocentius argentum Iudæorum Principes armarunt.

Cohors trecentis militibus constabat.

Cohorti Romanorum cur suos ministros Iudæi addiderint ad Christum comprehendendũ, quadruplex ratio.

Thomas Morus in Cõmentario Passionis.

Vigerius in Decachordo.

Chrysost. in Græca Catena in Ioã.

360. *Venit turba multa cum gladiis, & fustibus.* Fustes in Gentilium militum manibus præfixæ ferrea cuspide lanceæ erant; in Iudæorum manibus, quibus arma à Romanis non permittebantur, baculi illius generis erant, de quibus dicitur, *Pugna sudibus dum agitur, sudibusque præustis.* Cum Iudæis vt ipsi Præsidi Pilato dixerunt, non liceret occidere quemquam, iisdem mortis reos capere fas non erat, ait Vigerius. Cum ergo violentiam nullam ad Christum capiendum adhibere Iudæis liceret, cur fustes gerebant? Ad percutiendum ligna tulisse respondet Angelus Paz; idemque sentit Simon de Cassia. Iudæi ergo ad libitum praui legis interpretes sibi non licere hominem capere censentes; hominem immaniter percutere licere putabant. Verè vt Apostolus ait, *Cauteriatam conscientiam habebant*; cum purulentum conscientiæ cauterium pro arbitrio laxarent, & stringerent.

Virgilius l. 7.

Simon de Cassia sup.

Iudæi praui legis interpretes cauteriatam conscientiã habebant.

1. ad Tim. c. 4. 2.

361. *Cum gladiis, & fustibus: Cum laternis, & facibus, & armis*, addit Ioannes 18. Facum multitudo tanta fuit, vt eam *lucernarum nemus* Gagnæus appellarit. Et bene nemus dici potuit, cum ea in multitudine efferatæ bestiæ forent. Faces cæca illa multitudo adhibuit, primo, ne per noctem in lapides offenderent, foueasque vt vitarent. Dæmones enim duces habebant, non Angelos, quibus curæ est, *ne ad lapidem pedem offendamus*. Sed adhuc tot adhibitis facibus in *lapidem offensionis, & petram scandali* incidetunt; infernamque foueam non vitarunt. Porrò cum nox illa Paschatis diem præcesserit, adeoque tunc plenilunium foret; cur non contenti lunari lumine Iudæi faces attulerunt? Fortasse Angelus lunaris globi motor nubibus lunam obtexerat, ne immani sceleri lunares radij deseruirent; & hinc faces erant adhibendæ. Contra verò diabolus sacrilegi sceleris instigator cum ventos cohibuisset, laternis ad faces contra ventorum flamina custodiendas opus non erat.

Psalm. 90.

Epist. 1. Petri c. 2. 8.

Iudæi cur in plenilunio ad Dominum comprehẽdendum faces attulerint.

362. *Venit turba cum gladiis, & facibus.* De huiusmodi ad Dominum capiendum gladiis dictum est Psalmo 36. *Gladium euaginauerunt peccatores: Gladius eorum intret in corda ipsorum.* Hinc enim Rupertus ait: *Asseritò retributum est illis, vt gladius eorum intraret in corda ipsorum: Ita vt pro vna cohorte Romana, quam aduersus Dominum, & Regem suum conduxerant, immensum Romanæ fortitudinis aduersus rebellionem suam commouerent exercitum: Et quia cum laternis, & facibus exierunt noctu, tanquam ad latronem; idcirco lucerna Dei, lucerna legis, & Prophetarum, qua illustrati sunt patres eorum, cadat de manibus ipsorum.*

Rupertus in Ioan. c. 18.

Iudæorum in Christũ sæuientium supplicium: hic, & seq.

363. Quod impij Iudæi facibus ad Dominum capiendum venerunt, in sacrilegi sceleris suppli-

cium. Sophoniæ cap. 1. 12. Deus prædixit: *Scrutabor Ieruſalem in lucernis*, id eſt, vt hoſtes ad deprædandum, laternis Ieruſalem ſcrutentur, efficiam. Quod vaticinium adimpletum eſt, cum Romani ſub Tito ſcrutati ſunt Iudæos in cloacis, ſpeluncis, & ſepulchris, indeque eos extraxerunt ad necem, vt ſcribit oculatus teſtis Ioſephus lib. 7. belli Iud. cap. 17. 26. & 30. & lib. 3. cap. 14. Quòd in cloacis abſconditi Iudæi quæſiti fuerint, ibidem apud Sophoniam additur: *Viſitabo ſuper viros defixos in fæcibus ſuis*. S. Ambroſius in Pſal. 118. octonario 18. explicans illud, *Ignitum eloquium tuum*, ait: *Tripliciter deſcribe tibi ignitum eloquium Dei; vel quòd mundat, vel quod accendit, vel quòd illuminat audientes. Ideo ait Dominus: Scrutatus ſum Ieruſalem ad lucernam. Sed neminem in ea, vel qui mundaretur, vel qui incenderetur, aut illuminaretur, inuenit: ideo eam in tenebris dereliquit.*

Eloquium Dei mundat, accendit, & illuminat.

Quomodo piè, & amanter, non impiè, vt Iudæi, tenere Dominum debeamus.

364. IVxta Theophylact. *Iudæi faces afferunt, & laternas, ne Chriſtus latens in tenebris fugeret.* Sed ad hoc ſuperuacaneum omnino fuit eorum conſilium; nam, vt Ioannes ait, Dominus vltro eis obuiam venit: *Ieſus ſciens omnia, quæ ventura erant ſuper eum, proceſſit, & dixit eis: Quem quæritis?* Qui piè, non impiè, vt iniqui Iudæi, Ieſum quærunt, non materiales, ſed multò clariores ſpirituales faces adhibere debent, de quibus dicitur: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis. Præceptum Domini lucidum illuminans oculos. Mandatum lucerna eſt, & lex lux.* Propterea monet Propheta: *Apprehende legem, & ambula per viam ad ſplendorem eius. Per fidem ambulamus*, ait Apoſtolus. *Qui ſectantur veſtigia fidei*, quam ardens comitatur charitas, ij Dominum inueniunt. Propterea Dauid monuit: *Accedite ad eum, & illuminamini*: Ipſe enim ad Dominum acceſſus illuminatio eſt. Præterea Pſalmo 76. 3. ait Dauid: *Deum exquiſiui manibus meis nocte contra eum; coram eo* iuxta Auguſtinum; *& non ſum deceptus*; ſcilicet ſpe mea non ſum fruſtratus, cum enim mihi propitium inueni. *Quid eſt manibus Deum exquirere, niſi operi... ſanctis Saluatorem inuocare*: ait Gregorius. Qui tali modo Deum inuenerint, ij etiam, ſed longe diuerſo ſenſu, Iudæ verbis monendi ſunt: *Ipſe eſt, tenete eum, & ducite cautè.* Tenete eum arctis amoris vinculis, & in penetralia cordis veſtri ducite cautè; ne ſcilicet tam pretioſa præda, praua diaboli ſuggeſtione, inſidiiſque priuemini. *Non dimittam amplius Deum anſa fidei apprehenſum, donec fuerit intra meum conclaue, quod conclaue eſt ipſum cor meum*, ait Nyſſenus. Proinde bene ſollicita, & vigilans vnaquæque fidelis anima cum Patriarcha Iacob Deo dicat: *Non dimittam te, niſi benedixeris mihi.* Et cum Sponſa: *Tenui eum, nec dimittam, donec introducam eum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.* Hoc eſt iuxta Richardum de S. Victore: *Donec introducam in animam meam, cuius mater diuina gratia eſt, per quam ſpecialiter Deo regeneror.* Seu iuxta Theodoretum: *Donec introducam in penetralia mentis meæ.* Pia enim hominis mens cubiculum diuinæ ſapientiæ eſt: *Anima iuſti ſedes eſt ſapientiæ.* Cum autem Deo verè dicatur: *Omnia in ſapientia feciſti*; hinc benè diuina ſapientia Genitrix noſtra eſt. Secundo iuxta Hugonem: *Donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ; id eſt, Donec notum Dilectum faciam toti Eccleſiæ, quæ me genuit, & nutriuit. In quo datur exemplum, vt ſinguli inuentum ſponſum teneant, nec dimittant; donec notum dilectum faciant toti Eccleſiæ, vel ad minus genti ſuæ, vel Eccleſiæ propriæ.* Conſonat Hugoni Apponius dicens: *Cum legem diuinam mundo legeris corde, & quæ præcepit, facienda docueris; exulta, nam Chriſtum in domum matris inducis. Cum autem eius mirabilia myſteria diſſerere fueris dignus; & cæco Iudæo, & Gentili gratiæ donum, & veram humani generis redemptionem annunciando, Chriſtum renaſcentem in cubiculum genitricis introduces.* Tertio Theodoretus ait: *Piorum matrem cæleſtem eſſe Ieruſalem non ignoramus, de qua B. Paulus ad Galat. 4. Quæ ſurſum eſt, inquit, Ieruſalem, libera eſt, quæ eſt mater omnium noſtrûm. Sponſa igitur ſe ſponſum inuentum dimiſſuram negat, priuſquam in thalamum, & in cubiculum inſtratum ſimul ingrediantur.*

Ioan. c. 18. 4.
Pſal. 118. v. 105.
Pſalm. 18. 9.
Prou. 6. 23.
Baruch 4. 2.
2. ad Cor. 5. 7.
ad Rom. 4.
Pſalm. 33.
Gregor. in Pſ. vlt. pœnitentiale.
Humanum cor Dei cõclaue.
Nyſſenus in Cantic. c. 3.
Geneſ. 32.
Cantic. 3.
Anima iuſti ſedes eſt ſapientiæ.
Sapient. c. 7. iuxta Greg. hom. 38. in Euang.
Pſ. 103. 24.

365. Quomodo amanter tenendus ſit cæleſtis ſponſus, docet Philo Carpathius: *O quàm tenet illum, &, vt ita dicam, cogit fidelis anima, dum beneplacita illi, & accepta facit. Delectatur enim ſponſus quemadmodum ſponſa, iuſtorum vita, moribus, ſocietate, atque conſuetudine: tenetur que operibus virtutis, non manibus armatorum, non diuitum pompis, non opulentorum iactantia; non elatorum faſtu, non gulæ, ſomni, luxuriæ, inuidiæue morbo laborantium: Sed operibus miſericordiæ, pietatis, continentiæ, humilitatis, temperantiæ, beneuolentiæ, caſtitatis, & precibus rectorum. Tunc in domum matris noſtræ volens libentiſſimè introducitur ſponſus.* Richardus de S. Victore alludens ad citatum locum de Iacob Geneſ. 32. ait: *Tenetur Deus deuotione, deſiderio, importunitate, memoria, prece, fide, & expectatione exauditionis; nec dimittitur ſi ab intentione non ceſſet, nec vultus amplius in diuerſa mutentur. Tenet itaque Dilectum, quamuis aurora ſit; nec dimittit, donec benedixerit ei. Luctata eſt anima cum eo tota nocte, qua dormiuit; ſed cor eius vigilauit; quia ſcilicet ab exteriori occupatione ceſſauit; & in quærendo Dilectum laborauit. Etiam quamuis per noctem ad auroram peruenerit, non ceſſauit à lucta, id eſt ab orationis inſtantia, nec dimittit Dilectum; niſi benedictionem det, vt eat de virtute ad virtutem, & videat Deum deorum in Sion, id eſt in ſpeculatione per ſpeculum, & in ænigmate; benedictionem hanc quærit, & nominis mutationem; vt non iam Iacob, ſed Iſraël dici poſſit; nec opus ſit, vt amplius vitia ſupplantet; ſed vt expurgatis vitiis puritate fruatur virtutum, & Deum contempletur.* Cum Richardus ait: € ab intenſione non ceſſet, nec vultus amplius in diuerſa mutentur, alludit ad Annam. 1. Reg. 1. 18. de qua ſuis precibus à Domino exaudita dicitur: *Vultus illius non ſunt amplius in diuerſa mutati*: ſemper enim poſt feruidas, & efficaces preces ſereno, hilariquè vultu viſa eſt. *Qui ita precatur, & oratione magna bona percipit, omnes animi perturbationes reprimens, iram ſedans, inuidiam expellens, cupiditatem extinguens, rerum ad vitam pertinentium amorem diminuens, & exſiccans, animum in magnam tranquillitatem redigens, in ipſum deinde Cælum aſcendet*, ait Chryſoſtomus. *Quod popoſcerat Anna obtinere meruit; quia ſe poſt lacrymas in eodem mentis vigore ſeruauit, de qua ſcriptum eſt: Vultus eius non ſunt amplius in diuerſa mutati*, ait Gregorius & Rupertus: *Quia orando perſeuerauit. Hoc ergo fidelis*

Philo Carpathius. Cantic. 3.
Orationis eximia emolumẽta.
Chryſoſt. in Pſal. 129.
Gregor. in Dialog. c. 59.
Rupertus 1. Reg. cap. 3.

anima imitetur; & quærens inueniet, petens accipiet, pulsanti aperietur. Matthæi cap. 7. 8.

366. *Glutino bonum est*, dicitur Isa. 41. Sed ex Hebræo, & ex Septuaginta legitur: *De glutino bona est solidatio.* Hinc feruidæ charitatis glutino arctè Deum teneri, neque vnquam dimitti docet Bernard. ser. 79. dicens: *Quid hoc tenacius glutino; quod nec aquis eluitur; nec ventis dissoluitur; nec scinditur gladiis? Denique aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem. Tenui eum nec dimittam. Et Iacob: Non te, inquit, dimittam, nisi benedixeris mihi. Ita sponsa non vult eum dimittere; & fortè magis, quàm Patriarcha Iacob id non vult: quia nec per benedictionem quidem. Siquidem ille benedictione accepta dimisit eum; hac autem non sic. Nolo, inquit, benedictionem, sed te. Quid enim mihi est in cœlo, et à te quid volui super terram? Non dimittam te, nec si benedixeris mihi. Tenui nec dimittam.* Cur autem adeò tenax sit inter fidelem animam, cœlestemque sponsum nexus, rationem reddit Bernardus, quia scilicet non magis fidelis anima Deum tenere cupit, quam ipse Deus ab anima arctissimè teneri exoptet: *Non minus forsitan ille teneri vult, cum perhibeat dicens: Deliciæ meæ esse cum filiis hominum: quodque pollicens ait: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Quid hac copula fortius, quæ vno duorum tam vehementi voluntate firmata est?* Sed quia sponsa ait: *Tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ*; distinguit Bernardus cœlesti sponsi duplicem introductionem, alteram in domum, alteram secretiorem in cubiculum peculiarem gratiam afferentem. *Sufficiebat ad salutem, si domum intrares: at secretum cubiculi signat gratiam. Hodie, ait, huic domui salus facta est. Quidni sit domesticis salus, Saluatore ingresso domum? sed quæ in cubiculum meretur recipi, seorsum habet secretum suum sibi. Salus domui sit, thalamo deliciæ reconduntur.*

Glutinum bonum Charitas. — Cant. c. 8. 7. — Cant. 3 — Genes. 32. — Psal. 72. 25. — Dei, & animæ tenax nexus; quia Deus teneri, & tenere vult. — Prou. 8. 31. — Mat. 28. 20 — Dei introductio in animam duplex. — Luca 19.

Qui autem tradidit eum, dedit illis signum dicens: Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum.

367. Cum Dominus impiis ministris ad eum capiendum venientibus dixerit: *Quotidie apud vos sedebam docens in templo, & non me tenuistis*; iis se satis notum esse significauit. Quæritur ergo cur ad eum capiendum Iudas osculi signum dederit. Respondet primo Origenes tract. 35. in Matth. *Venit traditio talis de Domino ad nos quòd vnicuique apparebat secundùm quod fuerat dignus: & cum fuisset ipse, quasi non ipse omnibus videbatur. Secundùm quod de manna scriptum est, quando Deus filiis Israel panem misit de Cœlo omnem delectationem habentem, & ad omnem gustum conuenientem; quando desiderio offerentis obsequēs ad quod quisque voluerat vertebatur. Non mihi videtur incredibilis esse traditio hæc, quòd Iesus corporaliter alio, et alio modo videretur hominibus.* Sed traditio hæc ab Origene allata admittenda non videtur. Primo, quia si huiusmodi transformationibus Dominus vsus esset, præstigias suspicandi Iudæis ansam dedisset; præsertim cum eum dæmonium habere censerent. Secundo, Quia Origenes varias huiusmodi Domini transfigurationes cōparat cum transfiguratione facta in monte Thabor. Sed ibi ita Dominus transfiguratus est, vt sui vultus formam, figuram, coloremque non mutarit. *Nemo putet Christum per hoc, quòd transfiguratus dicitur, pristinam formam, & faciem perdidisse: sed quomodo transformatus sit Euangelista demonstrat dicens, Resplenduit facies eius sicut sol*, ait S. Th. 3. p. q. 45. a. 1. ad p. Quare etiam admissa Origenis traditione, adhuc inde Dominus non alius, quàm ipse videri poterat; sicut non alius, quàm ipse Apostolis in monte Thabor est visus.

Iudas ad Christum satis Iudæis notū capiēdum, cur osculi signum dedit, ratio quadruplex — Sap. c. 16. 20 — Origenis sententia de Christo aspectum variante refellitur. — Matth. c. 17

368. Respondet 2. Panigarola Astensis Episcopus, Iudæ innotuisse Domini in monte Thabor transfigurationem; ideo cum dubitasset, ne ex simili transfiguratione Iudæorum oculis ignotus Dominus esset, dedisse osculi signum. Nec obstat, quòd Dominus Apostolis dixerit: *Nemini dixeritis visionem, donec filius hominis à mortuis resurgat*: Id enim intelligi debuit: Nemini dixeritis per modum publicæ prædicationis. Sed contra est, quia, vt Damascenus ait: *Iudas Andream cum cæteris Apostolis infra remansisse conspiciens, excusandi facinoris sui causâ dicere non poterat, se ob eam causam ad Dominum vendendum impelli, quòd huiusmodi spectaculo caruisset.* Ne igitur talis excusationis causa Iudæ daretur, ei nullo modo Domini transfigurationem innotuisse iuxta Damascenum dicendum est. Adde Dominum absolutè, nulla posita limitatione, Apostolis dixisse: *Nemini dixeritis*: cui Domini mandato absolutè Apostolos obsecutos esse est dicendum. Præterea ex transfiguratione Dominus pristina forma retenta, non se ignotum reddidisset, vt supra diximus.

Panigarola 1 par. ser. 15. de pass. — Panigarolæ sententia refellitur. — Matth. 17. — Damascen. orat. de transfiguratione.

369. Respondetur tertiò Iacobum minorem, qui etiam Iacobus Alphæi dicitur, & inter duodecim Apostolos, quidquid alii senserint, verè fuit; non solùm ob egregios mores, incomparabilem fidem, & sapientiam, vt S. Hieronymus ait; sed etiam ob vultus similitudinem Domino fuisse valdè similem; propterea, quamuis Dominus consobrinos fratres alios habuerit, Iacobus specialiter frater Domini dictus sit: quo nomine eum vocat Paulus Apostolus ad Galat. 1. dicens: *Alium Apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum fratrem Domini*: Quare S. Ignatius martyr ep. 2. ad S. Ioan. ait: *Volo videre fideles sanctos, qui Ierosolymæ sunt, &c. Similiter & illum venerabilem Iacobum, qui cognominatur Iustus; quem referunt Christo Iesu simillimum facie, & vita, & modo conuersationis, ac si eiusdem vteri frater esset gemellus: Quem dicunt, si videro, videro ipsum Iesum secundùm omnia corporis lineamenta.* Propter hanc ergo Iacobi cum Christo similitudinem Iudas osculi signo vsus est; ne scilicet pro Christo Iacobus caperetur; quem in Gethsemani horto cum Christo esse Iudas existimauit. Porrò epistolam S. Ignatii ad S. Ioannem, quamuis fictam esse suspicetur Bellarminus de Scriptor. Ecclesiast. eam tamen admittit Sixtus Senensis lib. 2. Bibl. litera M. Ibique alios eam admittentes auctores citat.

Hieronym. in c. 1. ad Galatas. — Iacobus minor Christo valde similis.

370. Respondetur quartò osculi signum Iudam dedisse, eo quòd nollet milites in Christi faciem aliquibus saltem notam obtutum intendere: nam, vt de Christo Domino Hieronymus ait: *Fulgor ipse, & maiestas diuinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad se videntes trahere poterat aspectu.* Ex Iudæ ergo monito, & ex diaboli instinctu, milites ad Christum comprehendendum accurrentes in eum oculos non intenderunt. Quare cum ab iis se capi Dominus permisisset, iam antea de iis prædixerat:

Hieronym. in Mat. c. 9. — Christi aspectus quàm amabilis.

Psal. 16. 11. dixerat: *Proijcientes me, circumdederunt me; Oculos suos statuerunt declinare in terram; susceperunt me, sicut leo paratus ad prædam.* Leonem, ne armati venatoris aspectu terreatur, oculorũ acie in terrã defixa, in eũ impetere scribit Plin. l. 8. c. 16.

Leo defixo in terrã obtutu in venatores insurgit.

371. Cantic. 5. cum noctu à sponsa quæreretur: *Qualis est dilectus tuus?* respondit: *Dilectus meus candidus, & rubicundus.* Christus ergo cœlestis spiritus ex lacteo, & roseo faciei colore olim indicatus; in Gethsemani horto, fœtido Iudæ osculi signo indicari passus est. Ad indicandum Cœlestem sponsum, olim sponsa dixit: *Caput eius aurum optimum.* Postea eiusdem sponsi caput aurum optimum à Iuda triginta argenteis venditum, dolosi osculi signo iniquis emptoribus traditum est.

Signa diuersa ad Christum cognoscendum: hic, & seqq.

372. Vt Dominum recens natum Bethlemij pastores inuenire possent, iis ab Angelo dictum est: *Hoc vobis signum, inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio.* Maxima quidem fuit Christi Domini humilitas, cum non alio signo, quàm quòd in pecudum præsepio iaceret, piis pastoribus indicari voluerit. Sed longè maior humilitas, & patientia eiusdem Domini fuit, quòd putido Iudæ ore, stabulo fœtidiore per osculum admoto impiis militibus indicari permiserit. In Bethlemia spelunca splendidæ stellæ signo Orientalibus quidem Regibus, non autem impio Herodi Dominus indicari voluit: at in Gethsemani horto teterrimi oris osculo impiis militibus indicari passus est.

Lucæ c. 2. 12.

373. In veteri Testamento ad Dominum verè cognoscendum Gedeon dixit: *Si inueni gratiam coram te, da mihi signũ, quod tu sis, qui loqueris ad me.* Signum verò Gedeoni datum fuit purissimus ignis è Cœlo demissus, quo Gedeonis consumptum est sacrificium. At in Gethsemani horto non purissimo cœlesti igne, sed impurissimo Iudæ osculo Dominus indicari non renuit.

Iudicum c. 6.

374. Genes. 4. 15. dicitur: *Posuit Dominus in Cain signum, vt non interficeret eum omnis, qui inuenisset eum.* Vbi quæritur quodnam fuerit hoc in Caino positum signum? Respondent Rabbini fuisse canem, qui semper Cainum præibat: perque vias tutas deducebat. Quidquid sit de hac Rabbinorum sententia; profectò post Iudæ osculi signum, ipse Dominus ait Psal. 21. *Circumdederunt me canes multi:* non, vt ad mortem euadendam per tutas vias deducerent; sed vt per Ierosolymæ vias ad acerbissimam crucis mortem immanissimè traherent.

375. Iosue 2. Cum Iericho expugnaretur, ad Rachab domum indicandam, & saluandam funiculus coccineus eius fenestræ alligatus signum fuit. Ad Dominum indicandum optimum signum fuisset eiusdem eloquium; quo suauissimè hominum animos ita deuinciebat, vt propterea sanctissimæ Christi humanitati, primariæ Dei sponsæ dictum fuerit: *Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce.* Sed Iudas, cum ei ad suspendium funiculus reseruaretur, non suauissimis labiorum Domini vittis, sed teterrimi osculi signo impiis militibus ad mortem Dominum indicauit.

Cantic. c. 4.

376. Isa. c. 7. impio Regi Achaz dictũ est: *Pete tibi signum à Domino Deo tuo, in profundum inferni, siue in excelsum supra.* Hoc est: Vis ne è sublimi cœlo signum, an ex inferno per terræ hiatũ? Hanc signi, quo cognosceretur, optionem Dominus non habuit: cum tantùm ex Iudæ ore, & osculo, velut ex inferno hiatu suis indicatus fuerit.

A *Et confestim accedens ad Iesum dixit: Aue Rabbi; & osculatus est eum.*

377. DE Iuda, eiusque similibus proditoribus dicitur Psal. 13. *Sepulchrum patens est guttur eorum,* cadauerosæ animæ fœtidum halitum exhalans: *Linguis suis dolosè agebant; venenum aspidum sub labiis eorum.* De eodem Iuda postquam ex Domini manibus sacrum Eucharistiæ panem sumpsit, prædixit Iob 20. 14. *Panis eius in vtero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus:* & seqq. Domino impij ministri *dederunt vinum bibere cum felle mistum. & cum gustasset noluit bibere.* B Sed vinum cum felle mistum, quamuis noluerit Dominus bibere; Iudæ tamen osculum venenato mistum felle admittere voluit; vt amanter Iudam deliniret, & ad resipiscentiam reuocaret: *vt plus afficeret proditorem, cui amoris officia non negaret,* ait Ambrosius. *Quæ participatio iustitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras?* ait Apostolus. *Quæ societas felli ad mel?* dicere possumus. Cur cum mellifluo Christi ore fellea Iudæ labia iunguntur? *Cuius maledictione os plenũ est, & amaritudine, & dolo: sub lingua eius labor & dolor? Non in lingua, sed sub lingua; quia sub lingua dolosam malitiam occultat,* iuxta Augustinum, & Hugonem. *Sub lingua eius labor & dolor:* Verè enim de Iuda, eiusque similibus di- C citur Ieremiæ nono: *Docuerunt linguam suam loqui mendacium; vt iniquè agerent, laborauerunt.*

Iudæ dolosa lingua: & seqq. Matt. 27. 34. Ambros. in Luc. c. 22. 2. ad Cor. c. 6. 14. Psalm. 9.

378. De Iuda Psal. 108. Dominus ait: *Os peccatoris, & os dolosi super me apertum est.* Vbi Hieronymus ait: *Videamus quomodo os Iudæ proditoris apertum est in Dominum. Venit ad Dominum, vt eum tradat, & dicit: Rabbi, hoc est Magister. Ecce os peccatoris, & os dolosi. Ego enim mea clementia volo saluare, & osculum illi porrigo, & volo vincere malitiam eius, & ille permanet ad malè faciendum, vt me tradat.* Subdit infra Hieronymus: *Videtis quanta clementia Domini est. Videt eum cum ministris venientem cum fu-* D *stibus, & porrigit ei osculum. Ille venit ad prodendum, & Dominus osculum dat; vt qui Magistrum non timuit, vel clementia vinceretur.* De Christo Domino cœlesti sponso dicitur Cantic. 5. 13. *Labia eius lilia distillantia Myrrham primam.* Cum ergo Iudas osculando sanctissimis Domini labiis os admouisset, inde salutarem myrrham ad suam peccati putredinem reijciendam desumere debuisset.

Christi clementia.

379. Iudam osculantem, & Domino dicentem: *Aue Rabbi,* Ioab præfigurauit, de quo scribitur 2. Reg. 10. 9. *Dixit Ioab ad Amasam: Salue mi frater; & tenuit manu dextera mentum Amasæ quasi osculans eum; & percussit eum in latere, & effudit intestina eius in terram.* Teste Iosepho Ioab exercitus principatum sibi ablatum, E & Amasæ à Dauide datum non ferens, ex inuidia Amasan occidit. Sed quã causam moliendi Christi mortem Iudas habuit? Cui Dominus inter Apostolos admisso principatum dederat; iuxta Dauidis de Apostolis vaticinium: *Constitues eos Principes super omnem terram.* Occisus Amasa intestina in terram effudit: contra verò de occisore Iuda, & deicida suspenso, Petrus testatur: *Diffusa sunt omnia viscera eius.* Act. cap. 1. 18.

Iudæ, & Ioabi comparatio. Psal. 44. 17.

380. Primo Reg. 10. Samuël cum Saülem deosculatus esset, Samuëlis osculum indicium, & prœludium fuit regni, regijque diadematis, quod statim postea super Israël Saül accepturus erat. Iudæ etiam osculum Domino regni, & dia-

Iudæ osculum Christi regni signũ.

dematis ſignum, & præludium fuit. Sed cuius diadematis, cuius regni præludium? Illius certè regni, & diadematis, de quo dicitur Cantic. 3. 11. *Egredimini, & videte filiæ Sion, Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum Mater ſua in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.* Vbi Theodoretus ait: *Matrem appellat Iudæam, quantùm pertinet ad eius humanitatem: ſpinis enim illum contemptus cauſa coronauit: ipſe verò per ſpinas ſuſcepit diadema charitatis: ſponte enim ignominiam pertulit, atque vltrò ad mortis cruciatus acceſſit; quamobrem deſponſationis diem illam vocauit, & diem lætitiæ cordis ſui. Tunc enim nuptiarum communio facta eſt. Nam poſt cœnam accipiens panem, & gratias agens fregit, deditque diſcipulis ſuis dicens, Accipite, comedite ex eo omnes; hoc enim corpus meum, quod pro vobis frangitur in remiſſionem peccatorum. Hoc facite in meam commemorationem. Edentes igitur ſponſi membra, & bibentes eius ſanguinem, nuptialem ipſius communionem aſſequuntur.* Similiter Bernardus ſerm. 2. de Epiphan. *Egredimini virtutes Angelicæ, incolæ ciuitatis ſupernæ: egredimini, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater ſua. Siquidem coronatus eſt à nouerca corona ſpinea, corona miſeriæ, coronandus à familia ſua corona iuſtitiæ.* Regnum huic coronæ reſpondens, & principatus, crux fuit, de qua dicitur Iſaiæ 9. 6. *Factus eſt principatus ſuper humerum eius.* Ideo Tertullianus ait: *Rex nouus Chriſtus Ieſus, nouam gloriam, poteſtatem, & ſublimitatem ſuam in humero extulit; crucem ſcilicet, vt ſecundùm Dauidis Prophetiam exindè regnaret.* Dauid enim iuxta Septuaginta, & S.S. P.P. Auguſtinum, Cyprianum, Leonem, Gregorium, Iſidorum, & alios Pſalm. 95. 10. ait: *Dicite in Gentibus, quia Dominus regnauit à ligno.* Quare de cruce, per quam Chriſtus regnauit S. Leo ait: *Ibi tota diabolicæ dominationis conterebatur aduerſitas; & de elatione ſuperbiæ victrix humilitas triumphabat.* De eodem ait Arnobius: *Dominus regnauit à ligno crucis, quia per lignum concupiſcentiæ*, nempè per arborem, ex qua vetitum pomum primi parentes comederunt, *regnum Dei ab hominibus receſſerat; modò per lignum crucis regnum reuerſum eſt Dei.*

Tertull. lib. contra Iudæos.
Cyprian. de monte Sina & Sion.
Leo ſer. 4 de paſſ.
Greg hom. 6 in Ezech.
Iſidorus de vocatione Gentium 25

381. Cum Samuël Iſraëlis Regem Saülem conſtituit, præter oſculum *Lenticulam olei effudit ſuper caput eius.* Chriſtus Dominus à Crucis ligno regnaturus non oleo; ſed proprio ſanguine eſt in Regem inunctus. Habet enim pretioſus Chriſti ſanguis vim Reges conſtituendi. Ideo Apc. 5. 9. de Chriſto dicitur: *Redemiſti nos Deo in ſanguine tuo; & feciſti nos Deo noſtro regnum, & ſacerdotes, & regnabimus ſuper terram*, poſtea in cœlo etiam regnaturi. De cœleſti autem electorũ Regno Anſelm. epiſt. 2. ad Hug. ait: *Tanta erit dilectio inter Deũ, & eos, qui ibi erunt, & inter ſe ipſos; vt omnes inuicem diligant, ſicut ſe ipſos; ſed plus ament omnes Deum, quam ſe ipſos. Propter hoc nullus ibi volet, niſi quod volet Deus & quod volet vnus, hoc volent omnes; & quod volet vnus, vel omnes, hoc ipſum volet Deus. Quapropter quidquid vnuſquiſque volet, hoc erit de ſeipſo, & de omnibus aliis, & de tota creatura, & de ipſo Deo: & ſic ſinguli erunt perfecti Reges; quia quidquid ſinguli volet, hoc erit: & omnes ſimul cũ Deo vnus Rex.*

1. Reg. c. 10.
Chriſti ſanguis Reges conſtituit.

382. Geneſ. 27. Cum Iſaac filio ſuo Iacob dixiſſet: *Accede ad me, & da mihi oſculum fili mi. Acceſſit, & oſculatus eſt eum.* Statim poſt oſculum *benedicens illi ait: Det tibi Deus de rore Cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, vini, & olei.* At multò nobiliorem benedictionem Iudæ elargiendam paratus Dominus erat: ſed cum infelix Iudas in proditionis ſcelere perſeueraſſet, euenit quod de eo prædictum erat Pſal. 108. *Dilexit maledictionem, & veniet ei; & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.* Sanctus Ambroſius octo beatitudines à Domino enumeratas Matth 5. vocat octo benedictiones: has omnes proditor Iudas amiſit. Sed de qua præcipuè benedictione dicitur: *Noluit benedictionem, & elongabitur ab eo?* Reſpondet Hugo: *Iudas noluit illam benedictionem, de qua Matthæi 5. dicitur: Beati pauperes ſpiritu: quia, vt haberet pecuniam, primò fuit latro, deinde proditor.*

Ambr. ſ. 1. in c. 6. Luc.
Iudas quis benedictione priuatus

383. De Iuda eodem Pſalmo dicitur: *Perſecutus eſt hominem inopem, & mendicum, & compunctum corde mortificare*, nempe Chriſtum Dominum: *Qui cum eſſet diues, propter nos egenus factus eſt. Quid eſt compunctum corde mortificare? Quia paulò ante triſtis fuerat anima eius vſque ad mortem*, ait Hieronymus.

2. ad Cor. c. 8. 9.

384. De Iuda Sanctus Leo ait: *Signum traditionis ſæuiore omnibus telis oſculo præbuit.* Cur Domino ſæuius omnibus telis Iudæ oſculum fuerit, rationem reddit ipſe Dominus Pſal. 54. 13. *Quoniam ſi inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem vtique. Tu verò homo vnanimis, qui ſimul mecum capiebas cibos*, me vtiquè falsò oſculo prodere non debebas. Mihi quidem maledixerunt, & vulnera inflixerunt Iudæi; ſed iis meum corpus, meumque ſanguinem in cibum, & potum non tradidi: tibi verò, Iuda, cum meum corpus manducandum, meumque potandum ſanguinem dederim, ex ore cibo, & potu tam beneficè dignato proditionis oſculum prodire non debet. Eſt ergo mihi tale oſculum inſtrumentis omnibus ſauciantibus ſæuius. *Meliora ſunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oſcula odientis*, Salomon ait. Sed oſculante Dominum Iuda, dicere poſſumus: *Meliora ſunt odientis vulnera, quàm fraudulenta oſcula odientis.* Citato loco ex Chaldæo legitur: *Pulchra ſunt vulnera diligentis; mala oſcula odientis.* Sed inſuper dicere poſſumus: *Pulchra ſunt odientis vulnera; mala oſcula odientis.* Cruenta enim Chriſti vulnera etiam ab inimicis inflicta, gemmæ, & pyropi fuerunt noſtræ redemptionis pretium: purpureæ fuerunt roſæ, vnde ſuas martyres coronas habuerunt: flammantia ſidera fuerunt in humanum genus cœleſtem gratiæ rorem influentia. Contra verò fœtidum Iudæ oſculum, ſpurciſſimi labij labes, peſtilens mortis lues, virulentus oris halitus inferni ſpiramen fuit.

S. Leo ſer. 1. de Paſſ
Iudæ oſculum telorũ ictibus ſæuius.
Prouerb. c. 6
Vulnera Chriſti quã pulchra fuerunt.

385. Cum prodigus filius in paternam domum rediret, pater *accurrens cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum.* Iudam breuioris ſtaturæ fuiſſe S. Brigittæ Dominus reuelauit: ſcilicet vt in anguſto corpore anguſtior anima ad terrã deprimeretur. Dominus ergo, vt Iudæ breuioris ſtaturæ oſculum non reſpueret, ad eum, non quidem prodigum filium, ſed auarum parricidã benignè ſe inclinauit. Poſt patris prodigo filio datum oſculũ, *datus eſt annulus in manu eius.* At poſt Iudę oſculũ arctis catenis Dominus eſt alligatus: *Cohors & tribunus, & miniſtri Iudæorũ comprehenderunt Ieſum, & ligauerũt eum.* Poſt patris oſculũ ſtatim ad prodigum filium induendũ patris iuſſu allata eſt *ſtola prima*, hoc eſt nobiliſſima veſtis. At poſt Iudæ oſculum, impij Herodis iuſſu Chriſtus Dominus ad irriſionem veſte alba eſt indutus: deinde etiam ad irridendum milites *chlamydem coccineã circũdederunt ei*: eundẽ tanquã impij miniſtri

Iudæ ſtatura breuior.
Lucæ 15.
S. Brigitta L. 4. c. 99.
Pater prodigum filium oſculans.
Iudas Chriſtum oſculans comparantur.
Ioannis 18. c. 12.
Lucæ 23. 11.

propriis nudatum vestibus crucifixerunt. Post patris osculum, saginato vitulo occiso conuiuium prodigo filio est paratum. Post Iudæ osculum fel in Domini escam datum est iuxta Psalmi vaticinium: *Dederunt in escam meam fel.* Post patris osculum, conuiuali gaudio symphonia, & chorus prodigi filij aures antea suum grunnitibus assuetas deliniuit. Post Iudæ osculum Domini auribus irrisiones opprobria, & blasphemiæ insonuerunt: *Prætereuntes blasphemabant eum, mouentes capita sua, & dicentes: Vah, qui destruis templum Dei, & in triduo illud reædificas. Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere.* Matth. 27. 34.

Psal. 68. 22

Lucæ. 7.

Iudas Domini faciem osculans, Magdalena osculās Domini pedes cōparatur. Christus discipulorū pedes & inter eos Iudæ pedes est osculatus.

386. Cum Magdalena se Domini aspectu indignam existimans, *stans retro* Domini pedes humillimè esset osculata, ei dictum est: *Fides tua te saluam fecit.* Contra vero cum Iudas non Domini pedes, sed faciem impudenter osculari ausus esset, bene ei dici potuit: *Perfidia tua te perditum reprobumque fecit.* Simon de Cassia probabiliter asserit Dominum post singulorum discipulorum pedes ablutos, linteoque detersos, eorum etiam pedes humillimè esse osculatum. Quod nunc etiam Prælati pauperum pedes abluentes, Christum imitantes seruant. Cum ergo Iudæ pedes Dominus paulò ante ad beneuolentiam osculatus esset; impudens Iudas non ad beneuolentiam, sed ad proditionem Domini faciem est osculatus. Bene ei dici potuit: *Hæccine reddis Domino, Iuda stulte, & insipiens?* Iuda scelesté, & impudens, pro humili, & benigno in pedibus osculo, audax, & proditorium Domino in facie osculum reddis.

Deuter. 32. 6

Dixit: Aue Rabbi.

387. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, Charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens*, ait Apostolus: prima ad Corinthios 13. Gabriel Angelus Beatam Virginem salutans primùm hoc verbo *Aue*, vsus est, idem verbum vsurpans Iudas Dominum salutauit dicens, *Aue Rabbi.* Sed quia Iudas expers charitatis erat, *cymbalum tinniens* fuit: hoc est cymbalum non benè moderatum, sed tantùm confusum sonitum edens. Credibile est enim Iudam proditionis sceleris sibi conscium præ confusione voce non satis expedita, salutationis verba expressisse. Iudæ autem *Aue* dicenti, bene pro *Aue*, væ respondere potuit verbis illis Isaiæ 18. *Væ terræ cymbalo alarum*: vbi ex Hebræo legit Aquila, & Vatablus: *Væ vmbræ vmbræ.* Hominis enim vmbra non hominis realitatem, sed tantùm figuram refert. Similiter Iudas ante proditionem occultus fur, adeoque simulatus Apostolus Apostoli vmbram referebat: Postea per manifestam proditionem, quam tamen tegere conabatur, fuit ipsius vmbræ vmbra.

Iudas Dominum dolosè salutās, cymbalum tinniens.

Iudas vmbra vmbræ

August. ep. 48.

388. *Aue*, iuxta Augustinum Hebræo idiomate: *Viue* significat. Mendax ergo Iudas, dum Dño *Viue*, ait eum ad mortem trahit: dum eius os vitam precatur, eius osculum ad mortem tradit. Iudam postea iniqui milites imitantes genuflexo ante Dominum, illudebant ei dicentes: *Aue Rex Iudæorum.* Post Gabrielis *Aue*, in materno vtero mortalem vitam Dominus inchoauit; Post Iudæ impiorumque militum *Aue* in Crucis patibulo idem Dominus mortalem vitam absoluit. Apud veteres *Aue* matutina salutatio erat; *Vale* verò salutatio vespertina. Hinc apud Poëtam legitur: *Et matutinum portas ineptus Aue: cui non mane feras irrequietus*

Matt. 27. 29

Aue matutina saluta tio: Vale salutatio vespertina.

Martialis l.

A *Aue.* Domino autem *Aue*, & matutina, & vespertina salutatio fuit; vitæ scilicet, & mortis initium. *1. Epig. 56. & l. 4. Epig. 79.*

389. De Pharisæis Dominus dixit Matth. 23. 7. vt honorentur, *amant salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi.* Dominus non in foro, sed in Gethsemani horto; non ad honorificentiam, sed ad ignominiam Iudæ salutationem, & ab eo vocari Rabbi tolerauit.

390. Quantùm peccauerit Iudas putans ficta salutatione, & osculo suam proditionem Domino omnia præscienti abscondere posse, patet ex dictis supra in eiusdem Iudæ, verba dicentis: *Nunquid ego sum Rabbi?*

B *Dixitque illi Iesus: Amice, ad quid venisti?*

391. HOmini ad nuptias vocato, nec nuptiali veste induto, vocato scilicet ad nuptiale Euangelicæ legis conuiuium, nec sanctitatis vestem afferenti, ideoque in gehennæ tenebras damnando, Dominus dixit: *Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* Vbi Gregorius ait: *Mirandum est, quòd & amicum vocat, & reprobat; ac si apertius dicat: Amice, & non amice: Amice per fidem, & non amice per operationem.* At Iudas cum neque per fidem, neque per operationem amicus esset, cur eum Dominus amicum vocat? Respondent aliqui primo Iudam à Domino per antiphrasim, & ironiam amicum esse appellatum; eo modo, quo ironicè à Deo dictum est Adamo Genes. 3. *Ecce Adam factus est quasi vnus ex nobis.*

Matth. 22. Gregor. hō. 38.

Iudā Dominus cur amicū vocauerit, rationes quinque

C

392. Respondetur 2. Dominum eo modo Iudam amicum vocasse, quo modo Ps. 37. idem Dominus de Iudæis dixit: *Amici mei, & proximi mei aduersum me appropinquauerunt, & steterunt.* Vbi August. ait: *Amici, id est, qui se finxerunt amicos. Amicos enim se finxerunt quando dixerunt: Scimus, quia in veritate viam Dei doces.* *Matth. 22.*

393. Respondetur 3. interdum mutatas res pristino nomine appellari: vt Exod. 7. 12. dicitur: *Deuorauit virga Aaron, virgas eorum:* Vbi serpens virga vocatur, quamuis in colubrum mutata fuerit, vt docent Philo, Ambros. & Aug. Similiter, quòd antea Iudas nempe Apostolatus initio Christi amicus fuerit, postea quamuis in proditorem & veluti in venenatum colubrum mutatus, adhuc amicus nominatur.

Res mutatæ pristinum nomen retinent.

D

Ambros. lib. 3 offic. c. 14

394. Resp. 4. è Scripturæ regula accepta à Hieronymo Ierem. 28. *Multa in Scripturis S. dicuntur iuxta opinionem illius temporis, quo gesta referūtur; & non iuxta quod rei veritas continebat. Ioseph in Euangelio pater Domini vocatur; & ipsa Maria, quæ sciebat se de Spiritu S. concepisse, loquitur ad filium: Fili quid fecisti nobis sic? Ecce ego, & pater tuus dolentes quærebamus te.* Iuxta hanc regulam falsi prophetę in Scriptura Prophetæ vocantur, quod vt tales vulgò haberentur. Similiter, quia E Iudas ab Apostolis, & alijs, qui Iudæ proditionis conscij non erant, amicus, & discipulus Domini credebatur, amicus à Domino est vocatus.

Scriptura multa habet, quæ dicuntur iuxta opinionē temporis, quo dicuntur; & nō iuxta id, quod rei veritas continebat.

Luca 2.

395. Resp. 5. Iudam à Domino amicum appellari, eo quòd adhuc illi se amicum per veram reconciliationem offerret; quodque sic appellando ad pœnitentiam eum reuocare vellet. Quot modos ad Iudā conuertendum adhibuerit Dominus fusè explicat Chrys. t. 3. sub init. concionis de Lazaro.

396. Addit S. Lucas dixisse Dominum: *Iuda, osculo filium hominis tradis?* ac si diceret: Fieri ne potest, Iuda, vt osculo, amico beneuolentiæ signo vtens ad mortem filium hominis tradas? *Filium hominis tradis*, ait Dominus; non

Christi clementia erga peccato. e.

Dei filium; quia, vt talem Iudas Dominum non agnouit. Filium, inquit, hominis tibi adeo beneficum; de quo nihil vnquam habuiſti, quod conquereris. Filium hominis tradis, quem vidiſti cæcis oculorum lumen, claudis expeditum greſſum, mutis, ſurdiſque loquelam & auditum, mortuis vitam diuinitus dare? Quem vidiſti ventis, marique imperare: illius es proditor oſculans, cuius ſputo cæcum illuminari vidiſti? illius ori oſculum figis; qui pro te mox ab iniquis ſatellitibus conſpuetur? Quamuis ſputa illa erunt tuo oſculo minus ſæua.

397. *Amice, ad quid veniſti?* Videtur Remigius verba hæc non per interrogationem, ſed per affirmationem à Domino dicta interpretari; B quaſi Dominus dixerit: *Ad quod veniſti Iuda, hoc fac, hoc te exequi permitte. Nam ad quod veneris, ſatis ſcio: oſculo filium hominis tradis. Quod facis, fac citius;* vt dixerat Ioan. 13. 27. Sed allata Domini verba per interrogationem dicta melius ſunt interpretanda. Interrogauit autem Dominus his verbis Iudam; vt in quod ſceleris præcipitium corruerat, noſceret. Sicut, cum ex innocentiæ ſtatu in præuaricationem Adam incidiſſet, ei Dominus dixit: *Adam vbi es?* Quaſi dicat iuxta Ambroſium: *Vbi eſt tua benè ſibi conſcia confidentia? Timor iſte culpam fatetur; latebra præuaricationem. Vbi es ergo? Non in quo loco quæro, ſed in quo ſtatu. Quo te deduxerunt peccata tua, vt fugias Deum tuum, quem ante quærebas?* C Similiter Deus Cain interrogauit Geneſ. 4. *Vbi eſt frater tuus?* Ibique idem Ambroſius ait: *Negantem arguit: peccantes Deus admonet ad pœnitentiam: Confeſſio enim pœnarum compendium eſt. Eſt quædam in peccatis verecundia, & pœnitentiæ portio crimen fateri; nec deriuare culpam, ſed recognoſcere. Mitigat Iudicem pudor reorum; excitat autem pertinacia denegantium. Vult te prouocare ad pœnitentiam Deus; vult de ſe ſperari indulgentiam.* Hanc Domini indulgentiam conſecutus eſſet Iudas; ſi reſipiſcens ad Domini interrogationem, & proditionis notitiam ſui ſceleris confeſſione, quod interrogans Dominus expetebat, reſpondiſſet. Sed Cainum imitatus Iudas, à ſceleris confeſſione obſtinatus abſtinuit.

Iudæ cur Dominus dixerit: Amice, ad quid veniſti? Rationes quinq.

Geneſ. 3. Ambroſ. de Paradiſo c. 14.

Ambroſ l. 2. de Cain, & Abel c. 14.

Confeſſio culpæ Deũ placat.

398. Sanctus Auguſtinus ad prodigioſum indicandum ſcelus, admirando Dominum dixiſſe ait: *Amice ad quid veniſti! Oſculo filium hominis tradis! Fungebaris diſciplina virtutis, & diſcipulus factus es conſilij iniquitatis. Officio ſanguinem fundis; pro pignore amoris vulnus infligis; pacis argumento mortem immittis; ſeruus Dominum tradis: diſcipulus Magiſtrum prodis. Vtiliora ſunt vulnera amici, quàm voluntaria oſcula inimici.*

Auguſt. ſer. 43. in appẽdice de l'aſſ. Dom. & proditore.

399. Præterea huiuſmodi interrogandi modo vti quis ſolet ad aliquid fruſtra factum, & planè ſuperuacaneum oſtentandum; vt primo Machab. 12. Ionathæ venienti cum exercitu multo in Bethſan, Tryphon, vt ſuperuacaneum fuiſſe tot militum numerum ſignificaret, dixit: *Vt quid vexaſti vniuerſum populum; cum bellum nobis non ſit?* Similiter Dominus Iudæ dicere viſus eſt: *Ad quid veniſti?* quaſi diceret: Iuda quid tot fraudum machinis te amicum ſimulans vteris? quid, vt proditorem te celes, amicam ſalutationem, & oſculum adhibes? Cum ex pluribus meis te coram antea prolatis verbis ſatis ſcire debeas mihi tuum doloſum animum, tuamque proditionem iam eſſe notam? Quid præterea tot militum ad me comprehendendum numerum ducis? cum meæ mortis præſcius eam vehementi deſiderio expetam; eamque me prænunciaſſe

Interrogatio conatũ fruſtra adhiberi indicat.

A non ſemel audieris; cumque ſi voluiſſem effugere faciſſimè poſſem? iuxta quem ſenſum ſatis aptè pictor Dominum in Gethſemani horto admota dolenti, & amanti pectori dextera, læuaque aduentantes cum Iuda milites oſtendentem hoc ſubſcripto Carmine depinxit:

Dextera dolens pectus, demonſtrat læua cohortem.
Hic dolor, vt perimat ſufficit. Hoſtis abi.
ſeu
Dextera cor ardens, aciem manus altera monſtrat.
Ardor hic, vt moriar, ſat mihi. Miles abi.
In me militiæ cogit quid proditor arma?
Sat mea ſollicitat funera diuus amor.

400. Denique Iudæ Dominus ait: *Ad quid veniſti?* Nonne ad triginta argenteorum mercedem lucrandam? Ad hoc autem quam malè, quàm fruſtra veniſti? Si argenti cupiditate tenebaris; nonne tibi è mari argentum extrahere poteram; ſicut cum Petro dixi: *Vade ad mare, & mitte hamum; & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle: & aperto ore eius inuenies ſtaterem.* Quod præcipuè feciſſe Dominus videtur, vt Iudæ pecuniam per proditionem lucrandi, cupiditatem adimeret: cum paulò antequàm Petrus ſtaterem inueniſſet, futuram ſui proditionem Dominus præſignificaſſet dicens: *Filius hominis tradendus eſt in manus hominum.* Nam, ne Iudas argenti cupiditate captus ad Domini proditionem ſuam operam exhiberet, argentum Dominus ipſum ſequentibus non deeſſe indicauit. Secundo, dicens Dominus, *Ad quid veniſti?* Fruſtra Iudam, vt argenteorum mercedem lucraretur, veniſſe oſtendit: Cum paulò poſt nec ipſos argenteos poſſeſſurus eſſet; ſed pro eis ſuſpendium ſubiturus foret.

Matth. 17. 26.

Mat. 17. 21.

401. Poſt Adami præuaricationem Geneſ. 3. dicitur: *Vocauit Dominus Deus Adam, & dixit ei: Vbi es?* Hinc Chryſoſtomus ait: *A prima voce ipſum ſtatim erexit, & iacentem, & timentem confidere fecit, prior enim vocans ipſe, quin immo non tantum prior vocans, ſed etiam ipſum ex nomine appellans, & dicens: Adam vbi es? amorem ſuum & multam circa eum curam oſtendit.* D *Iam enim omnes noſtis, quòd hoc eſt legitimæ amicitiæ indicium: ſicut viciſſim odio habentes nec nomina eorum, qui læſerunt tolerant commemorari. Ideo Saul nullam quidem iniuriam paſſus; multas verò, & magnas iniurias in Dauidem machinatus, poſtquam ipſum oderat, nec ipſius appellationem commemorare tolerabat: ſed conſidentibus omnibus, poſtquam eum non veniſſe vidit, non dixit: Vbi eſt Dauid? ſed, vbi eſt filius Iſai? Et iterum Iudæi in Chriſtum idem faciunt: quoniam enim ipſum auerſabantur, non dixerunt: Vbi eſt Chriſtus? ſed, vbi eſt ille?* Secus verò Dominus ad ſuam benignitatem oſtendendam, vt ad pœnitentiam Iudam reuocaret, eum quamuis proditorem, proprio tamen nomine appellare dignatus eſt, dicens: *Iuda, oſculo filium hominis tradis?* E Cum Iſraëliticum populum ad bene de diuina clementia ſperandum, Deus erigere vellet, ei dixit: *Vocaui te nomine tuo.* Scilicet, cum Iſraël, hoc eſt iuxta Hieronymum, cum *videns Deum* voceris; vt Deum propitium videas, efficiam. Similiter Iudæ Dominus dicere viſus eſt: *Vocaui te nomine tuo;* vt quoniam tuum nomen *confeſſio* interpretatur, tuum ſcelus confitearis, & reſipiſcas. *Dei appellatio eſt; cum Deus facit ineſſe rei nominatæ id, quod nomen ſignificat,* Plato in Cratylo dixit. Propterea cum Dauid, hoc eſt iuxta Hieronymum *fortis manu*, ſeu *deſiderabilis* ſit

Chryſ. hom. 7. ad pop. Nomine proprio vocati, beneuolentiæ ſignum.

1 Reg. c. 20. 27.

Iſa. c. 9. 12. Iſaia 43. Hieronym. de nominib. Hebraicis.

Hieronym. ſupra.

appellatus; vt talis suos hostes prosternens, suoque regno Rex desiderabilis foret, Deus effecit. Contra verò Iudas *confessio* appellatus, ex obstinatione sui nominis significatum, irritum fecit. *Solemus diligentiùs auscultare, cum nostris nominibus vocamur*. ait Chrysostomus. Ideo, vt Israelem ad Dei legem attentè seruandam excitaret Moses Deut. 4. dixit: *Israel, audi præcepta, & iudicia, quæ ego doceo te.* Hoc etiam remedium, vt ad pœnitentiam reuocaret, Iudæ Dominus adhibere voluit, eum proprio nomine vocando. Surdas tamen ad Domini voces cordis aures in suam perniciem proditor Iudas habuit.

Iudæ nomini Confessionem significanti Iudas proditor opere non respondit.

Chrysost. hom. 28. in Gen.

402. *Gaudete, quòd nomina vestra scripta sunt in cœlis*, Apostolis Dominus dixit Lucæ 10. 20. Contra verò Ieremias 17. 13. Domino ait: *Recedentes à te in terra scribentur*. Iudæ ergo nomen, quod à Domino Iudas recesserit, è cœlesti libro deletum, intra terræ barathrum meritò scriptum est. Et quia nominis inscriptio loci possessionem, in quo nomen inscribitur, significat; ideo de Iuda in Gehennam damnato Petrus dixit Act. c. 1. 25. *De Apostolatu præuaricatus est Iudas, vt abiret in locum suum: Ex propriis demeritis damnationis locum suum effecis*, ait Caietanus. Chirographum autem, quod ad damnationis locum possidendum Iudas habuit, fuit *peccatum Iudæ scriptum stylo ferreo vngue adamantino* vt dicitur Ieremiæ 17. *In vngue adamantino*, hoc est in adamantina lamina vnguis instar leuigata. Velut adamantina lamina obstinatum cor Iudæ fuit: Quare verè Zachariæ verbis de eo dici potest: *Cor suum posuit vt adamantem, ne audiret legem, & verba, quæ misit Dominus exercituum in spiritu suo.* Ideo Iudæ, & cuilibet peccatori dici cum Origene potest: *Nudabitur pectoris tui conscientia; & aperto corde videbuntur litteræ, quæ stylo ferreo in vngue adamantino scriptæ sunt; atque vniuersa spectantium multitudo leget in pectore tuo signatas imagines peccatorum*. Quàm fœdæ imagines erunt; vbi proditionis, auaritiæ, perfidiæ, impietatis, sacrilegii, & obstinationis scelera exprimentur?

Prædestinati in cœlo scribuntur, Præsciti in terra.

Iudæ ex obstinatione cor adamantinum.

Zach. 7. 12.

Origenes hom. 12.

403. *Iuda osculo Filium hominis tradis?* Hæc post multi temporis familiaritatem vltima Christi verba fuerunt Iudæ dicta; eique non alia à Domino dicenda sunt, nisi illa extremi iudicii die, *Discedite à me maledicti in ignem æternum*. Matthæi 25.

Iesus itaque sciens omnia, quæ ventura erant super eum, processit, & dixit eis: Quem quæritis? Responderunt ei: Iesum Nazarenum. Dicit eis Iesus: Ego sum: Stabat autem Iudas, qui tradebat eum cum ipsis. Vt ergo dixit eis: Ego sum, abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram. Iterum ergo interrogauit eos: Quem quæritis? Illi autem dixerunt: Iesum Nazarenum. Respondit Iesus: Dixi vobis, quia ego sum. Si ergo me quæritis, sinite hos abire; vt impleretur sermo, quem dixit: Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam.

404. HÆc à Matthæo omissa, post Iudæ ad Dominum accessum, contigisse habemus ex Ioanne 18. Vbi cum Dominus omnia præsciens militibus, & Iudæis ad eum capiendum venientibus obuiam processisset; & eis attonitis, & veluti cæcutientibus se vltro manifestasset; cumque eosdem diuinitus ad terram afflixisset, apertè verissimum probauit de se vaticinium Isaiæ 53. 7. *Oblatus est, quia*

Cristus voluntariè mortem subiit.

A *ipse voluit*: Et Apostoli testimonium ad Galat. 2. 20. *Dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*: Quodque ipse Dominus antea dixerat Ioan. 10. 18. *Nemo tollit animam meam a me; sed ego pono eam à me ipso* Hinc amanter Bernardus grati animi affectum sibi excitans ait: *Oblatus est, non quia meruit, non quia Iudæus præualuit; sed quia ipse voluit. Voluntariè sacrificabo tibi, Domine; quia voluntariè oblatus es pro mea salute; non pro tua necessitate. Sed quid nos offerimus, aut quid retribuimus illi pro omnibus, quæ retribuit nobis? Ille pro nobis obtulit hostiam pretiosiorem, quam habuit; nimirum, qua pretiosior esse non potuit. Nos ergo faciamus quod possumus; optimum,* B *quod habemus offerentes illi, quod sumus vtique nosmetipsi. Ille seipsum obtulit; tu quis es, qui te ipsum offerre cunctaris? Quis mihi tribuat; vt oblationem meam dignetur maiestas tanta suscipere? Duo minuta habeo, Domine, corpus, & animam dico: Vtinam hæc tibi perfectè possim in sacrificium laudis offerre. Bonum enim mihi, longèque gloriosius, atque vtilius est, vt tibi magis offerar, quàm deserar mihi.*

Bernard. ser. 3. de Purificatione.

405. Quæritur hic, cur non statim milites ad Dominum eis obuiam procedentem capiendum accurrerint? Et cur ad id opus fuerit, vt eis se Dominus manifestaret? Respondetur primo ex Euthymio, Iudam nondum osculi signo Dominum militibus indicasse. Sed contra est, quia Iu- C das antecedens turbas, vt Lucas ait, confestim osculatus est Iesum, vt ait Matthæus: Deinde ad militum cohortem retrocessit dicente Ioanne: *Stabat Iudas cum ipsis*: Ergo cum processit Iudas, confestim est Dominum osculatus; & post Iudæ osculum militibus Dominus dixit: *Quem quæritis?* Sicut expressè docet Augustinus libro de 3. consensu Euangelistarum.

Christum obuiam procedentem ad capiendum, cur non statim milites accurrerint: hic, & sequentib. Euthymii sententia refellitur.

406. Respondet secundò Origenes: *Non cognoscebant eum, cum frequenter vidissent, propter transfigurationes eius* Sed has Domini transfigurationes ab Origene admissas iam supra improbauimus.

Origenis sententia refellitur.

407. Respondet tertiò Chrysostomus, cui consonant Cyrillus, Theophylactus, Theodore- D tus, & Leontius, milites, Iudæos, & ipsum Iudam à Domino excæcatos fuisse; ideoque Dominum ipsum non cognoscentibus dixisse: *Quem quæritis?* eosque, quòd Dominum non agnoscerent, respondisse se quærere *Iesum Nazarenum*. Allatis Patribus consentiens Iansenius asserit Dominum *verè in oculis excæcasse omnes, etiam Iudam*, Sed si omnimodam cæcitatem diuinitus Dominus in turbam immisisset, Ioannes Domini diuinitatem, eiusque diuinam potentiam manifestandi studiosissimus immissam hanc in turbam diuinitus cæcitatem non omisisset; eamque cum turbæ prostratione narrasset. Præterea excæcati milites excæcatione confusi, & territi sibi potius consulere voluissent, & à Domino quæ- E rendo destitissent; nec iterum se Iesum Nazarenum quærere dixissent; Sicut in simili casu censet Augustinus, vt infra dicetur. Sed si in corporis cæcitatem impii Iudæorum ministri non incurrerunt, eos certè in animi cæcitatem corporali cæcitate multo peiorem incurrisse dicendum est. Verè enim *excæcauit illos malitia eorum*. Diuinitus enim ad terram prostrati, iterumque restitutis viribus diuinitus erecti à Domino capiendo desistere omnino debebant.

Milites, aliique ad Dominum capiendum venientes, non fuerunt corporaliter excæcati.

Theodoretus, & Leontius in catechesi Græcorum.

Sap. 2. 21.

408. Respondetur quartò post Iudæ osculum militum, & Iudæorum oculos eo modo impeditos fuisse, ne Dominum agnoscerent; quomo-

Lucæ 24.

do in Lucæ 24. de duobus discipulis euntibus Emmaus dicitur *Oculi eorum tenebantur, ne eum agnoscerent*: Et Marci 16. de Domino dicitur: *Ostensus est in alia effigie euntibus in villam.* Vbi Caietanus ait: *Aliam effigiem intellige, non quòd aliquam figuram aueram peregrini formauerit Dominus coram oculis illorum; quoniam Dominus seipsum eis monstrauit; neque quòd in oculis discipulorum, aliqua ægritudinis, seu illusionis species facta fuerit, qua impedita fuerit visio colorum, & figuræ ipsius Christi; quoniam nulla ad hoc ratio ducit: Sed quòd facies Christi immutabat tam diaphanum medium, quàm oculos discipulorum; non secundùm omnem dispositionem, quam habebat; sed secundùm aliquid. Verbi gratia immutabat secundùm aliquid suorum lineamentorum, oculorum, frontis, &c. Aut secundùm aliquid coloris sui: Et sic apparebat in alia effigie, & apparebat peregrinus non per formam alteram, sed per subtractionem.* &c.

Caietanus Ientaculo 7

409. Sed quidquid dicatur de discipulis euntibus in Emmaus, facilior, magisque expeditus, & Christo Domino magis congruus modus videtur, si dicamus Dominum turbæ ad eum capiendum venienti sui vultus visibiles species subtraxisse: Talis enim negatiuus modus nullam in Christo mutationem admittit, eiusque magis potentiam ostendit; cum nihil positiuum adhibendo, sed tantùm quid negatiuum, potuerit tot militum, Iudæorum, & ipsius Iudæ conatus irritos reddere. Similiter Ioan. 8. dicitur: *Iesus abscondit se*; reddendo scilicet diuina virtute se inuisibilem; vt explicant Euthymius, Caietanus, & alii; nempe per specierum subtractionem. Præterea cum iniqui Iudæorum ministri indigni essent, vt ipsorum oculis sanctissimus Christi vultus per immissas species repræsentaretur, hinc satis probabiliter dicitur non solùm ad Christi potentiam, sed etiam ad eius dignitatem, iniquorumque ministrorum indignitatem ostendendam sanctissimi Christi vultus visibiles species illis aliquo temporis spatio fuisse denegatas. Quare cum Græci Patres dicunt milites, & Iudæos Christum eis obuiam procedentem non agnouisse; eoquod capti essent *aorasia*; Græco hoc verbo non cæcitatem, sed specierum subtractionem, adeoque videndi actus priuationem significari dicendum est. Ideo vbi de prauis Sodomæ ciuibus dicitur Gen. 19. *Angeli percusserunt eos cæcitate*, Augustinus ait: *Græci habent ἀορασία; quod magis significat, si dici potest, auidentia, quæ faciat non videri, non omnia, sed quod non opus est. Nam meritò monet, quomodo potuerunt deficere quærendo ostium, si tali erant cæcitate percussi, vt omninò nihil viderent? Hoc enim modo sua calamitate turbati, vlterius ostium non requirerent. Hac ἀορασία & illi percussi sunt, qui quærebant Eliseum. Hanc & illi habuerunt, qui Dominum post resurrectionem cum illo ambulantes in via non cognouerunt.* Sed in discipulis euntibus in Emmaus nec Dominum agnoscentibus non fuisse hanc ἀορασίαν, sed omnimodam auidentiam ex eo patet, quòd cum Domino colloquebantur, eumque vt peregrinum agnoscebant: de quo diximus supra cum Caietano.

Christus specierum subtractione se inuisibilem reddidit.

ἀορασία quid sit.

4. Reg 6. 18. Lucæ 24. 16.

410. Respondetur 5. etiam immissis speciebus, sed confusis, & indistinctis, vel attenuatis posse ex obiectis aliud pro alio videri. Ex confusione specierum id accidit in somniantibus: ex indistinctis, vel attenuatis speciebus idē accidit, cum è longinquo obiecta videntur, vel à cæcutientibus, imperfectamque visiuam potentiam

Similiter ex attenuatio, vel parcè articulato pronuncia

A habentibus: sicut Marci 8. 24. cæcus nondum omnino à Domino illuminatus dixit: *Video homines, velut arbores ambulantes.* Hoc modo Nyssenus scribit à persecutoribus seruatum fuisse S. Greg. Thaumaturgum: *Qui cum diacono persecutores fugiens in montem, cum à quodam proditus esset, persecutores montem vndiquè cinxerunt, & perscrutati sunt, nec tamen eum viderunt. Redeuntes autem proditorem increpuerunt: ille verò tali loco illū certè fuisse asseuerauit: ipsi verò eo loco non duos homines, sed duas arbores inuenisse asseruerunt. Illis digressis proditor ad locum ascendit, viditque Gregorium cum diacono manibus in cælum elatis orantem; qui persequentibus duæ arbores fuisse videbantur. Quare ad pedes eius conuer-* B *sus ad Christum, ex persecutore cum eo factus est profugus.* Hunc proditorem resipiscens proditor Iudas imitari debuisset. Simili ergo modo, ait Gregorius, Dominus impiis ministris cælari potuisset: sed probabilius per specierum subtractionem ab illis cognitum non fuisse dicendum est.

tionis sono aliud pro alio auditor percipit.

Nyssenus in vita S. Greg. Thaum.

Gregorius Thaumaturgus quam mirabiliter insidias euaserit.

Proditor resipiscens conuertitur

411. Quartò Regum c. 6. cum ad necem à Syris hostibus quæreretur Eliseus: *Orauit ad Dominum dicens: Percute obsecro gentem hanc cæcitate; percussitque eos Dominus, ne viderent*, hoc est ne agnoscerent Eliseum. Cumque Eliseus ab hostibus non cognitus, eos in Samariam ad Israelis Regem duxisset; ibique impedimento C ablato se iis manifestasset, Regi dixit: *Non percuties; sed pone panem, & aquam coram eis, vt comedant, & bibant: appositaque est eis ciborum magna præparatio; & comederunt, & biberunt; & dimisit eos.* Hinc exclamat Chrysostomus: *O Dominum Christum, & in veteribus nouum, & in nouis exemplis veterem figuratum. Eliseus sanctissimus claudit visum, & reserat; cæcos efficit, & illuminat; aspectum adimit, & condonat; persequentibus adimit, & se sequentibus tribuit; cæcos efficit alienos; & videntes efficit in ciuitate inclusos. Qui captiuare Prophetam venerant, excæcantur; & qui capti iam fuerant, oculantur. Huius vtriusque veritas completur; vt & figura Christi, & exemplum futuri populi monstraretur; vt iam fierent ex alienis proprii; & inimicis a-* D *mici & ex hostibus sui. Dimittit Eliseus exercitus istos ad suos, dimisit; inquam, vt prædicatores, quos habuit hostes. Vt quod tunc temporis defuit, per Apostolos postea compleretur.* Cum scilicet Act. c. 2. 41. prædicante Iudæis Petro Domini resurrectionem, & Euangelicam fidem, Iudæi receperunt sermonem eius, & baptizati sunt: *Appositæ sunt die illa animæ circiter tria millia.* Et c. 4. 4. *multi eorum, qui audierant verbum, crediderunt; & factus est numerus virorum quinque millia.* Et cap. 5. 14. cum *magis augebatur credentium in Domino multitudo virorum, & mulierum. De his, qui crucifixerunt Christum, facta sunt postea miracula, quando de ipso numero Iudæorum crediderunt; & donatus est illis san-* E *guis Christi. Impias manus. & cruentas de sanguine Christi portabant, lauit ipse, cuius sanguinem fuderunt. Adiuncti sunt corpori ipsius, idest Ecclesiæ, qui corpus eius mortale, quod viderant, persecuti sunt. Fuderunt pretium suum, vt biberent pretium suum. Nam postea plures conuersi sunt; cum multa miracula fierent ab Apostolis; aliquot hominum millia vna die crediderunt*, ait Augustinus in Psalmum 93. Similiter etiam ser. 4. de Sanctis. Idem asserit Chrysostomus orat. 2. & 3. in Parasceue. Eliseus suis hostibus panem, & aquam apposuit. Sed Christus Dominus

Elisei, & Christi Domini comparatio.

Chrysost. vel alius grauis auctor tom. 1. ser. de Eliseo.

Chrys. apud Gretserum. t. 2. de Cruce.

ſuis perſecutoribus Iudæis, cum poſtea Petro prædicante pœnitentes reſipuiſſent, ſuum corpus, & ſanguinem in cibum, & potum dedit; corpuſque, quod crucifixerunt, & ſanguinem, quem fuderunt in Euchariſtia manducarunt, & biberunt: *Fuderunt pretium ſuum, & biberunt pretium ſuum*, ait Auguſtinus.

Ioan. 18. *Quem quæritis? Reſponderunt ei, Ieſum Nazarenum.*

412. CVm Nazareth vile eſſet Galileæ oppidum; ideoque Nathanael Ioan. c. 1. 46. dixit: *A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe?* hinc in contemptum, Nazarenum impii miniſtri Dominum apellarunt; in hoc etiam dæmones imitantes, qui primi hoc nomine Chriſtum Dominum appellantes dixerunt: *Quid nobis & tibi Ieſu Nazarene? Veniſti perdere nos?* Sed dæmonibus peiores Iudæi Dominum perdere venerunt. Dæmones, & Iudæos Iulianus Apoſtata imitatus, Chriſtum Dominum, Nazarenum ex contemptu vocare conſueuit. Poterant quidem impii miniſtri Dominum Emmanuelem appellare iuxta Iſaiæ vaticinium c. 7. 14. allatum à Matthæo c. 23. *Ecce Virgo in vtero habebit, & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emmanuel, quod eſt interpretatum Nobiſcum Deus.* Sed ab impiis miniſtris, quod in eis non Deus, ſed diabolus eſſet, *Emmanuel, hoc eſt Nobiſcum Deus* dici non potuit.

Nazarenū Dominum cur Iudæi appellarūt.

Luca 4. 34. Iudæorum, dæmonum que comparatio.

413. Nazareth iuxta S. Hieronymum flos interpretatur, & Nazaræus, ſeu potius Natſaræus florentem ſignificat. Cum ergo de Chriſto Domino æternus Pater dixerat Pſal. 131. 18. *Super ipſum efflorebit ſanctificatio mea*, hinc bene Chriſtus Dominus diuina ſanctitate florens Natſareus dictus eſt. Ideo etiam de Chriſto Domino ex Virgine naſcituro ſub floris nomine vaticinatus eſt Iſaias cap. 11. *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet.* Vbi Hieronymus ait. *Virgam de radice Ieſſe ſanctam Mariam Virginem intelligamus, quæ nullum habuit ſibi fruticem cohærentem: & florem Dominum Saluatorem, qui dicit in Cantico Canticorum: Ego flos campi, & lilium conuallium.* Diuino huic flori ſpinas impii Iudæorum miniſtri addiderunt, *plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput eius*, Matth. 27. 29.

Hieronymus de nominibus Hebraicis & Matthæo. Natſaræus florentem ſignificans Chriſtus Dominus dictus eſt.

Cantic. 2.

414. Præter Ieſu Nazareni nomen, ſex alia nomina Chriſto Domino tribuit Iſaias c. 9. *Vocabitur nomen eius admirabilis, Conſiliarius, Deus, fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis.* Iuxta Bernardum, *Admirabilis eſt in natiuitate, Conſiliarius in prædicatione, Deus operatione, fortis in paſſione, Pater futuri ſæculi in reſurrectione, Princeps pacis in perpetua beatitudine. Sperent in te, qui nouerunt nomen tuum*, Chriſto Domino Pſ. 9. dicitur. Sed quoniam impii milites, & miniſtri vera illa Domini nomina ignorantes, *ſperarunt in calumnia, & in tumultu, & innixi ſunt ſuper eo*, vt dicitur Iſaiæ 30. 12. & vt ab Apoſtolo dicitur *ſperauerunt in incerto diuitiarum*; pecuniæ ſcilicet mercedem ex Chriſti comprehenſione acquiſituri; ideo ad eum ſacrilegè capiendum accurrerunt.

Bernardus ſer. 10. inter paruos. Chriſti Domini varia nomina.

1. ad Tim. c. 6.

415. *Quem quæritis? Reſponderunt ei; Ieſum Nazarenum.* Ioan. 7. 34. cum miſerunt Principes & Phariſæi miniſtros, vt apprehenderent Ieſum, dixit eis: *Quæretis me, & non inuenietis & vbi ego ſum vos non poteſtis venire.* Contra hanc Domini prædictionem hîc habemus Principum, & Phariſæorum miniſtros, Dominum inueniſſe. Reſpondetur allatam Domini prædictionem circa ſe quærendum, & non inueniendum, intelligi debere poſt Chriſti mortem; poſtquam increduli Iudæi irrita ſpe, & expectatione futurum Meſſiam quæſierunt, & non inuenerunt: Et nunc etiam quærunt, nec inueniunt. Vide hoc fuſius explicatum Fer. 2. poſt Dominicam paſſionis. Vbi etiam, quomodo quærendus ſit Deus, dicitur. Porrò de miniſtris illis, qui tunc ad Dominum comprehendendum miſſi fuerant, dicitur Ioan. 7. *Venerunt miniſtri ad Pontifices, & Phariſæos; & dixerunt eis illi: Quare non adduxiſtis illum? Reſponderunt miniſtri: nunquam ſic locutus eſt homo.* Qua reſponſione reſponderunt ſe ſuauiſſimis, & piiſſimis Chriſti verbis ita fuiſſe delinitos, & illuminatos, vt iniquiſſimum ſcelus putarint in eum manus iniicere. Ideo Phariſæi, & Iudæorum Principes cum in Gethſemani hortum Iuda duce ſuos iterum miniſtros ad Dominum comprehendendum miſerunt, illis feroces milites non Iudæos, ſed Gentiles addiderunt; ne ſcilicet iterum Domini ſermonibus deliniti, eo non capto redirent. Sed Chriſtus Dominus miſſos ad ipſum comprehendendum impios milites, & miniſtros, quos ſimiliter verbis delinire poterat, diuina virtute proſtrauit. Quia tamen ſtatutum à ſe paſſionis ſuæ tempus aduenerat, eoſdem antea proſtratos erexit, poteſtatemque ipſum capiendi permiſit.

Euangelici textuum conciliatio.

Chriſti mira loquēdi, & amabilis ſuauitas.

Dixit eis Ieſus: Ego ſum. Ioan. 18.

416. CVm Dominus Exodi 3. Moſem ad Pharaonem mittens dixit: *Ego ſum. qui ſum*, poteſtatem Moſi dedit, vt Iſraeliticum populum è Pharaonis ſeruitute liberaret. Hîc verò cum impiis miniſtris dixit: *Ego ſum*, paulò poſt poteſtatem eis permiſit, vt eum vinculis alligarent: Hinc eis dixit: *Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum.* Matthæi 14. 27. Periclitantibus ventorum impetu in medio mari diſcipulis, poſtquam eis Dominus dixit: *Ego ſum, ceſſauit ventus.* Hîc verò cum impiis miniſtris dixit: *Ego ſum*, ſimiliter audacem eorum impetum eos ad terram proſternendo ceſſare Dominus facit.

Ego ſum: horum verborum effectus diuerſus.

Stabat autem & Iudas, qui tradebat eum, cum ipſis. Ioan. 18.

417. STabat Iudas cum ipſis, mox etiam cum ipſis ad terram proſternendus. *Stabat Iudas, qui tradebat eum.* Euangeliſta dixit; vt oſtenderet Iudam poſt Domini oſculum adhuc in proditione perficienda perſtitiſſe: Seceſſerat enim ad cohortem, vt territos, & attonitos diuinitus milites ad Dominum capiendum impelleret. Quod cum animo ſceleratus proditor agitaret, factum eſt vt ipſe etiam attonitus, & territus redderetur. Secedens enim ad cohortem Iudas redditus eſt vt S. Heſychius ait, ἄφωνος, ideſt ſine vocis terrore percuſſus. Cum enim ei Chriſti aſpectus paulo ante viſus celaretur; nec vbi eſſet amplius noſceret; hinc peſſimus proditor repentino terrore percuſſus eſt. Ad iniquos terrendos *occidet ſol in meridie*, dicitur Amos 8. 9. Ad terrorem Iudæ incutiendum diuinus ſol paulo ante viſus ei media nocte occidit. Terror Iudæ vocem ademit: ſcelerata vox per labia, quæ ſanctiſſimam Domini faciem oſculo contigerant, prodire extimuit. Ad Ieroſolymam ſer-

Iudæ proditori ince ſtus terror vocem ademit.

monem conuertens Israeliticus populus dixit Psal. 136. *Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui.* Meritò Iudæ cœlestis Ierosolymæ, eiusque Regis oblito, sine voce lingua faucibus adhæsit. Matth. 22. 12. in conuiuio *non habens vestem nuptialem obmutuit:* Iudas ex Apostolo proditoris animum, speciemque indutus, mutus reddi iustius debuit. Marci 1. 25. Spiritui immundo energumenum opprimenti Dominus dixit: *Obmutesce, & exi de homine.* Hic non diabolum, qui in Iudam intrauerat, sed ipsum Iudam obmutescere Dominus voluit.

Ioan. 18. *Vt ergo dixit eis: Ego sum, abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram.*

Christi vocis efficacitas: hic, & sequentibus. 418. *VNa vox turbam odiis ferocem, armisq; terribilem sine vllo telo percussit, repulit, strauit,* ait Aug. tract. 112. in Ioan. *Ego sum. Quod verbum illam manum ita ex ferocissimis congregatam, quasi quodam fulmineo ictu strauit, atque perculit; vt omnes illi atroces, minaces, atque terribiles retroacti corruerent. Vbi fuit sæuitiæ conspiratio? Vbi ardor irarum? Vbi instructus armorum? Dominus dicit: Ego sum, & ad vocem eius turba prosternitur impiorum. Quid iam poterit maiestas eius iudicantis, cuius hoc potuit humilitas iudicanda?* ait S. Leo ser. 1. de passione c. 3. Hinc bene Iob c. 26. dixit: *Cum vix paruam stillam sermonum eius audierimus; quis poterit tonitruum magnitudinis eius intueri?*

419. Vbi Deus, ibi paradisus, vbi dæmon, ibi infernus. Cum ergo in impia illa turba dæmones ad scelus incitantes essent; quot milites, quot Iudæorum ministri erant, tot in eis dæmones erant; adeoque tot inferni. *Verbo Domini cœli firmati sunt,* Dauid ait Psal. 32. 6. Hîc verò verbo Domini infernos infirmatos esse videmus. Inter Dei mirabilia numeratur Psal. 28. *Vox Domini intercidentis flammam ignis:* eadem diuinæ vocis vis hîc dignoscitur; cum inflammatum impiæ turbæ furorem sua efficacitate restinxit. Magna diuinæ potentiæ vis eluxit, cum Dominus suo imperio ex tota Syria adductis paralyticis omnibus firmam membrorum vim restituit. *Abiit opinio eius in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes paralyticos, & curauit eos,* dicitur Matth. 4. 24. & Marci 2. 11. paralytico Dominus dixit: *Tibi dico Surge; & statim surrexit ille.* Sed non minor eiusdem diuinæ potentiæ vis innotuit; cum hîc Dominus in impios milites, & Iudæorum ministros immissa paralysi membrorum vsū abstulit. *Vna Domini voce ita percussa est illa multitudo, vt omnes simul amisso membrorum officio retrorsum acti, elisique corruerint,* ait S. Leo 15. de passione.

420. Ioannes 2. 15. De Domino suæ prædicationis initio dicitur: *Cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo:* Similiter prope passionem de eodem Domino dicitur Matt. 21. *Eiiciebat omnes ementes, & vendentes in templo.* In hac secunda eiectione etiam flagellum adhibuisse censet Hieronymus, & ait: *Plerique* Matth. 27. *arbitrantur maximum esse signorum, quod Lazarus suscitatus est; quòd cæcus ex vtero lumen acceperit; quòd ad Iordanem vox audita sit Patris; quòd transfiguratus in monte gloriam ostenderit triumphantis. Mihi inter omnia signa, quæ fecit, hoc videtur mirabilius esse, quòd vnus homo, & illo tempore contemptibilis, & in tantum vilis, vt postea crucifigeretur; Scribis, & Pharisæis contra se sæuientibus, & videntibus lucra destrui sua, po-*

A *tuerit ad vnius flagelli verbera tantam eiicere multitudinem, mensasque subuertere, & cathedras confringere, & alia facere, quæ infinitus non fecisset exercitus. Igneum enim quiddam, atque sidereum radiabat ex oculis eius; & Diuinitatis maiestas relucebat in facie.* Sed hîc longè maiorem suæ Dominus potentiæ vim ostendit, cum solo verbo, *Ego sum,* armatam militum cohortem, Iudæorumque ministros plurimos ad terram prostrauit. Ioan. 2. Cum in Cana Galilææ aquam in vinum Dominus conuertisset, paulò post multitudinem magnam è templo eiecit. Hinc Origenes ibi ait: *Hoc maius miraculum est eo, quo aqua conuersa est in vinum: eo quòd illic inanima-* Christi in facie sydereus fulgor, & diuinitatis maiestas.

B *ta subjicitur materia; hic verò tot millia hominum domantur ingenia.* Magnum quidem Domini miraculum fuit, quod naturale aquæ frigus in virtualem generosi vini calorem conuerterit. Sed longè maius miraculum æstimari debet, quòd ingentem militum ardorem in pauidum timoris frigus suo Dominus verbo mutauerit. Diuina ope Iosue cœli militiam solem, & lunam, adeoque stellas cœli medio stare fecit. Mirabilius, Iosue c. 10. 13. quòd Romanam cohortem suo Dominus verbo prostrauerit. In monte Thabor audita æterni Patris voce discipuli *ceciderunt in faciem suam.* Matth. 17. Hîc mirabilius audita Christi voce impauidi discipuli constiterunt; milites verò, Iudæorumque

C ministri retrorsum trepidi corruerunt.

421. Quæritur hîc, cur retrorsum, & non in faciem ceciderunt? Respondet primò Cyrillus lib. 11. in Ioan. c. 33. *Signum futuri gentis Iudaicæ casus hic ministrorum casus est. Vnde Ieremias quoque Iudæos deflens dixit: Cecidit domus Israel; non est, qui excitabit eam.* Turba Christi voce prostrata cur retrorsum ceciderit ratio quaduplex. Ieremia Thr. 1.

422. Respondet secundò ad literam Simon de Cassia: *Ceciderunt retrorsum, non velut ad lapidem ad offensionem ante positum impingentes; sed veluti reuerberati à luce maiori, & à vehementiori potentia, cum laternis, facibus, gladiis, & variis armis prefulti, quibus innitebantur, miserabiliter, quò non viderant, retrogradi, non tamen*

D *aduersa facie corruerunt.* Ne ergo quasi in lapidem casu offendissent, suum lapidi casum tribuerent; sed potius mysticæ illius lapidis virtuti, de quo Apostolus ait, *Petra autem erat Christus,* retrorsum non in faciem ceciderunt; eorumque casus, 1. ad Cor. c. 10. vt S. Cyrillus asserit, aliquot passibus à loco vbi constiterant, distans fuit: idque ad maiorem Christi Domini virtutem indicandam. Stellę contra Sisaram pugnasse dicuntur Iud. 5. 20. in eum scilicet, eiusque milites commouendo ventos, procellas fulmina, quibus prostrati sunt. Sed contra impios Hebræorum ministros non stellæ, sed syderea Domini lumina pugnarunt: *Nisi habuisset in vultu, oculisque quiddam sidereum, qui ad eum comprehendendum venerant,*

E *non corruissent,* ait Hieronymus ep. 140. ad Principiam. Idem Psal. 44. ait: *Pauorem, & terrorem ex splendore vultus eius incussit.*

Respondet tertiò idem Simon de Cassia: *Corruerunt retro cadentes supinatim ad cœlum; vt saltem cognoscant virtutem desuper terrentem; & de cœlo descendisse, quem venerant ligaturi.*

423. Respondet quartò Hieronymus explicans Ezechielis verba c. 2. *Et vidi, & cecidi in faciem meam: Sciendum, quòd aliud sit in faciem cadere, aliud retrorsum. Abraham postquam audiuit de natiuitate Isaac, cecidit in faciem, & risit:* Gen. 17. *Heli autem qui peccauerat, retrorsum cecidit: Et in Euangelio secundum Ioannem, qui ad comprehendendum venerant Dominum, postquam ille respon-* 1. Reg. c. 18.

dit:

Gregor. 31. Moral. c. 18.

Ego ſum, ceciderunt retrorſum in terram. Similiter Gregorius ait: *Saulus in faciem cecidiſſe memoratur. In faciem enim cadere eſt in hac vita ſuas vnumquemque culpas agnoſcere; eaſque pœnitendo deflere. Retro verò, quò non videtur, cadere, eſt ex hac vita repente decedere; & ad quæ ſupplicia ducatur, ignorare.* Idem explicans citata Ezechielis verba cap. 2. *Hæc viſio ſimilitudinis gloriæ Domini: & vidi, & cecidi in faciem meam,* ait: *Propheta mox, vt gloriæ Domini ſimilitudinem vidit, in faciem ſuam cecidit. Cum aliquid de Deo conſpicimus, in faciem noſtram cadimus; quia ex malis erubeſcimus, quæ nos reminiſcimur perpetraſſe. Ibi enim cadit homo, vbi confunditur.*

Cadere retrorſum an peccatorũ proprium ſit; & iuſtorum in faciẽ cadere?

B 424. Contra Hieronymi, & Gregorii ſententiam de peccatorum caſu non in faciem, ſed retrorſum, opponitur, quod de impio Golia dicitur primo Reg. 17. *Infixus eſt lapis in fronte eius, & cecidit in faciem ſuam ſuper terram.* Reſpondent Hebræi apud Abulenſem *fuiſſe hoc factum miraculose; quia omnes vulnerati ſolent cadere ſuper dorſum, non ſuper faciem: iſte autem cecidit ſuper faciem ad tollendum laborem Dauid; nam ipſe erat magnus longitudine cubitorum ſex & palmi. Si autem cecidiſſet in partem poſteriorem, manebat Dauidi labor, quia magis appropinquaret ad caſtra Philiſtinorum, quaſi per tredecim cubitos, ſi non caderet ſuper faciem, ſicut tunc cecidit. Sed hoc ridiculum eſt,* ait Abulenſis;

Goliath cur in faciem ceciderit.

Ridicula Rabbinorũ ſententia.

C *quia nihil magis timeret Dauid accedere vltra tredecim cubitos: quàm ad locum, ad quem acceſſit. Nam qui non timuit pugnare contra illum gigantem viuentem, & exire in campum cum ipſo inter medias acies; non timeret eo iam defuncto caput amputare eundo per tredecim cubitos vltra locum, ad quem iuit: præſertim cum cerneret omnes Philiſtæos vacillare timore: illo enim percuſſo illico fugerunt, vt patet infra.* Addit Abulenſis: *Quod omnes percuſſos corruere ſuper dorſum, non eſt vniuerſaliter verum: quia quamuis interdum hoc accidat, & ſæpiſſime; tamen interdum accidit contrarium; potiſſimùm ſecundùm diuerſos modos vulnerandi.* Prima impugnatio

D Abulenſis placet; hæc poſterior improbatur: Si enim conſideretur modus, quo percuſſus eſt Goliath, in dorſum vt plerumque accidit, cadere debebat; cum lapidis impetus, & ictus faciem percutiens eum in dorſum potiùs, quàm in faciem impellere debuiſſet. Dicendum ergo videtur poſt lapidis ictum non mortuum, ſed quaſi motu, & ſenſu deſtitutum Goliath cecidiſſe, vt bene ibi Cornelius ait. Ad quod indicandum ſubditur: *Dauid cucurrit, & ſtetit ſuper Philiſtæum, & tulit gladium eius, & interfecit eum.* Ideo diuina ope factum eſt, vt Goliath in faciem corrueret, ne ſi in dorſum corruiſſet, reſumptis aliquantum viribus Dauidi eius caput

E præcidere properanti obſiſteret. In faciem ergo gigante proſtrato, facilius ſuper eum genu incumbere, eius caput amputare Dauid potuit. Dici præterea poteſt, quòd Philiſtæus ex loco decliui aduerſus Dauidem, qui breuioris ſtaturæ erat, inclinato corpore cucurriſſet; ideo in faciem iam antea inclinatam corruiſſe.

425. *Abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram.* De hac in terram militum proſtratione Chryſoſtomus ait: *Vt Paulum Chriſti vox proſtrauit, & procumbentem iacere fecit; ita & illos Chriſti vox omnes proſternebat. Et ſicut Paulus non vidit eum, quem perſequebatur; ita*

Chryſoſt. t. 3. ſub finem hom. de conuerſione S. Pauli.

A *& illi non videbant quem quærerent. Et ſicut Paulus tempore, quo furebat, excæcatus eſt; ita & illi tempore furoris ſunt excæcati. Et ſicut Paulus, cum iret, vt comprehenderet diſcipulos, hæc paſſus eſt; ita & illi cum exirent, vt comprehenderent Chriſtum, talia paſſi ſunt. Vtrobique vincula, vtrobique perſecutio: Simile vtrobique virtutis Chriſti indicium; ſimiliaque remedia; at non ſimilis correctio. Ægri enim multi inter ſe diſtabant.* Æger enim Paulus ad cœleſtis Medici opem confugit dicens: *Domine, quid me vis facere?* Contra verò ægri Iudæorum miniſtri in cœleſtem Medicum impiè inſurrexerunt. O ſi tunc pœnitens proditor

Pauli, & turbæ à Chriſto proſtratæ comparatio

Act. 9.

B Chriſto dixiſſet: *Domine, quid me vis facere?* Quot amplexus, quæ oſcula, quàm peſtilenti ſuo morbo properam medelam habuiſſet! Læua Domini ſub capite illius fuiſſet, & Domini dexera amplexata eum eſſet. Sed impœnitens Iudas pro ſuauiſſimo Domini amplexu miſerrimum ſuſpendium maluit.

426. *Abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram.* Idem peccatores experiuntur: ſæpe enim interna diuina inſpiratione, pœnitentiæ, & vero charitatis affectu ad Ieſum quærendum excitantur; vix tamen Ieſum quærere incipiunt, cum ſtatim retrorſum abeunt; & in terram, hoc eſt in terrenos affectus cadunt.

Peccatores ad Ieſum quærendum excitati, quomodo abeant retrorſum.

C Clamemus ergo ad Dominum: *Conglutinatus eſt in terra venter noſter: Exurge Domine, adiuua nos.* Ei, cuius in terra venter conglutinatus eſt; qui Iudam imitans ex auaritiæ cupiditate terræ adhæſit, ait Auguſtinus: *Eligis aliquando magis amittere aliquid de iuſtitia, quàm vel nummum de pecunia, & percutis te damno grauiore, implens ſacellum tuum, & exaniens cor tuum. Conglutinatus eſt in terra venter noſter, ideſt ſenſualitas, quæ eſt mollis ſicut venter, & plena immundis cogitationibus,* ait Hugo. *Ille in terram demittitur, qui in terrenis negotiis immergitur; & ille conglutinatur terræ, qui guloſus eſt, aut fornicator, aut ſi quis alius blandis adhæret voluptatibus,* ait Euthymius.

Pſal. 43. 25.

D Qui ita ſe terræ conglutinatum noſcit, ad Dominum clamet: *Erraui ſicut ouis quæ periit; quære ſeruum tuum.* Quæſierunt te, Domine, ſcelerati milites, vt impiis vinculis alligarent: quære me tu, Domine, vt diuini amoris vinculis liget; iuxta tuam promiſſionem Oſeæ cap. 11. 4. *In funiculis Adæ traham eos, in vinculis charitatis.* Tractus eſt Adam in peccati perniciem vetiti pomi illecebra: me in animæ ſalutem benedictus fructus ventris virginei trahat. *In funiculis Adam traxit nos factus filius Adæ, ſeu filius hominis, qui funiculi ſunt charitatis. In eo namque, quòd ipſe factus eſt ex carne Adam filius hominis, miro modo ſibi nos

Pſ. 118. 176.

Rupertus lib. 4 in c. 11. Oſeæ.

E colligauit, & traxit ad ſe in funiculis charitatis. Funiculorum eorumdem attractionem in eo maximè tandem intendit; quòd veniens in hunc mundum, peccatum gulæ, per quod primus homo periit, corrigeret in electis ſuis; informando ad operandum cibum, qui non perit; ad manducandum, & bibendum ſacramentum corporis, & ſanguinis ſui,* ait Rupertus. Quam pretioſis vinculis in Euchariſtia Domino aſtringimur; cum *concorporei, vt ita dicam, et conſanguinei Chriſti facti ſumus*; vt ait Cyrillus. Si ergo non ex odio, vt Iudæi, ſed charitatis vinculis tracti, Ieſum Nazarenum quærimus, & tale Ieſu nomen ſeparatum, vel floridum ſigni-

Chriſtus quomodo quærendus.

Cyrillus Ieroſolymit. Catecheſi Myſtag. 4.

ficat, vtique non inter mundi turbas, sed in A recessu à mundano tumultu Dominum, qui inde separatus est, quærere debemus. Si floridus Iesus est non inter spinas est quærendus; sollicitudines autem, & diuitias, & voluptates vitæ spinas Dominus esse dixit Lucæ 8. 14. Maria Magdalena Iesum quærens *stabat ad monumentum plorans*, vt dicitur Ioan. 20. Nos etiam Magdalenam imitantes animo ad monumentum plorantes stemus: mortis scilicet memoriam semper animo recolentes, nostrasque culpas deplorantes.

Ioan. 18 7. *Iterum ergo interrogauit eos: Quem quæritis? Illi autem dixerunt, Iesum Nazarenum. Respondit Iesus: Dixi vobis, quia ego sum.* B

427. *Dominus mortificat, & viuificat; humiliat, & subleuat*, dicitur 1. Reg. 2. Viui ficat æterna vita iustos, mortificat æterna morte peccatores: iniquos humiliat, iustos subleuat. Sed hîc Dominus eosdem iniquos peccatores prius humiliauit prosternendo, postea restitutis, quas prostrari amiserant, viribus, eosdem subleuauit. *Dominus sciens quid magis mysterio suscepto conueniret; in hac potestate*, scilicet eos prostratos coercendi, *non perstitit: sed persecutores suos in facultatem dispositi sceleris redire permisit. Nam si teneri nollet, non vtique teneretur. Sed quis hominum posset saluari, si ille non se fineret comprehendi?* ait S. Leo 1. de pass. Erexit impios ministros Dominus, vt ab iis ipse pro humana salute in cruce prosterneretur. *Quid stupidius, quid reprobatius illis, qui retrorsum corruerunt, iterumque surrexerunt, & iterum inuadunt?* ait Chrysostomus. *An non lapidibus insanatiores erant? Et, vt discant, quòd ipse, qui dixerat eis: Quem quæritis? ille sit, qui eos prostrauerat, loquitur eis iterum. Cum iterum surgerent, & dicerent, Iesum, dixit eis: dicebam vobis, quòd ego sum: quasi diceret: Discite, quòd ego ille sum, qui antea dixit: Quem quæritis? & qui vos prostrauit. Verum neque hoc dicto profecit aliquid, & illi in sua cæcitate manserunt.* De Iuda ait S. Hieronymus: *Miser Iudas, & tamen non miserabilis eadem infidelitate, qua Magistrum, & Dominum tradidit, putabat signa, quæ Saluatorem viderat facientem, non maiestate diuina, sed magicis artibus facta.* Idem de hac prostratione existimasse Iudam, & impios ministros censendum est: ideoque in sua cæcitate, & Christum comprehendendi voluntate perstitisse.

Chrysost. supra.

Hieron. in Matth. c. 26. Iudas magicis artibus Domini miracula tribuit.

428 *Quem quæritis? illi autem dixerunt: Iesum Nazarenum.* Nazarenus separatum significat: ideo qui diuino cultui vacantes à mundanis separabantur, Nazaræi vocabantur. Si verò non Nazarenus, sed Natsarenus, seu Natsaræus pronuncietur, floridum significat. Secundùm vtrumque significatum suam manifestantes iniquitatem hoc nomine impii ministri Dominum appellant. Si enim Dominus Nazarenus est, *segregatus à peccatoribus*, cur eum cum iniquis deputant? Si floridus est, cur eum ab amœno Gethsemani horto in sterilem Caluariæ montem transferre contendunt? Cum Dominus *lilium conuallium sit*; ei certè Golgotha mons minimè congruit. De Dauide Christum Dominum præfigurante dictum est. 1. Reg. 25. 29. *Si surrexerit aliquando homo persequens te, & quærens animam tuam; erit anima Domini mei*

Ad Hebr. 7. 26.

Cantic. 2.

custodita in fasciculo viuentium. Cur ergo Christus Dominus tamquam mortis reus morti addictorum vinculis alligatur?

Si ergo me quæritis, sinite hos abire. Ioan. 18 8.

429. *Id militibus Christus dixit ad vltimam vsque horam in eos*, nempe discipulos, *suam benignitatem præ se ferens*. ait Chrysostomus. Aliam rationem reddit Cyrillus dicens: *Tunc vnum mori oportuit, sufficientem pro vita omnium Redemptorem: ne quis illud ridiculum verum esse putaret, Apostolorum mortem ad destructionem nostri interitus aliquid contulisse. Solus ergo, qui ex viuo Patre est, pro vita omnium carnem tradidit suam.* Iuxta hanc Cyrilli rationem Dominus Isaiæ 63. de sua in passione sanguinis effusione dixit: *Torcular calcaui solus; & de gentibus non est vir mecum. Torcular calcaui solus*, Septuaginta legunt: *Solus plenus sum percalcato*, hoc est sanguine cruciatuum torculari, meo ex corpore expresso. *Torcular calcaui solus*, quia in torculari crucis pressus, & calcatus sum. Crux, siue passio dicitur Torcular; quia pressus est in cruce ille botrus de quo dicitur Cant. 1. *Botrus Cypri dilectus meus mihi.*

Chrysost. hom. 28 in Ioannem. Cyrillus in Ioannem lib. 11. c. 33.

430. *Sinite hos abire.* Bene hic Chrysostomus ait: *Admirari quis posset, cur non comprehenderent etiam cum Iesu, vt verberarent, discipulos; & Petrum maximè, qui eos, serui aurem abscindendo, irritarat. Quis ergo eos continuit? Nemo alius, quàm quæ eos retrorsum proiecerat potentia.* Magna diuinæ potentiæ vis narratur Psal. 104. Cum enim Deus præcepisset, hoc est sua potentia vetuisset, ne Israelitis Chananæi nocerent dicens: *Nolite tangere Christos meos*, seu iuxta Augustinum: *Ne tetigeritis Christos meos, nempe seruos, & amicos meos, quos spirituali cœlestis gratiæ vnctione inunxi*, vt explicat Augustinus: Ex hac diuini imperii efficacitate, *Non reliquit hominem nocere eis; & corripuit pro eis Reges*; nempe deuictos Reges domuit iuxta Apollinarium. Hinc Israelitæ, *cum essent numero breui; paucissimi, & incolæ eius*; hoc est aduenæ, & peregrini iuxta Hieronymum, & Euthymium, nihilominus incolumes, & victores *pertransierunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterum*. Sed totum hoc factum est addita armorum vi. Mirabilius ergo fuit, quòd inermis Dominus sub infirma specie, & iam comprehendendus efficaciter militibus præceperit: *Sinite hos abire.* C D

Christi verborum efficacitas.

431. Exodi 23. 19. præcipitur: *non coques hædum*, seu iuxta Septuaginta, *agnum in lacte matris suæ.* Hoc est: Ne comedas hœdum, vel agnum, cum matre lactante: Satis tibi sit comedere hœdum, vel agnum, à matre tamen abstineas. Simile mandatum est Deut. 22. 6. *Si ambulans per viam in arbore; vel in terra nidum auis inueneris; & matrem pullis, vel ouis desuper incubantem, non tenebis eam cum filiis; sed abire patieris, captos tenens filios. Quò in pecudibus, & bestiis præmeditata humanitas in hominum refrigeria erudiretur*, ait Tertullianus. Secus vero secum agi Christi charitas voluit, cum militibus præceperit suos pullos, & agnos, nempe discipulos illæsos dimitti; se vero comprehendi permiserit: vt iuxta Isaiæ vaticinium, *sicut ouis ad occisionem* suis pro agnis *duceretur*. Dominum imitatus S. Thom. Episcop. Cantuariensis, qui nefariis satellitibus E

Tertullian. lib. 2. contra Marcionem c. 17. Christi eximia in suos benignitas. Isaia 53. 7.

ad eum occidendum venientibus; sed ad mortem paratum offerens dixit: *Vos Dei iussu cauete, ne cuiquam meorum noceatis.*

Ioan. 18. 9. *Vt impleretur sermo, quem dixit: Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam.*

432. IDeo Dominus suos discipulos dimitti iussit, ne ex formidine corporalem vitam perdendi, in spiritualis vitæ perditionem incurrerent. Hinc bene Rupertus ait: *Si comprehensi timore mortis negarent, quod vtique fieret; imbecilles quippe adhuc erant; sicut in Petro negante manifestum factum est: Si, inquam, negarent, & negantes tamen interficerentur, in illo indiscreto tumultu procul dubio perderentur. Sed esto, vt fortassis non negantes, nec saltem interrogati aliqui non occiderentur; nonne quodammodo etiam sic perderentur; quò minimè ad illud, propter quod fuerant electi, peruenire sinerentur? Vt quid enim electi fuerant, nisi, vt testimonium resurrectionis virtute magna per totum mundum redderent?*

433. Cum ex duodecim Apostolis Iudas proditor fuerit, quæritur quomodo vera sit Domini sententia: *Non perdidi ex eis quemquam?* Respondetur primò ex allata Domini sententia excipiendum esse Iudam, vt ipse Dominus antecedente capite 17. Ioan. æterno Patri iam dixerat: *Quos dedisti mihi, custodiui; & nemo ex eis periit: nisi filius perditionis: Quia voluntate, & arbitrio suo periit*, vt ait Cyrillus. Respondetur secundò, hanc Iudæ exceptionem iterum cap. 18. non Dominum apposuisse; vt significaret perditi iam Iudæ nullam habendam esse rationem; idque iuxta Psal. 14. 5. *Ad nihilum redactus est in conspectu eius malignus.*

Iuda perdito, quomodo dixerit Dominus: Non perdidi ex eis quemquam. Cyrillus in Ioan. l. 11. c. 21.

Matth. 26. 50. *Tunc accesserunt, & manus iniecerunt in Iesum, & tenuerunt eum.*

434. EAdem verba habentur Marci 14. 46. post quæ verba vterque Euangelista Matthæus, & Marcus amputatam Malcho auriculam referunt. Lucas verò c. 22. & Ioan. c. 18. prius Malcho auriculam amputatam, deinde Domini comprehensionem narrant. Iuxta Lucam, & Ioannem verum fuisse historiæ ordinem probant alii primò, quia ideo Petrus Malcho aurē amputauit, vt Domini captiuitatem impediret. Sed hæc ratio est inefficax: responderi enim facile potest, dum Dominus comprehendebatur, vt ei illatam iniuriam vlcisceretur; & vt milites ab eius captura cessarent, Petrum Malcho audaciori, vel sibi viciniori aurem abscidisse.

435. Secundò historiæ ordo à Luca, & Ioanne seruatus probari efficaciter videtur ex verbis Ioannis, qui ait: *Cohors, & tribunus, & ministri Iudæorum comprehenderunt Iesum, & ligauerunt.* Si ergo antea Dominus vinculis alligatus fuisset, vtique liberas manus ad abscissam auriculam tangendam, & sanandam non habuisset: & tamen Lucas ait: *Cum tetigisset auriculam sanauit eam.* Remanet autem soluenda difficultas, quòd Matthæus, & Marcus ante Domini comprehensionem, & Lucas & Ioannes post amputatam Malcho auriculā referunt. Cui difficultati, vt fiat satis, nodus similis soluendus proponitur. Nam Israelitarum populus ex Ægypto egressus dicitur vespere Deut. 16. 6. *Immolabis Phase vespere ad solis occasum, quando egressus es de Ægypto.*

Luca 22. 51.

Exodi verò 12. iidem Israelitæ non vespere ad solis occasum, sed nocte de Ægypto egressi dicuntur: *Nox ista est obseruabilis Domini, quando eduxit eos de terra Ægypti.* Numeror. autem c. 33. egressi dicuntur non vespere, quo Phase immolarunt; sed mane diei sequentis: *Profecti de Ramesse mense primo quintadecima die mensis primi altera die Phase videntibus cunctis Ægyptiis.* Vbi de Ramesse vrbe Ægypti profecti dicuntur; in eam enim ex tota Ægypto Mosis iussu omnes Israelitæ conuenerunt. *In illa die*, nempe quintadecima, ait Abulensis, *ad auroram recesserunt de vrbe Ramesse incipientes proficisci de Ægypto. Cum enim media nocte percussisset Dominus omnes primogenitos Ægyptiorum, Pharao iuit ad Moysen, & Aaron, iubens, quòd immediate recederent: & non potentes Israelitæ ita citò se expedire, recesserunt ad auroram illius diei.* Allata textuum dissonantia vt concilietur, dicendum est verba significare vel actionis præparationem, vel continuationem, vel perfectionem. Hinc Hebræi dicuntur ex Ægypto egressi vespere, nocte, & mane. Cœperunt enim à Mose moniti vespere ad egressum se præparare: nocte variis è locis egressum inchoarunt; quem mane perfecerunt. Quòd autem aliquid facere interdum sit illud moliri, vel vt fiat conari, ex eo patet, quod Amos c. 9. 3. de impiis Deus ait: *Si celauerint se ab oculis meis:* vbi cum à Dei oculis nihil celari possit, sensus est, si celare se ab oculis meis præsumpserint, seu tentauerint. Similiter Isaiæ 33. iuxta Septuaginta dicitur: *Væ, qui vos miseros facitis*, idest miseros reddere conantur: *Vos enim nemo facit miseros.* Similiter in præsenti Euangelico textu, cum dicitur: *Manus iniecerunt in Iesum, & tenuerunt eum*; id tantùm actum inchoatum, & quid tentare conati sint, significat; quod paulo post perfecerunt. In primo autem illo Dominum ligandi militum conatu, Petrus ministri aurem amputauit.

Verba interdū act. omnem inchoatam, interdum continuatā, & perfectā significant.

Facere aliquis dicitur, quod facere conatur.

436. *Manus iniecerunt in Iesum, & tenuerunt eum. Iustorum animæ in manu Dei sunt; & non tanget illos tormentum mortis*, dicitur Sap. 3. Hìc verò dicere possumus: *Iusti anima*, hoc est vita, *in manu iniquorum est, & tanget illum tormentum mortis. Tenuerunt eum*; non tamen ab ipsis impiè tenentibus, sed à suis fidelibus possidendum. *Exulta, Christiane, in commercio inimicorum tuorum vicisti: quod Iudas vendidit, & quod Iudæus emit, tu acquisiuisti*, ait Rabanus.

437. *Manus iniecerunt in Iesum, & tenuerunt eum: Et ligauerunt eum*, addit Ioannes. Illius manus ligarunt, *qui dat escam esurientibus, qui soluit compeditos; qui illuminat cæcos; qui erigit elisos; qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum.* Illius manus ligarunt, qui *singulis manus imponens curabat eos.* Manus illas ligarunt, quæ sunt *tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis.* hoc est cœlestibus gratiis, quas vberrimè elargitur. *Generatio praua, & peruersa hæccine reddis Domino, popule stulte, & insipiens? Numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, & creauit te?*

Ps. 145. & 146.

Luca 4.

Cant. 5. 14.

Deuter. 32.

438. Ioannis 8. cum Scribæ, & Pharisæi mulierem deprehensam in adulterio ad Dominum adduxerunt, eam funibus vinctam adductam non legimus: si enim funibus eam vinxissent, à Domino contra eam mortis sententiam expectare non videbantur. Nam, vt M. Albertus ait: *De consuetudine Iudæorum erat*

Albertus de Pass. Dom.

ligatos portare iudicibus vsque ad mortem, quos condemnare volebant. Cum ergo funibus iam vinctum Dominum iniqui Iudæi ad Pontificis tribunal adduxerunt; iam eum ante iudicis sententiam vt mortis reum damnarunt. Antequam ergo impias linguas in ea verba soluerent: *Reus est mortis*; iam mortis reum funium vinculis pronunciarunt.

2. ad Tim. c. 2. — 439. *Verbum Dei non est alligatum*, ait Apostolus. Iudæorum tamen impietate factum est, vt Verbum Dei alligatum videretur. O si sanctis Angelis licuisset, quàm ardenter tunc se inuicem incitassent dicentes, *Dirumpamus vincula eorum.* (Psalm. 2.) *Parati adstabant Angeli dicentes: Dirumpamus vincula eorum. Sed sustinebant; quia sic perferre, & pati voluit Dominus*, ait Cyrillus Ierosolym. Cathech. 13. Sed væ vobis perfidi Iudæi, qui tam iniquè Dei filio manus alligatis. Quàm iustè in vos diuini iudicis sententia proferetur: *Ligatis manibus, & pedibus mittite eos in tenebras exteriores.* (Matt. 22. 13.) Fideles sacrilegum Iudæorum scelus detestantes caueant, ne & ipsi manus Domino ligent. Quotiescumque enim ob ingrati animi culpam Dei manibus obstaculum ponimus, ne nobis abundè diuina beneficia largiatur, eius manus alligare videmur. Nisi enim à nobis ingrati animi vinculo arctetur, *Aperit Deus manum suam, & implet omne animal benedictione.* Si Domino pro nobis vincto meritas gratias referre volumus, peccatorum nostrorum vincula dirumpamus: hoc enim à nobis Dominus expetit, qui fideli animæ ait: *Solue vincula colli tui, captiua filia Sion.* Isaiæ 52. 2.

Christi manus quomodo à peccatoribus ligantur. Is. 144. 16.

440. Cum Domini manus ligatas videmus, verè ei dicere possumus: *Funes ceciderunt tibi in præclaris*; (Psalm. 15. 6.) hoc est in manibus, è quibus tam illustria prodiere miracula. *Ligaris vinculis, qui solus ligandi, & soluendi potestatem habes. Sed propter misericordiam tuam ligatus es, vt nos à miseriis nostris faceres absolutos. Gratia sit vinculis tuis, bone Iesu, quæ nostra tam potenter diruperunt*, ait Bernardus lib. de pass. cap. 4. *Quia non posset sanguis Christi pretium credentium fieri, si Redemptor se non sineret comprehendi; admisit in se impias manus, & cohibita est potentia Deitatis*, ait S. Leo ser. 15. de pass. Pro redemptione ergo humani generis ligari manus sibi Dominus passus est; vt primorum parentum peccatum, qui liberas manus in vetitum pomum extenderant, expiaret. *Dominus recompensaturus delictum primum manus suas constringi permisit*, bene ait cum Lyrano Iansenius.

441. Isaias 53. ait, *Quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui reuelatum est?* Nos hìc cum Dominũ vinctum videmus, si quæramus *Brachium Domini cui religatum est?* proculdubio nobis religatum esse respondere possumus. Ideo enim Dominus impiorum militũ vincula subiit; vt nos à peccatorum nostrorum vinculis solueret, vt supra Bernardus dixit.

442. Quod Abner strenuus miles nullam in militia ignominiam subierit, in eius funere Dauid dixit: *Nequaquam, vt mori solent ignaui, mortuus es Abner. Manus tuæ ligatæ non sunt; & pedes tui non sunt compedibus aggrauati.* (2. Reg. c. 3. 33.) Ignominiam hanc, quam Hebræus miles non subiit, Deus exercituum sub humana carne ligatis manibus pro nobis subire dignatus est. *O Rex regum, & Domine dominantium, quid tibi & vinculis*, exclamat Bernardus. (Bernardus supra.) *Quidam Rex, nempe Alexander Macedo, cum percussus humana sagitta peteretur, vt se ligari permitteret, donec excideretur; quia leuissimo motu mortem posset incurrere: Non decet, inquit, vinciri Regem: libera sit Regis, & semper salua potestas. O Deus deorum quantùm ergo derogatum fuit libertati, & potentiæ tuæ! Video, & perhorresco, & admiror, & admirando deficerem; nisi quòd liquidè cognosco te prius in corde nexibus charitatis fuisse constrictum, quæ ad deteriora vincula sufferenda te leniter attrahere potuerunt.*

Christo quã ignominia fuerit ei manus ligari.

443. Genes. 22. 9. dicitur Abraham alligasse Isaac filium in sacrificium immolandum. Vbi Ambrosius ait: *Nectit filio manibus suis vincula pater, ne refugiendo filius, & vi ignis exustus peccatum incurreret.* At Domino vinculis manus ligari opus profectò non erat; cum in corde nexibus charitatis esset constrictus; ideoque passionem minimè refugeret. In Michæam cap. 5. Chaldæus Paraphastes ait: *Dixit Dominus ad Moysen: Vade, & descende, quia se corrupit populus tuus; dimitte me vt consumam eos. Tunc reuersus est Moyses, & quæsiuit misericordiam à facie Domini; & recordatus est Dominus inclinationis Isaac, qui ligatus fuit à patre suo in monte Moria super altare, & conuersus est Dominus in ira sua.* Similiter, vt à peccatorum vinculis soluamur, cum à Deo misericordiam consequi volumus; ab eo, vt in filium suum pro peccatis nostris funibus alligatum respiciat flagitemus. Nam *ligatus est Dominus, vt nos à diabolicis vinculis liberaret*, ait Ammonius in Græca Catena.

444. De impiis ministris Dominum comprehendentibus ipse Dominus dixit Psal. 118. *Funes peccatorum circumplexi sunt me.* Et Ezechielis 39. *Fili hominis, data sunt super te vincula:* Et Psal. 16. *Proiicientes me nunc circumdederunt me: Oculos suos statuerunt declinare in terram.* Cum enim sacrilegi milites paulo ante Domini virtute prostrati, suam ad terram prostrationem vlcisci vellent, vinctum Dominum ad terram rabido impetu proiecerunt. *Quòd vlcisci haud dubium voluerint prostrationem, quam passi fuerant*, ait Burgensis. Hoc autem ausi non essent, nisi impios oculos in terram declinassent. *Fulgor enim, & maiestas Diuinitatis occulta, quæ in Domini humana facie relucebat, & igneum quiddam, atque sidereum radians ex oculis eius*, vt Hieronymus ait, iniquos ministros à patrando scelere absterruisset. Hinc Augustinus ait: *Comprehenderunt, ad quem non accesserunt; nec audierant: Accedite ad eum, & illuminamini. Si enim sic accederet, non eum manibus occidendum, sed recipiendum corde comprehenderent. Nunc autem quando eum illo modo comprehenderunt, ab eo longius recesserunt.* Recedentes autem à Domino bonorum omnium fonte, in malorum omnium barathrum inciderunt.

Christum cõprehẽdẽtes cur oculos in terrã declinarũt.

Hieronym. in Matth c. 9. & c. 21. Aug. tract. 112. in Ioan. Psalm. 33.

445. Ad Christum Dominum capiendum vna cum militum cohorte, venerunt etiam cum suis asseclis Iudæorum Magistratus, & Sacerdotum Principes iuxta S. Lucam cap. 22. 52. *Dixit Iesus ad eos, qui venerant ad se, Principes Sacerdotum, & Magistratus templi, & Seniores.* Inter hos Sacerdotum Principes erant quinque Annæ Pontificis filij, teste Baronio anno Domini 31. Ex hoc tam ingenti Gentilium militum, & Iudæorum mista multitudine, si quæratur, quinam primi in Dominum manus iniecerint, respondet Albertus Magnus citans verba Esdræ lib. 1. cap. 9. *Manus Principum, & Magistratuum fuit in transgressione hac prima, id est in Christi comprehensione.* Quæ Sacerdotum sacrilega impietas multo antea præfigurata fuit sub persona

Annæ Pontificis filij quinque inter sacerdotum Principes.

Ieremiæ Christum Dominũ iuxta Theodoretum præfigurantis. De eo enim dicitur c. 26. 8. *Apprehenderunt eum Sacerdotes, & Prophetæ, & omnis populus dicens: Morte moriatur.* Impij ergo Sacerdotes, qui antea Gentilium militum cohortem duxerant; vt validiores vires ad Christum comprehendendum haberent; tum, quia sibi satellitum officio fungi non licere verè putabant; postea rabido furore perciti ex sacerdotibus satellites fieri non erubuerunt. Saulus cum Damascum iret, vt si quos inueniret Euangelicæ legis professores, *vinctos perduceret in Ierusalem*, ex satellite factus est Domini sacerdos: contra vero impij Iudæorum sacerdotes ad Christum comprehendendum ex sacerdotibus satellites fiunt. In Saulo fuit *mutatio dexteræ Excelsi*: in Iudæis sacerdotibus diaboli dexteræ mutatio fuit.

Sacerdotũ Principes ex sacerdotibus satellites facti.

Psal. 76. 11.

446. Post Dominum funibus alligatum, quàm immaniter erga eum impij ministri se gesserint, ipse Dominus sanctæ Brigittæ reuelauit dicens: *Sicut leo rugiens, & rapiens trahit prædam per terram, & lacerat, & laniat; ita me trahebant per terram cadendo, spuendo, et colaphizando, & capillos euellendo; conuicia, et opprobria inferendo; falsa crimina imponendo, & blasphemum appellando.* Præter funium vincula collo catenas eos iniecisse censet Chrysostomus dicens: *Multorum Martyrum atroces fuere catenæ; sed longè atrociores Christi, vt atrocitatem Martyrum superando lenires.*

Chrysost. in op. ad Eph. c. 3.

447. Inter Dei mirabilia dicitur Iob 26. 8. *Qui ligat aquas in nubibus suis, vt non erumpant pariter deorsum*: ne scilicet simul omnes corruant, sed per diuersas guttas defluant; terramque non dissipent, sed fœcundent. At Christum Dominum ita impij ministri ligarunt, vt postea ex eius venis, flagellis, clauisque erutus sanguis non guttatim, sed effusissimè in terram defluxerit.

Iudith 6.

448. Cum Achior Dei tutelam erga Israëlitarum populum Holoferni manifestasset; Holofernis serui *ligauerunt Achior ad arborem manibus, et pedibus; & sic vinctum restibus dimiserunt eum*; ab eo percutiendo, eiusque cæde abstinentes. Christus autem Dominus cum Iudæis Euangelicæ legis veritatem ostendisset; ligauerunt eum impij Iudæi, colaphisque cæciderunt; sæuissimaque morte damnarunt. Sed cum in sacrilegos ministros impiè Dominum ligantes indignamur; animi indignationem in nostra crimina conuertamus; nostra enim peccata fuerunt, quæ Dominum potissimùm sæuis vinculis alligarunt. Quare Ieremias Thren. 4. iuxta Hieronymum, Ambrosium, & Irenæum ad litteram de Christo domino dixit: *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris*, hoc est à nostris peccatis. Bene autem spiritus oris nostri Christus dicitur; primo, quia per eum vitalem auram ore spiramus. *Mihi viuere Christus est.* ait Apostolus: secundo, quia in verbis omnibus nostris Christum spirare debemus; vt nostro oris halitu *Christi bonus odor simus.* Sed quoniam Dominum peccator suorum scelerum vinculis alligauit; idem eumdem pœnitens arctissimis charitatis vinculis sibi colligare debet. *Liga eum in corde tuo iugiter, & circumda gutturi tuo.* Quàm pretiosus torquis collo alligatus Christus est, gemmarum, & margaritarum omnium monilibus præferendus, Fidelis, & pia anima dicat: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi*; fasciculus scilicet Iudæorum vinculis alligatus, *inter vbera*

Christum nostra peccata ligaũt.

Christus spiritus oris nostri ob duplicem rationem dicitur.

ad Philipp. c. 1. 21.

2. ad Cor. c. 2. 15.

Peccator pœnitens quomodo Christum alligare sibi debet.

Prou. 6. 21.

Cantic. 1. 12.

A *mea commorabitur.* Hinc Bernardus ait: *Tu, si sapis, imitaberis Sponsæ prudentiam; atque hunc myrrhæ tam carum fasciculum de principali tui pectoris parte, nec ad horam patieris auelli: amara illa omnia, quæ pro te pertulit, semper in memoria retinens, et assidua meditatione reuoluens. Et ego ab ineunte mea conuersione, pro aceruo meritorum, quæ mihi deesse sciebam, hunc mihi fasciculum colligare, & inter vbera mea collocare curaui, collectum ex omnibus anxietatibus, & amaritudinibus Domini mei. Primùm videlicet infantilium illarum necessitatum. Deinde laborum, quos pertulit in prædicando, fatigationum in discurrendo, vigiliarum in orando, tentationum in ieiunando, lacry-* B *marum in compatiendo, insidiarum in colloquendo: postremò periculorum in falsis fratribus; conuiciorum, sputorum, colaphorum, subsannationum, exprobrationum, clauorum.* Pretiosus hic myrrhæ fasciculus quo vinculo interius fuerit alligatus si quæras? Respondet Beatus Laurentius Iustin.: *O charitas quam magnum est vinculum tuum, quo Deus ligari potuit! Nullum vinculum Filium Dei tenere potuisset, si charitatis vinculum defuisset.* Hoc charitatis vinculum nobis Christum alligans, ne vnquam desit, animi viribus omnibus studeamus.

Bernar. ser. 43. in Cant.

B. Laurent. Iustini. lib. de ligno vitæ c. 5.

449. Sed ad impios Iudæorum ministros redeamus. *Scelus est vinciri ciuem Romanum*, Latinus Orator dixit. Quàm sacrilegum scelus est C cœlorum vinciri ciuem, & Regem! Isaiæ 5. 18. peccatoribus dicitur: *Væ, qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis*: Quantò iustius impiis ministris Dominum ad iniquos Iudices trahentibus dici potest: Væ, qui trahitis innocentiam, & sanctitatem in funibus iniquitatis! *Post colligatas Domini manus funem longiorem ligaturæ superadduñt; vt illum retinere valerent, & inde ad iudices traherent*, ait Cardinal. Vigerius. Væ qui trahitis sanctitatem in funibus iniquitatis. *Mala vincula Iudæorum, quibus non Christum ligant, sed se ipsos alligant*, ait Ambrosius: postea scilicet in Romanorum mancipia alligandi: deinde, quod longè peius est, ligandi *in fasciculos ad comburendum.* Matthæi cap. 13. 30.

Verrina 7.

Christũ impiè ligantes se ipsos ligarunt.

Ambros. lib. 10. in Luc.

D

Et ecce vnus ex his, qui erant cum Iesu, extendens manum exemit gladium suum; & percutiens seruum Principis sacerdotum amputauit auriculam eius.

450. Simon ergo Petrus habens gladium eduxit eum, & percussit Pontificis seruum, ait Ioan. 18. Gladium hunc quem Petrus eduxit, neque breuiorem cultrum, neque militarem ensem fuisse dicendum est. Breuior culter non fuit, nam Iansenius, & alij probabiliter asserunt Petrum gladij ictu voluisse ministro medium findere caput; diuinitus tamen ictum ita fuisse temperatum, vt solam auriculam amputarit: breuiori E autem cultro caput findi non poterat. Rursus neque Petri gladius militaris longior ensis fuit; nam si gladij nomine bellicus ensis intelligatur, alios etiam Apostolos bellicos enses habuisse dicendum esset: cum præter Petrum alij etiam Apostoli dixerint: *Domine si percutimus in gladio?* hoc est, num vis vt gladio impiam hanc turbam percutiamus? Verisimile autem non est Apostolos omnes sibi militares enses præcinxisse. Primo, quia tot militarium ensium numerum eos habuisse probabile non est. Quare cum patrisfamilias in cuius domum conuenerant, iuxta Caietanum gladios demonstrassent, duos tantùm

Gladius Petri qualis fuerit.

gladios ibi esse Domino dixerunt: *Ecce duo gladij hic.* Secundo Apostolos militaribus ensibus armatos se Dominus è cœnando egredientem comitari non permisisset. Dicendum est ergo Petri, & Apostolorum aliorum gladios fuisse rusticos quosdam cultros, quibus Apostoli vti antea consueuerant, non autem breuiores fuisse cultellos, quorum ad mensam vsus est, vt Chrysostomus censet dicens: *Vndenam ibi gladij sunt inuenti? A cœna, & mensa tunc exiuerant; vbi propter agnum gladios esse oportuit. Illi verò quoniam audissent venturos aduersus eum aliquos esse, quasi Magistrum defensuri sibi gladios acceperunt.* Opponitur nostræ sententiæ Petri gladius ad modum ensis, qui Parisiis asseruatur. Sed de eo Petri gladio certa fides haberi non potest; cum Venetiis & Senis Petri etiam gladius ad modum grandioris cultri ostendatur.

Petrus cur ministri Iudæorũ dexteram aurẽ amputauit?

451. *Amputauit auriculam eius dexteram*, iuxta Lucam & Ioannem. Cur dexteram auriculam huic Pontificis seruo Petrus amputarit, plures mysticas rationes interpretes afferunt. Puto tamen iuxta literam illi potius dexteram, quam sinistram aurem fuisse amputatam; quia talis seruus intentus ad Dominum alligandum terga Petro verterat; cumque Petrus dextera ictum vibrasset, hinc factum est, vt dextera auris seruo fuerit abscissa. Præterea iuxta Aristotelem ea pars animalis dextera dicitur, à qua motus incipit. Ideo diabolus peccatorem ad prauas operationes impellens in dextera peccatoris parte stare dicitur iuxta Psal. 108. *Diabolus stet à dextris eius.* Bene ergo in dexteram partem, in qua diabolus seruum illum ad scelus impellens erat, ictum Petrus direxit; dexteramque illius aurem veluti diaboli suggestionibus intentam amputauit.

Petrus an peccauerit Malchum gladio percutiens: hic, & seqq.

452. An Petrus, vt S. Thomas ait, seruum *ad mortem percutere volens* peccauerit, disserit Suarius 3.p.q.46.a.8.disp.34.sect.3. Ad excusandum à culpa Petrum videtur afferri posse exemplum Mosis, qui Exodi 2.12. ex zelo, ne ab Ægyptiis Israëlitæ deprimerentur, Ægyptium, quòd Hebræum percussisset, interfecit. Sed Actorum c.7.25. de Mose Stephanus ait: *Fecit vltionem percusso Ægyptio; existimabat autem fratres intelligere, quoniam Deus per manum ipsius daret salutem illis.* Vbi Augustinus ait: *Per hoc testimonium videtur Moyses iam diuinitus admonitus (quod Scriptura eo loco tacet) hoc audere potuisse.* Cum ergo Petrus similiter, ac Moses, diuinitus ad percutiendum seruum admonitus non fuerit, non est Petrus sicut Moses excusandus. Quod Petrus taliter diuinitus admonitus non fuerit, patet ex sequentibus Domini verbis, quibus eum, quod seruum percussisset, arguit; & à percussione recondito in vagina gladio cessare iussit. Quare posito allato discrimine inter Mosem, & Petrum, non videtur sentiendum cum eodem Augustino, qui vtrumque iustitiæ regulam excessisse asserit, lib. 22. contra Faustum cap. 70. dicens: *Petrus post hoc peccatum factus est Pastor Ecclesiæ; sicut Moyses post percussum Ægyptium factus est rector illius Synagogæ. Vterque enim non detestabili immanitate, sed emendabili animositate iustitiæ regulam excessit: vterque odio improbitatis aliena; sed ille fraterno, iste Dominico, licet adhuc carnali, tamen amore peccauit.* Præterea ex Glossa ait S. Bonauentura Lucæ 22. *Petrus eodem ardore mentis zelatus est sicut Phinees, de quo dicitur Num. 25. quòd propter Zelum, quo transfodit fornicantes, adeptus est sacerdotium sempiternum.*

Moses Ægyptium occidendo non peccauit.

Aug. l. 4. q. 2. in Exod.

Sed de Phinee ad occidendum Israëlitam cum Madianitide Deus ait: *Zelo meo commotus est*, à me scilicet diuinitus per internam inspirationem immisso. Quod de Petro dici non potest; cum eum Dominus inhibuerit. Psal. 105. 30. dicitur: *Sicut Phinees, & cessauit quassatio*, seu *percussio*. Hîc tamen dicere possumus: Domini iussu constitit Petrus; & in Dominum percussio ab immanibus satellitibus cœpit.

Num. 25. in

453. Secundò excusare videntur Petrum Domini verba illa paulò ante suam comprehensionem dicta Lucæ 22. 36. *Nunc, qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium.* Ex quibus verbis colligere potuit Petrus à se gladio Dominum esse defendendum. Sed iis verbis significare Dominus voluit, non quod faciendum erat; sed quod faciendum esset, si ad prauam tantùm temporis conditionem respiceretur; humanisque præsidiis vtendum esset, & armis opus foret. Neque hoc iuxta Hebraicam phrasim insuetum est in Scriptura. Sæpe enim significatur aliquid futurum, non quòd actu futurum sit; sed quod talis futura temporis conditio illud exigere videatur. Sic Isaiæ 4. dicitur: *Apprehendent septem mulieres virum vnum*: hoc est, tanta erit virorum cædes in excidio Ierosolymitano sub Tito, vt ob eorum paucitatem vix septem mulieres vnum virum reperire possint. Significatur ergo in ea Ierosolymæ obsidione, & excidio quid contingere ex talis temporis calamitate potuerit, non quid actu contigerit. Neque enim probabile est in ea Ierosolymæ calamitate, & fame mulieres nuptias procurasse. Similiter de captiuis Moabitis dicitur Ier. 48. *Omne caput caluitium, & omnis barba rasa erit; & in cunctis manibus colligatio; & super omne dorsum cilicium.* Non quòd captiui omnes tunc temporis cilicio operti fuerint; sed quòd ob ingentem luctum, vt cilicio omnes operirentur, tale tempus exigere videretur. Similiter Ezech. 39. post victoriam de Antichristo, eiusque sequacibus reportatam dicitur: *Egredientur habitatores de ciuitatibus Israel, & succendent, et comburent arma, clypeum, & hastas, arcum, et sagittas, et baculos manuum, et contos, et succendent ea igni septem annis.* Vbi, quia non supererunt ab hac victoria septem anni ad diem iudicij, sensus est: Deuictis hostibus relinquentur tot arma, vt possint igni sufficere septem annos. Ibi de interfectis hostibus dicitur: *Sepelient eos domus Israel, vt mundent terram, septem mensibus.* Vbi quia neque septem menses ad iudicii diem supererunt, sensus est: Tot erunt cadauera, vt si omnia sepelienda essent, septem mensium spatio opus esset, vt bene docet Ribera Apoc. 20. Quamuis probabilius idem auctor censeat ab Antichristi morte vsque ad iudicium verè futurum esse septennium, de quo Dom. 1. Aduent dicetur.

Scriptura interdum aliquid futurum significat, non quòd actu futurum sit; sed quòd talis futura temporis conditio illud exigere videatur.

414. Ad Petrum ergo redeundo, quia ei præ animi ardore allatus Domini verborum sensus fuit obscurus, gladio Pontificis seruum percussit. Quod cum Petrus non iracundæ vltionis affectu, sed ad arcendam à Domino iniuriam fecit, videtur in hoc excusandus. Quis enim si hæreticus sacrilegè in Eucharistiam manus iniiceret, non eum, si posset, gladio propulsaret? *Qui socium non defendit ab iniuria, cum potest, tam est in vitio, quàm ille, qui facit*, ait Amb. p. offic. cap. 36. contra hoc obiicit Cornelius: *Peccauit Petrus temeritate; quia solus non poterat Christum defendere contra tot armatos milites, & ministros.*

Quare amputando aurem Malcho magis irritauit eos ad ſæuiendum in Chriſtum, & in ipſum Petrum. Similiter Caietanus ait: *Præſente cohorte Præſidis, & miniſtris Iudæorum adeo quòd erat turba multa cum armis &c. prudens ratio non debebat mouere Petrum ad defenſionem; cum vana proſpiceretur huiuſmodi defenſio; et potius nocitura eſſet, quàm profutura. Prodeſſe quidem non poterat contra tot, et tales. Nocere autem multùm poterat, vtpote qui miniſtros curiæ percuſſiſſet; & Domino imputaretur, quod conatus fuerit ſe defendere.* Reſponderi tamen poteſt Petrum eximia fide excellentem bene noſſe, *non eſſe Domino difficile ſaluare vel in multis, vel in paucis: & facile eſſe concludi multos in manus paucorum; & non eſſe differentiam in conſpectu Dei cœli liberare in multis, & in paucis*, vt Ionathas, & Iudas Machabæus dixerunt. Fatendum tamen eſt Petrum Domini reſponſionem expectare debuiſſe; ſicut reliqui fecerunt Apoſtoli, qui interrogantes etiam cum Petro: *Domine, ſi percutimus in gladio?* Domino non annuente, gladios non euaginauerunt. Præterea cum Dominus antea prædixiſſet: *Filius hominis tradetur, vt crucifigatur*, Matth. 26. 2. & 16. 21. *Cum cœpiſſet Ieſus oſtendere diſcipulis ſuis, quia oporteret eum ire Ieroſolymam, & multa pati à Senioribus, & Scribis, & Principibus Sacerdotum, & occidi, & tertia die reſurgere:* cumque Petrus dixiſſet: *Abſit à te Domine; non erit tibi hoc:* conuerſus Dominus dixerit Petro: *Vade poſt me, Satana, ſcandalum es mihi; quia non ſapis ea, quæ Dei ſunt, ſed ea quæ hominum.* Hinc Petrus, niſi eum nimius animi ardor obtenebraſſet, meminiſſe debuerat ab eo Domini paſſionem non eſſe gladio impediendam. Ideo bene Caietanus ait: *Petrus ſciens ſpontaneam Magiſtri voluntatem ad patiendum, non debuit præſente Magiſtro, & requiſito: Domine ſi percutimus gladio? ante reſponſionem percutere.*

Tunc ait illi Ieſus: Conuerte gladium tuum in locum ſuum: Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt.

455. BEne Caietanus Ientaculo 6. quæſt. 3. ait: *Per accipere gladium, intelliguntur propria auctoritate, & voluntate vti gladio. Principes enim, & Iudices non accipiunt gladium quaſi à ſe ipſis; ſed conceſſo ſibi gladio à Deo vtuntur; quoniam ſunt miniſtri Dei ad vindictam malorum, vt Petrus epiſt. 1. cap. 11. dixit: Et Paulus ad Romanos 13. Priuatæ enim perſonæ defendentes ſe gladio abſque culpa, non accipiunt gladium propria voluntate; ſed coguntur ad inuaſorum aggreſſionem vti gladio ad ſui defenſionem.*

456. Contra veritatem huius Domini ſententiæ opponi poteſt, quòd non omnes, qui iniuſte gladio vtuntur, gladio pereant. Cui obiectioni reſpondetur allatam Domini ſententiam non debere intelligi, vt prædictionem, ſed vt legem: leges autem per futurum verbum explicatæ non infallibiliter quid futurum ſit enunciant; ſed quid fieri debeat præcipiunt. Sic Exodi 20. 13. cum dicitur: *Non occides; non mœchaberis; non furtum facies*, &c. non prædicitur occidendi, mœchandi, & furandi peccatum nunquam committendum fore; ſed committi non debere præcipitur. Præterea allata Domini ſententia accepta vt prædictio, ſemper etiam verificatur. *Non eſt autem ſenſus illius ſententiæ gladio materiali perituros eos, qui gladium acceperint; ſed ſenſus eſt, quod patientur contra paſſum, hoc eſt tantum patientur quantum offenderunt. Et hoc procul dubio verificatur; licet non ſecundùm ſpeciem, ſecundùm quantitatem tamen pœnæ*, ait citata quæſt. Caietanus.

Prædictio quæ videtur, interdũ talis non eſt, ſed legis prolatio.

An putas, quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo pluſquam duodecim legiones Angelorum? Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia ſic oportet fieri.

457. LEgio dicta eſt, eoquòd legionis milites virtutem legi ſolebant, ait Varro libro 4: Legioni alij maiorem, alij minorem numerum tribuunt. Teſte Liuio lib. 7. de bello Macedonico legiones quinque millia, & quadringentos milites ſingulæ habebant. Plutarchus in Romulo, *legiones*, ait, *conſtitutæ ſunt ex peditibus ſenis millibus, & ex equitibus ſexcentis.* Poterat Dominus Petro, & Apoſtolis aliis quærentibus: *Si percutimus in gladio?* Reſpondere: Nonne, ſicut antea hanc impiam militum cohortem, & Iudæorum multitudinem voce proſtraui, iterum eoſdem ad terram proſternere in mea poteſtate eſt? Modeſtius tamen Dominus æterni Patris opem ſibi præſto eſſe reſpondit, ſi eam ad ſe liberandum implorare vellet: quaſi diceret: Quieſcentibus mecum vobis qui omnes duodecim ſumus, nonne pluſquam duodecim Angelorum legiones æternus Pater è cœlo mittere poteſt ad me, voſque liberandos? Sed pater meus qui *Angelis ſuis mandauit de me, vt cuſtodiant me in omnibus viis meis, ne fortè offendam ad lapidem pedem meum;* me in præſentia pro humani generis redemptione in lapideum Iudæorum cor offendere vult: Idque, vt impleantur Scripturæ, quæ mea paſſione redimendum humanum genus prædixerunt. Iuxta quæ ſacrarum Scripturarum teſtimonia Dominus Lucæ 24. 26. duobus diſcipulis euntibus in Emmaus dixit: *Nonne oportuit hæc pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam? Et incipiens à Moyſe, & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipſo erant. Quis poteſt non vna breui reſponſione, ſed quolibet ingenti volumine omnia commemorare præconia prophetarum Hebræorum de Domino, & Saluatore noſtro Ieſu Chriſto?* ait Auguſtinus contra Fauſtum. Dominum præfigurauit Abel à fratre interfectus Geneſ. 4. Iſaac in ſacrificium oblatus à Patre Geneſ. 21. Ioſeph venditus à fratribus Geneſ. 37. *Sanguis iuſti Abel mortem ſummi Paſtoris eloquitur, & in parricidio Iudæorum Cain interfector fratris agnoſcitur*, ait S. Leo ſer. 9. de paſſ. Lege Cyprianum libro ad Quirinum: Euſebium in libris de demonſtratione Euangelica; Proſperum libro de prædictionibus.

Legio vnde dicta, & quẽ numerum continebat.

Chriſti modeſta reſponſio.

Pſalm. 90.

Erat autem nomen ſeruo Malchus, quem percutiens Petrus amputauit auriculam eius. Ieſus autem cum tetigiſſet auriculam eius, ſanauit eum. Ioan. 18. 10. Matth. 28. 51. Lucæ 22. 51.

458. AVrem ſerui iam ipſa ſectione demortuam, & à compage viuentis corporis alienam in ſedem dehoneſtati corporis reuocat manus Chriſti; reformat, quod ipſe formauerat: nec tardè caro ſequitur eius imperium, cuius erat ipſa figmentum, ait S. Leo ſerm. 1. de paſſ. Sanguinis guttæ ex amputata aure defluentes, & ſtatim poſtea diuinitus reſtituta ceſſantes, vtique voces eſſe debebant, quæ Domini potentiam impiis

Malchi ex amputata aure ſanguines guttæ, vel in voces Chriſti potentiam manifeſtabant.

ministris manifestare, eosque à sacrilego scelere auertere poterant; nisi de Iudaico populo, eiusque obstinatione, & iusta Dei permissione dictum esset: *Excaca cor populi huius: & aures eius aggraua; & oculos eius claude; ne forte videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & conuertatur, & sanem eum.* Isaiæ 6. 10.

Malchus an restituta aure resipuerit: hic, & n. 506.

459. Malchus ex restituta sibi ex Domini potentia, & clementia aure resipuisse, scelerisque eum pœnituisse, & Dominum veræ fidei lumine cognouisse, animæque salutem consecutum esse censere videtur Paulus à Palatio dicens; *Theologicum dogma est: quem Dominus sanat, perfectè sanat: Si Christus Malchum & aure, & mente sanauit; quod potuit maioris esse charitatis indicium? Quod magis imperturbati animi argumentum?* Huic sententiæ fauet Malchi nominis significatus, nam iuxta Augustinum Malchus *Regnaturus* interpretatur. Quare iuxta allatam sententiam resipiscens Malchus Domino Augustini verbis dicere potuit: *Nos te prouocamus ad iram, tu nos ad misericordiam.* Sed quod Malchum adhuc restituta aure sceleris non pœnituerit, est testimonium Chrysostomi, qui ait: *Serui nomen meminit Euangelista, quod paulo post esset ab eo alapam accepturus.* De Pontificis enim ministro Ioan. 18. 22. ait: *Dedit alapam Iesu dicens: Sic respondes Pontifici?* Præterea non ita certò, & vniuersaliter dicendum videtur quemcumque Dominus sanauit, corpore, & mente sanasse. Nam Lucæ 17. 17. cum decem leprosos Dominus mundasset, ex illis vnus tantùm ad gratias Domino agendas rediit. Quare nouem reliquos ingrati animi arguens Christus dixit: *Nonne decem mundati sunt, & nouem vbi sunt?* Nouem hos existimasse non à Christo, sed ex obseruatione legis Mosaicæ, Sacerdotes adeundo, curatos se esse non improbabiliter censet Maldonatus.

Malchus interpretatur regnaturus. Aug. tract. 112. in Ioã. Aug. l. 1. de visitatione infirmorũ.

In illa hora dixit Iesus turbis: Tanquam ad latronem existis cum gladiis, & fustibus comprehendere me: Quotidie apud vos sedebam docens in templo, & non me tenuistis.

Christum quem tenebræ non cõprehenderunt, tenebrarum ministri comprehendũt. Ioan. c. 1.

460. PAtet hoc Ioan. 27. 28. vbi dicitur: *Clamabat Iesus in templo docens. Quærebant ergo eum apprehendere, & nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora eius:* tempus scilicet: quo ipse sponte capi, & mortem pro humana salute subire decreuerat. Addit S. Lucas Dominum dixisse: *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.* De Domino scriptum est: *Tenebræ eum non comprehenderunt:* at à tenebrarum ministris ob humani generis salutem, vinculis comprehendi voluit.

Hoc totum factum est, vt adimplerentur Scripturæ Prophetarum.

461. HOc totum permissum est, vt Prophetarum vaticinia de Christo verificarentur. Vaticinia autem de Christi ab impia turba comprehensione inter cætera sunt illa Psalmi 16. *Inimici mei animam meam circumdederunt. Proiicientes me nunc circumdederunt me. Susceperunt me sicut leo paratus ad prædam; & sicut catulus leonis habitans in abditis* Veluti leones erant Sacerdotum Principes, & Magistratus, ii primi, vt supra diximus, manus in Dominum iniecerunt: sicut catuli leonum erant eorum ministri. De eadem Domini comprehensione prædictum A est Psalm. 21. *Circumdederunt me vituli multi*, hoc est Iudæorum ministri: *tauri pingues obsederunt me*, hoc est Magistratus, & Sacerdotum Principes. *Circumdederunt me canes multi: concilium malignantium obsedit me.*

Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt.

462. OMnia hæc verba emphasim habent. *Tunc*, quando Dominum impiè vinctum, & à militibus percuti viderunt. *Discipuli*, qui tot miracula Christi viderant: qui paulò ante dixerant cum Petro: *Etiam si oportuerit me* B *mori tecum, non te negabo. Tecum paratus sum & in carcerem, & in mortem ire: similiter & alij discipuli dixerunt. Discipuli omnes fugerunt*, etiam Petrus, Iacobus, & Ioannes, erga quos peculiaria beneuolentiæ signa Dominus ostenderat. *Relicto eo* in inimicorum manibus; eo relicto qui eis paulò ante dixerat: *Non relinquam vos orphanos:* Ioan. 14. 18. *Fugerunt*, nimio scilicet timore correpti, propriam incolumitatem fidelitati erga Dominum debitæ præferentes. Irrumpente in gregem lupo *mercenarius fugit.* Hìc verò tanquam rabidis Ioan. 10. lupis aduenientibus militibus, & Iudæis, fugiunt oues, & *bonus Pastor vitam suam dat pro ouibus* Ioan. 10. *suis.*

463. Fugientibus Apostolis dicere bene Do- C minus potuit, sicut olim Petro mergi incipienti dixit: *Modica fidei quare dubitasti?* Nonne in Mat. 14. 31. me fiduciam habere debuistis, qui vos liberos abire iussi militibus dicens: *Sinite hos abire.* Abire debebatis quò vos interna diuina inspiratio duxisset; non quò indebitus timor vos in immoderatam fugam arripuit. A militum quidem vinculis liberos vos abire iussi; me tamen comitari debebatis; vt tali me comitandi constantia meæ innocentiæ Iudæis testes essetis; ne meam familiaritatem erubescere videremini. Hæc Domini reprehensio præcipuè ad Petrum fugientem spectabat; qui præcipuè Domino dixerat: *Tecum paratus sum & in carcerem, & in mortem ire.* Fu- D ga ergo Apostolorum non omnino à culpa immunis fuit; vt aliqui censuerunt; alioquin eam Dominus non scandalum appellasset dicens: *Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte.* Fuit tamen fugæ non omnino grauis; sed excusabilis culpa; cum se comprehendi voluisse Dominum Apostoli viderint; eosque Dominus à defensione contra turbam inhibuisset. Hinc Apostolo Petro S. Leo ait: *Vidit in te Dominus non fidem fictam, non dilectionem auersam; sed constantiam fuisse turbatam.* Ser. 9. de pass.

Fugientium apostolorũ culpa, sed aliquantulum excusabilis: hic, & n. 466.

464. De Apostolorum fuga sub Iobi persona Dominus dixit: *Necessarij quoque mei recesserunt à me:* & Psal. 30. 12. *Factus sum timor notis meis* hoc est, meis discipulis timoris causa fui; cum enim me vinculis alligari viderent, vt sibi E consulerent me deserentes fugam arripuerunt. *Qui videbant me, foras fugerunt à me. Verentur enim ne ob familiaritatem, & amicitiam, qua mecum coniuncti sunt, periculi aliquid sustineant.* iuxta Euthymium in Psalm. 87. De eadem discipulorum fuga dicitur Psalm. 87. *Qui iuxta* Psalm. 37. *me erant, de longè steterunt:* & Psal. 87. Christus æterno Patri, ex cuius obedientia passionem subibat, ait: *Longè fecisti notos meos à me: elongasti à me amicum, & proximum, & notos meos à miseria: ob miseriam meam, atque ob opprobria, quæ mihi inferebantur, elongasti à me discipulos meos*, vt interpretatur Euthymius.

I [illegible] fugæ [illegible] ma.

465. Si quæratur, vbi fugientes Apostoli se abscon-

Ioan. Suarez in c. 14 Marc.

Apostoli fugientes vbi se absconderint.

absconderint, respondet Ioannes Suarez Episcopus Conimbricens. oculatus testis Palæstinæ: *Extant adhuc sub imis terram succisis lapidibus speluncæ, quæ dicuntur latibula Apostolorum, in descensu vallis Iosaphat; vbi erat hortus ad radices montis Oliueti: ibi Apostoli absconditi sunt, Iacobo minore excepto, qui latuit in spelunca altera. In his prædictis locis latuerunt Apostoli nouem, Ioannes semper secutus est Dominum vsque ad sepulturam; & Petrus sequebatur eum à longè.* Caueant, qui à Domino fugiunt, seque terrenis affectibus intra terram obruunt, nec vnquam resipiscentes cum Apostolis ad Deum redeunt; ne extremi iudicij die cogantur *abscondere se in speluncis, & in petris montium; & dicant montibus, & petris: Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronū, et ab ira Agni; quoniā venit dies magnus iræ ipsorum.*

Apoc. c. 6. 16

466. Obijci hic potest inculpabilem omnino fuisse Apostolorum fugam, eoquod eis Dominus antea dixerat Matt. 10. 23. *Cum persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliam.* Vbi Chrysost. ait: *Christum fugiendo non negat, qui ideo fugit, ne neget.* Respondetur cum Dominus duodecim Apostolos ad prædicandum misit dicens: *Ite ad oues, quæ perierunt domus Israel*; tunc eis dixisse: *Cum persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliam.* Idque duplici ex causa, vt bene docet Abulensis in Matt. c. 10. q. 109. Primo, vt à persecutoribus instantem mortem vitarent; cum Christus primus esse vellet, qui pro humani generis salute mortem subiret. Secundo, quia Apostoli non Iudæis tantùm, sed Gentilibus toto orbe dispersis Euangelicam fidem prędicaturi erant post Christi mortem, & resurrectionem; ideo fugiendo ad hoc se reseruare debebant, antequam mortem subirent. Ob has autem rationes, cum Dominus captus est, fugere non debebant: freti enim Domini potentiâ, qui militibus dixerat: *Sinite hos abire*; quòd tunc mortis periculum sortituri non essent, securi ex Domini verbis erant reddendi. Nimio tamen timore perterriti, Domini verborum vim non perpenderunt: immo ex Dñi verbis non ibi persistendū; sed potius abeundū sibi esse cēsuerūt.

Adolescens amictus sindone super nudo an fuerit Ioannes: hic, & seqq.

467. Fugientibus à Domino Apostolis, addit S. Marcus c. 14. 51. *Adolescens quidam sequebatur eū amictus sindone super nudo.* Bar. secutus sentent. Chrysost. in Ps. 13. Ambros. in Ps. 36. Gregor. 14. Moral. c. 23. asserit adolescentē hunc fuisse Ioannem inter Apostolos natū minimum. Sed contra est, vt bene disserit Caietanus Ientac. 6. v. 4. quia de Apostolis omnibus, & consequenter de Ioāne dictum est: *Omnes fugerunt*, de hoc autem adolescente dicitur: *Sequebatur eum*: cumque Domino dicente: *Sinite hos abire*, milites in Apostolos alios manus non iniecissent, in hunc adolescentem manus tamen iniecerunt. Quare cum adolescens iste suo impetu relicta sindone è militū manibus euaserit; non quod eum milites abire siuerint; sequitur ad hunc nō spectasse Dñi verba: *Sinite hos abire.* 2. Ioannes trigesimū ætatis annū tunc agebat; obiit enim post Dñi passionē ann. 67. vel 68. imperante Traiano cum vixisset an. 99. Ioanni autem trigesimū annum agenti adolescentis nomen tributū esse non videtur. 3. Non videtur verisimile, quòd Ioannes tum ob modestiam, tum ob hyemale tempus cum Domino cœnasset amictus sindone super nudo. Probabiliter ergo dici debet adolescentem illum fuisse horti illius villicum; qui ad militum strepitum è lecto consurgens, & lineo operimento tectus occurrerit.

468. Contra rationes pro hac sententia allatas opponitur 1. quia Neronis anno 13. Christi an. 69. Paulus Apostolus martyrium subiit ætatis suę anno 68. vt Chrysostom. asserit. Cum ergo iuxta eumdem Baronium in Martyrologio post Domini Ascens. lapidatus est Stephanus, Paulus 33. vel 34. peragebat: & tamen tunc vocatur adolescens. Act. 7. 58. *Testes deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus.* Ergo multò magis Ioannes annos natus triginta ab Euangelista adolescens vocari potuit. Quod etiā confirmari potest ex sententia Pythagoræ, qui intra annum 20. & 40. adolescentiā concludebat.

Chry. orat. de Princip. Apost. tom. 5.

Adolescētis nomen cui tribuatur.

469. Resp. veriorē esse Physicorū, & Medicorū sententiam qui adolescentiā ab anno 20. vsq; ad 25. extendi tantùm asserunt; eo quod eo præcipuè spatio homo adolescere, hoc est crescere soleat. Verum est tamen interdum nullo habito respectu ad annorum numerum, adolescentis nomē alicui tribui ob audaciam, & immoderatum animi ardorem. Hinc apud Hesychium νεανιεύω, id est adolescentizare, significat iactare se, gloriari, audacem esse, & insolentem: simili vsu, quamuis nepos ex filio, filiave natus propriè dicatur; nihilominus interdum nullo habito respectu ad cōsanguinitatis gradum, nepotes dicuntur homines dissoluti, & perditi. Qui significatus deductus inde est, quòd qui patre mortuo in aui ob senectutem contemptibilis tutelā veniunt, patrimonij decoctores refractarij, proprioque appetitui nimis indulgentes esse soleant. Porrò adolescentis nomen iuxta allatum significatum Saulo citato loco tribuitur. Ideo de eo Ambros. ait: *Adolescentior dicitur, qui nondū maturā in canitie fidei gerebat ætatē; nondū in virum perfectū execreuerat in illā mensurā ætatis plenitudinis Christi. Deniq; adolescens legitur tantū, vbi lapidantiū Stephanum vestimenta seruabat. Ideo* idem Paulus *adolescentiores viduas prædicat declinādas; non propter ætatē sed propter quādam pubescentium delictorum lasciuiam, immaturitatemque virtutis.* Similiter cum Roboam anno suæ ætatis 41. regnare cœpisset; natus est enim, vt constat ex Saliano, anno mundi 3019. regnumque inchoauit anno 3060. consequenter aulici cum eo nutriti similis ferè ætatis erant: & tamen de Roboamo eos in consilium aduocante dicitur 3. Reg. 12. *Adhibuit adolescentes qui nutriti fuerant cum eo, & ei assistebant.* Vbi consiliarij illi, quamuis quadragenarij forent, adolescentes appellantur, eo quòd nimis audax, immoderatū, & noxium consilium Regi dederint. Simili autē significatu Ioanni Apostolo adolescentis nomen tribui certè non potuit. Præterea neque ab ætate erat Ioānes adolescens appellādus: cū enim tunc satis constaret, & nunc etiā constet Ioannē Apostolis omnib. fuisse iuniorem, illum propterea adolescentē appellans, adhuc eius nomen reticendo, Euangelista manifestasset; & contemptibili modo manifestasset dicens: *Adolescens quidam*: cū potius eo modo de Ioanne dicere debuisset, quo modo de Petro, cuius etiam nomen reticere voluit Matthæus dixit: *Ecce vnus ex his, qui erant cum Iesu.*

Hesychius in Lexico.

Ambros. l. de Ioseph Patriarcha c. 10.

ad Eph. 4.

Epist. 1. ad Tim. c. 5.

470. Opponitur 2. quia, vt ex Egesippo docet Eusebius, Iacobus minor lineis vestibus vtebatur: ergo similiter Ioannes sindone indutus dici potuit; vel etiam ipse Iacobus minor. Iacobus enim minor sindone super nudo indutus adolescēs ille fuisse dicitur ab Epiphanio hæresi 78. &, apud Hieronym. in ps. 37. Sed cum dicitur Iacobus lineis vestibus vsus, significatur interiorem, & exteriorem lineam vestem habuisse: nomine autem vestis, seu tunicæ, intelligi non potest sindon nudum corpus proximè tegens; & quæ facile à fugiente dimitti potuit. Quare Samson Iud. 14.

Sindon quid sit. Sindonem à tunica, seu veste distinguit dicens: *Dabo vobis triginta sindones, & totidem tunicas.* Rabbi Dauid in libro radicum docet sindonẽ esse linteum ex lino textum, ex quo tum sindones ad lectos sternendos; tum subuculæ confici consueuerunt. Si ergo adolescentis sindon fuit ad lectum sternendum; ea vsus non videtur Apostolus. Si subucula fuit, neque ea tantũ se Apostolus contexisset; neque facilè à fugiente relinqui in militum manibus potuisset. præterea Laërtius scribit Crateti philosopho ab Atheniẽsibus vitio datũ, quòd sindone velaretur: eoquòd sindon vestis esset candida, & tenuis; quam fœminis gestare decorum erat; viris verò probrosum. Hinc talem vestem Apostolo tribuendam non esse satis patet.

471. Nazianzenus perpendens Christi in sua passione clementiã ait: *Si osculo prodatur, coarguit quidem, non tamen ferit. Si repente comprehẽdatur, exprobrat id quidem. sed nihilominus sequitur,* suos scilicet comprehensores. *Si zelo commotus,* scilicet Petrus, *Malchi auriculam gladio absciderit, indignè fert, ac illam suo loco restituit. Si quis amictus sindone fugiat, teget. Si ignem aduersus abducentes eum postulauerit, non tamen hic eos inundabit.* Sicut enim discipuli à Domino ad eum defendendum quæsierunt: *Si percutimus in gladio:* ita etiã, sicut aliàs, quærere poterant: *Domine, vis dicimus, vt ignis descendat de cœlo, & consumat illos?* Sed id sibi à Christi benignitate vetitum iam nouerant. Pergit ibi Gregorius: *Si latronem in crucem actum acceperit, eũ pro bonitate sua in paradisum deducet.* Cum autem ait Gregor. *Si quis amictus sindone fugiat, teget;* hoc est eum Dominus proteget; & ab eum insequendo, & iterum capiendo militum furorem auertet. Seu, *eum Dominus teget;* hoc est sindonis iacturam vestibus aliis compensabit. Si enim Domino curæ fuit primis parentibus iam præuaricatis, nudisque tunicas prouidere; multò magis huic adolescenti, eoquòd Christum sequi voluerit, sindone amissa nudo tunicas prouidisse dicendum est.

Christi clementia. Nazianz. tom. 1. orat. aduersus Arianos. — Luca 9. 54. — Genes. 3. 21.

472. Sed ad Apostolorum fugam redeamus. Ioan. cum Apostolis reliquis fugiens videtur præ aliis magis excusabilis; cum ad Virginẽ matrem sanctissimi filij capturã nunciaturus festinauerit: Cumq; B. Virginis alloquio confirmatus, vna cũ ea ad Domini crucem constanter inde perstiterit. Nuncians autem Ioannes Deiparæ Dominum à Iudæis vinculis alligatũ, quã diuersus à Gabriele nuncio fuit! Gabriel Angelus B. Virginem salutauit dicens: *Aue gratia plena Dominus tecum; benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui* addit S. Elizabath. Secus verò eidẽ Ioãnes dixit: Fle mater, tristitia plena, Dñs iã corporaliter non est tecũ; sed apud Iudęos eorũ furoris victima reperitur. Afflictissima tu in mulieribus, & afflictissimus fructus ventris tui. *Spiritus S. superueniet in te,* Gabriel dixit. Ioannes autẽ: *Spiritus oris tui Christus Dominus captus est. Virtus obumbrabit tibi.* Gabriel ait. Passio Altissimi cor tuũ obtenebrabit, ait Ioan. *Paries filiũ, & dabit illi Dominus Deus sedẽ Dauid patris eius & regnabit in domo Iacob in æternũ; & regni eius non erit finis,* Gabriel dixit. peperisti filium, cui Iudæi crucis patibulũ parant, ait Ioan. Si tã læto Gabrielis nuncio B. Virgo *turbata est in sermone eius:* quæ turbatio eiusdem fuit tam funesta nunciante Ioanne?

Ioannes ad B. Virginẽ Christi cõprehensionis nuntius. Luca 1. — Ierem. Thr. 4. 20.

473. Si nostræ salutis, cœlestisq; gloriæ cupidi sumus, non fugientes Apostolos, sed statim redeuntẽ à fuga Ioannẽ, & ad Domini crucẽ stantẽ imitari debemus; cũ Dominus dicat: *Si quis vult post me venire,* scil. vt mecum in cœlesti patria regnet, *abneget semetipsum, & tollat crucem suam, &*

Matt. c. 16. 24. Abnegare seipsũ quid sit.

A *sequatur me.* Vbi bene Chrysost. ait: *Si intelligis quid sit abnegare alium, tunc rectè percipies quid sit abnegare seipsum. Qui alium abnegauit, si cadi eũ virgis videat, si coërceri vinculis; quidquid aliud mali pati illum perspexerit; non accurrit, non auxiliatur, non flectitur, nec prorsus vllo modo mouetur, tanquam qui penitus ab eo alienatus, est. Sic igitur nullo nos pacto corpori nostro parcere vult; vt neque si caedatur, neq; si pellitur, neque si vritur, neque si quid aliud huiusmodi patitur, ei parcamus.* Itidẽ Victor Antiochenus: *Abneget semetipsum, hoc est: Nihil cum seipso, vel sua carne commercij habeat; verùm ita se gerat, ac si non ipse, sed alius quispiam crucem toleret.* Gregorius: *Sicut abnegare opes est, opes re-* B *linquere; ita abnegare nos ipsos, nos ipsos relinquere significare docet:* & addit: *Quò ibimus extra nos?* Resp. *Aliud sumus per peccatũ lapsi, aliud per naturam conditi; aliud quod fecimus; aliud quod facti sumus. Relinquamus nosmetipsos, quales peccando nos fecimus; et maneamus nosmetipsi, quales per gratiam facti sumus. Qui superbus fuit, si conuersus ad Christũ humilis factus est, semetipsũ reliquit. Si luxuriosus ad continentiã vitam mutauit, abnegauit vtique quod fuit. Si auarus ambire eã desijt; & largiri iã didicit propria, qui prius aliena cupiebat, proculdubio se ipsum reliquit. Ipse quidẽ est per naturã, sed non est ipse per malitiã.* Addit Dominus: *Tollat crucẽ suam,* hoc est calamitates quasq; ob suũ meritũ vnicuiq; immissas libenter toleret; nõ impa- C tienter refugiat; *& sequatur me:* meã scilicet patientiam benignitatẽ, & charitatẽ imitando. *Quicũq; sequimur caput nostrũ, nõ cessemus agere pœnitentiã, non cessemus tollere crucẽ nostrã, perseuerantes in eas; sicut ipse perseuerauit. Neminem audiamus, non carnẽ, et sanguinẽ, non spiritũ quemq; descensum à cruce suadentẽ. Persistamus in cruce, moriamur in cruce; deponamur aliorum manibus, non nostra leuitate. Caput nostrũ deposuerũt viri iusti: nos ergo dignatione sua Angeli sancti deponent.* ait Bernardus. Quoniã aliqui ad salutẽ consequendam Domini passione tantũ freti, eiusdẽ passionis socij esse renuunt; nec Apostolũ audiũt dicentem: *Adimpleo quæ desunt passionum Christi in carne mea;* Domini D scilicet passionis merito meã cooperationẽ, passionisq; imitationem addendo; contra eos à Domino dicitur: *Si quis vult venire post me, tollat crucem suam,* id est non meam. *Ne putes Christi crucem sufficere sine tua,* ait Hugo.

Chrysost. hom. 56. — Victor Antiochenus in Marc. c. 8. — Greg hom. 32. in Euãg. — Bernar. ser. 1. de die S. Pascha. — ad Col. c. 1. 24. — Crucẽ suam tollat, cur Christus dixerit; non autem meã.

474. In fugientibus Apostolis, post Domini passionem Spiritu sancto roboratis *mutatio dexteræ Excelsi facta est.* Cum enim Petrus Apostolus cum coapostolo Paulo teneretur sub custodia Mamertina in monte Tarpeio, duo carceris custodes Processus, & Martinianus Apostolorum prædicatione, miraculisque commoti, ad Iesu Christi fidem conuersi, & baptizati permiserunt Apostolis, vt si vellent, abirent. Apostoli autẽ à carcere fugere renuerunt, vt suam in Chri- E sti fidem, constantiam testarentur. Act. 5. *Princeps Sacerdotum, & omnes, qui cum eo erant, iniecerunt manus in Apostolos, & posuerunt eos in custodia publica. Angelus autem Domini per noctem aperuit ianuas carceris, & educens eos dixit: Ite, & stantes loquimini in templo omnia verba vitæ huius.* Apostoli autem è carcere liberati non iterum in carcerem detrudi metuentes, nec sibi fuga consulentes *intrauerunt diluculo in templum, & docebant:* & Sacerdotum Principi impauidi responderunt: *obedire oportet magis Deo, quàm hominibus.* Hinc de Apostolis Chrysostomus ait: *Si virtutem ipsorum discere cupis, quales post datam gratiam Spiritus S. fuerint, cõsidera; & videbis omnẽ ab illis peruersam affectionem fuisse separatã.*

Psal 76. 11. Apostolorũ post Christi passionem mira mutatio. — Chrysostom. hom. 66. in Matth.

Pastori animarum an liceat ob persecutionem suum gregem deserere.

S. Thom. 2. 2. quæst. 145. art. 5. bene disserit, an liceat animarum Pastori propter corporalem persecutionem deserere gregem sibi commissum. Idem discutit Abulensis qu. 110. in Matth. c. 10. & August. epist. 180. ad Honoratum.



PARS SECVNDA.

DOMINICÆ PASSIONIS IN SIONIS MONTIS TRIBVNALIBVS.

At illi tenentes Iesum duxerunt ad Caipham Principem Sacerdotum, vbi Scribæ, & Seniores conuenerant.

1. ad Cor. 15. 47.

Genes. 3.

475. RIMVM Adamum *de terra terrenum* post peccatum Deus è paradisi horto eiecit Genes. 3. *Emisit eum Dominus de paradiso voluptatis.* Secundum Adamum *de cœlo cœlestem* impij satellites è Gethsemani horto eijciunt. Primo Adam, quòd nudus esset, *fecit ei Deus tunicas pelliceas.* Secundum Adamum impij ministri vestibus, & pelle denudarunt. Post eiectum primum Adamum *collocauit Deus ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ*: ne quis scilicet eius fructum carpere tentaret. Sed post eiectum Christum Dominum, non est cur Gethsemani hortus custodiatur; ligni enim vitæ fructum qui carpere vult, Caluariæ montem adeat: ibi è crucis ligno Christum Dominum immortalis vitæ fructum pendentem reperiet.

Ligni vitæ fructus in Caluariæ monte quærendus.

Annæ ad tribunal cur primo ductus est Dominus, causæ plures.

Aug in Ioã. tract. 113.

476. Cum impij satellites vinctum Dominum ducentes ex Oliueti montis radicibus, vbi Gethsemani hortus erat, descendissent; Sionis montem, vbi Pontificis domus, & tribunal, præsidisque Pilati prætorium erat, conscendere cœperunt. Antequã autem ad Pontificem Caiphã alligatum Dominum ducerent, ad Annam Caiphæ socerum diuerterunt; idque vt Augustinus ait, ex ipsius Caiphæ mandato. Triplicem autem huius causam affert Beda dicens: *Quatenus dum à consimili pontifice damnaretur, ipse quoque Caiphas minoris criminis reus haberetur: vel fortasse sic domus Annæ sita erat, vt præterire eam non possent. Siue diuinitus actum est, vt qui erant affines sanguine, sociarentur in scelere.* Notanda sunt Bedæ verba: *Vt ipse Caiphas minoris criminis reus haberetur* Vbi si quæratur apud quem ex Annæ conformitate sui criminis reatum excusare Caiphas studebat? Respondeo primo apud populum, qui Dominum, vt Prophetam magnum à Deo missum venerabatur. Secundo apud propriæ conscientiæ tribunal, in quo ei Christi Domini mira sanctitas, eiusdem opera, & miracula commemorare non desistebat. Præter allatas à Beda rationes addit Albertus: *Quia hi duo, scilicet Annas, & Caiphas, Sacerdotium vicissim emebant a Gentibus; & vtilitatem in communi habebant; & ideo Caiphas fecit Iesum Annæ præsentari, tanquam conjudici, ad quem pertinebat scire de iudicio. Iudicium enim, & vtilitas indicij erat*

Annas, & Caiphas summ. ũ sacerdotium vicissim emerunt.

A *commune.* Addit Baronius, quia Annas erat caput Sanhedrim, hoc est Septuaginta Seniorum, & Magistratuum; ad quem propterea spectabat interrogare de doctrina. Addit S. Vincentius Ferrerius, quia Annas erat maximus inimicus Christo. Hinc verè Dominus dicere potuit: *Inimici nostri sunt iudices.* Addit Albertus: *Ne forte in via longiori tumultus fieret in populo: Ne si inopinè duceretur per ciuitatem prima noctis hora, ab eorum manibus eriperetur à populo; ideo ducitur ad Annam primùm*: Annæ enim domus portæ, per quam ductus est Dominus, propior erat, quam Caiphæ Domus; vt patet ex Ierosolymæ vrbis imagine apud Adrichomium. Vltima ratio desu-

Baronius anno Christi 34 n. 70.

S. Vincent. Fer de pass. Domi. 3. 31.

B mitur ex Chrysostomo, & Cyrillo Alex. asserentibus Annam præcipuè pactam pecuniam Iudæ ob proditionem promisisse. Ad Annam ergo vinctum Dominum duci Iudas voluit: vt ab eo proditionis mercedem acciperet.

477. Aliquot ante annis in Romanæ reipublicæ perniciem Caij Cæsaris soceri, & Cnei Pompeij generi dissidium fuit. Aliquot post annos in Iudæorum republica soceri Annæ, & Caiphæ generi in Domini mortem sacrilega consensio conspirauit. Romani socer, & gener ex regnandi ambitione simul dissiderunt. Gener, &

C socer Iudæi ex ambitione, ex superbia, ex auaritia, ex perfidia, & impietate in Dominum simul vnanimiter consenserunt. *Quæ participatio iustitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ conuentio Christi ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli?* ait Apostolus. Sed inter Annam, & Caipham participatio fuit iniustitiæ cum iniquitate; societas nocti ad tenebras; conuentio diaboli ad Belial, qui *Peruersus* interpretatur: fuit pars infideli cum infideli. Ex Iosepho Hebræo libro 18. antiquit. cap. 3. habetur Dominicæ passionis tempore pontificem nomine

2. ad Cor 6. 6. 14.

Caiphas cognomento, nomine Ioseph est appellatus.

D Iosephum, cognomento verò Caipham esse appellatum. S. Anna Beatæ Virginis mater S. Iosephum generum sibi sanctitate consimilem habuit. Peruersus Annas Iosephum sibi generum impietate consimilem adsciuit. Vt verè de tali socero, & genero dici possit: *Similes habent labra lactucas.*

478. Post breuem moram *misit Iesum Annas ligatum ad Caipham pontificem*, vt ait Ioannes. In Caiphæ autem domo Petri negatio, & alapa à Pontificis ministro Christo Domino inflicta contigit: quamuis Ioannes cum incidisset

Ioan. 18. 24

Caiphæ mentio, Petri negationem, & inflictam Domino alapam referat, antequam Dominum ab Anna ad Caiphum missum dicat.

479. Dum in hac mortali vita ad cœlestem patriam peregrinamur, nedum peccator, sed etiam *iustus septies in die cadit*. Vt septem hos casus Dominus repararet, per totidem vias vinctus pertractus est: scilicet à Gethsemani horto ad Annam; ab Anna ad Caipham; à Caipha ad pilatum; à pilato ad Herodem, ab Herode ad pilatum; à pilato ad eiusdem atrium, vbi flagellatus, spinisque coronatus est: vltimo denique è prætorio ad Caluariæ montem. Quod quidem viarum iter plura milliaria continet, vt ex Adrichomio in Ierusalem descriptione constat. Longinquum hoc iter intet lapidum offendicula, militum concussionibus propulsus, opprobriis variis, blasphemiisque affectus, fatigatus Dominus alacriter pro nostra salute peregit. Fuit præterea huiusmodi iter ex se arduum, & perdifficile per montis ascensum. Vallis enim Cedron, per quam Dominus Sionis montem ascensurus transierit, teste Adrichomio, *tanta erat profunditatis, vt de templi tecto ad ima eius respicientium oculi non absque vertigine capitis caligarent*. Olim Dominus fatigatus ex itinere supra fontem sedit; dixitque Samaritanæ: *Da mihi bibere*. In hoc autem vltimo suæ passionis itinere fatigato Domino locus, vbi aliquantisper sedeat, non datur. Nunc etiam sitiens peccatori cuilibet ait: *Da mihi bibere*, eamque aquam ad bibendum expetit, quæ ex contriti peccatoris oculis manat. *Deus sitit lacrymas peccatorum*. ait Chrysologus ser. 93.

(Prou. 24.16 | Christus à Iudæis vinctus quam multiplicē viam, quàm lõgum iter, & arduum peregit. | Adrichom. num. 118. | Idem n.117. | Ioan. c. 4.7. | Lacrymas peccatorum Dominus sitit.)

480. Milites vinctum Dominum per portam auream in vrbem ad Annam duxisse asserit Card. Vigerius. De hac porta Adrichomius ait: *In hac S. Anna, & Ioachim de habenda prole læti sibi mutuò occurrisse scribuntur. Per hanc Christus in die palmarum super asinum equitans, humili, sed tamen solemni pompa Ierosolymam intrauit, quæ clausa vltra, vt fertur, ei est aperta*. Eadem ergo porta Christo Domino ad triumphum, & ad patibulum aditum dedit. Per eamdem portam in qua sanctorum coniugum Ioachimi, & Annæ lætus occursus fuit, Dominus ad impium Annæ tribunal est ductus. Peccatores, vt ait Apostolus, *rursum crucifigentes filium Dei*, eum per portam auream ducunt; cum ex auaritia, auri cupiditate capti, impiè proximos, qui Christi sunt membra, vexant, eorumque facultates diripiunt.

(Vigerius in Decachordo. | Adrichom supra n. 156 | Christus vinctus per portam Auream Ierusolymam ductus est. | ad Hebr. c. 6.6. | Peccatores per portam aureã Christum trahunt.)

481. *Vbi Scribæ, & Seniores conuenerant. Palatium Caiphæ, & summi cuiusque pontificis amplum, & angulare erat*, ait Adrichomius: *In hoc palatio Iudæorum Principes congregati inter se consultabant, quomodo Iesum dolo caperent & occiderent. Quibus ibidem à Iuda triginta argenteis est venditus. Postea etiam à Petro hic ter est negatus: & coram Caipha in Sacerdotum, & Seniorum concilio à falsis Iudæorum testibus accusatus: quibus cum nihil responderet, à Pontifice adiuratus, vt diceret, an esset Christus Dei filius; cum id confiteretur, quasi blasphemiæ conuictus, Pontifice à concilio sententiam exigente, sex, vt scribunt, Seniores condemnauerunt eum esse reum mortis. Quapropter mox à ministris in faciem est consputus; oculis velatus; palmis pugnisque cæsus, & prophetiZare iussus; ac tota nocte variis modis illusus, multisque blasphemiis vexatus. Nullus mortaliũ in hac vita cognoscet quæ, quantaque hac nocte ille perpessus sit*.

(Adrichom. supra n. 27. | Matt. 26.4. | Caiphæ in palatio Dominus quãta pertulerit.)

482. Porrò dicente Euangelista: *Vbi Scribæ, & Seniores conuenerant*; constat hinc iniquos illos insomnem noctem illam peregisse. Ob Rachelis amorem de se Iacob dixit: *Fugiebat somnus ab oculis meis*. Ex odio in Christum somnus ab iniquorum Iudæorum oculis fugiebat, qui tamen mortifero peccati lethargo iamdiu obdormierant. *Themistoclem ferunt ambitionis stimulis agitatum, noctes inquietas exigentem; quærentibus quid ita eo tempore in publico versaretur? Respondisse: Quia me tropæa Melthiadis de somno excitant*. Similiter Iudæi, Scribæ, & Seniores noctem insomnem ducere cogebantur; quòd eos Christi Domini, cui inuidebant miracula è somno excitarent; ita vt propterea dixerint: *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* Quæ iniquorum inuidia ipsi cæcutienti præsidi manifesta fuit: *Sciebat enim, quod per inuidiam tradidissent eum*.

(Christi persecutores insomnem noctem peregerunt. | Gen. 31. 40. | Valerius Max. l. 8. c. 15. | Ioan. c. 11. | Matt. c. 27. 18.)

Petrus autem sequebatur eum à longè vsque ad atrium Principis Sacerdotum; & sedebat cum ministris, vt videret finem.

483. CVm Dominum ad Caipham pontificem impij ministri ducerent, eodem petrum Domini amor trahebat; retrahebat tamen timor; ideoque factum est, vt Dominum petrus à longè sequeretur. *Perfecta charitas foras mittit timorem*, ait Apostolus. Perfecta hæc erga Christum Dominum charitas nondum erat in petro. De charitatis enim igne Dominus dixerat: *Ignem veni mittere in terram; & quid volo nisi vt accendatur?* perfectæ huius charitatis ignis crucis ligno Domini morte consecrando accendendus erat; quo frigidus timoris affectus omnino procul expelleretur. Si perfectè in petri corde cœlestis hic ignis arsisset; si longè petrus non fuisset à Christo; qui *Deus noster ignis consumens est*; profectò non timuisset petrus; nec ad noxium cum ministris ignem frigidus accessisset. Nam *accenso igne in medio atrij, & circumsedentibus illis, erat Petrus in medio eorum calefaciens se*, vt dicitur Lucæ 22.55. & Ioannis 18. *Stabant serui, & ministri ad prunas, quia frigus erat, & calefaciebant se. Erat autem cum eis & Petrus stans & calefaciēs se. Hic ignis perfidorum linguas acuebat ad blasphemandum Christum*, ait Beda. Igne gladiorum acies temperantur, & acuuntur: propterea iam antea de impiis Iudæorum ministris prædictum erat psal. 63. 4. *Exacuerunt vt gladium, linguas suas. Lingua ignis est*, ait Iacobus. Externo etiam igne linguæ ignis vehementius in Christum Dominum accendebatur. Confabulantes ergo in pontificis atrio circa ignem ministri, alij simulatorem, alij præstigiatorem, dæmoniacum alij Dominum appellabant. Quę omnia Christo Domino, quamuis absenti, benè nota, eius animum transfigebant.

(Ioannes ep. 1. c. 4. 17. | Charitatis ignis crucis ligno accēdendus. | Lucæ 12. 49. | Deut. 4. 24. | Iacobus c. 3. 6.)

484. Sed ad petrum redeamus. Cum diu Ierosolymę petrus cum Domino versatus, eiusque, vt valde familiaris discipulus esset cognitus; cumque paulò ante aurem pontificis ministro amputasset, & tamen in pontificis atrium ingredi voluerit; hinc ob Christi amorem quantum timoris petrus abiecerit satis constare videtur. Quomodo in pontificis atrium petrus introierit sic refert Ioannes: *Sequebatur Iesum Simon Petrus, & alius discipulus. Discipulus autem ille erat notus Pontifici, & introiuit cum Iesu in atrium Pontificis: Petrus autem stabat ad ostium foris. Exiuit ergo discipulus alius, qui erat notus Pontifici; & dixit ostiariæ, & introduxit Petrum*. Hinc patet post Domini ingressum pontificis fores statim fuisse clausas; idque ob populi timorē, ne scilicet ad Dñm defendendũ accurrerent; cum

(Ioan. 18. 15. | Diaboli insidiæ.)

ex populo multi in Dominum crederent. Præter Pontifici notum discipulum; siue fuerit Apostolus Ioannes, siue iuxta alios vnus è Septuaginta duobus Domini discipulis fuerit; credibile est ad Petrum in atrium introducendum cooperatum etiam esse diabolum, id ostiariæ ancillæ suggerentem, vt Petrum scilicet ad insidias, quas ad eius negationẽ parauerat, traheret. Has autem satanæ insidias elusisset omnino Petrus, si se impiorum ministrorum cœtui non immiscuisset. Diabolus tamen, qui ex Gehennæ incendio eruperat, hyemale frigus, quo senior Petrus corripiebatur, adhibuit, vt eum ad Dominum negandum adduceret. Secundi Reg. 23. 20. meritò celebratur miles fortissimus *Banaias, qui percussit leonem in media cysterna in diebus niuis.* Si hyemali tempore, niuisque diebus frigus aspernatus Petrus, procul ab impiorum igne, suggerentem negationem diabolum fortiter reiecisset, profectò victoriam de leone illo reportasset, de quo ipse Petrus postea dixit: *Aduersarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret.* Nos Petri experimento discamus iniquorum consessum, societatemque vitare: ibi enim suas machinas, insidiasque versutus hostis diabolus struit. *Beatus vir, qui in via peccatorum non stetit.* Si in peccatorum via standum non est, multò minus in peccatorũ consessu est commorandum. Prius Christi amor Petrum in Pontificis atrium ingredi suaserat; deinde se, vt Christi discipulum celaret, suasit timor. *Erat cum eis Petrus stans, & calefaciens se. Vt societate illorum dissimularet, quòd discipulus Christi putaretur. Nam de discipulatu cœpit verecundari, & timere,* ait Albert. De Onesiphero Paulus Apostolus ait: *Catenam meam non erubuit.* Pius enim & fidelis Onesiphorus Romã veniens Paulum in vinculis ab omnibus desertum, & inter maleficos constitutum per medios custodes, & satellites penetrans sollicitè quæsiuit, & visitauit, Neronis irã, & minas aspernatus. Si talis feruentis animi vigor Petro fuisset; si Dominum catenã vinctum non erubuisset si Pontificis iram, minasque contempsisset; fuisset profectò, vt Onesiphorus fuit, diuina ope inter furentes ministros incolumis; nec in periurium incidisset.

Epist. 1. Pet. c. 5. 8.

Peccatorum societas vitanda: l. ic. & n. 547. & sequentibus Ps. 1.

2. ad Tim. c. 1. Onesiphori impauida charitas

485. Ad dissimulationem augendam Petrus *cœpit cum ministris fabulari*, ait Iansenius. Quàm bene Paulus monet: *Profana, & vaniloquia deuita: multùm enim proficiunt ad impietatem; & sermo eorum, vt cancer serpit.* Si vaniloquia ad impietatem proficiunt, quantò magis blasphemiæ, & calumniæ, quæ in Christum ab impiis ministris dicebantur, ad impietatem proficiebant! *Declinent fortiter, & euitent dilectissimi fratres nostri verba, & colloquia eorum, quorum sermo, vt cancer serpit: nulla cum talibus commercia, nulla colloquia misceantur,* ait Cyprianus l. 1. epist. 3. ad Cornel. *Quorum sermo, vt cancer serpit;* scilicet, sicut gangrænæ morbus vlterius sẽper corpus corrodere pergit; ita ipsorũ sermo suam in audientium animas semper pestem extendit. *O quàm nociua colloquia impiorũ! Petrus ipse inter ministros Pontificis vel hominem se nosse negauit, quem inter condiscipulos Dei filium fuerat confessus,* ait Beda. *Quid mirum si cecidit Petrus, cum in mala societate mansit?* ait S. Thom. in Matth.

2. ad Tim. c. 2. Peccatorũ colloquia vitanda.

486. Præterea confabulans cum ministris *Petrus ea, quæ illi faciebant, facere simulabat,* ait Cyrillus. Irridentibus enim Dominum ministris, arridebat Petrus, *ne ex tristitia faciei deprehensus excluderetur,* ait Theophylactus. Simulatam huiusmodi, damnabilemque arrisionem quàm largo fletus profluuio mox Petrus pœnitẽs compensabit! *Petrus primus ministrorum calefieri cupiebat; quia temporalis commodi solatium perfidorum societate quærebat,* ait S. Bonauentura. Hoc noxium ab igne solatium lacrymarum aqua postea resipiscens Petrus expiauit. De hoc accenso in impii Pontificis atrio igne intelligit idẽ S. Bonauent. Michææ verba c. 6. 10. *Adhuc ignis in domo impij, thesauri iniquitatis.* Circa ignem enim in impii Caiphæ atrio sedentes impii ministri calumniando, & blasphemando Dominum, *thesaurizabant sibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei.* Citata Michææ verba vertit Arabicus: *Numquid non pulchritudo huius ciuitatis in ignem erit; quia congregauit sibi repositaria de iniquitate?* In supplicium enim sacrilegi sceleris in Domini morte patrati, Ierosolyma sub Tito incensa est. Contra eosdem etiam iniquos Iudæorum ministros ad ignem circumsedentes dicitur Isa. 50. 11. *Ecce vos omnes accendistis ignem accincti flammis: ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis, quas succendistis:* cum scilicet in commissi scœleris pœnam Ierosolymæ domos incendi, templumque comburi à Romanis videbitis; tunc vindicis Dei potentiam cognoscentes in lumine ignis vestri ambulate: quòd si ad pænitentiam non confugietis, in Gehennæ incendium corruetis.

Petrus igne frigus arcens noxium cõmodum lacrymarum aqua expiauit.

Ad Rom. 2. 5

Pontifex ergo interrogauit Iesum de discipulis suis, & de doctrina eius. Respondit ei Iesus: Ego palam locutus sum mundo: Ego semper docui in Synagoga, & in templo, quo omnes Iudæi conueniunt; & in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? Interroga eos, qui audierunt quod locutus sum ipsis: ecce hi sciunt, quæ dixerim ego. Ioann. 18.

487. *Ego palam locutus sum mundo, & in occulto locutus sum nihil.* Quod Dominus in manifesta, & publica Euangelicæ legis prædicatione fecit iam prædixerat Isaiæ 45. *Non in abscondito locutus sum, & in loco terræ tenebroso.* *Qui* enim *malè agit odit lucem;* itemque, qui male docet. Sed tam huic apud Isaiam vaticinio, quàm allatis Domini verbis contradicere alia Domini verba videntur, nempe Ioan. 16. 25. vbi Apostolis dixit: *Hæc in prouerbijs locutus sum vobis. Venit hora, cum iam non in prouerbijs loquar vobis; sed palam de Patre annunciabo vobis.* Præterea, vt bene Augustinus ait: *Illis ipsis suis, in eorum comparatione, qui discipuli eius non erant, multò manifestius loquebatur, quando cum solis erat remotus à turbis: tunc enim eis parabolas aperiebat, quas clausas proferebat ad alios.* Propositæ difficultati respondet idem Augustinus: *Ipsum palam modo quodam erat palam, modo autem quodam non erat palam. Palam erat, quia multi audiebant: & rursum non erat palam, quia non intelligebant.* Præterea *quod seorsum discipulis loquebatur, non in occulto loquebatur. Quis namque in occulto loquitur, quod coram tot hominibus loquitur? cum scriptum sit: In ore duorum, vel trium testium stabit omne verbum: præsertim si hoc loquitur paucis, quod per eos velit innotescere multis. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine; & quod in aure auditis, prædicate super tecta. Ergo hoc ipsum, quod ab ipso dici videbatur occulte, quodammodo non dicebatur in occulto; quia ita dicebatur, vt ab eis quibus dictum fuerat, taceretur; sed potius, vt vsquequaque prædicaretur.*

Euangelii textuum conciliatio. Ioan c. 3. 2.

August. tract 113. in Ioan.

Deut 17. 6. Matt. 18 16 Matt. 10. 27

Et tamen ipſa, quæ audierant, & non intellexerant, talia erant, vt non poſſent iuſtè, & veraciter criminari. Secundò reſpondet Chryſoſtomus: *Quid ergo nihil ſecretò diſcipulis dixit? Dixit ſane; ſed non quod illi arbitrabantur, quòd timeret, & ſeditiones ſtrueret: ſed quod aliquando altiora, quàm quæ multitudo capere poſſet loquebatur.* Dicendo ergo Dominus: *In occulto locutus ſum nihil*; ſubintelligi debet, ex iis quæ ad vos ſpectare poſſent; quodque iis, quæ vobis palam dixi, contrarium foret.

Chryſoſt. hom. 82. in Ioan.

488. *Quid me interrogas? interroga eos, qui audierunt, quid locutus ſum ipſis: ecce hi ſciunt quæ dixerim ego.* Vbi Chryſoſtomus ait: *Id veritatis maximum eſt argumentum; cum quis inimicos in eorum, quæ dicit, teſtimonium adducit.* At non omnes, qui docentem Dominum audierant, ei infenſi erant; cum è populo multi in eum credidiſſent. Hoc ipſum ergo Domini innocentiæ, doctrinæque ſanctitatis argumentum erat; quòd omnes pariter ſiue amicos ſiue inimicos in ſuæ doctrinæ, innocentiæque teſtimonium Dominus interrogari voluerit. Porrò dicente Domino: *Ecce hi ſciunt, quæ dixerim ego: ſuboſtendit aliquos præſentes, qui audierant, & apertè aliquos de miniſtris monſtrauit* ait Cyril. Dominus ergo ipſos ſatellites ſibi iudices conſtituit: cum è contrario Sacerdotum Principes, qui iuſti iudices eſſe debebant, ſatellites comprehendentes Ieſum fuerint, vt ſupra diximus.

Chryſ. ſupr.

Chriſti innocentiæ argumentũ

489. *Pontifex interrogauit Ieſum de diſcipulis ſuis.* Cur ab interrogatione de diſcipulis Pontifex cœpit? Reſpondet Albertus: *Vt coram ipſo trucidarentur; ne reliquiæ nominis eius remanerent.* Sed cum Apoſtoli ſæpe palam cum Domino Ieroſolymæ verſati fuerint, eos aliunde Caiphas ſcire poterat; cumque circa eos diſquiſitionem poſtea nullam fecerit; ad eos perimendos de diſcipulis interrogaſſe probabile non videtur. Reſpondet ſecundò probabilius Card. Vigerius: *Interrogat de diſcipulis ſuis, quot ſint, & qualis vita. Nouerat enim inter eos eſſe Iudam Iſcariotem infamem, & ſceleſtum: quòd ſi inter diſcipulos illum nominaret, criminaretur talem eſſe magiſtrum.* Addere etiam Caiphas potuiſſet à Iuda ipſum eius magiſtrum, vt mortis reum iudicatum fuiſſe; ideoque eius opera Iudæis traditum. Si verò Iudam Dominus non nominaſſet, falſitatis arguebatur; cum eum ſemper cum aliis vndecim ſecum habuerit. Præterea obiici Domino poterat eum tales elegiſſe diſcipulos; qui omnes relicto eo procul aufugerint, nihil eius innocentiâ, & miraculorum potentia, freti. Hæc omnia Dominus bene noſcens, inſuper & Petri negationem, interroganti Pontifici de diſcipulis, nihil reſpondit: & in hoc præter eximiam Domini ſapientiam, etiam potentia enituit; cum Caiphæ à perſiſtendo in interrogatione de diſcipulis animum auerterit.

Chriſtus cur de diſcipulis interrogatus fuerit.

Vigerius in deca Chordo.

490. Addit Vigerius Pontificem Dominum de eius doctrina interrogaſſe; nempe *de loco, & tempore, vbi didicerit; & quandò, & quis illi præceptor fuerit? Sciebat enim illum ab homine non didiciſſe. Ita, ſi doctorem adduxiſſet, mendacij eum ſperabat arguere.* Quod ſi hominem ſuæ doctrinæ doctorem fuiſſe negaſſet; ſed dixiſſet, vt alias: *Mea doctrina non eſt mea, ſed eius, qui miſit me.* tunc quod doctrinam ab æterno Patre communicatam habere teſtatus eſſet; eum vt Dei filium ſe profitentem damnaret. Videtur tamen potius Caiphas non tam de doctore, quam de ipſa Domini doctrina interrogaſſe, vt ex Domino

Ioan. c. 7. 16

[A] ſuæ doctrinæ rationem reddente aliquid contra Moſis doctrinam eliceret. Quod patet ex Domini reſponſione, qui circa id, quod docuerat, non à quo didicerat, eos, qui eum in templo docentem audierant, interrogandos eſſe reſpondit. *Reſpondit autem Dominus iuxta Pontificis interrogantis intentionem*, vt Theophylactus ait.

491. Pſalmo 139. 6. Dominus ait: *Iuxta iter ſcandalum poſuerunt mihi.* Hoc eſt, cum meæ paſſionis iter inirem, ſcandalum poſuerunt. Quodnam hoc ſcandalum fuerit, explicat Origenes in illa Iudæorum verba: *Mittamus lignum in panem eius. Panis Ieſu, quo nutrimur, ſermo eius interpretatur. Voluerunt ſcandalum ponere doctrinæ* [B] *eius.* Ideo Caiphas, vt Dominum tamquam peruerſæ doctrinæ doctorem damnaret, de doctrina eius interrogauit.

Origenes hom. 8. in c. 11. Ierem 19

Panis animæ ſermo diuinus.

492. Quæri hîc poteſt cur Pontifex, cum de diſcipulis, & doctrina Dominum interrogaſſet; eumdem de miraculis interrogare omiſerit? Si enim Caiphas vnà cum incredulis Iudæis Domini miracula vt falſa habebat; ſi ea dæmonum operâ facta cenſebat; cur Dominum, vt præſtigiatorem, & dæmonium habentem damnare non ſtudebat? Reſpondetur hinc bene conſtare tam manifeſta, tam nullo pacto calumnianda fuiſſe Chriſti miracula; vt eorum examen de induſtria iniquus iudex ſubterfugerit; ne ſcilicet [C] ipſe miraculorum calumniator; illorum veritate conuictus, apertæ iniquitatis redargueretur. Nullo ſane modo inficiari poterat Lazarum tot ſpectantibus teſtibus paulò antea ad vitam à Domino reuocatum: Vt propterea Iudæi à Domino auerſi Lazarum interficere cogitauerint.

Chriſtus de diſcipulis, & de ſua doctrina interrogatus, cur etiam de miraculis interrogatus non fuerit.

Hæc autem cum dixiſſet, vnus adſiſtens miniſtrorum dedit alapam Ieſu dicens: Sic reſpondes Pontifici? Ioann. 18. 22.

493. CVm Dominus Caiphæ dixiſſet: *Quid me interrogas:* Quòd Dominus imprudentis interrogationis Caipham arguere videre- [D] tur, cum miniſter alapa percuſſit. Si iuxta Chryſoſtomum miniſter hic Malchus fuit, cui Dominus amputatam à Petro aurem reſtituit; profectò ingrati, cæcique animi argumentum fuit, quòd Dominum, à quo recens reſtitutæ diuinitus auris beneficium acceperat, immaniter percutere auſus fuerit. *Vnus miniſtrorum Pontificis, qui dicitur Malchus, cuius ſanauerat auriculam, ingratus accepti beneficij dedit alapam Ieſu*, ait Lodulphus. Præterea cum Ioannis 18. 18. de Pontificis miniſtris dicatur: *Stabant ſerui, & miniſtri ad prunas, quia frigus erat, & calefaciebant ſe*: Dominus Malchum hunc Pontificis miniſtrum potius coram Pontifice, ſuo examini adſtare voluit; quàm cum aliis in atrio miniſtris [E] ad ignem ſedere: ne in Petrum, qui eius aurem paulò ante amputauerat, inſurgeret. Benigniſſimus ergo Dominus, vt Malchi offendiculum à Petro remoueret, propter Petri incolumitatem alapæ ignominiam, percuſſionemque ſubire voluit. De alapa ſibi inflicta, ſub Iobi figura Dominus dixit: *Aperuerunt ſuper me ora ſua; & exprobrantes percuſſerunt maxillam meam; ſatiati ſunt pœnis meis.* Vbi ſi quæritur, cum vnus miniſter Domino exprobrauerit: *Sic reſpondes Pontifici*; idemque vnus alapa Dominum percuſſerit; cur dicitur: *Exprobrantes percuſſerunt maxillam meam?* Reſpondetur tunc vnum quidem Malchum Domino exprobraſſe, eiuſque maxillam

Chryſ. ſupr. *Malchus an Pontificis miniſter fuerit, qui Dominum alapa percuſſit.*

Chriſti benignitas erga Petrum Apoſtolũ.

Iob. 16. 11.

percuſſiſſe: Sed quia miniſtris aliis idem poſtea faciendi exemplum dedit; ſcilicet cum *genuflexo ante eum illudebant ei, dicentes: Aue Rex Iudæorum: & exſpuentes in eum acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius*: cum etiam miniſtri alapis eum cædebant: ideo vnà cum Malcho de his omnibus miniſtris dicitur: *Aperuerunt ſuper me ora ſua, & exprobrantes percuſſerunt maxillam meam; ſatiati ſunt pœnis meis.* Hinc quot, quantæque fuerint Domini pœnæ, & cruciatus, patet; cum ſcilicet tot, tantæque fuerint, vt tam ingentem impiorum miniſtrorum rabiem, & ardentiſſimum ipſius Domini patiendi deſiderium explere potuerint: Idque iuxta Ieremiæ vaticinium: *Dabit percutienti ſe maxillam; ſaturabitur opprobrijs.* Inter opprobria autem primum locum maxillæ percuſſioni Ieremias tribuit. Nam cum littera Iod principium interpretetur, & deſolatio, vt bene notat S. Paſchaſius, ſub tali littera Iod Ieremias Domini maxillæ percuſſionem poſuit. Sed cum Dominus antequam ad Pontificis conſpectum duceretur, ipſo in itinere, vt ſupra diximus ab impiis ſatellitibus percuſſiones plurimas pertulerit; cur non percuſſiones illæ, ſed hæc maxillæ percuſſio, vt Dominicæ paſſionis principium ponitur? Reſpondetur ex maxillæ percuſſione ab impii miniſtri manu primum ſanguinem Dominum effudiſſe. Fuit enim percuſſio illa inflicta à miniſtri *dextera ferrea chirotheca armata*, vt S. Bernard. ait: fuitque adeo grauis, vt vſque ad atrium, vbi cum miniſtris aliis Petrus erat, inſonuerit, vt S. Vincentius Fer. aſſerit. 1. Reg. 3. 11. De ingenti ſupplicio ob peccatum infligendo Dominus dixit: *Ecce ego facio verbum in Iſrael, quod quicumque audierit, tinnient ambæ aures eius*; hoc eſt tam horribile ſupplicium erit, vt veluti ex exploſæ bombardæ fragore, ſeu è nubibus eliſi tonitrui boatu audientes ſibi ambas aures tinnire ſenſuri ſint. Hoc olim *Deus vltionum* dixit; poſtea verò ſub humana carne idem *Deus miſericordiarum* ex vehementi alapæ ictu ſibi ambas aures tinnire pertulit.

Matth. 27. 30. Marci 14. 65. — Ierem. Thr. 3. 30. — Chriſto inflicta alapa præcipua inter Domini opprobria. — Chriſto inflicta alapa quàm grauis percuſſio fuerit. S. Bernard. ſer. de paſſ. — Pſal. 93. 2 ad Cor. c. 1. 3.

494 Verè tunc Domino dici potuit: *Sicut fragmen mali Punici, ita gena tua*: in lacera enim ex alapa Domini gena cum ſanguineæ guttæ ruerent, purpurea fracti mali Punici acina referre videbantur. Cum autem è percuſſa Domini facie ſanguinis guttæ defluxerint, fidenter æterno Patri dicere poſſumus: *Reſpice in faciem Chriſti tui.* In ea enim impii ſatellitis manu cruentata facie noſtræ redemptionis pretium exolui cœptum videtur. Cum Deus naturalem vitam per animam primo homini communicauit, *inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ*: cum autem humano generi ſupernaturalem vitam per gratiam inſpirare vellet, ipſemet Deus in faciem ſuam ſub humana carne alapam infligi voluit. *Creator, qui de terræ puluere hominem finxerat; à manibus, quas ipſe formauerat, alapam accepit*, ait S. Ephrem. Facies illa ab impio homine percutitur, *in quam deſiderant Angeli proſpicere.* Ideo fidelibus pio affectu Domini paſſionem meditantibus dicitur Pſal. 104. *Quærite faciem eius ſemper*; hoc eſt, Domini faciem pro humana ſalute alapa percuſſam ſemper pia meditationis indagine quærite, animoque verſate. Salutari Dauidis monito pius fidelis obtemperans dicat: *Faciem tuam, Domine, requiram. Illuſtra faciem tuam ſuper ſeruum tuum*: vt inde eximiæ tuæ manſuetudinis, & in me charitatis imitanda mihi exempla propoſiam.

Chriſti gena ex inflicta alapa, ſicut fragmen mali Punici. Cantic. 4. 3. iuxta Hebr. & Septuag. — Pſ. 83. 10. — Chriſti ob alapam æterno Patri dicere poſſumus: Reſpice in faciē Chriſti tui, & n. 531. in fine. — Gen. 2. 7. — Creatoris Dei, & Redemptoris diſcrimen. — S. Ephrem. in paraſceuerat. de alapa Domini. — Epiſt. 1. Petri c. 1. 12. — Pſ. 26. — Pſ. 30. 17.

A 495. De alapa Chriſto Domino inflicta Michææ eſt vaticinium c. 5. vbi obſeſſæ Ieroſolymæ ſub Tito à Romanis deſolatio prædicitur: *Nunc vaſtaberis filia latronis. Obſidionem poſuerunt ſuper nos; in virga percutient maxillam Iudicis Iſrael.* Vbi Hieronymus ait: *O filia Sion, non te appello filiam meam, ſed filiam latronis, id eſt diaboli ad prædandum ſemper accincti: feciſti enim domum meam ſpeluncam latronum; repugnaſti aduerſum me; & filij tui obſidionem poſuerunt ſuper me. Obſidionem*, ſeu iuxta Septuaginta, *anguſtiam poſuerunt ſuper nos*, ait Michæas. Cum tantùm Chriſtus Dominus obſeſſus, & anguſtiatus ab impiis miniſtris fuerit; cur ſuper nos B Propheta dicat, reddit rationem Hieronymus: *An non contumelia Trinitatis eſt, quando in virga, & calamo percuſſere Romani caput Iudicis Iſrael dicentes: Propheriza nobis, Chriſte, quis eſt qui te percuſſit: ſiue quando vnus de miniſtris percuſſit eum in maxilla dicens: Sic reſpondes Pontifici?* Sed cum miniſter hic non virga, ſed manu Domini maxillam percuſſerit; quæritur, cur virga percuſſiſſe dicitur? Reſpondetur cum Salomone Prouerb. 14. 3. *In ore ſtulti virga ſuperbiæ.* Ergo præter alapam manu inflictam, ſacrilegâ linguâ velut ſuperbiæ virga miniſter Dominum percuſſit, cum dixit: *ſic reſpondes Pontifici?* Hæc autem linguæ percuſſio grauior, quàm ipſa ala- C pa Domino fuit; eo quòd verbis illis impudentis audaciæ argui videretur: ideoque impius miniſter virgâ potius, quàm manu percuſſiſſe Dominum dicitur. Porrò cum variis nominibus Chriſtus Dominus appellari potuerit, Iudicem Iſrael Michæas appellauit; ad oſtendendam impij iudicij peruerſitatem; eo quòd ſupremus Iſraelis, omniumque Iudex tamquam reus apud iniqui Pontificis tribunal ſtatueretur; ibique & linguæ, & manus impium ictum ſubiret.

Diabolus latro. Matth. 21. — Chriſtus quomodo virga percuſſus.

496. Cum iuxta Michææ vaticinium, citatus Hieronymus Ieroſolymam deſolationis, & vaſtitatis pœnam ob Domini maxillæ percuſſionem præcipuè meruiſſe dicat: cumque propterea ſub D littera Iod, quæ deſolatio interpretatur, talis Domini percuſſio à Ieremia ponatur: Hic bene intelligimus, quare de Ieroſolyma Dominus prædixerit: *Circumdabunt te inimici tui vallo; & ad terram proſternent te*: ſcilicet, vt patrato ſceleri debita pœna reſpondeat. Nam tam vehemens fuit Domini in maxilla percuſſio, vt eum circamacto capite ad terram proſtrauerit, vt S. Vincentius Fer. aſſerit. Addit Bloſius ex tali alapa Dominum multum ſanguinis expuiſſe. Quare meritò in Ieroſolymæ obſidione, & captiuitate Iudæi multum etiam ſanguinis effuderunt.

Ieremias ſupra. — Lucæ c. 19. 44. — Chriſtum inflicta alapa ad terrā proſtrauit, & ex eius ore multū ſanguinis eiicit.

497. Cum extenſæ manus alapa Domini facies eſt percuſſa, percuſſionis ictum etiam Domini auris ſubiit. Leuit. 24. 19. præcipitur; *Qui E irrogauerit maculam cuilibet ciuium ſuorum; ſicut fecit, ſic fiet ei. Fracturam pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente reſtituet.* Quàm peruerſa lege cum Domino actum eſt! Malchus enim Domini autem impiè percuſſit, qui ei diuinitus amputatam aurem paulò ante reſtituerat.

498. Cum impius miniſter dexteram ad Dominum percutiendum eleuauit, ſi Deipara, ſi Magdalena adfuiſſent, ambæ certatim ſuas facies ad ictum excipiendum obieciſſent. Sed cum Ieremias prædixiſſet: *Dabit percutienti ſe maxillam*; ad vaticinium hoc implendum Dominus ictum non declinauit; ſed humiliter caput inclinans percutienti faciem obtulit. In more apud veteres fuit; vt cum herus ſeruum libertate donaret,

Serui libertate donādi ab hero alapā accipiebant. ei alapam infligeret. *Serui, cum liberi efficiuntur accipiunt alapam, vt mortali libertate potiantur,* ait S. Ephrem. Illis alapa libertatis signum fuit, Christo Domino seruitutis: *qui cum in forma Dei esset, semetipsum exinaniuit formam serui accipiens:* acceptamque hanc serui formam impressa alapa indicare voluit. Ad *ἀδύνατον* significandum, digito cœlum tangere Veteres dixerunt. Cœlestem Domini faciem non digito tangere, sed extensa dextera percutere impossibile ex Domini patientia scelerato ministro non fuit. *Quid hoc impudentius? Exhorrescat cœlum, contremiscat terra de Christi patientia, & serui impudentia*, exclamat Chrysostomus Homil. 82. in Ioan.

S. Ephrem. supra. Ad Philipp. c. 2.

499. De perfidis Hebræis à Mose dicitur: *Deum ad iram concitauerunt.* Eorumdem Hebræorum posteris Dominus dixit: *Vos implete mensuram patrum vestrorum.* Ad hanc perfidorum patrum mensuram implendam impius minister alapa Dominum percussit; vt eum similiter ad iracundiam concitaret. *Dedit alapam Iesu, vt dolore, terrore, aut saltem indignatione per iram, ac vlciscendi desiderium à ratione deijceret sapientiam; & aliquid pœna dignum coram Pontifice dicere, aut facere instigaret* ait Cardin. Vigerius. Sed peruersam impii ministri intentionem irritam Dominus reddidit patienter respondens: *Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo. Si autem bene, quid me cædis?* Tertiò Reg. c. 13. cum Ieroboam in Dei Prophetam *extendit manum suam dicens: Apprehendite eum: exaruit manus eius.* De quo bene Chrysostomus ait: *Christus, cum ipse quidem in faciem colaphis cæderetur, in seruum, qui colaphum impegerat, nihil durius fecit. Ieroboam verò cum extensa manu conaretur apprehendere Prophetam, à quo coarguebatur, manus illi exaruit. Per hæc te erudiens; vt quæ tibi ipsi inuehuntur cum mansuetudine feras; quæ verò in Dominum ingeruntur, multa cum vehementia vlciscaris:* scilicet, si ad te spectet iudicium; sin minus multa cum vehementia detesteris.

Deut 32.16. Matt. 23. 32. Christum minister Pontificis eus alapa percusserit: his, & sequenti.

Vigerius supra.

Chrysost. hom. 4. in verba Isaiæ. Ieroboamo cur manus exaruit: non autem impio ministro Dominum percutienti.

500. Cur præcipuè minister hic ad Dominum alapa percutiendum motus fuerit, ratio alia desumitur à Ioanne 7. vbi dicitur: *Miserunt Principes, & Pharisæi ministros, vt apprehenderent Iesum: Venerunt ergo ministri ad Pontifices, & Pharisæos, & dixerunt eis illi: Quare non adduxistis illum? Responderunt ministri: Nunquam sic locutus est homo. Responderunt eis Pharisæi: Numquid & vos seducti estis?* Inter ministros hos ministrum hunc, qui Dominum alapa percussit, fuisse censet Cyrillus; & hinc quare percusserit reddit rationem dicens: *Quoniam responsio Saluatoris ad memoriam huius rei Principes reducebat: testes enim ministros citauit dicens: ecce isti sciunt, quæ dixerim ego; idcirco ne de animo suo beneuolentiaque erga Christum Principes suspicarentur; qui aliàs, quia Christum admirabatur, fuit reprehensus, alapa Christum cædit.* Propterea subdit Cyrillus: *Arguitur minister non solùm, quia inflixit alapam; verùm etiam, quia cuius doctrinam admiratus est, eum modò nulla de causa cædit. Nam si aliàs non probasses doctrinam meā, inquit Dominus; si mirabilis Scripturæ interpres, tibi visus non essem; si non exclamasses: Nunquam sic locutus est homo; forsitan ignorantiæ tuæ venia dari posset. Verùm quoniam audisti, quoniam verba mea laudasti, quæ nunc etiam admirareris, si tibi constares; quam satisfactionem alapa cadens inuenies?* Hinc patet ministrum hunc

Cyrillus lib. 11. in Ioan. c. 46. & 47.

Malchus priusquā fi-

prius Christo Domino credidisse; deinde cum ad pontificis ministerium rediisset, à Christi fide defecisse; ita vt verissimè sententia illa pronuncietur: *Exeat aula, qui vult esse pius.* Cui consonat Bernardus l. 4. de Consid. *Claustrum quosdam malos recipit, quos vt plurimum bonos efficit. Curia verò è contrario plures bonos recipit, quos non perficit, sed inficit.*

puit, deinde à resipiscentia defecit. Aulicorū salutis periculum. Claustrum malos bonos reddit; curia bonos malos.

501. Circa Domini alapam summatim tria sunt perpendenda; scilicet quòd iniquissima fuerit; quòd vehementi dolore, quodque magna ignominia Dominum affecerit. Fuit iniquissima inflicta Domino alapa *non solùm, quod præter meritum inflicta; sed etiam, quòd contra omnem iudicij æquitatem*, vt bene perpendit Iansenius: *vincto enim, qui se vlcisci non poterat, parcendum erat etiam peccanti: & in iudicio permittitur reo libere pro se loqui: habetque hoc inter etiam Gentes iudicialis æquitas; vt facinorosus iam comprehensus, & vinctus nulla iniuria, aut pœna afficiatur; nisi sententia secundùm leges à iudicibus iuratis lata.* Habent hoc vincula, vt spectatores erga vinctum ad compatiendum trahant. *Vinctis compassi estis*, piis fidelibus Apostolus ait. Alapæ præterea ictus præ percussionibus cæteris plus doloris affert; cum in faciem corporis partem delicatiorem infligatur. Domino autem manu ferrata chirotheca inflicta alapa tam grauis fuit; vt eum ad terram prostrauerit, sanguinemque ex eius ore excusserit, vt supra diximus. Est insuper alapæ percussio valde ignominiosa, primò, quia tanquam ex dominio libero, & expedita manu infligitur. Secundò, quia honorabiliorem corporis partem, nempe faciem cædit. Tertiò, quia sicut inter iniurias contumelia grauior est, eoquòd in audientis aures conuicium iaciatur; ideoque contumeliam à contemptu dictam, Seneca, & Vlpianus censent: ita alapa, eoquòd in faciem, adeoque in videntis oculos infligatur, valde ignominiosa est. Propterea Apostolus iniurias varias fidelibus illatas enumerans, vltimo loco tamquam grauiorem iniuriam faciei percussionem ponit dicens. *Sustinuistis, si quis vos in seruitutem redigit; si quis deuorat;* scilicet, bona vestra consumat; *si quis accipit*, idest per rapinas vestras opes diripiat; *si quis extollitur*, per vestram depressionem; *si quis in faciem vos cædit.* Ignominiam ergo ex faciei percussione seruituti, opumque direptioni præfert. Quartò, alapa ignominiosa est, quia signat ictus impressionem, patentemque liuorem in facie relinquit. Quare S. Vincentius Fer. asserit ex inflicta alapa *Christum cecidisse in terram, & ex ore sanguinem eduxisse; & in veneranda maxilla dignorum impressionem mansisse cum liuido colore.* Quintò denique iuxta Salmeronem alapa Domino maximam ignominiam attulit *ob risum, & gaudium, quod tum Pontifici, tum adsistentibus Iudæis concitauit; qui omnes tali contumeliæ irrogatione oblectati sunt.* Quàm diuersa oblectatio ex alapa illa prouenit; Iudæis quidem ex odio in Christum; Christo verò ex amore in genus humanum, pro quo redimendo patiebatur. Quare apud Ieremiam de Domino dicitur: *Saturabitur opprobrijs.* S. Thomas legit: *Delectabitur opprobrijs. Imple facies eorum ignominia; & quærent nomen tuum, Domine* De peccatoribus Deo Dauid dixit. Dei tamen filius sub humana carne non hominum, sed faciem suam ignominia implere voluit; vt ad Deum quærendum homines excitaret.

Christo alapa inflicta plurimum iniquitatis, cruciatus, & ignominiæ habuit.

Ad Hebr. c. 34.

2. ad Corin. 11. 20.

S. Vincentius ser. de pass.

Christi alapa inflicta risum adstantibus mouit.

Ierem Thr. 3. 30.

Psal. 82. 17.

502. Cum Dominus dixisset Matth. 5. 39.

Si quis

Christus in maxillā percussus, cur maxillam alterā percutiendam non præbuerit.

Si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram: quæri hîc potest cur Dominus alapa percussus, maxillam alteram non præbuerit? Respondetur primò Dominum noluisse confirmare imputatam ipsi à ministro culpam, quòd male Pontifici respondisset; quam vtique imputatam culpam confirmasset, si maxillam alteram veluti in malæ responsionis meritam pœnam præbuisset. Bene autem S. Thomas ait: *Non est intelligendum, quod Christus mandasset, quòd præberent maxillam aliam corporalem ad ictum ei, qui percutit vnam: sed hoc debet intelligi quantum ad præparationem animi; qui si necesse fuerit, ita debet esse dispositus; vt non turbetur animo contra percutientem; sed paratus simile, & amplius sustinere.* Hanc autem animi præparationem efficaciter Dominum habuisse patet. Nam ambas maxillas percutientibus paulo post præbuit; cum *expuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt; alij autem palmas in faciem eius dederunt.* Respondetur secundò tunc impio ministro maxillam alteram Dominum non præbuisse; coquòd illam paulò ante multò grauiori ictui obtulisset; nempe Iudæ osculo: *inclinauit se ad eum, quia Iudas breuis staturæ erat,* dicitur in Reuelat. S. Brigittæ. Iudæ autem *osculum omnibus telis sæuius* fuisse ait S. Leo ser. 1. de passione.

S. Th. lect. 4 in caput 18 Ioannis.

Matt. 26. 67.

In reuelationibus S. Brigittæ. lib. 4. c. 99.

503. Denique hic bene notat Cyrillus: *Caditur vt seruus, qui nutu solummodo perdere Iudæos omnes potuisset; nec vltionem fecit vllam. Nos miseri terra, & limus, si quis de proximis lapsu linguæ minimum quidquam contra nos dixerit more draconum in eum insurgimus, & mille verbis pro vno vituperantes, satiari non possumus. sed ad vltionem irruentes, Principem, & consummatorem fidei nostræ Iesum non respicimus.* Si Christum Dominum, vt caput nostrum agnoscimus; profectò sub mansuetissimi agni capite, draconis membra esse non debent.

Vltores iniuriarum quantùm à Christo discrepent.

Respondit ei Iesus: Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo: Si autem bene; quid me cædis? Ioan. 18. 23.

504. CVm iuxta Augustinum sub Dauidis figura Dominus dixerit Ps. 37. 14. *Ego tamquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum: & factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones:* si quæratur cur hîc inflicta sibi alapa responderit, de eaque conquestus sit? Huius triplex ratio bene, & verè reddi potest. Quarum prima est, ne videretur Dominus confiteri se non ea, qua decebat, reuerentia, Pontifici respondisse. Hæc ratio desumitur ex Cypriano lib. 1. epist. 3. ad Cornelium, vbi ait: *Dominus cum tempore passionis alapam accepisset a seruo Sacerdotis; cumque ei dixisset: Sic respondes Pontifici? Aduersus Pontificem Dominus contumeliosè nihil dixit; nec quidquam de Sacerdotis honore detraxit: sed innocentiam suam magis asserens, & ostendens: Si malè, inquit, locutus sum, exprobra de malo; si autem bene, quid me cædis?* Cum Dominus aduersus Pontificem contumeliosè nihil dixerit; perpendendum est à Domino multa in eum dici potuisse: scilicet quòd legitimus Pontifex non foret. Nam, vt ait S. Thomas, *sciendum est, quod secundum legem summus Sacerdos per totā vitam officio fungebatur, cui post mortē filius succedebat. Postmodum inuidia, & ambitione Principum crescente, non solùm patri non succedebat filius; sed nec vltra annū Sacerdotij fungebatur officio: & hoc ipsū pecunia procurabat, vt Iosephus dixit. Ideo non est mirum quòd in anno illius Pontificatus tam nequiter acquisiti rem sic nefariā gessit.* Addit Hu-

Christus cur de inflicta alapa conquestus fuerit. ratio triplex hîc, & in sequentibus.

Pontifices Iudæorum Pontificat' legem peruerterunt S. Th. lect. 3 in c. 18. Ioan. Iosephus lib. 18. antiqu.

A go Card. *Annas & Caiphas vicissim suos annos agebant:* ideo dicitur Luc. 3. *Sub Principibus Sacerdotū Anna, & Caipha.* Secundò ex S. Hieron. ad Nepotianum: *Scitum est illud Domitij: Cur ego habeam te, vt Principem; cum tu non habeas me, vt Senatorem?* Et ex Cicerone est illud Crassi dicentis: *Non esse sibi Consulem, cui ipse non non esset Senator* Similiter, cum tā iniquus iudex ante testium examen Dominum vinctum ad se trahi iussisset; cumque coram se alapa percuti fineret; respondere Dominus poterat se eum vt Pontificem non habere; cum ipse, non vt iustū iudicium exigebat, ab iniquo Pontifice haberetur. Nihil tamē tale respondit; sed tantùm petiit, vt in quo malè

Hugo in c. 18. Ioan.

Cicero l. 3. de Oratore.

B locutus fuisset, ipsemet minister, qui percusserat, testaretur. *Quid ista responsione verius, mansuetius, iustius:* ait Augustinus. Qua quidem responsione *omnem feruorē placare facile potuisset* vt ait Chrysost. Alapa ergo accepta non tacuit Dominus, sed mansuetè respondit, ne irreuerenter contra Pontificem locutus videretur. Domini exemplum imitatus est Paulus Act. 23. vbi cum *Princeps Sacerdotum Ananias præcepit adstantibus sibi percutere os eius: tunc Paulus* ex iustitiæ, legisque Euangelicæ defendendæ zelo vaticinans *dixit ad eū: Percutiet te Deus, paries dealbate,* hoc est hypocrita. *Tu sedens iudicas me secundùm legem, & contra legem iubes me percuti. Et qui adstabant,*

August. tract. 113. in Ioannem Chrys. hom. 82. in Ioan.

C *dixerunt: Summū Sacerdotē Dei maledicis? Dixit autem Paulus: Nesciebam, fratres, quia Princeps est Sacerdotum: Scriptum est enim: Principem populi tui non maledices.* Quod perpendens Cyprian. ait: *B. Paulus Apost. cum ei dictum esset: Sic insilis in Sacerdotem Dei maledicendo? quamuis Domino iā crucifixo sacrilegi, & impij, & cruenti illi esse cœpissent; nec iam quidquam de sacerdotali honore, & auctoritate retinerent; tamen ipsum, quamuis inane nomen, & vmbram quamdā Sacerdotis cogitans Paulus: Nesciebam, inquit, fratres, quia Pontifex est.* Hinc bene deducit Cyprianus quanta veneratio Sacerdoti cuilibet sit exhibenda. Egregium exhibendæ venerationis sacerdoti exemplū in Aarone Sacerdote habetur; qui quamuis sacerdoti debita

Cyprianus supra.

Sacerdotibus veneratio exhibenda.

D veneratione se indignū reddidisset, eoquòd vitulum aureū ab Hebræis adorandum conflasset, Ex. 32. nihilominus cum contra eū Chore, Dathan, & Abiron murmurassent, *Dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum deuorauit illos cum tabernaculis suis, & vniuersa substantia eorum; descenderuntque viui in infernū aperti humo.* Vt murmurantes os suum claudere discerent, ad illos puniendos os suum terra reserauit. Quod perpendēs Chrysost. ait: *Insurrexerunt aduersus Aaron post vituli formatam effigiem Chore, Dathan, & Abiron. Quid ergo? Nonne illi periere?* Propterea ibidē monet Chrysost. *Qui honorat Sacerdotem, Deū quoq; honorat. Qui vero Sacerdotem spernit, ad id sensim prolabitur, vt in Deum ipsum aliquādo contumelio-*

Num. c. 16.

Chrysost. hom. 2. in 2. epist. ad Tim.

E *sius euadat. Et si malus fuerit Sacerdos quispiam, attendit Deus, quòd sui gratia illum etiam, qui dignus honore non est, obsequijs foues, & ipse tibi præmia exoluet* De debita erga Sacerdotes reuerentia plura dicta sunt ser. 3. Dom. 2. Quadrages.

505. Secunda ratio cur accepta alapa à Pontificis ministro ei Dominus respōderit, & alapis aliis postea à militibus inflictis tacuerit, est, quia minister hic primus sacrilegum exemplum Domini faciem alapis percutiendi dedit. Vt prauum ergo peccandi exemplum detestaretur, ministro primum eius faciem percutienti Dominus respondit; vt diximus ser. 5. maioris Heb. sub finem.

Prauū peccandi exēplum quam noxium: hîc. & n. 548.

506. Tertia denique ratio est, quia Dominus

impio ministro mansuetè respondens, seq; ipsius A
testimonio contentum esse ostendens, eum ad resipiscendum excitare, & ad salutem reuocare voluit. Hanc rationē affert Simon de Cassia dicens: *Si ratione iusta responsionis à patiente ad bonū trahitur male agens, cum charitas seruatur in animo, et suaui verbo proximus compungitur; perfectum est in virtutibus ei qui te percutiat, inferre verba salutis: & cum odio te feriat, tu charitate constringas, vt quē pateris percussorem, correctum possis habere consortē. In id tendebat Saluator, qui vult omnes homines saluos fieri; vt hunc male ministrantem in ministrū superna vita converteret. Nec aduersus eum odio ferebatur, quem conabatur dulci allocutione verborum de medio iniquitatis eripere. Et vtriusque boni sortitur patiens præmium; quia sustinuit, & conuertit: &* B
resipiscens à malo pœnas malis dignas euasit. Hunc enim ministrum suum postea scelus cognouisse, & Euangelicam fidem esse amplexum citatus auctor censet.

Princeps autem Sacerdotum, & omne concilium quærebant falsum testimonium contra Iesum, vt eum morti traderent: & non inuenerunt; cum multi falsi testes accessissent.

Testes contra Christū quæsiti quo sensu falsi, & non conuenientes dicantur: hic, & sequentibus.

507. DVbitari hîc potest, an testimoniū, quod quærebant, dicatur falsum ab Euangelista tantùm, eo quòd tantùm significare voluerit aduersus Christum non nisi falsum testimonium inueniri potuisse? An verò falsum dicatur etiam C
iuxta mentē ipsorum Iudæorū, quod ipsimet verū testimoniū aduersus Christum inueniri posse non crederent? Resp. obstinatam Iudæorum incredulitatem non omnino desperasse aduersus Christū posse verum testimoniū inueniri: ex peruersitate tamen quæsiuisse aduersus Christū testimonium aliquod, quod siue verum, siue falsum admittere parati erant; cū omnino statuissent eum morti tradere. Multis autē accedentibus falsis testibus, cōtra Christum testimoniū non inuenerunt. Si falsi hi testes multa aduersus Christū proferebant, cur aduersus eum testimoniū nullum inuentum dicitur? Huius ratio redditur à S. Mar. c. 14. 56. *Multi testimonium falsum dicebant aduersus eum, & con-* D
uenientia testimonia non erāt: scil. inter se non cōcordabant. Quare cum inter se varia essent, sufficientia testimonia nō erant, & ab ipsis Christi aduersariis neque apparenter vera haberi poterant. Sic Dan. 13. peruersi senes aduersus Susannā testimoniū proferentes cū inter se variarēt, manifestè falsi testes habiti sunt. Præterea *conuenientia testimonia non erant*; hoc est, non erant talia, qualia ad Christū morti tradendū iniqui iudices quærebāt.

Iudæ testimonium contra Christum cur Iudæi non adhibuerint.

508 Quæri hîc potest, cur Iudæ testimonio iniqui iudices vsi non sint. Iudas enim ad suā proditionem excusandam apud Iudæos *probrosa retulit de Christo*, vt supra ex Euthym. diximus? Respon. Iudæos vel Iudæ testimonium esse oblitos, vel E
proditorem Iudam sceleris sibi conscium se abscondisse & à Iudæis quæsitum inueniri non potuisse. Quamuis etiam si inuentus Iudas esset, non illum facile crediderim eò impudentiæ deuenturum fuisse, vt aduersus Dominum coram eo testimoniū proferre ausus esset. Diuinis enim oculis, suaque conscientia vel territus, vel monitus aduersus Dominum hiscere nequiuisset. Reseruatus est autem à Christo Domino Iudas, vt potius ipsius innocentiæ testis esset Iudæis, dicens: *Peccaui tradens sanguinem iustum.*

Nouissimè autem venerunt duo falsi testes, & dixerunt. Hic dixit: Possum destruere templum Dei, & post triduum reædificare illud.

Falsi testes supplicium.

509. DE his falsis testibus iam Dominus prædixerat Ps. 26. *Insurrexerunt in me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi*. idest contra seipsam in iniquæ animæ perniciē. Vere enim Salomō pronunciauit Prou. 19. *Testis falsus non erit impunitus; & qui mendacia loquitur, non effugiet.* Si enim ab hominibus meritas pœnas euadat, diuini Iudicis supplicium nō effugiet. *Quomodo falsi testes sunt, si ea dicunt, quæ Dominum supra dixisse legimus?* ait Hierō. Nam Ioan. c. 2. 19. Dominus dixit: *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Respondet Hier. *Dominus dixit de templo corporis sui: sed & in ipsis verbis calumniantur, & paucis additis, vel mutatis, quasi iustam calumniā faciunt. Saluator dixerat: Soluite templum hoc: isti commutant, & aiunt: Possum destruere templū Dei. Deinde illi vertunt: Et post triduū reædificare illud; vt proprie de templo Iudaico dixisse videatur. Dominus autem, vt ostenderet animale, & spirans templum, dixerat: Et ego in triduo suscitabo illud. Aliud est ædificare, aliud suscitare.*

510. Secundò falsi testes erant, nam iuxta Marcum c. 14. 58. dixerunt: *Nos audiuimus eum dicentem: Ego dissoluam templum hoc manufactum, & per triduum aliud non manufactum ædificabo.* Vel ergo hi testes Domino verba illa dicente præsentes fuerant; & tunc addere debebant gestum, quo Dominus de mystico sui corporis templo se loqui significauit. Nam, vt bene Toletus ait: *Dum dixit: Templum hoc; certum est gestu ipso, & motu manuū non illud materiale, sed seipsū demonstrasse.* Rursus vel hi testes loquente Domino præsentes non fuerunt, ideoque Domini seipsum indicantis gestum non viderunt, & tunc falsi omnino testes fuerunt dicentes: *Nos audiuimus eum dicentem: Ego dissoluā templū hoc manufactum; & per triduum aliud non manufactum ædificabo.* Præter falsitatem addit S. Marcus: *Et non erat conueniens testimonium illorum*: hoc est sufficiens non erat, vt ex eo Dominus ad mortem damnaretur. Præterea si duorum horum testium verba apud Matthæum, & Marcum dicta conferantur, eorum testimonium discors omnino videtur: aliud est enim post triduum reædificare templum, vt apud Matthæum dicitur. & aliud per triduum illud ædificare, vt dicitur apud Marcum. Per triduum enim templum ædificare ædificanda successionem significat; post triduum autem reædificare simultaneam templi excitationem indicat. Quam simultaneam excitationem significauit Dominus Ioan. 2. dicens: *In tribus diebus excitabo illud*; hoc est intra trium dierum spatium nondum completum illud excitabo. Tertia enim die vix inchoata Dominus resurrexit.

Falsorum testium testimonium Christi innocentiam manifestat.

511. Ex his falsis testibus non aliud contra Dominum, quàm allata verba proferentibus, duo manifestissimè patent. Primò omnimoda Domini innocentia: Secundò prauitas Iudæorum in Christum calumnias omnino falsas, peruersasque fuisse. Cum enim Dominum antea calumniati fuerint, vt dæmoniacum, vt blasphemum, vt Samaritanum, hoc est ex Samaritarum hæresi Mosaicæ legi contradicentem, & vt Sabbati venerationis transgressorem: cur huiusmodi calumniæ nunc à testibus non afferuntur? Ex eo scilicet, quòd eas, vt veras apparere posse ipsi Domino infensi Iudæi non existimarent. *Est quæstio, quare non accusent eum de violatione Sabbati?* [illegible] Thomas. Idem respondet ex S. Chrysost. *Quia sæpe accusauerant eum de hoc, & sæpe excusauerat se, & excusationem confirmauerat*

S. Thom. in Matth. c. 26. Christus quare de violatione sabbati non fit accusatus.

miraculis, ideo cogitabant, quòd non valeret eis. Item Iudex non erat Iudæus, nempe Pilatus; ideo sciebant, quòd non reciperet hanc accusationem.

A

Et surgens Princeps Sacerdotum ait illi: Nihil respondes ad ea, quæ isti aduersum te testificantur.

512. SVrgere Pontifex debebat ad Dominum innocentem, & ab inualidis testibus nullius criminis conuictum, liberum dimittendum. Sed ex animi peruersitate, *ira præceps, & impatiens non inueniens calumniæ locum, excutit de solio Pontificem, vt vesaniam mentis motu corporis demonstraret* ait Hieronymus: Surrexit ergo iniquus Pontifex, vt in peruersitatis barathrum grauiore culpa corrueret.

B

Iesus autem tacebat.

513. PRimò tacebat, *quia quidquid dixisset, sciebat torquendum ad calumniam*, ait Hieronymus. Quoniam, vt dicitur Psal.32. *Rectum est verbum Domini*, ideo, quæ ad calumniā erant distorquenda, proferenda non erant, *Vbi auditus non est, non effundas sermonem*, dicitur Eccl.32.6. hoc est, vbi audire, quo decet affectu, paratus nemo est, ibi frustra sermo est effundendus. Quamuis autem ex Iuristarum axiomate dicatur: *Qui tacet affirmat*; id intelligendum est, cum quis legitimè interrogatus respondendi obligationem habet. Secundò tacuit Dominus, suamque innocentiam aduersus falsos testes defendere noluit; vt peccatores semper paratos *ad excusandas excusationes in peccatis* suo silentio argueret. Tertiò denique tacente Domino, *ex hòc discimus contemnere calumniantium, & falsorum testium voces, vt nec responsione dignos eos habeamus, qui non conuenientia dicunt aduersum nos: maximè vbi melius est liberè, & fortiter silere; quàm defendere sine vllo profectu*, ait Origenes.

Christus cur accusatus tacuerit, ratio triplex.

Ps.140.4.

C

Et Princeps Sacerdotum ait illi: Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis, Si tu es Christus Filius Dei.

514. EX S.Thoma 2.2.q.90.a.1. Adiurare est aliquem impellere ad aliquid vel fatendum, vel faciendum diuini nominis, honorisque causa, aut præcipiendo, aut deprecando, & exhortando. *Si ergo aliquis per inuocationem diuini nominis vel cuiusque rei sacræ alicui non sibi subdito adiurando necessitatem agendi aliquid imponere intendat, talis adiuratio illicita est*, ait ibi S. Thom. Ex quo patet illicitè Dominum nullo pacto ei subditum à Pontifice fuisse adiuratum.

Adiurare quid sit. Caiphas diabolo similis.

Matth.4.

D

515. Iohan.8.44. Dominus incredulis Iudæis dixit. *Vos ex Patre diabolo estis*. Eadem verba iniquo Pontifici, eiusque concilio repeti poterant. De iniquo enim sacerdotum Principe, qui Domino dixit: *Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis, si tu es Christus filius Dei*, bene Origenes ait: *Imitatur proprium patrem, qui dubiè interrogauit Saluatorem: Si tu es Christus filius Dei. Vnde quis dicere rectè potest, quoniam dubitare de filio Dei, vtrum ipse sit Christus, typus diaboli est.*

E

Dicit illi Iesus: Tu dixisti. Verumtamen dico vobis, amodo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli.

516. TV *dixisti*. Hunc Domini respondendi modum non omnino affirmatiuum esse iam supra iuxta Augustini sententiam probauimus: cum Dominus Iudæ quærenti: *Numquid ego sum Rabbi?* respondit: *Tu dixisti*. Idem confirmat hîc Origenes: *Quia non erat dignus Princeps ille Sacerdotum Christi doctrina; propterea non eum docet, nec dicit: ego sum. Sed verbum oris eius, accipiens in redargutionem ipsius conuertit dicens: Tu dixisti: vt eo modo videretur argui, non doceri.* Hac posita sententia, videtur Christi responsio relata à Matthæo discordare ab eiusdem Domini responsione relata à Marco, qui Dominum clarè, & absolutè dixisse ait: *Ego sum*. Respondetur Dominum respondisse iuxta Matthæum: responsio tamen à Matthæo relata, quāuis omnino affirmatiua non foret; nihilominus, quia postea Dominus seipsum *filium hominis*, sicut sæpe antea, nominauit, & subdidit: *Verumtamen dico vobis, amodo videbitis filiū hominis sedentem à dexteris virtutis Dei*, &c. Ideo responsionem suam alioquin dubiam ad affirmatiuū significatum determinasse videtur; ita vt propterea Mar. referat Dominum dixisse: *Ego sum*. Se enim esse filium Dei significauit; cum se sessurum à dextris virtutis Dei dixit. Confirmatur primò, quia iuxta hunc sensum Dominum locutum esse ipse Pontifex intellexit, vt ex sequentibus ipsius verbis habetur. Confirmatur secundò quia Act.7.55. dicente Stephano: *Ecce video cælos apertos, & filium hominis stantem à dextris Dei*; Iudæi, quòd Christum à dextris Dei sedere, adeoque Dei esse filium Stephanus dixisset, eum lapidarunt. Confirmatur tertiò ex Luca apud quem dicente Domino: *Ex hoc erit filius hominis sedens à dextris virtutis Dei*; hinc statim deduxerunt Iudæi. *Tu ergo es filius Dei?*

Euangelii textuum conciliatio.

517. *Amodo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli.* Cum in nubibus cæli se venturū Dominus dicat; id in extremi iudicii die intelligendum esse significauit: de eo enim dixit Matth.24.30. *Videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa, & maiestate.* Sed cum reprobi nunquā visuri sint Deum, quomodo à Domino dicitur: *Videbitis filium hominis à dextris virtutis Dei?* Respondetur, in sacra Scriptura videre interdum idem esse, ac experiri; apertoque experimento cognoscere; vt Psal.33.9. *Gustate, & videte, quoniā suauis est Dominus*: & Prouerb.31.18. *Gustauit, & vidit, quia bona est negotiatio eius.* Similiter cū dicitur: *Videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei*; idem est, ac dicere: Experimento cognoscetis filium hominis sedere à dextris Dei potentiæ, cum eum, vt supremum Iudicem, Angelorum multitudine circumdatum prædestinatis beatitudinem, reprobis æternum supplicium diuinā auctoritate decernentem videbitis.

Videre interdum significat aperto experimento cognoscere.

518. Quæritur hîc, quid significet à dextris Dei sedere, quod Christo Domino propriè tribuitur? Dico primò sedere hîc propriè intelligi non debere; cum sessio ob defatigationē, quæ in cælo nulla est, beatis, & præcipuè Christo Domino non sit tribuenda. Quare similiter de beatis dicitur Ps.149.5. *Exultabunt Sancti in gloria, lætabūtur in cubilibus suis*, non quòd verè in cubiculis iaceant; sed ad beatam, & inamissibilem quietem significandam dicitur iuxta Hugonem, & communē Patrum sententiā. Iuxta quem etiam sensum intelligendus est Apost. ad Eph.2. vbi electos Deus dicitur: *Consedere fecit in cælestibus*. Et Matt.19.28. vbi de extremo iudicii die Apostolis dicitur: *Cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel*, Origenes ait: *De sede gloriæ eius quid est dicendum? Putas quia corporale subsellium erit? Sedes eius aut quidam perfectiores*

Sedere à dextris Dei quid significet: hîc, & sequentibus.

Origenes tract. 34. in Matth.

Psal. 121. 5. 1. ad Colos. 16.

Sanctorum dicuntur, de quibus scriptum est: Quoniam illic sederunt sedes in iudicio: aut quædam Virtutes Angelicæ, de quibus dicitur: Siue Sedes, siue Dominationes, &c. Chrysostomus homil. 65. in Matth. de duodecim iudicantium sedibus ait: *Non concessas quidem esse sedes significauit; cum ipse solus in solio iudicaturus sedebit; sed honorem atque gloriam ineffabilem vocabulo sedium signanter expressit.* Hic subscribit Iansenius de Christo Domino dicens: *Non dicitur sessurus ob corporalem sessionem; sed huiusmodi tropo significatur iudiciaria eius auctoritas, vt sit sensus: Cum sederit in sede maiestatis suæ, hoc est, cum se cum gloria, & maiestate magna Iudicem omnium exhibebit. Ad eum modum etiam intelligendum, quod & Apostoli dicuntur tunc sessuri super sedes duodecim; nimirum quia proximi Christo Iudici etiam in gloria cum ipso apparebunt iudicantes simul cum illo duodecim tribus Israel.*

Iansenius in concordia c. 100.

Beatis in Cœlo standi situs tribuendus.

519. Porrò cum præ aliis standi situs naturalis magis sit, talis situs beatis tribuendus videtur. Ideo Psalm. 121. Beati de cœlesti Ierosolyma iuxta Augustinum, & Hilarium aiunt: *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Ierusalem*: seu, vt legit Euthymius: *In aulis tuis Ierusalem.* Stantes scilicet erant pedes nostri in cœlestis Ierosolymæ aulis, cum adhuc essemus in mortali vita ob assiduam contemplationem, certamque fiduciam illuc perueniendi: post resurrectionem verò verè, & propriè stabunt pedes nostri in cœlestis Ierosolymæ aulis. Standi in cœlo situs præcipuè Christo Domino est tribuendus; de eo enim dicitur ad Ephes. 4. 10. *Ascendit super omnes cœlos.* Ex quo Suarius 3. part. quæst. 58. art. 3. disp. 51. sect. 1. aliique apud eum auctores asserunt Christum super ipsum Empyreum cœlum ascendisse; ita vt nunc super illud stans emineat pedibus, supremam Empyrei superficiem collocans: ideoque ad Hebr. 7. 26. dicitur: *Excelsior cœlis factus.*

520. Dico secundo iuxta Athanasium, & communem Patrum sententiam ad significandum Christum secundùm diuinitatem esse æterno Patri æqualem, cum eo sedere in eodem solio, hoc est regnare dicitur. *Sedere ad dexteram Patris quid significat, nisi germanitatem Filij, ac Deitatem Patris eamdem quoque esse, ac Deitatem Filij. Filius enim in regno Patris regnans in eodem solio cum Patre considet*, ait Athanas. orat. 2. contra Arianos. Athanasij sententiæ subscribunt S. S. Ambros. l. 2. de fide cap. 4. Damascenus l. 4. de fide c. 2. & alij.

521. Dico tertiò etiam secundùm humanam naturam dici Christum ad Dei dexteram sedere: quod bene probatur ex Psalm. 109. vbi dicitur: *Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis*: ibique sermonem esse de Christo, vt homine, docent SS. Athanas. lib. de salutari Christi aduentu, & Ambros. lib. 2. de fide cap. 4. August. lib. contra Arianos cap. 12. & alij. Secundo probatur ex Apostolo ad Ephes. 1. vbi dicitur: *Deus secundùm operationem potentiæ virtutis eius, quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cœlestibus.* Sicut autem Deus secundùm humanam naturam Christum à mortuis suscitauit; ita eumdem secundùm humanam naturam ad dexteram suam constituit. Hinc Chrysostomus homil. 3. in epist. ad Eph. explicans allata verba: *Constituens ad dexteram suam*, ait: *Hoc de eo, qui ex mortuis est excitatus; id quod admiratione dignum est: de Verbo siquidem Dei nequaquam.* Similiter Theodoretus

A in eadem verba: *Constituens ad dexteram suam in cœlestibus supra omnem Principatum, & Potestatem*, &c. ait: *Clarum est eum hæc omnia pertulisse tanquam de homine; ea enim de causa etiam admiratione ductus est. Quòd enim quà Deus est, vna cum Deo sedeat; & qui est filius vna cum Patre regnet, non est admirabile. Cum enim eadem sit natura, ei quoque potestatis coniuncta est societas. Quòd autem sumpta ex nobis natura eiusdem honoris cum eo, qui sumpsit, sit particeps; vt nulla videatur adorationis esse differentia; sed per naturam, quæ cernitur, quæ non cernitur adoretur Diuinitas; hoc verè omne miraculum superat.*

B 522. Christum, vt hominem sedere à dextris Dei apud Suarium supra citatum, *Aliqui dicunt significare propriam, ac peculiarem dignitatem, quæ ratione hypostaticæ vnionis Christo, vt homini conuenit; ratione cuius etiam ipsa humanitas coadoratur eadem adoratione, qua Deus colitur; vt exponit etiam Damascenus citato loco, & indicat Leo Papa serm. 1. de Ascens. dicens, naturam humanam ascendisse in Christo supra omnem altitudinem: neque vllis sublimitatibus modum suæ prouectionis habituram; nisi æterni Patris recepta consessu, illius gloriæ sociaretur in throno, cuius naturæ copulabatur in filio. Atque hæc similia refert ser. 2. Et eundem sensum significat Cyrillus Alexand. Epis. 1. ad Presbyteros, & Monachos solitariam vitam colentes.* Subdit ibidem Suarius: *Hæc procedunt de Christo, vt homine, quam expositionem supra etiam probauimus.* Contra hanc sententiam ex ipso Suario argui potest, qui eadem disp. sect. 3. initio ait: *Principio supponendum est articulum fidei esse Christum post ascensionem suam sedere ad dexteram Patris. Ita enim traditur in symbolis Apostolico, & Nyceno, & Athanasii; & in nouo testamento Marci vltimo: Assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei. Secundo, statuendum est, quòd licet sedere ad dexteram Dei possit sub aliqua ratione conuenire Verbo diuino in sola Diuinitate subsistenti; & consequenter idem dici possit per communicationem idiomatum de homine Christo; & hac ratione possit Christus dici post ascensionem sedere ad dexteram Dei; quia existit, & permanet verus, ac naturalis Dei filius; sicut dicitur post ascensionem suam omnia conseruare, regere, & gubernare. Licet hæc vera sint; tamen non sufficiunt ad omnia Scripturæ loca explicanda: sed oportet, vt de Christo homine vt sic, verum sit post ascensionem sedere ad dexteram Dei; ita vt hæc sessio conueniat illi in humanitate, & non tantùm in Diuinitate; atque adeo, vt non solùm verum sit Christum hominem; sed etiam inquantum hominem specificatiuè saltem sedere ad dexteram Dei. Quia cum duo illa coniunguntur: Ascendit, & sedit, satis significatur secundùm eam naturam sedere, secundùm quam ascendit*: nec prius vt hominem sedisse, quàm ascenderit: dicente Apostolo: *Suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cœlestibus*: vbi constitutio ad dexteram in cœlestibus consequi significatur ad suscitationem à mortuis. Cum ergo vnio hypostatica Christi cum Verbo non fuerit tantùm post eius resurrectionem, & in cœlum ascensionem, sed ab initio incarnationis; hinc est, vt sessio ad Dei dexteram vniuersaliter iuxta omnia Scripturæ loca de Christo, vt homine per hypostaticam vnionem bene explicari non possit.

Damascen. lib. 4. c. 2. de fide.

Hoc etiam notat Suarius loco citato n. 10.

523 Dico quarto in Scriptura sedere pro regnare accipi, vt 1. Reg. 2. *Suscitat de puluere egenum, & de stercore eleuat pauperem, vt sedeat cum*

Sedere interdum regnare significat.

Principibus & solium gloriæ teneat. Similiter 3. Reg. 5. *Salomon filius tuus regnabit post me, & ipse sedebit in solio meo.* Ideo Christum vt hominem sedere ad dexteram Dei significat Christum in cœlesti regno, vt supremum omnium Regem, & Iudicem à Deo constitui. Dextera enim locum præ aliis magis honorificum significat. Quamuis autem Christus suæ incarnationis initio, cum primùm diuino Verbo hypostaticè est vnitus, hoc supremum dominium habuerit; Thronum tamen in cœlesti regno præ aliis eminentiorem supremo ipsius dominio debitum post ascensionem in cœlum est consecutus. Ad quod significandum Marci vltimo de Christo dicitur: *Assumptus est in cœlum, & sedet a dextris Dei.* Porrò cum dicitur Christus ad Patris dexteram sedere, hoc est regnare; non hinc sequitur æterno Patri sinistram, hoc est ignobiliorem locum, seu dignitatem tribui: Dei enim dextera significat nobiliorem locum respectu Beatorum. Nam cum dextera primum locum, sinistra verò secundum significet; ideoque Ioannis, & Iacobi mater Do-
Matt. c. 20. 21. mino dixit: *Dic, vt sedeant hi duo filij mei vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo*: hinc est vt Christo Patris dextera tanquam primus locus; aliis verò beatis sinistra tanquam secundus locus tribuatur, & quamuis in cœlesti Hierarchia etiam beati aliqui ad Dei dexteram sedere dicantur; vt Beata Virgo, de qua dicitur iuxta Hugonem, & alios: *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate;*
Psalm. 44. nihilominus eos ad dexteram quidem, sed respectu Christi Domini in inferiori loco stare dicendum est.

Tunc Princeps Sacerdotum scidit vestimenta sua dicens: Blasphemauit: Quid adhuc egemus testibus? Ecce nunc audistis blasphemiam.

524. Solebant Iudæi in blasphemia, & simili atroci scelere æquè, ac in luctu scindere vestimenta à collo vsque ad pectus, vt tali scissione ostenderent internam displicentiam, & dolorem. Nunciata morte Saülis & Ionathæ *David*
2. Reg. c. 1. *apprehendens vestimenta sua scidit, omnesque viri, qui erant cum eo.* Audita Domini responsione, quam blasphemiam iniquè putabant; vna cum peruerso Pontifice suos asseclas vestimenta scidisse credendum est. Quàm bene his dici potuit: *Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.*
Ioëlis c. 2. 13 Cumque impij Sacerdotes vestimenta scidissent, bene etiam cum Bernardo dici potuit: *Sub pannis religionis inuenies cor peruersum.*
Bernar. ser. 2. de Quadrages.
525. Quare, vt blasphema Christi responsio habita sit, aliàs Iudæi dixerunt Christo obijcientes Ioann. 10. 33. *Quia tu homo cum sis, facis te ipsum Deum.* Cui calumniæ satis Dominus ibidem respondit. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite; vt cognoscatis, & credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre.*

At illi respondentes dixerunt: Reus est mortis.

526. Dominum præfigurans Dauid dixit:
1. Reg. c. 22. 22. *Ego sum reus omnium animarum.* Pro animabus omnibus reus Christus fuit, quia ani-
1. Petri c. 2. 24. marum omnium *peccata ipse pertulit in corpore suo.* Propterea Psalm. 21. dixit: *Longè à salute mea verba delictorum meorum.* Vbi ex Hieronymo sensus est: *Hoc, quòd salutem deprecor; quòd me conqueror derelictum, non ex persona propria loquor; sed ex populi, cuius peccata in meo corpore ipse suscepi.* Similiter iuxta Augustinum: *Longè factus es à salute mea, quoniam longè est à peccatoribus salus.* Psalm. 118. Peccatorum reatum pro humana redemptione Christus Dominus subiit, & delicta nostra sua delicta fecit. Impij tamen Iudæi ex proprio Christi demerito eum reum mortis esse dixerunt.

Tunc expuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt: alij autem palmas in faciem eius dederunt, dicentes: Prophetiza nobis, Christe, quis est qui te percussit.

527. Quòd in Christum non modico, sed longiori tempore in percussionibus, & ignominiis iterandis impij persecutores perdurauerunt, indicat S. Marcus dicens: *Cœperunt quidam conspuere in eum, & velare faciem eius, & colaphis eum cædere, & dicere ei: Prophetiza. Et ministri alapis eum cædebant.* Verbum enim illud, COEPERVNT, indicat percussiones, & ignominias non exiguo temporis interuallo cessasse. Præterea apud eumdem Marcum dicitur: *Adduxerunt Iesum ad summum Sacerdotem, & conuenerunt omnes Sacerdotes, & Scribæ, & Seniores, qui omnes condemnauerunt eum esse reum mortis: & cœperunt conspuere in eum, & colaphis eum cædere.* Sacerdotes Christum ceciderunt. Cumque postea addit: *Et ministri alapis eum cædebant*; indicat præter ministros ipsos Sacerdotes, & Scribas in Dominum sputis, & colaphis inuectos esse; nec eos puduisse ex Sacerdotali in impium satellitum munus demitti. Tunc quidem verum fuit Oseæ vaticinium: *Et erit sicut populus sic Sacerdos.* Oseæ c. 4. 9. Leuitis, seu Sacerdotibus, qui idololatras percusserunt Moses dixit Exodi 32. 29. *Consecrastis manus vestras Domino.* Contra verò impij Sacerdotibus, qui sacrilegè Dominum cæciderunt, dici bene potuit: *Profanastis & contaminastis manus vestras diabolo.*

528. *Expuerunt in faciem eius.* Apocalyps. 12. 15. *Misit serpens ex ore suo aquam tanquam flumen; & aperuit terra os suum, & absorbuit flumen, quod misit draco de ore suo.* Virulenta aqua, quam suo ex ore infernus draco expuit, terræ faciem contaminari Deus vetuit; ideoque terræ hiatu absorpta est. Contra verò sordidis, & virulentis sputis ex impiorum ministrorum ore effusis, cœlestem suam Dominus inquinari faciem passus est. Cumque caput demittendo incorta in faciem sputa declinare Dominus posset, à tam infami ignominia faciem auertere noluit: idque iuxta Isaiæ 50. vaticinium: *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meã non auerti ab increpantibus & conspuentibus in me.* Dñi genarum vulsionẽ, & barbæ depilationẽ, quarũ inter Domino inflictas pœnas, & ignominias Euangelistæ non meminerunt, Euangelicus Propheta Isaias referre non omisit. Fuit enim præter ingentem dolorem huiusmodi depilatio valde ignominiosa. Ad quam insignem ignominiam significandam Satyricus dixit: *Vellunt tibi barbam lasciui pueri.* Barbæ depilatio quã ignominiosa fuerit. Ideo teste Plutarcho in Theseo Alexander Macedo suos milites rasa barba militare voluit; fortè ne si ab hoste caperentur, depilatæ barbæ ignominiam incurrerent. Horatius ser. Satyra 1. *Marcus Papyrius Gallo barbam suam permul-* Liuius lib. 3. anno 365. 5.

Liuius lib. 5 anno 365.

centi scipionem eburneum in caput incussit. Christus Dominus barbam sibi non permulceri, sed velli passus est: nec talem ignominiam, quod quidem poterat, fulmine vindicauit. Vnà cum barbæ pilis, sacræ etiam cæsariei capillos impios ministros Domino euulsisse censendum est. *Capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Capillus de capite vestro non peribit*, suis fidelibus Dominus dixit. Nec nostro ex animo Domini capillus decidat, eos pro nostra redemptione euulsos memori meditatione cogitemus. De Absalomo 2. Reg. 14. dicitur: *Ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis*; hoc est eius capilli octoginta aureorum ponderi æquiualebant iuxta Abulensem: seu octoginta aureis vendebantur iuxta Salianum, & Sanchez. Domini autem capilli, pilique ab impiis ministris euulsi, licet in terram proiecti, adeo pretiosi fuerunt, vt ad cœlestium gratiarum margaritas comparandas, redempto humano generi abundè pro pretio esse potuerint. Hinc bene Augustinus ait: *In hac die fides prophetica annunciationis impleta, est dicentis: Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus. Suscepit mala nostra, vt tribueret bona sua. Agnosce, ô homo, quantum valeas, & quantum debeas: & dum tantam redemptionis tuæ perspicis dignitatem, ipse tibi indicito peccandi pudorem. Ecce pro impio pietas flagellatur; pro stulto sapientia illuditur; pro mendace veritas necatur; damnatur iustitia pro iniquo; misericordia affligitur pro crudeli; pro misero repletur sinceritas aceto; inebriatur felle dulcedo; addicitur innocentia pro reo; moritur vita pro mortuo.*

Luc. 12. 7. & 21. 18.

Absalomi, & Christi comæ cōparatio.

August. ser. 114. de tp. in append. ser. 41.

529. Cum Iob Christum Dominum præfiguraret, vt figurato figura omnino responderet, etiam à vilibus hominibus sputorum ignominiã subiit. Ideo cap. 30. ait: *Faciem meam conspuere non verentur.* Vbi Theophanes Nicænus ait: *Serui abiecti, & viles, illudentes, & deridentes, conspuentesque in Iob, calamitates ei exprobrare assiduè non desistebant.* Ioan. 9. Dominus *expuit in terram*, & inde cæcum illuminauit. Impii Iudæorum ministri in cœlestem Domini faciem expuentes ita sunt excæcati, vt admirandam Domini mansuetudinem, quæ feras delinire potuisset, non viderint. Sacrilegi satellites illius faciem conspuere ausi sunt, *cui Angeli seruiunt; cuius pulchritudinem sol, & luna mirantur; cuius odore reuiuiscunt mortui; cuius tactu sanantur infirmi.* Veteres si in contagioso morbo laborantem per viam forte incurrissent, ad contagium repellendum contra ægrum spuere consueuerunt. Hinc Plinius ait: *Despuimus comitiales morbos, hoc est contagia regerimus.* Impii autem ministri Dominum non corporis contagium, sed animæ salutem afflantem scelestissimè conspuerunt. Sed cur tunc sacras, limpidasque Iordanis aquas; cur *aquas omnes, quæ super cœlos sunt*, ad fœtidas sputorum sordes in Domini facie abluendas Angelorum ministerium non exhibuit? Id certè ingens Domini opprobriis se saturandi cupiditas vetuit.

Theophanes ep. 2. de patientia.

S. Agnes apud S. Ambr ep. 34

Sputo Veteres contagia arceri putabant.

Plinius lib. 28. c. 4.

Daniel. 3.

530. In Mosaica lege cum quis defuncti fratris vxorem nollet accipere, præcipiebatur Deut. 25. 9. *Accedet mulier ad eum, spuetque in faciem illius.* Dominus autem Israelitæ genti dixit Os. 2. 20. *Sponsabo te mihi in iustitia, & iudicio, & in misericordia, & in miserationibus: & sponsabo te mihi in fide.* Similiter cum in amantissimi sponsi faciē impia gens Hebræa cōspuerit, tali impietate se cœlestis spōsi nuptiis renūciare ostēdit.

Mulier defuncti viri à fratre in cōiugem non admissa, in eius faciem spuebat.

531. Dominus Mosi de eius sorore dixit: *Si pater eius spuisset in faciem illius, nonne debuisset septem saltem diebus rubore suffundi?* S. Bernardus in illis Cant. verbis: *Videte regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua;* Salomonis nomine Christum Dominum, matris nomine Iudæorum Synagogam intelligit; diademate vero spineam coronam significari docet. Cum Iudæorum Synagoga, nouerca potius, quàm mater in Domini faciem conspuisset, ob tam opprobriosam ignominiam tanto rubore suffusus est Dominus; vt verè æterno Patri dicere potuerit iuxta Arnobium, aliosque sacros interpretes: *Propter te sustinui opprobrium; operuit confusio faciem meam. Natura pudore tacta*, ait Macrobius, *sanguinem ante se pro velamento diffundit, & obtendit: solentque, qui erubuerunt, manum sibi ante faciem opponere propter opprobrium, & dedecus.* Christus Dominus opprobrio, & dedecore affectus, faciem quidem sanguineo rubore suffudit; manum autem ante faciem non opposuit; nam *illius innocuas arcebant vincula palmas.* De peccatoribus Dauid dixit Psalm. 82. 17. *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum, Domine.* Redemptor noster, vt pœnitentes peccatores Deum quærerent, animæque salutem consequerentur, suam ipse faciem sputorum ignominia impleri voluit. Hinc bene Christo Domino dicere possumus: *Domine Deus virtutum conuerte nos; ostende faciem tuam, & salui erimus.* Faciem tuam, Redemptor noster, tua in passione ignominiosè pro nobis inquinatam æterno Patri ostende, & salui erimus. Tua enim ignominia humano generi cœlestem gloriam comparasti.

Num. 12. 14

S. Bernard. ser. 2. de Epiphania.

Cant. 3. 11.

Psal. 68. 8.

Pudore affecti facies cur rubore suffunditur.

Macrobius lib. 7. c. 11.

Psalm. 79.

532. Teste Laërtio Aristippus philosophus *conspurus à Dionysio Tyranno æquo animo tulit: & cum quidam eam ei ignominiam exprobraret: Piscatores, ait, vt Gobium*, piscis genus, *capiant, non ægre ferunt à mari aspergi: & ego, vt balenam capiam, non patiar oris illius excrementis aspergi?* Habacuc cap. 1. Deo dicitur: *Facies homines quasi pisces maris.* Ad hos è medio mundi pelago capiendos pisces Dominus sub humana carne venit: ideo multò melius, quàm Aristippus, vt humanæ saluti consuleret, æquo animo tulit, cum impiorum sputis aspergeretur. *Sic inter sputamenta, & colaphos, & reliqua ludibria de impietate, & malitia suauitas, pietasque Christi triumphat*, ait Cyprian. orat. de Christi pass.

Aristippus à Dionysio conspurus quid dixit.

533. Quàm iniustè aduersus Mosem, & Aaronem, qui Dei iussu ad Israëlitas ab Ægyptia seruitute liberandos venerant, ipsi Israëlitæ conquesti sunt dicentes: *Fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone.* Christus Dominus patientissimè sustinuit, nec vllo pacto conquestus est, quòd eum conspuendo fragrantissimum, cœlestemque ipsius odorem, veluti fœtidum Iudæi abhorrere visi sint. *Eius rei, quam conspuimus, odorem nobis fœtere significamus*, ait Rupertus. Cœlestis ergo piarum animarum sponsus, eximius, *Flos campi, & lilium conuallium;* quem fidelis anima precatur: *Trahe me; post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum;* is ab impiis Iudæorum naribus, vt fœtidus reprobatur. Caueant peccatores, ne cum Ægypti cæpe, & allia veluti odorifera habeant; hoc est, terrenis voluptatibus auidè capiantur, ipsis cœlestis odor fœteat sanctitatis.

Exodi c. 5. 21

Fœtida cōspui solent.

Rupertus in Matth. c. 26.

Cant. 2.

Cant. 1.

534. Chrysostomus homil. 83. in Matth. bene monet: *Cogita quantùm aduersus proditorem indignaris; & contra eos, qui illum crucifixe-*

runt: considera, ne tu quoque sis reus corporis, & sanguinis Christi. Similiter dicere possumus: Cogita quantùm aduersus eos, qui Christum conspuerunt, indignaris: considera, ne tu quoque eos impiè imiteris. Augustinus q. Euang. lib. 1. cap. 44. ait: *Quod dictum est, expuerunt in faciem eius, significauit eos, qui præsentiam gratiæ eius respuunt. Item tanquam colaphis eum cædunt, qui et honores suos præferunt; palmas in faciem eius dant, qui perfidia cæcati eum non venisse affirmant, tanquam præsentiam eius exterminantes, & repellentes.* Secundo cum Dominus dixerit: *Quamdiu fecistis vni ex fratribus meis minimis, mihi fecistis:* iuxta Gregorium *Christi faciem conspuere est, non tantùm in absentia bonis detrahere; sed vnumquemque iustum etiam in præsentia confutare. Quos tunc praui, dum aperte irridendo despiciunt, in eorum contumelias fluxa verba, quasi defluentes salinas emittunt.* Tertio quia hominem Deus ad imaginem, & similitudinem suam creauit, qui seipsum vanis cogitationibus, vel operibus, quæ quidem sputis sordidiora sunt, inquinat; tanquam in Domini faciem conspuerit, existimatur. In Ecclesiasticis historiis legimus S. Felicem martyrem ad idola primò Serapidis, secundò Mercurij, tertiò Dianæ, veneranda adductum, cum ea conspuisset, ad terram prostrasse Vt in Dominum iacta sputa vindicemus, hoc S. Martyris inuictæ constantiæ, eximiæq; virtutis exemplum nobis imitandum proponitur: scilicet vt superbiæ, auaritiæ, lasciuiæque vitia detestantes eaque veluti mundi idola conspuentes, & ad terram prosternentes abominemur.

Christi faciem quinā conspuunt, & cædunt.

Matth. 25. Greg. 20. Moral. c. 18.

Surius 3. Augusti. S. Felix sputo Idola prostrauit.

535. Præter sputorum ignominiam, increpationes etiam impij ministri addiderunt iuxta allatum Isaiæ vaticinium: *Faciem meam non auerti ab increpantibus.* Increpare est magno oris strepitu aliquem obiurgare. Impij ergo ministri, aliique astantes Iudæi Dominum increpantes ei obijciebant: *Promittis te scientiam Dei habere; filium Dei te nominas, & gloriaris Patrem te habere Deum. Videamus si sermones tui veri sint: & si es verè filius Dei, liberet te de manibus nostris.* Tu, qui in templo flagellum in alios vibrare ausus es, nostros nunc ictus experire. Qui Prophetam te iactabas, cur in nostras manus te venturum non præuidisti? Alios saluos facere si poteras, cur te nostris è manibus eripiendo saluum facere nequis? Qui dixisti: *Ego sum lux mundi,* subeas nūc meriti cruciatus eclipsim. Qui sabbatum, hoc est sancti diei quietem violabas; cruci mox affigendus tandem quiescere disces. *Et alia multa blasphemantes dicebant in eum.* Huiusmodi exprobrationes, & increpationes quanta ignominia, & dolore Dominum affecerint, ex eo patet, quòd talium exprobrantium, & increpantium linguas Dominus lanceas appellarit: *Insurrexerunt in me viri iniqui: Non pepercerunt in faciem meam spuere, & lanceis suis vulnerauerunt me.* Sed cùm pro humana salute Dominus dixerit: *Faciem meam non auerti ab increpantibus;* caueant peccatores ne de ipsis impœnitentibus extremi iudicij die dicatur: *Ab increpatione vultus tui peribunt. Pereant peccatores à facie Dei.* Ps. 79. 17. Ps. 67. 3.

Increpare quid significet. Isaia 50.

Sap. cap. 2. Exprobrationes à Iudæis in Christum plurimæ.

Ioan c. 8. 12

Lucæ 22. 65.

536. *Et colaphis eum ceciderunt:* hoc est ad validiorem, magisque dolorificum ictum complicata manu pugnis Dominum percusserunt. 2. ad Cor. cap. 12. Apostolus ait: *Datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet.* Ab Angelo Satanæ ministro colaphi Paulo inflicti, eius gloriam indicabant: ideo

Christum inter, & Paulum colaphizatos cōparatio.

A enim sibi à dæmone infligi colaphos ait: *Ne magnitudo reuelationum extollat me.* Cum Dominus inani gloria extolli non posset, ei ab impiis ministris tantùm ad ignominiam, doloremque incutiendum colaphi infligebantur. Præterea vnus Satanæ minister Paulum colaphizabat: Dominum verò plures & Satanæ, & Pontificis ministri colaphis cædebant. Apostolo inflicti colaphi inuisibiles erant: Domino autem impresso liuoris signo visibilem colaphi ignominiam augebant. Colaphis cædi Dominus voluit, vt quid suis ministris tolerandum esset præuidens, iis exemplo præluceret. Nam de se, aliisque piis fidelibus Apostolus 1. ad Cor. ait: *Esurimus, &*
B *sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur.*

537. *Alij autem palmas in faciem eius dederunt:* Cum paulò ante coram Pontifice ab impio ministro ferrata manu Domini facies percussa fuisset; alios deinde ministros palmis eamdem Domini faciem cædentes, inde sanguinem extraxisse dicendum est: ita, vt verè iis Isaiæ 59. 3. dictum sit: *Manus vestræ pollutæ sunt sanguine.* De his priori faciei percussioni superadditis alapis Dominus dixit: *Super dolorem vulnerum meorum addiderunt:* Et Iob 16. 15. *Concidit me vulnere super vulnus:* Et Ieremiæ 8. 18. *Dolor meus super dolorem* De his etiam alapis sub Iobi figura Dominus dixit: *Aperuerunt super me ora sua; & exprobrantes percusserunt maxillam meam.* Ho-
C rum iniquorum in Dominum exprobratio fuit, quòd se Prophetam esse iactauerit; vt ex sequentibus verbis patet.

Ps. 68. 27.

Iob 16.

538. *Dicentes, prophetiza nobis, Christe, quis est, qui te percussit?* Quamuis Dominus ad patientiam deiectis in terram oculis, & defluentibus sputis, & sanguine, impios percussores ne videret, impediretur; adhuc tamen ad ludibrium sordido linteo *velauerunt eum, & percutiebant faciem eius, dicentes: Prophetiza nobis, quis est, qui te percussit?* Hoc scilicet modo probare volentes Dominum percussoris nescium pseudoprophetam esse. De sanctissimo suo filio Deipara Sanctæ Brigittæ reuelauit: *Oculi eius tam puri*
D *erant, quòd etiam inimici eius delectabuntur eum aspicere.* Idem tamen Dominus in tale postea ludibrium deuenit, vt eius inimici beatos illos oculos non aspicere, sed ad irrisionem velare delectati sint. Interrogantibus impiis ministris: *Quis est, qui te percussit?* Quamuis tacuerit Dominus, respondere certè potuisset: *Nescio vos:* non quidem quòd eos ignoraret; sed quòd vt impiissimos reprobaret. Nescire enim reprobare est; quandoquidem reprobati ob peccatum tanquam *ad nihilum redacti* extra Dei amicam, & beneficam cognitionem esse reputantur. *Nouit Dominus qui sunt eius; & qui ignorat ignorabitur,* ait cum Apostolo S. Hieronymus. Hinc Pro-
E pheta Habacuc cap. 1. 13. Deo ait: *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum; & respicere ad iniquitatem non poteris.* Vbi de Deo Propheta humano modo loquitur. Homines enim ab iis, quæ ingrata sunt, quæque auersantur, & reprobant, oculos auertunt, eaque videre refugiunt. Sed interroganti: *Quis est, qui te percussit?* tacente Domino respondere possumus: Qui Dominum percussit, minister est diaboli; Gehennæ monstrum, Iudaicæ impietatis assecla, mundi pestis, creaturarum omnium abominatio. Propheta Isaias Dominum præfigurans dixit: *Posui faciem meam vt petram durissimam.* Similiter Ezechieli sub eadem Domini figura Deus dixit: *Vt silicem dedi faciem tuam.* Petra, seu silex iuxta Apostolo-

Christi oculorum pulchritudo. Lucæ 22. 64

S. Brigittæ l. 4. c. 70.

Lucæ 13. 27

Psal 14. 4. Psal 57. 8. Psal 72. 28. Nescire interdum reprobare significat. Hieronym. in Matth. 25. 12. Apost. ep. 2. ad Tim. c. 2. 19 & ep 1. ad Cor cap. 14. 38.

Isaia 50 7. Ezech 3 9. 1. ad Cor. c. 10.

lum Dominum præfigurans, Mosis virga bis icta ad Israëlitarum sitim explendam aquas largissimè profudit. Domini facies non bis, sed sæpius alapis, colaphisque percussa sanguinem fudit: inde tamen scelerata Iudæorum sitis extincta non est; sed vlterius Domini sanguinem sitientes clamarunt: *Sanguis eius super nos, & super filios nostros.* Matth. 27. 25.

Et velauerunt eum, & percutiebant faciem eius. Lucæ 22. 64.

539. QVòd impij Iudæi Domini oculos, faciemque velauerint, & percusserint, meritum supplicium subierunt, quod Ps. 68. 24. prædicitur: *Obscurentur oculi eorum*: ideoque obstinati Euangelicæ veritatis lumen non viderunt. Cumque Domini faciem abscondermt, extremi iudicij die *dicent montibus, & petris*: *Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum*; quod certè non consequentur. Et ante extremi iudicij diem, ex eo quòd Dominum impiè vexauerint, & illuserint; iustè de eis à Deo prædictum est Ierem. 24. *Dabo vos in vexationem, afflictionemque omnibus regnis terræ, in opprobrium, & in parabolam, & in prouerbium, & in maledictionem in vniuersis locis, ad quæ eieci vos.*

Iudæorum supplicium.

Apoc. c. 6. 16.

540. Isaiæ 6. de Seraphinis ad Domini thronum adstantibus dicitur: *Sex alæ vni, & sex alæ alteri. Duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant.* Ex Hebræo legit sanctus Chrysostomus, & alij: *Duabus velabant facies suas, & duabus velabant pedes suos. Dominus in eo throno assidens, haud dubium quin Christum significet.* ait Hieronymus. Seraphini ergo suas facies, pedesque velando, Dominum velasse dicuntur; cum eius aspectum sibi absconderent; in eumque ob reuerentiam obtutum figere non auderent. E contrario impij Iudæi ad ignominiam, & sæuitiem ipsam Domini faciem velarunt; ne cum eum percuterent, à Domino aspicerentur. Caueamus nos, ne impios Iudæos imitantes, Domini conspectui peccatorum obicem opponamus. *Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos, & Deum vestrum; & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis, ne exaudiret*, ait Isaias 59. & Ieremiæ Thren. 3. 44. dicitur: *Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio.* Caliginosæ enim veluti nubes peccata sunt, quæ diuini Solis beneficos radios peccatoribus tegunt.

Chrysost. hom. 4 in hanc visionem Isaiæ.

Iudæi Anti seraphini.

541. *Velauerunt eum, & percutiebant faciem eius.* Ad Christi Domini innocentiam, acerbissimamque passionem testandam *velum templi scissum est in duas partes à summo vsque deorsum.* Si quæratur, cur similiter velum Domini faciem operiens non est scissum? Respondetur velum illud fuisse ad Dei cultum adhibitum; hoc autem ad Dei filij ignominiam. Dominus ergo, qui opprobriis saturari voluit, quod ad ignominiam erat, scindi velum noluit. Præterea vaticinium illud impleri Dominus voluit Deut. 32. 20. *Abscondam faciem meam ab eis*: Et Isaiæ 53. *Quasi absconditus vultus eius.* Vbi Domini vultus non absolutè absconditus, sed quasi absconditus dicitur: quamuis enim impiis ministris absconderetur, adstantibus tamen sanctis Angelis, illumque admirantibus, humillimeque venerantibus sanctissimus Christi vultus non abscondebatur.

Cur sicut tēpli velum scissum est, velum Domini faciē tegens non est scissum.

Matt. c. 27 51.

Christi vultus cur quasi absconditus dicatur: hic, & seq.

542. Secundò, quia ad mortem damnatis facies tegebatur, vt Esther 7. Amano suspendendo *statim operuerunt faciem eius*: & apud Romanum historicum dicitur: *I, lictor, colliga manus, caput obnube*: Ideo Dominus sanctissimam suam faciem velum operiens scindi noluit; illudque vt diu concupitæ mortis gratissimum prænuncium libentissime admisit. Tertiò, velo abscondi Dominus sibi faciem noluit, vt nostræ faciei ex peccato confusionem auferret; & vt primorum parentum temeritatem expiaret; qui à Dei facie se abscondere præsumpserunt: *Abscondit se Adam, & vxor eius a facie Domini Dei in medio ligni paradisi.* Hinc bene apud Hieronymum dicitur: *Opprobria eius nostra abstulere opprobria: vincula eius nos liberos fecerunt: corona spinea capitis eius, diadema regni adepti sumus: vulneribus eius sumus sanati: sepultura eius resurgimus: descensione eius ad inferos nos ascendimus ad cælos.*

Facies ad mortē damnatis tegebatur.

Liuius Decade 1. l. 1.

Gen. c. 3. 8.

Apud Hieronymum in Matt. c. 14.

543. S. Augustinus t. 6. Orat. contra Iudæos, Paganos & Arianos c. 16. Sibyllæ hæc carmina de Domini opprobriis, & cruciatibus refert.

In manus impias infidelium postea veniet.
Dabunt Deo alapas manibus incestis:
Et oribus immundis expuent saliuas venenosas.
Dabit autem in verbera omnino innocens dorsum:
Et colaphos accipiens tacebit; ne quis agnoscat
Quod verbum, & vnde venit, vt mortuis loquatur.
Et coronam portabit spineam.
In cibum autem fel, & ad sitim acetum dabunt.
Inhospitalitatis hanc monstrabunt mensam.
Ipsa enim stulta Deum tuum non cognouisti.
Ludentem mortalibus mentibus, & spinis
Coronasti corona, horridumque fel miscuisti.
Templi verò velum scindetur; & die
Medio nox tenebrosa nimis tribus horis.
Et mortis fatum finiet trium dierum somno suscepto.
Et tunc e morte regressus in lucem veniet:
Primus resurrectionis initium reuocatus ostendet.

Sibyllę carmina prædicēria Domini cruciatus, & opprobria.

Vide præterea dicta fer. 4. Dom. 2. Quadrages. in illa Domini verba: *Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum*, &c.

Petrus verò sedebat foris in atrio, & accessit ad eum vna ancilla dicens: Et tu cum Iesu Galilæo eras?

544. ANcillam hanc, quæ Petrum interrogauit, *ostiariam*, hoc est ostij custodem fuisse Ioannes ait: & ex Græco textu ad infirmiorem eius ætatem indicandam, ancillula dicitur. *Bona domus ex ipso vestibulo debet agnosci*, ait Ambrosius. Qualis ergo esset iniqui huius Pontificis domus, unde patet, quòd ostij custodiam nocturno tempore ancillulæ crediderit. Quam malè autem mulierculæ ostij custodia credita fuerit, ex Eua humani generis parente constat; quæ prima diabolo ad humanum genus perdendum aditum reserauit. Ancillam hanc censet Cornelius non tam interrogando, quàm asserendo dixisse: *Et tu cum Iesu Galilæo eras.* Sed verius interrogando hoc dixisse censendum est; vt Matthæus cum Ioanne concordet; apud quem ancilla dixisse scribitur: *Numquid & tu ex discipulis es hominis istius?*

Ambros. l. 2 de Virgin.

Caiphæ domus qualis fuerit ex ostiariæ ancillulæ custodia colligitur. Idem n. 552.

At ille

At ille negauit coram omnibus dicens: Neſcio quid dicis?

545. VT quàm turpis fuerit hæc Petri negatio oſtenderetur, bene Ioannes ab oſtiaria ancilla eum interrogatum fuiſſe ſcripſit. Petrus enim Cœleſtis Regni oſtiarius conſtitutus ex Domini verbis Matth. 16. 19. *Tibi dabo claues Regni cælorum*; turpiſſimè ab infamis domus oſtiaria formidine proſtratus eſt. Sancta Brigitta, cum ad obtinendam memoriam ſanctum Petrum precata eſſet, reſpondit Apoſtolus: *Quod rogas me dare tibi memoriam, reſpondeo tibi: Numquid non audiſti, quia obliuioſus ego fui? Ego quippe plenè inſtructus viam Dei, iuramento obligaui me ad ſtandum, & moriendum cum Deo: ſed interrogatus ad verbum vnius mulieris negaui veritatem; & quare? Quia reliquit me Deus mihi ipſi; & ego ipſe meipſum non cognoſcebam. Sed quid feci ego tunc? tunc certè conſideraui me ipſum, quòd nihil eram ex me; & ſurrexi, & cucurri ad veritatem Deum; qui tantum memoriæ nominis ſui impreſſit cordi meo; quòd nec coram tyranno, nec inter flagella, ſeu in morte poteràm eum obliuiſci. Sic ergo fac & tu.* Cum Dominum negando Petrus obliuioſum ſe fuiſſe dixerit; verè hinc Dominus dicere potuit: *Obliuioni datus ſum tanquam mortuus a corde.* Pſal. 30. 13.

Petrus cœli oſtiarius conſtitutus ab oſtiaria ancilla deuictus.
Petrus obliuioſum ſe fatetur.
S. Brigitta l. 4. c. 5.

Exeunte illo ianuam, vidit eum alia ancilla; & ait his, qui erant ibi: Et hic erat cum Ieſu Nazareno.

546. EXiit extra atrii ianuã Petrus id bono Angelo ſuggerente; ne iterum in negandi culpam incideret. Simulare autem non potuit ſe exire ſtudio captandi noui, liberique aëris, vt Cornelius ait: talis enim ſimulatio fidem non inueniſſet; cum hyemali, & nocturno tempore ex igne vbi ſe calefaciebat, Petrus ad frigidiorem aërem captandum exiiſſe probabiliter non videretur. Cum ſecunda ancilla aſtantibus dixiſſet: *Et hic erat cum Ieſu Nazareno*; alius ibi adſtans, vt refert Lucas, *Videns eum, dixit: Et tu de illis es.* Eamdem interrogationem Petro factam, non vni, ſed pluribus tribuit Ioannes dicens: *Erat Simon Petrus ſtans, & calefaciens ſe; dixerunt ergo ei: Numquid & tu ex diſcipulis eius es?* Ideo dicendum eſt poſt ancillæ verba, vnum interrogare Petrum cœpiſſe, & alios deinde idem interrogando ſubſecutos eſſe. Sed cum ex ſecundæ huius ancillæ verbis talis ab adſtantibus interrogatio facta fuit Petro calefacienti ſe ad ignem iuxta Ioannem; cur à Matthæo dicitur: *Exeunte Petro ianuam, ancilla ait his, qui erant ibi: Et hic erat cum Ieſu Nazareno?* Reſpondetur ex Auguſtino Petrum ad fugæ ſuſpicionem vitandam poſt exitum è ianua, iterum in atrium rediiſſe. Quò vtinam reuerſus non eſſet; regreſſus enim in abominabile illud Pontificis atrium, illi iterum, atque iterum ad Dominum negandum regreſſus fuit. Quàm verè Dominus dixit: *Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro aptus eſt regno Dei!* In Reuelationibus S. Brigittæ Petrus ei dixiſſe legitur: *Tu filia comparaſti me aratro, quod facit ſulcos latos, & extirpat radices. Hoc vtique verum fuit.* Cum ergo ad extirpandam Dominum negandi infidelitatem, manum ad aratrum poſuiſſet Petrus, reſpiciens retro, iterum in Pontificis atrium redeundo, ſe vtique Dei regno ineptum oſtendit. Retro reſpiciens vxor Lot, in ſalis ſtatuam conuerſa eſt; cum retro Petrus reſpexiſſet, inde in lacrymarum fontem conuerſus poſtea dici potuit.

Lucæ 22. 58
Ioann. c. 18. 25.
Auguſt. l. 3. de conſenſu Euang. c. 6.
Lucæ 9. 62.
Petrus Apoſtolus cur aratro ſimilis.
S. Brigitta l. 4. c. 5.
Vxor Lot, & Petrus Apoſtolus retro reſpicientes ſimul cõparantur.
Geneſ. c. 19. 26.

547. Ne in Pontificis peſtilens atrium rediret Petrus, meminiſſe debuerat ipſos iuſtos iniquorum ſocietate peruerti. *Cum ſancto ſanctus eris; & cum viro innocente innocens eris; & cum electo electus eris; & cum peruerſo peruerteris*, dicitur Pſalm. 17. Vbi Euthymius ait: *Eſt ſermo hic documentis plenus, & in vniuerſum ad omnes pertinet, & ſenſus eſt: Quòd qualis quiſque ille fuerit, cum quo tu habitas, ſeu verſaris, talis & tu efficieris; in illius nimirum habitum, & naturam immutatus.* Ibidem, *Ex conuictu ſæpe mores formantur.* ait Hugo. Hinc Apoſt. ad Corinth. epiſt. 1. 15. 33. fideles monet: *Nolite ſeduci: corrumpunt bonos mores colloquia praua.* De mala muliere Eccli. 9. 11. dicitur: *Colloquium illius quaſi ignis exardeſcit.* In noxium hunc ignem incidit Petrus, cum ad atrij ignem, vt ſe calefaceret, rediit. De iniquis ait Apoſtolus 2. ad Timoth. cap. 2. *Sermo eorum, vt cancer ſerpit*, ſeu *vt gangrana*, vt eſt in Græco textu. Gangræna enim morbi genus ſemper vlterius vicinas corporis partes inficit, & depaſcit. Profectò gangrænæ inſtar fuit iniquæ ancillæ ſermo; cum vlterius in adſtantium aures ſerpens, prius vnum, deinde plures ad Petrum interrogandum, & hinc eundem Petrum ad Dominum negandum impulerit. Ad iniquorum ſocietatem vitandam Deus præcepit Deuteron. 7. *Cum introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, quam poſſeſſurus ingredieris, & deleueris gentes multas, tradideritque eas tibi; percuties eas vſque ad internecionem. Non inibis cum eis fœdus; neque ſociabis cum eis coniugia: filiam tuam non dabis filio eius, nec filiam illius accipies filio tuo; quia ſeducet filium tuum ne ſequatur me.*

Peccatorũ ſocietas vitanda: hic, & ſeqq.
Sermo malus gangrænæ ſimilis.

548. Præterea Eccli. 13. dicitur; *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea: & qui communicauerit ſuperbo, induet ſuperbiam.* Seu, vt legit Syrus: *Qui communicat iniquo, induet mores eius.* Ideo bene Hieronymus epiſt. 7. ait: *Procliuis eſt malorum imitatio; & quorum virtutes aſſequi nequis, citò imitaris vitia.* Ideo monet Cyprianus lib. de ſpectac. *Oculi noſtri, & aures cuſtodienda ſunt. Citò enim in hoc aſſueſcimus, quod audimus ſcelere. Etenim vitiorum exempla oppugnant animum, impellunt, immutant, transformant. Miraculo erit inter incendia vel non conſumi, vel non incaleſcere.* Similiter Nazianzenus ait: *Si frequens ſis cum malis, eris malus.* Bernardus ſerm. 82. in Cantic. De frequenti animæ circa tranſitoria appetitu ait: *Cur non quæ immortalis facta eſt, ſimilia ſibi immortalia appetit, & æterna; vt quod eſt appareat; & quod facta eſt viuat? Ceterùm contraria ſapit, & quærit; & mortalibus ſeſe degeneri conuerſatione conformans, immortalitatis candorem quodam mortifera conſuetudinis picco colore denigrat. Quidni mortalium appetitus immortalem mortali ſimilem, immortali diſſimilem faciat? Qui tangit picem, ait Sapiens, inquinabitur ab ea. Fouendo mortalibus, mortalitatem ſe induit; & veſtem immortalitatis incidente mortis ſimilitudine, decolorauit, non exuit. Euam attende, quomodo eius anima immortalis, immortalitati ſuæ gloriæ fucum mortalitatis innexit; mortalia vtique affectando. Vt quid enim cum immortalis eſſet, mortalia non contempſit, & tranſitoria; contenta ſibi ſimilibus, immortalibus,*

Exemplum prauum quàm noxium.
Nazianz. in tetraſtib.

Genes. 3.6

Peccata vt fugias, fuge peccator.

& æternis? Vidit lignum, quòd esset pulchrum, & aspectu delectabile, & suaue ad vescendum. A Hinc Eua præuaricata est; sed præuaricata certè non esset, si viso inferno serpente, eius statim propinquitati, & colloquio se subtraxisset. Ideo benè monet Sapiens: *Quasi à facie colubri fuge peccata; & si accesseris ad illa, suscipient te.* Vt autem peccata fugias, fugias peccatorem. Perpendit primò verba illa Chrysostomus: *Si accesseris ad illa: Peccatum ad nos non accedit, sed nos ad illud transfugimus.* Perpendunt secundo sacri Interpretes, non dici à colubro, sed *quasi à facie colubri fuge peccatum*; vt significetur non tantum à colubro, id est peccato, sed à colubri facie, id est ab omni peccati occasione, & prima apparitione esse fugiendum. B *Nonne anima plus est, quàm corpus?* Vt corpori caueamus, viso serpente statim aufugimus: Cur non vt animæ saluti consulamus, cognita peccati occasione, non citissimè auolamus.

Eccli. 21.

Chrysost. hom. 8 in ep. ad Rom.

Matt. 6 25.

549. Allatis Sanctissimorum Patrum sententiis de noxia iniquorum consuetudine, Ethnicorum sententiæ consonant. Ex Aristot. probl. sect. 7. quæst. 4. habetur, ex lipporum oculis proximorum oculos lippos etiam reddi. Ideo ad indicandam vitiosorum propinquitatem noxiam esse, Ouidius ait:

Lippi lippos reddũt.

C

Dum spectant oculi læsos, læduntur & ipsi:
Multaque corporibus transitione nocent.
Multa (addas) *animis transitione nocent.*

Petrus cum de Domino dixerit: *Non noui hominem*; profectò ex iniquorum consortio mentis lippitudinem contraxerat; quam tamen postea pœnitens lacrymis oculorum abstersit. Plutarchus libro de instituendis liberis ait: *Si iuxta claudum habites, subclaudicare disces.* Idem tractat. de discrimine amici, & adulatoris ait: *Platonis imitatos memorant asseclas eius contractos humeros; Aristotelis balbutiem; Alexandri Regis ceruicem inflexam, & vocis in sermocinando asperitatem.* D Seneca libro tertio de ira, ait: *Sumuntur à conuersantibus mores: & vt quædam in contactu corporis vitia transiliunt; ita animus mala sua proximis tradit. Ebriosus conuictores in amorem vini traxit. Impudicorum cœtus fortem & si liceat virum emollit. Auaritia in proximos virus suum transtulit.*

Petrus mẽtis lippitudinẽ lacrymis abstersit.

550. Sed relictis Ethnicis, quid Petro Apostolo, de quo agimus, contigerit Act. 10. videamus: *Vidit cœlum apertum, & discendens vas quoddam, velut linteum magnum; in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cœli. Et facta est vox ad eum: Surge, Petre, occide, & manduca: ait autem Petrus: Absit, Domine, quia nunquam manducaui omne commune, & immundum.* Origenes hom. 2. in caput 2. Genes. & Hier. in Ezech. c. 38. asserunt in hoc E linteo fuisse animalium genera tam munda, quam immunda. Cum ergo Petrus mundorum animalium comestione Domini mandatum exequi se posse censere debuisset, cur renuendo dixit: *Absit Domine; nunquam manducaui omne commune, & immundum?* Respondetur Petrum censuisse ex immundorum animalium commixtione ipsa munda animalia immunda fuisse reddita. Adeo verum est, ne mundities in immunditiem transeat, proximam immunditiem esse vitandam. Vide præterea dicta fer. 2. maioris heb. n. 5. in illa Domini verba: *Quod facis, fac citius.*

Et iterum negauit cum iuramento, quia non noui hominem.

551. Tam prima, quàm secunda hæc Petri negatio ex ancillarum verbis prouenit. *Iste sexus peccare in nece Domini visus est*, ait Rabanus: idemque sexus mundi initio primus in humani generis perniciem peccauit. Addit Chrysostomus. *Per mulierem Dauid innocentem occidit, dum hostibus præsentauit. Mulier sapientissimum Salomonem in præuaricationis sacrilegium præcipitauit. Mulier fortissimum Sampsonem vicit, & victum excæcauit. Mulier castissimum Iosephum vinculis alligatum in carcerem misit. Mulier Ioannem totius mundi caput, capite truncauit. Mulier omnes prostrauit; omnes iugulat, omnes occidit, omnes elidit. Quid est mulier, nisi amicitiæ inimica, ineffugabilis pœna, necessarium malum, naturalis tentatio, desiderabilis calamitas, domesticum periculum, delectabile detrimentum, mali natura boni colore depicta.* Chrysostomo consonat Anastasius Synaita. *Quid est mulier, nisi in terra naufragium, fons sceleris, thesaurus cædium, lethalis occursus, pernicies, sceptrum inferorum, præceps desiderium? Quid mulier? Sanctorum calumnia, quies serpentis, diaboli solatium, ægritudo inconsolabilis, fornax succensa, eorum, qui seruantur, scandalum, vitium immedicabile, diurnæ nugæ, prodigorum hospitium, officina dæmonum. Quid mulier? Amatorium medicamentum, impudens fera, inexpugnabilis impetus appensio, os effrænatum, triumphus mysteriorum, dux tenebrarum, Magistra delictorum, scelerata oblectatio, cupiditas insatiabilis, simul dormiens intemperantia, simul expergiscens sollicitudo, vestita vipera, quæ sua sponte eligitur pugna, diurnum malum, domus tempestas, viri naufragium, immitis fera, adulterorum receptaculum, arma diaboli, rabies, quæ concupiscitur, mors mundi totius.* Cum Petrus Apostolus supra maris fluctus incedens ad Dominum incolumis accessisset; idem in terra à Domino turpiter recedens, ex ancillæ verbis Christum Dominum negando in periurij naufragium incidit. Benè ergo mulierem Anastasius *in terra naufragium* appellauit. Hieronymus recensens à mulieribus in mundum iniecta mala, ait: *Simon Magus hæresim condidit Helenæ meretricis adiutus auxilio. Nicolaus Antiochenus omnium immunditiarum repertor, choros duxit fœmineos. Marcion Romam præmisit mulierem, quæ decipiendos sibi animos præpararet. Apelles Philomenem suarum comitem habuit doctrinarum. Montanus immundi spiritus prædicator multas Ecclesias per Priscam, & Maximillam nobiles, & opulentas fœminas primùm auro corrupit, deinde hæresi polluit. Dimittam vetera, & ad viciniora descendam. Arius, vt orbem deciperet, sororem Principis ante decepit. Donatus per Africam vt infelices quosque fœtentibus pollueret aquis, Lucillæ opibus adiutus est. In Hispania Agape Elpidium, mulier virum, cæcum cæca duxit in foueam; successoremque sui Priscilianum habuit.* Teste Irenæo libro primo contra hæreses capite 24. *Marcellina Romam sub Aniceto veniens cum esset Gnosticæ doctrinæ, multos exterminauit.* Teste Epiphanio Sampsæi, seu Helcesæi hæretici Spiritui S. fœmineum sexum tribuerunt; & asse-

Chrys. ser. in decol. S. Ioã.

Mulieres malorũ pluriũ origines, vel causæ, vel instrumenta.

Idem Chrys. in Matt. c. 25.

Synaita qu. 19.

Mulier in terra naufragium.

Mat. 14 31.

Hieronym. ad Ctesiphonem c. 2. cõtra Pelag.

Epiphanius libro 1. hæresi 53.

rentes *Spiritum S. eſſe ſororem Chriſti fæmineo habitu præditam*. ad peruerſum eorum ſpiritum falſiſſimo hoc figmento ſequendum, homines allicere ſunt conati. Iidem Hæretici ex eodem Epiphanio *colunt & aquam, & hanc veluti Deum putant*: vt verò cum aqua etiam ignem colerent, *duas mulieres velut deas adorant*: eſtque eis abominabilis Idololatriæ, muliebris ſexus Idôlum. *Pepuziani hæretici*, ait Auguſtinus, *tantum dant mulieribus principatum, vt ſacerdotio quoque apud eos honorentur.* Tales ſcilicet ſibi adſciſcunt ſacerdotes, vt deceptas hominum animas fit illis diabolo ſacrificare facilius. Quales huiuſmodi ſacerdotes eſſent, ſubdit Auguſtinus: *Faciunt de ſanguine infantis, quod Cataphryges facere ſupra diximus. De infantis anniculi ſanguine, quem de toto eius corpore minutis punctionum vulneribus extorquent, quaſi Euchariſtiam ſuam conficere perhibentur, Miſcentes eum farinæ, panemque inde facientes. Qui puer ſi mortuus fuerit, habetur apud eos pro martyre, ſi autem vixerit, pro magno ſacerdote.* De eiſdem Pepuzianis hæreticis ibidem Auguſtinus ait: *Dicunt Quintilla, & Priſcillæ Chriſtum ſpecie fæminæ reuelatum.* Muliebrem ſcilicet ſpeciem Chriſto Domino tribuerunt, vt inde muliebris ſpecies auctoritatem ſumens, homines facilius contaminaret. Ex Epiphanio libro primo tit. 3. Hæreſi 45. Seueriani, & Andronici hæretici, *dicunt mulierem eſſe opus Satanæ.* Falsò id quidem aſſeruerunt; veriſſimè tamen Clemens Alexandr. *Mulierem diaboli gladium appellauit.* Baſilius *Mundi flammam*; Auguſtinus *Cordium laqueum*; Theodoretus *Hamum eſcamque ſenſuum.* Nazianzenus *Aſpidem virulentam.* Tertullianus *Inferni ianuam.* Origenes *culpæ matrem.* Cyprianus *peccati aculeum.* Emiſſenus *Mortis conſiliariam.* Denique Thaumaturgus *animarum rete.* Hoc rete captus eſt Petrus, quem Dominus piſcatorem hominum fecerat. Matthæi cap. 4. *Mulier mali cauſa, peccati auctor, via mortis, ſepulchri titulus, inferni ianua, lamenti neceſſitas,* ait Chryſologus ſer. 79.

Mulieres Pepuziani hæretici ad ſacerdotiũ eligunt.
Aug. l. 6. l. de hæreſibus ad Quoduultdeum hæreſi 27.
Hæreſi 26.
Hæretici Pepuziani ex infantis ſanguine, & farina Pſeudochariſtiam conficiunt.
Mulier diaboli gladius.
Clemens l. 3. Pædagogi.
Baſil. cõſt. 1. monaſticarum c. 4.
Mulier inferni ianua
Aug. ſer. 83. de tempore.
Theodoret. q. 25.
Nazianz. in ſententiis.
Tertull. de habitu muliebri.

552. Ad Pontificis ancillas redeamus. Hæ cum ancillæ noctis tempore extra cubicula inter milites in atrio verſarentur, & colloquerentur, quam honeſta Pontificis domus fuerit; indicarunt *Fæminis Ægyptiis, vt domi ſe continerent, non erat vti calceamentis mos*, ait Plutarchus. Sed liberiores iſtæ Pontificis ancillæ cum pedes calceis bene tectos haberent, caput verò mente male munitum, ſub dio in atrium, nocturno & hyemali tempore prodierunt. Teſte eodem Plutarcho, cum mulieri cuidam caſu brachium nudaretur, & ab obuio quodam ei dictum eſſet: *O brachium pulchrum! ſed non publicum*, honeſta mulier reſpondit. Hinc addit Plutarchus: *Decet non brachium modo, ſed nec ſermonem publicum eſſe fæminæ caſtæ. Immo vocem, vt corporis detectionem, vereri eam, & cauere apud extraneos. Phidias Venerem teſtudini inſiſtentem finxit, domi manendum ſignificans, & ſilendum fæminis.* Eaſdem monet Ambroſius: *Diſcite non circumcurſare per alienas ædes, non demorari in plateis, non aliquos in publico miſcere ſermones.*

Caiphæ familia quàm parũ honeſta.
Orig. hom. 7. in cap. 15 Matth.
Calceamentis cur Ægyptiæ mulieres non vtebantur.
Plutarchus de connubialibus præceptis.
Cyprian. de ſingularitate Clericor.
Emiſſen. in Lucam c. 2.
Thaumaturgus in Eccleſ.
Mulieri caſtæ domi manendũ & ſilendum.
Ambroſ. in Luc. l. 2. c. 6.

Et poſt puſillum acceſſerunt, qui ſtabant, & dixerunt Petro: Verè tu ex illis es, nam loquela tua manifeſtum te facit: Tunc cœpit deteſtari, & iurare, quia non nouiſſet hominem.

553. IVdæorum Miniſtri, qui ab atrij igne prius alio diuerterant, eodem deinde accedentes, dixerunt Petro: *Verè tu ex illis es: nam & loquela tua manifeſtum te facit. Nam & Galilæus es* vt eſt apud Marcum cap. 14. 70. & Lucam 22. 60. In Galilæa enim Dominus frequenter verſatus erat, & inde plures diſcipulos collegerat. Porrò ex Miniſtrorum verbis patet Petrum ad ignem ſe calefacientem cum iniquis illis Miniſtris eſſe confabulatum; hinc enim eum Galilæa lingua loquentem audierant.

554. Præter Petri loquelam ad Domini Petrum diſcipulum conuincendum, *dixit ei vnus ex ſeruis Pontificis, cognatus eius, cuius abſcidit Petrus auriculam: Nonne ego vidi te in horto cum illo?* vt habetur Ioan. 18. 26. Vbi quæri poteſt, cur non hic Malchi cognatus, cur non ipſe Malchus ob abſciſſam auriculam Petrum Domini diſcipulum eſſe apertè cognouerint; & cur de abſciſſa auricula apud Pontificem, eum non accuſauerint? Reſpondent aliqui primò, Dominũ diuinitus ita Malcho abſciſſam auriculam reſtituiſſe, vt nec vulneris cicatrix remanſerit, & ex ipſius Malchi, aliorumque adſtantium memoria inflicti à Petro vulneris recordationem deleuerit. Reſpondent 2. alij cum Alberto, Malchi cognatum, & ipſum Malchum de abſciſſa aure tacuiſſe, quia ſi abſciſſæ auris meminiſſent, apertè miraculum ob reſtitutam ſine cicatrice vlla aurem fateri debuiſſent.

Malchi cognatus cur cognito Petro, abſciſſã aurem vltus non fuerit.

555. Remanet alia ſoluenda difficultas. Cum Matthæus dicat Iudæos adſtantes interrogaſſe Petrum *poſt puſillum*, non videtur concordare cum Luca, qui ait: *Interuallo facto quaſi horæ vnius.* Quamuis horæ apud Hebræos iuxta temporum diuerſitatem breuiores, aut longiores eſſent; nocturnæ tamen hyemales horæ longiores erant; quare hyemis tempore nocturnæ horæ ſpatium puſilli temporis dici potuiſſe non videntur. Reſpondetur de iuſtorum leuioribus lapſibus iuxta Gregorium dici Prouerb. 24. 16. *Septies in die cadit iuſtus*: ſi iuſtus toto diei ſpatio, nempe viginti quatuor horarum decurſu ſepties cadit; Petrus paulò ante iuſtus, qui bis, & grauiter intra vnius horæ ſpatium Dominum negando ceciderat, puſillo temporis ſpatio iterum cecidiſſe dici potuit.

Horæ nocturnæ hyemales longiores apud Hebræos, diurnæ breuiores: ſecus æſtiuæ horæ.
Greg. l. 8. in 1. Reg. c. 5.

556. Cum Petrus prima negatione nihil ſuperaddendo negaſſet: 2. cum negationem iuramento confirmaſſet; 3. cum præter iuramentum etiam in ſeipſum imprecationes addidiſſet, veriſſimam oſtendit Areopagitæ ſententiam: *Malum cum ſit defectio à bono, ſua infirmitate, & pondere ſemper ad aliud, & aliud malum progreditur.* De peccatore in peiora labente plura dicta ſunt fer. 4. & fer. 6. Dom. primæ Quadrag. & Dom. 3. in illa verba: *Fiunt nouiſſima illius peiora prioribus.*

Peccator non reſipiſcens in deteriora labitur.
Dionyſ. c. 4. de diuinis nominibus.

557. Petrum non pluries, vt aliqui dixerunt, ſed ter tantum Dominum negaſſe, negando autem non eſſe excuſandum, ſed grauiter peccaſſe, internam tamen fidem retinuiſſe fusè probat Suarius 3. p. q. 46. a. 8. diſp. 35. ſect. 1.

Et continuò gallus cantauit.

558. DAnielis 3. Volucres inuitantur ad Dominum, quo possunt modo, benedicendum; suoque cantu ad homines excitandos, vt suaue canentium volucrum Creatorem laudent: *Benedicite omnes volucres cœli Domino.* Sed confer simul Lusciniæ, Cycni, Achantidis, Canariјque passeris cantus, horum nullus Domini auribus suauior fuit quàm Galli cantus, quo ad pœnitentiam excitatus est Petrus, & diuinæ amicitiæ restitutus, & ad Euangelicam fidem promulgandam missus. *Brutum & irrationale animal reducit in sensum Apostolorum Principem*, ait Albertus. Ex galli ergo cantu *in omnem terram exiuit sonus Petri, & in fines orbis terræ verba eius*, vt dicitur Psal. 18. Quæritur hìc, an gallus consueto naturæ instinctu cantauerit; an ex extraordinario diuinitus immisso motu? Respondet Albertus: *Continuo iuxta Matthæum, seu iuxta Ioannem statim gallus cantauit; vt magis esset commonitio diuinæ dispositionis, quàm naturæ instinctus. Sicut enim præceptum diuinum venit ad vermiculum, qui percussit hederam Ionæ; ita etiam sententia diuinæ dispositionis mouit gallum, vt statim cantaret.* Sed contra est, quia vbi Deus ad aliquem effectum naturali creaturæ instinctu vti potest, non est dicendum extraordinarium motum à Deo adhiberi. Cum autem Petrus tertiò sub auroram negauerit, tunc ex naturali instinctu gallum canere consuetum est. Dicendum tamen est instigantibus immundis spiritibus Iudæos ad Petrum tertiò interrogandum, vt negando tertiò in peccatum incideret; id non antea, sed proximè ad galli cantum Dominum permisisse; vt ob galli cantum Domini prædictionis recordatus Petrus resipisceret. Porrò Syriaca lectio dicens: *In ipso momento gallus cantauit*, reijcienda videtur; cum non simul, sed antequam gallus cantauit tertiò Dominum Petrus negauerit; Nam *antequam gallus cantet, ter me negabis*, ei iam Dominus prædixerat. Dices: Lucas de Petro ait: *Adhuc illo loquente cantauit gallus.* Respondeo Petrum tertiam quidem negationem iam absoluisse antequam gallus cantaret; sed cum deinde negationi iuramentū, & in se ipsum imprecationes adderet, Lucas dixit: *Adhuc illo loquente gallus cantauit.* Ad id, quod de vermiculo Albertus addit, dico esse disparem rationem, de tali vermiculo Ionæ hederam rodente. Non enim, sicut consuetum est gallum diluculo cantare, ita consuetum est hederam diluculo à vermibus rodi. Ideo ex peculiari Domini dispositione id accidit. Ad quod significandum dicitur: *Parauit Deus vermem ascensu diluculi in crastinum; & percussit hederam, & exaruit.* Ionæ 4.

Galli cātus Petrum ad pœnitētiam excitans Christo præ aliis cantibus gratior.

Gallus an naturali instinctu, an diuinitus immisso motu cantauerit, cū Petrus resipuit.

Ionæ 4.

559. Post galli cantum addit Lucas: *Et conuersus Dominus respexit Petrum.* Augustinus lib. 3. de consensu Euang. cap. 6. ait: *Non est credibile, quòd vbi audiebatur Dominus à Iudæis, vt corporalis fieret illa respectio. Nam cum dixisset Matthæus: Tunc exspuerunt in faciem eius &c. secutus est dicens: Petrus ergo sedebat foris in atrio. Quod non diceret, nisi illa cum Domino intus agerentur. Sic eo quod dicit Marcus: Cum esset Petrus in atrio deorsum; ostendit non solùm in interioribus, sed etiam in superioribus gesta quæ dixerat. Quomodo ergo respexit Dominus Petrum facie corporali? Quapropter mihi videtur illa respectio diuinitus facta. Denique cum frequentius soleant Euangelistæ in narrationibus suis ponere Iesum,*

Christus an corporeis oculis, an spirituali obtutu Petrū post negationē respexerit.

A *quàm Dominum; modò Lucas Dominum posuit dicens: Conuersus Dominus respexit Petrum; vt etiam ex hoc intelligamus illam respectionem à Iesu non humanis oculis, sed diuinitus factam.* Putat ergo Augustinus Dominum illusum, consputum, colaphis, manuumque palmis fuisse cæsum in interiori Caiphæ domo. Sed probabilius videtur Dominum iam mortis reum iudicatum ab iniquis ministris in inferius atrium, vbi Petrus erat, fuisse ductum; ibique illusiones illas, percussionesque subiisse; & ibi Petrum etiam corporeis oculis respexisse. Cum enim post Domini illusiones transacta nocte Lucas dicat: *Vt factus est dies, conuenerunt seniores plebis, & principes*
B *sacerdotum, & scribæ, & duxerunt illum in concilium suum;* hinc deducitur antea Dominum ab illo consilij loco à Iudæorum ministris aliò, scilicet in inferius atrium fuisse ductum. Quod confirmatur primò. Nam cum Caiphas, aliјque cum eo noctis reliquo tempore ad quietem secessissent, Ministri ingenti illusionum, & percussionum strepitu, eos in interiori domo excitare ausi non essent; ideoque ad liberius Dominum illudendum, & cædendum, in inferius atriū descenderunt. Confirmatur idem secundo quia Scripturæ verba, vbi aliud non obstat, quantùm possumus proprio significatu intelligere debemus. Dicente autem Luca: *Conuersus Dominus*
C *respexit Petrum*; proprio significatu Dominum corporeos oculos ad Petrum respiciendum conuertisse indicatur; adeoque in inferius atrium descendisse. Quàm magno pretio Petri salus Domino constiterit, inde patet; quòd, vt Petrum respiceret, eumque iterum lucraretur, palàm in inferiori atrio coram ingenti multitudine opprobria, pugnorumque ictus subire voluerit. Verè tunc de Domino dici potuit: *Oculi eius in pauperem respiciunt.* Quis pauperior, quàm qui amissa diuina gratia, vt Petrus, è cœlesti hæreditate excidit? Ioann. 9. Cum cœcum natum Dominus respexit, vt eum illuminaret ad aquas Siloë misit: qui cœcus *abijt, lauit, & venit videns.* Ad Petri mentis oculos illuminandos, non aquas
D Siloë Dominus, sed ipsius Petri lachrymas adhibuit; cum *Petrus egressus foras fleuit amare. Lacerta solaris, vbi per tempus hebetem visum habuit, per conuersionem ad solem oculos rursus leuat*, ait Epiphanius. Similiter cum Dominus Petrum respexisset, vicissim ad Dominum Petrus oculos conuertit, & à Iustitiæ sole est ad resipiscentiam illuminatus.

Petri post negationē resipiscētia quantò Christo cōstitit.

Psal. 10. 8.

Lacerta ad solē cōuersa hebetem visum restaurat.

Epiphan. l. 2 t. 1. hæresi 53.

Et recordatus est Petrus verbi Iesu, quod dixerat: Prius quàm gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras fleuit amare.

560. CVm ad galli cantum, & Domini obtutum Petrus resipuit, gladium, quem
E hactenus gesserat, sub Caiphæ domus antro reliquisse, ibique postea excitatum fuisse templum, cui galli cantus nomen fuit, asserit Ioannes Suarez in Marci cap. 14. Verè enim tunc cognouit Petrus relicto gladio, *Sacerdotis arma esse lacrymas*, vt ait Ambrosius. Petri pœnitentiam calumniatur Caluinus, quòd culpam suam non fit confessus: cui calumniæ iam antea responderat Ambros. ser. 46. dicēs: *Petrus fleuit, & tacuit; quia quod defleri solet, non solet excusare: & quod defendi non potest, ablui potest. Lacrymæ verecundia pariter consulunt, & saluti: nec erubescunt in petendo, & impetrant in rogando. Lacrymæ tacitæ quodammodo preces sunt: veniā non postulant, & merentur.*

Templū in Caiphæ domo excitatū, cui nomē Galli cātus.

Sacerdotis arma sunt lacrymæ.

Ambros. in orat. ad Auxentium l. 5 epist. ep. 32.

Petrus resipiscens cur suā culpam cōfessus, & corā Iudæis detestatus non sit, hic, & seq.

Causam non dicunt: & misericordiam consequuntur. Vtiliores lacrymarum preces sunt, quàm sermonum. Sermo enim interdum non totum profert negotium: lacryma semper totum prodit affectum: Et ideo Petrus non vtitur sermone, quo fidem amiserat; ne per id etiam non credatur ad confitendum, quo vsus fuerat ad negandum. Mauult causam suam flere, quàm dicere; & quod voce negauerat, lacrymis confiteri. Hinc paulò post subdit Ambrosius: *Vide quantùm fletus profuerit Petro: antequam fleret lapsus est; postquam fleuit erectus est: & qui ante lacrymas præuaricator extitit; post lacrymas pastor assumptus est; & alios regendos accepit, qui prius seipse non rexit.*

Lacrymarū in pœnitē efficacitas: hic, & sequenti.

561. Dices, esto iuxtà Ambrosium pro Petri sermone, Petri lacrymæ à Domino veniam petierint; adhuc tamen apertis verbis coram Iudæis Domini negationem detestari Petrus debebat. Respondetur diuino instinctu negationis culpæ detestationem, & Christi Domini confessionem, in aliud opportunius, & vtilius tempus distulisse Petrum; cum scilicet quotquot Dominum negauerant, intrepidè arguere auditus est Act. 3. dicens: *Deus glorificauit filium suum Iesum, quem vos quidem tradidistis, & negastis ante faciem Pilati: vos sanctum, & iustum negastis.* Et Actor. 2. *Certissimè sciat omnis domus Israel, quia & Dominum eum, & Christum fecit Deus hunc Iesum, quem vos crucifixistis.* Tunc enim Petri testimonium Iudæis tam vtile fuit, vt *compuncti corde dixerint ad Petrum, & ad reliquos Apostolos: Quid faciemus viri fratres? Petrus vero ad illos: Pœnitentiam, inquit, agite.* Sic Petrus post pœnitentiæ lacrymas *alios regendos accepit, qui prius seipse non rexit* vt supra dixit Ambrosius. Beatus Antiochus ait: *Petrus amarulentis lacrymis vna hora profusis, non peccatum modo negationis promeruit sibi condonari; sed in earum gratiam illi concredita sunt claues regni cælorum.* Orante Elia *clausum est cælum annis tribus, & mensibus sex;* & non pluit: postea eiusdem Eliæ precibus *cæli contenebrati sunt, & nubes, & ventus, & facta est pluuia grandis.* Hinc Chrysostomus ait: *Clauis Cæli fit sermo Eliæ; iubet enim, & clauditur; orat postmodum, & aperitur.* E cœli claue Eliæ tradita in terras pluuia descendit: contra verò è lacrymarum pluuia Petro regni cœlestis clauis est data; qua non materialis imber, sed spiritualium gratiarum fons in peccatorum remissionem aperitur.

B. Antioch. hom. 107. de compun.
Lacrymis Petrus regni cœlestis claues obtinuit.
Luc. 4. 25.
3. Reg. 17.
3. Reg. 18.
Chrys. tom. 1 ser. 2. de Elia.

562. *Egressus foras fleuit amarè.* Exo. 5. *Moyses, & Aaron dixerunt Pharaoni: Deus Hebræorum vocauit nos, vt eamus viam trium dierum in solitudinem, & sacrificemus Domino Deo nostro.* Vt animalium sacrificium Domino offerrent, trium dierum itinere recedere, & separari ab Ægyptiorum commercio in solitudine Israelitæ debebant. Multò magis pœnitens Petrus oblaturus *sacrificium Deo spiritum contribulatum, cor contritum, & humiliatum*, ab iniquo Iudæorum consortio in solitudinem segregare se debuit. Ideo relicto Pontificis atrio, *egressus foras fleuit amarè.* Sic modicum Iudaici ignis solamen, quò se calefacturus accesserat, lacrymarum Petrus profluuio compensauit. *Fleuit amarè: Cœpit flere*, ait Marcus. Qui antea *cœperat detestari, & iurare, quia non nouisset hominem;* deinde *cœpit flere.* Harum lacrymarum initium Ierosolymæ fuit; earumdem Romæ finis. Non enim antequam pro Domino Petrus martyrium subiret, lacrymisque sanguinem adderet, desiit flere. Quare sicut de Dauide, ita de Apostolo

Psal. 50.

Petrus vsque eò suam defleuit culpam quo ad martyrio lacrymis sanguinem addidit.

A Petro cum Hieronymo dicere possumus: *Veram semper egit pœnitentiam hic sanctus, & non cessauit fluentis lacrymarum antiqua delicta diluere: vt intelligas, nisi veram pœnitentiam egeris, tibi facile non dimitti quæ gesseris. Vera est enim pœnitentia iugiter fletibus commissa diluere, & abluta non iterare. Oculus meus deprædatus est*, hoc est eripuit, *animam meam*, Ieremias dixit: contra verò Petrus, quòd Dominum ore negauerit, dicere potuit: Os meum deprædatum est animam meam; sed oculus meus animam mihi meam iugiter flendo restituit.

Hieronym. in Psal. 118. Exitus aquarum deduxerunt oculi mei.
Thr. 3. 51.

563. Quod amarè Petrus fleuerit non proindè lacrymæ, quæ illi Dominum conciliarunt, dulces non fuerunt. Deus enim, *qui dixit de* B *tenebris lucem splendescere*; idem ex amaris pœnitentiæ lacrymis dulcedinem elicit. Audiamus quid ipse Petrus sanctæ Brigittæ dixerit: *Deus dulcis mihi fuit in cogitatu, dulcis in locutione, dulcis in operatione; in tantum, quòd omnia erant mihi amara ad cogitandum præter Deum. Attamen ipse Deus etiam mihi amarus fuit, non ex se; sed ex meipso. Nam quoties cogitabam quantùm deliqui, & quomodo eum negaueram, fleui amarè; quia noueram tam perfectè amare; & fuerunt mihi lacrymæ meæ delectabiles tamquam cibus dulcis.* Hactenus S. Petrus. *Certò scitote fratres non fore in terra quid dulcius gratia lacrymarum*, ait S. Ephrem. Quòd lacrymæ ipsi lacrymanti, & C Deo simul dulces sint, Dominus sanctæ Brigittæ manifestauit dicens: *Illæ lacrymæ sunt mihi dulces, quæ procedunt ex consideratione beneficiorum Dei, & consideratione suorum peccatorum, & amore ad Deum. Tales lacrymæ eleuant animam à terrenis in cœlum, & regenerant hominem ad vitam æternam.* De his lacrymis B. Antiochus ait: *Rorulentæ aspergines lacrymarum, vt dulcor mellis sunt cordi.*

2. ad Cor. c. 4. 6.
S. Brigitta lib. 4. c. 5.
Ephrem t. 1. Orat. de extremo iudicio, & compunct.
S. Brigitta lib. 4. c. 13.
Lacrymæ pœnitenti peccatori, & Deo dulces.
B. Antioch. supra.

564. Sub auroram, gallique cantum rores è cœlo defluunt. Petrus ob contriti cordis dolorem ex peccatore iustus redditus mysticum cœlum fuit: *Cœlum est anima iusti*, ait Gregor. Ex hoc cœlo etiam sub auroram, *rorulentæ aspergines lacrymarum* vberrimè defluxerunt. Ideoque D in reuelationibus S. Brigittæ lib. 4. c. 81. dicitur: *Vapor de calore solis descendit in terram, & omnia terræ nascentia fructifera facit; & vocatur ros. Sic de viro spirituali: cor eius, quod comparatur soli, impletur diuino calore; oculique eius implentur lacrymis, plorando se offendisse infinitè bonum, & benignū Deum. Itaque istæ lacrymæ benè comparantur rori cadenti; quia tribuunt virtutem faciendi bona opera, & fructificant in conspectu Dei. Et sicut flores crescentes trahunt in se rorem cadentem, & ros includitur in flore: sic etiam lacrymæ, quæ ex diuina claritate funduntur, claudunt Deum in anima; & Deus animam in se trahit.*

Gregor hom. 14 in Ezech.
Lacrymæ matutino rori similes: hic, & sequ.

565. Rores intra marinas conchas in gemmas E euadunt; non dissimiliter pœnitentis lacrymæ ante Dei conspectum veluti pretiosæ margaritæ redduntur. Psal. 6. 7. *Lauabo per singulas noctes lectum meum; lacrymis meis stratum meum rigabo.* Dauid dixit; idque adimpleuit. Hinc Chrysostomus ait: *Respice lectum Dauidis, in quo tamquam margaritæ per singulas noctes erant congelatæ prophetæ lacrymæ.* O si auarus Iudas harum gemmarum cupidus fuisset; profectò vnà cum Apostolo Petro veræ pœnitentiæ lacrymis à Domino veniam impetrasset; nec in suspendium, æternæque damnationis supplicium incurrisset.

Chrys. hom. 22. ad populum.
Lacrymæ veluti gemmæ.

566. Quia *lacrymæ pondera vocis habent*, vt

Ouidius.

Ethnicus Poeta cecinit: Ierem. Threnor. 2. 18. dicitur: *Ne taceat pupilla oculi tui.* Post egressum ex iniqui Pontificis atrio perennes toto vitæ tempore Petri lacrymas, veluti voces, peccatores quosque ad pœnitentiam excitantes Deus adhibuit. Petri enim lapsum Deus permisit *potissimum, vt peccatoribus clarum esset pœnitentiæ exemplum; qui non solùm breui tempore maculam omnem abstersit; sed & cæterorum pastor discipulorum creatus est*, ait Euthymius; insuper & fidelium omnium caput, & Dominicæ vineæ cultor, & custos. Quare Petro circa fidelium curam B. Ephremi verbis dici bene potuit: *Semper, & absque intermissione plantas tuis lacrymis irriga; vt sic irrigata crescant, fructumque ferant de die in diem.* Benè Deo dicere pœnitens Petrus potuit: *Qui timent te, videbunt me, & lætabuntur:* peccatores scilicet ob suas culpas seueriorem à Deo sententiam timentes, *videbunt me* pœnitentiæ lacrymis veniam impetrasse; & diuinæ gratiæ perfectius restitutum; *& lætabuntur* sperantes similibus lacrymis & ipsos posse veniam impetrare, diuinæque amicitiæ perfectè restitui.

Petri lapsũ cur Deus permiserit.

B. Euphrem supra.

Ps. 118 74.

567. E Caiphæ atrio egressus Petrus, quod se cœli aspectu indignum iudicaret, intra terræ latibulum se abdidit: *Legitur quòd Petrus egrediendo de atrio introiuit in foueam quamdam inter montem Sion, & Ierusalem, ibique fleuerit* ait Dionysius. Qui negauerat se Dominum cognoscere, talpæ instar se oculos non habere sibi ipse visus est: ideoque benè tamquam talpæ similis intra terræ latebras, foueamque locum quærere debuit. Profectò fouea illa pœnitentis Apostoli lacrymas excipiens felicior fuit, & Orientalibus, seu Æthiopiæ cauernis præferenda, quæ plurimo adamante, & iaspide, quæque sapphiris, chrysolitis, smaragdis, topasiisque ditantur. De hac pœnitentis Petri spelunca, ait Adrichomius: *Ad meridiem vrbis est antrum Petri Apostoli, in quo post trinam Domini negationem, culpam suam amara pœnitentia, & lacrymis expiauit.* Cum atrium hoc ad meridiem, adeoque ad austrum vergeret, ibi Petrus dicere bene potuit: *Surge*, hoc est abi, *Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum, & fluant aromata illius:* Abi Aquilo, nempè frigide timoris spiritus, qui me ad Dominum negandum impulisti: veni Auster, qui ventus imbrifer es, perfla hortum meum. Veniat scilicet Spiritus sancti aura, quæ me ad perennes lachrymarum imbres excitet. Sancta hæc aura perflet animam meam, & fluant aromata illius; nempe feruida pœnitentiæ desideria, & contriti cordis affectus: *Quæ non aquarum fontibus, sed lacrymarum imbre rigantur*, vt Chrysost. ait. Rursus *fluant aromata illius*: nam piæ flentis animæ lacrymæ, & virtutum aromata irrigant, & ipsæ etiã diuino conspectui suauia aromata sunt. *Eodẽ modo Dominus respexit Petrũ quo respexit humilitatem ancillæ suæ; sed non pari effectu: nam Maria protulit odorem suauitatis, Petrus nimbos protulit lacrymarum*, ait B. Laurent. Iustinianus. Sed ipse Petri lacrymarum nimbus, quo feruidè orando veniam à Domino postulabat, nimbus odorifer Domino fuit. De Sanctorum enim orationibus, quæ piis lacrymis associantur, dicitur Apocal. 5. 8. *Habentes phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum. Fumus ex aromatibus compunctio est orationis*, ait Gregorius hom. 22. in Ezech.

Petrus post negationem resipiscens lachrymans in antrum se abdidit.

Adrichom. in descript. Ierusalem n. 219.

Cant. 4 16.

Lacrymis virtutum aromata irrigantur: ipsæque lachrymæ aromata sunt.

Chrysost. hom. 2. de Anna.

B. L. Iustiniani de triumphali Christi agone c. 8.

568. Addit Adrichomius probabiliter eo in antro, quo se Petrus ad flendum contulit ei se Dominum post resurrectionem suam conspiciendum exhibuisse. Hinc profectò tetrum illud antrum suo aspectu paradisum Dominus reddidit. Et quamuis antra solis radiis imperuia esse soleant; felix illud antrum diuinis resurgentis Domini radiis est illustratum. Quare bene de Christo iustitiæ sole Dauid cecinit: *Non est, qui se abscondat a calore eius*, adeoque ab eius fulgore. Potuit autem Petrus, qui antea cæcutierat, in rediuiuum Dominum solari luce longè splendidiorem oculos intendere; nam, vt bene Bernardus ait: *Purgatur lacrymis oculus ante caligans, & acuitur visus, vt intendere possit in Serenissimi luminis claritatem. Nec fieri poterat, vt in negationis tenebris permaneret, quem lux respexerat mundi*, ait Hieron.

Petro in antro, in quo se abdiderat, Dominus apparuit.

Ps. 18 7.

Bernardus ser. de conuersione ad Clericos c. 19

Lacrymæ mentis oculos acuunt.

Hieron. in Matt. c. 26.

569. In eodem Petri antro teste Adrichomio sacellũ extructum fuit. Sacellum hoc in solo pœnitentis Apostoli lacrymis profuso fundatũ, cœlesti Ierosolymæ æmulum fuit. Si enim teste Ioan. cœlestis Ierosolymæ fundamenta sunt iaspis, sapphyrus, calcedonius, smaragdus, sardonyx, &c. Petri lacrymas gemmis his pretiosiores Dominus habuit. In Bethlemio antro Dominus nasci dignatus est; in Ierosolymæ antro regeneratus est Petrus. Nam, vt bene S. Brigittæ Dominus dixit: *Lacrymæ eleuant animam à terrenis in cœlum; & regenerant hominem ad vitam æternam. Illa generatio generat filium lacrymarum, qui plorat disperdia animæ.* Lacrymis ad æternam vitam generatus est Petrus, quòd non fleuerit ob meritum æternæ mortis supplicium; sed quòd vitæ authorem negasset. *Petrus non ob supplicium luxit; sed quod quem amabat, eum negasse se videret; quod molestius ei erat, quocumque supplicio*, ait Chrysostomus. Ita tamen non ex supplicii timore, sed ex charitatis ardore flendo, meritas diuinæ vltionis pœnas omnino condonari sibi meruit. *Fletus imbre extinxit fulmen iræ*, ait Brugensis.

Adrichom. supra.

Apoc. 21.

Petri pœnitentis antrũ cœlesti Ierosolymæ æmulum.

Petri pœnitentis antrũ & Bethlemitã Domini speluncã comparantur.

S. Brigitta l. 4. c. 13.

Lacrymæ pœnitentẽ regenerant ad vitam æternam.

Chrys. hom. 5 in epist. ad Romanos.

Lacrymæ diuinæ vltionis fulmen extinguunt.

570. *Quis est, qui vobis noceat? timorem eorum ne timueritis* post diuturnum fletum fidelibus Petrus dicere potuit; eosque suo exemplo tyrannorum omnium minas, & cruciatus contemnere docuit. Eosdem etiam fideles monuit: *Sobrij estote, & vigilate; quia aduersarius vester diabolus tamquam leo rugiens, circuit quærens quem deuoret; cui resistite fortes in fide.* Si ab Apostolo quæratur, quo fortis thoracis munimine à visibilium hostium timore, & ab inferni leonis vnguibus, & dentibus liberum securumque cor seruare possumus? respondebit, piis lacrymis tale cordis munimen haberi, nam, vt experientia constat, & Gregorius Nazianzenus aduertit, impenetrabiles thoraces ferrei, qui ictibus hostium ferreisque globulis debent obsistere, aqua frigida aspersa, in ipsa fabricatione obdurantur. Non dissimiliter piis lacrymis impenetrabile, tutumque munimen aduersus hostiles tyrannorum, & diaboli impetus, Petrus Apostolus antea formidolosus, sibi comparauit, idemque nos facere docuit.

Epist 1. c. 3. 13.

Ep. 1. c. 5 8.

Nazianz. orat 14.

Lacrymæ veluti ferreum thoracem aduersus infernos hostes impenetrabilem temperant.

571. Cæsarius sancti Gregorii Nazianzeni frater, dialog. 4. sub finem quærit: *Cur iam enormiter lapsus S. Petrus, & veniam consecutus, ipse quoque veniam non dedit Ananiæ, & Saphiræ, sed vna hora vtrosque occidit verbo: licet nullus esset ipsorum lapsus respectu illius negationis? Aurum absconderant proprium, non alienum; vel etiamsi alienum fuisset, non est par peccatum priuatarum rerum paruum quiddam abscondisse, et negasse Iesum.* Cui dubitationi ibi respondetur *Non dementia est illius aduersus sontes terrorised*

Petrus suæ culpæ à Domino veniam consecutus, cur Ananiæ, & Saphiræ nõ pepercerit.

Act. 5.

præſcia diſciplina plurima mortalium ſanantis vitia. Quandoquidem ſemel Deo dedicatum aurum ſacrilegio vulneratus alienauerat, interrogatuſque negauerat: idcirco ille qui fuerat exortus ſpargere Euangelica ſemina, moxque ſimul exortas malas herbas conſpexerat, prudenter eas illicò ſuſtulit; ne fortè ſimul creſcentes, triticum vaſtarent: nam incorrigibiles in poſterum ad meliora videbat. Petrus ergo culpas pœnitentiæ lacrymis correcturus in poſterum, meritum peccati ſupplicium euaſit: Contra verò Ananias & Saphira incorrigibiles præuiſi morte mulctati ſunt, qui ſi reſipiſcentes lacrymulam fudiſſent, lacrymula vna abſconditi auri culpam compenſaſſent: eſt enim apud Deum pœnitentis lacryma auro quolibet pretioſior. De lacrymis plura dicta ſunt ſer. 6. Dom. paſſ.

Matth. c. 27 *Mane autem facto conſilium inierunt omnes Principes Sacerdotum, & Seniores populi aduerſus Ieſum, vt eum morti traderent.*

572. Hinc Chriſti Domini opprobria; quæ nox texerat, diurnæ luci exponi cœpta ſunt. Prouerb. 1. 28. de iniquis peccatoribus dicitur, *Mane conſurgent, & non inuenient me.* Quamuis autem iniqui iſti ſacerdotum Principes, & populi ſeniores Dominum mane inuenerint, vt eum morti traderent; poſtea tamen à Romanis obſeſſi, & in ſeruitutem redacti, cum diuino auxilio indigerent, Dominum ad eis opitulandum non inuenerunt. De Ieroſolyma Sophonias ait c. 3. *Principes eius in medio eius, quaſi leones rugientes: Iudices eius lupi veſpere, non relinquebant in mane;* cum omnia ſcilicet tamquam famelici lupi deuoraſſent, nihil in diem proximũ deuorandum reſeruarunt. Sed iniqui iſti Sacerdotum Principes, & populi Seniores, cum ad ſuæ iniquitatis ſcelus tegendum nocte morti tradere Dominum non auſi eſſent, id in proximum mane in Pilati prætorio exequendum diſtulerũt. Tunc fremuerunt, & dixerunt: *Deuorabimus; en iſta eſt dies, quam expectabamus, inuenimus, vidimus.* Ierem. Thr. 2. 16.

Iudæi Sacerdotum Principes, & Seniores leones, & lupi.

Et vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato præſidi.

Pilati palatium quale.

573. *Palatium Pilati, & Præſidum Romanorum omnibus Ciuitatis ædibus multò amplius, pulchrius, & eminentius erat: & ad minus viginti octo marmoreis gradibus aſcendebatur. Prædicti gradus Romam poſtea tranſlati, etiam nunc ſunt pro foribus S. Ioannis Lateranenſis in Cœlio monte à Conſtantino Magno ædificati: atque à Romanis ſcalæ ſanctæ appellantur; locuſque in eis olim Chriſti ſanguine conſperſus, cancellis eſt opertus. Et quia Chriſtus tempore paſſionis per eos bis aſcendit, magna animi pietate viri, ac mulieres flexis genibus eaſdem aſſiduè aſcendunt*, ait Adrichomius in deſcript. Ieruſal. n. 57.

Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quòd damnatus eſſet, pœnitentia ductus retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum, & Senioribus, dicens: Peccaui tradens ſanguinem iuſtũ.

574. *Videns quòd damnatus eſſet*, ſcilicet à ſacerdotum Principibus, aliiſque iniquo illi concilio adſtantibus, qui à Caipha de Chriſto interrogati *omnes condemnauerunt eum eſſe reum mortis*, vt dicitur Marci 14. 64. Præterea vbi legimus, *& vinctum adduxerunt eum*, ex Græco textu legitur: *Et cum eum vinxiſſent*, cui lectioni conſonat Marcus 15. *Vincientes Ieſum duxerunt.* Cum igitur poſt prima relaxata vincula, iterum eum Iudæi vinculis alligaſſent, hinc Iudas iam Chriſtum ad mortem damnatum colligere potuit. Nam vt benè S. Hieron. aduertit: *Iudæi habebant hunc morem, vt quem adiudicaſſent morti, ligatum iudici traderent.* Denique Pilatum ſententiam Iudæorum Principum in Chriſtum non retracturum ex eorum rabida, & obſtinata inſtantia Iudas benè præſagiit.

575. *Pœnitentia ductus.* Cum Iudas iniquos Iudæos Domino valde infenſos eſſe bene noſſet eoſque non ſemel Dominum lapidare voluiſſe; hinc bene prænoſcere poterat à Iudæis Dominũ ad mortem damnandum: cur ergo videns, quòd damnatus eſſet, quaſi ex improuiſo euentu, proditionis pœnitens doluit? Reſpondent quidam apud Theophylactum: *Iudas cum auarus eſſet, ſperabat proditione Chriſti multum lucri, & Chriſtum non occiſum iri, ſed euaſurum, ſicut ſæpius antea: Cum autem tunc vidiſſet condemnatum, vt moreretur; pœnitentia rei ductus eſt, quòd non quem opinabatur res exitum ſortiretur.* Sed contra eſt, quia iuxta Hieronymi ſententiam *Iudas putabat ſigna, quæ Saluatorem viderat facientem, non maieſtate diuina, ſed magicis artibus facta.* Cum ergo Magum, adeoque peccatorem Dominum haberet, non erat cur videns, quòd damnatus eſt, facti pœnitentia doleret. Reſpondetur quicquid ſit de Iudæ circa Dominum exiſtimatione, quam antea habuerat; Cum idem Iudas omnia, quæ paulò ante prædixerat Dominus, verificari videret, cumque inuictam eius in opprobriis ferendis conſtantiam, & imperturbatum animum, vultumque videret, illuminari cœpiſſe: ac proinde de Chriſto opinionem mutaſſe, ac vere, vt virum iuſtum iudicaſſe; ideoque commiſſi in Domino prodendo ſceleris eum pœnituiſſe.

Iudam cur proditionis pœnituit: hic, & ſequenti.

Hieron. in Matth. c. 20

576. Reſpondet ſecundò Rupertus Iudæ figuram fuiſſe Achitophelem Dauidis proditorem; de quo dicitur 2. Reg. 17. 23. *Achitophel videns, quòd non fuiſſet factum conſilium ſuum, ſuſpendio interiit.* Hinc Rupertus ait: *Iudas ſic Dominum Chriſtum mori voluit, vt periret nomen eius; id eſt nulla fama, vel memoria, & nulla ſupereſſet doctrina eius: ſicut Achitophel illud intendebat, vt Dauid de regno eiectus nequaquam vltra regnare poſſet morte præuentus. Eamdem igitur, vel ſimilem ob cauſam vterque pœnitentia ductus eſt, & vterque laqueo ſe ſuſpendit; quia perſenſit tam iſte, quàm ille, quòd res non procederet ſecundùm iudicium eius. Achitophel perſenſit non fieri ſecundùm intentionem ſuam, vt funditus exterminaretur Dauid. Iudas ſimiliter de Chriſto Domino dicere poterat, quòd quamuis eſſet damnatus, & moreretur, non tamen periret nomen eius; ex eo quòd ſuperſtites eſſent diſcipuli eius prædicaturi nomen, & reſurrectionem eius. Denique hoc voluerat, vt diſcipuli quoque eius cum eo comprehenderentur.* Sed contra hanc Ruperti ſententiam primò eſt, quòd Iudas magiſtratibus, cum quibus de Domino capiendo conuenerat, nihil de diſcipulorum comprehenſione dixerat; nihil etiam ſatellitum turbæ; quòd certe dicere non omiſiſſet, ſi ad eorum comprehenſionem animum intendiſſet. Secundò Iudæ pœnitentia ab Euangeliſta abſolutè tribuitur, quòd Dominus ad mortem

Rupertus in Matth. Achitophel Dauidis proditor Iudam præfigurauit.

damnatus esset, nulla de Apostolis liberè dimissis mentione facta. Tertiò si Iudas Domini memoriam funditus delere cupiisset, de eo non dixisset: *Peccaui tradens sanguinem iustum.* Resp. Rupertus tale à Iuda testimonium de Christo non liberè, sed necessariò fuisse prolatum: *Confessio Iudæ dicentis: Peccaui tradens sanguinem iustum, parum, aut nihil differre potuit à confessione dæmonum, qui illum non solùm iustum, verum etiam filium Dei esse interdum confessi sunt.* Sed contra est, quia ad Christi Domini innocentiam magis ostendendam facit, si ipsius proditoris testimonium non coactum, sed liberum fuisse dicamus; vt tale autem ab Euangelista afferri videtur; cum Iudæ pœnitentiæ, eiusque testimonii causam reddat, quòd videret Christum ad mortem damnatum.

577. *Pœnitentia ductus.* Duplex est pœnitentia, altera viua, & viridis ad impetrandam veniam, ex qua spei radix germinat, piis contritionis lacrymis irrigata: altera omnino arida, ex qua nulla impetrandæ veniæ spes pullulat. Prima Petri pœnitentia fuit, qui oculos ad veræ contritionis lacrymas laxauit: Secunda fuit Iudæ, qui veniam desperando, laqueo guttur obstrinxit, cum antea impius proditor Cainum imitatus secum ipse dixisset: *Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear.* Vide Ambros. lib. 2. de pœnit. probantem Deum nulli vera pœnitentia veniam petenti illam denegare. Ideo Ezechielis 18. 21. Deus ait: *Si impius egerit pœnitentiam &c. vita viuet, & non morietur. Omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor.*

Pœnitentia duplex, altera viua, & viridis, altera arida.

Gen. 4. 13.

578. *Retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum.* Si argenteos Sacerdotum Principibus Iudas reddidit, cur postea dicitur idem Iudas eosdem argenteos in templum proiecisse? Recolenda hîc est Scripturæ regula alibi etiam allata, iuxtà quam aliquid fieri interdum dicitur, quod fieri tentatur. Sic Amos 9. Deus ait: *Si celauerint se ab oculis meis*; id est si insipiẽtes peccatores à meis oculis se celare tentauerint. Et Isa. 33. iuxta Septuaginta iustis dicitur: *Væ, qui vos miseros faciunt*; idest facere tentant: *vos enim nemo facit miseros.*

Fieri interdum dicitur, non quod fit, sed quod fieri tentatur.

579. *Peccaui tradens sanguinem iustum.* Sanguinem insuper misericordem addere potuisset Iudas; & inde misericordiam sibi sperare. *David*, inquit Augustinus, *quando correptus per Prophetam, dixit: Peccaui; continuò ad hoc vnum verbum audire meruit, quòd acceperit veniam. Cur autem Saul per Samuëlem correptus, cum diceret etiam ipse: Peccaui, non meruit audire quod Dauid, quòd ei Dominus ignouisset? Num personarum acceptio est apud Deum? Absit. Sed in simili voce, quam sensus humanus audiebat, dissimile pectus erat, quod Diuinus oculus discernebat.* Quod de Saule dicente *Peccaui*, Augustinus ait; idem de Iuda itidem *Peccaui* dicente, dicendum est. Subdit Augustinus: *Quid talibus docemur exemplis; nisi regnum cœlorum intra nos esse; & de intimis nostris Deum colere nos debere; vt ex abundantia cordis os loquatur? Non autem vt populus cum labijs honoret, cor autem eorum longe sit à Deo. Quid aliud in Euangelio discimus, cum eadem vox Petri, auditur confitentis Christum filium Dei, quæ etiam Dæmoniorum paria verba, sed longè impari corde emittentium? Proinde in simili voce vox Petri laudatur; Dæmoniorum immunditia cohibetur.*

August. t. 6. lib. 22. contra Faust. c. 67.
2 Reg. 12. 13
1. Reg. 24.
Confessio culpæ ex intimo contrito corde, non tantùm ex ore prodire debet.
Act. 10. 34.
Ad Gal. 2. 6
Luc. 17. 21.
Deut. 6. 5.
Matth. 12. 34
Isa. 29. 13.
Matth. 15. 8
Luc 4. 41.

580. Inualida Iudæ similis fuit impii Antiochi Regis pœnitentiæ, qui insanabili plaga à

A Deo percussus, *cum nec ipse fœtorem suum ferre posset, ait: Iustum est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire.* Hinc, non vt animæ saluti consuleret, sed vt immissæ plagæ pœnas mortemque imminentem effugeret, *orabat hic scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus. Igitur homicida blasphemus pessimè percussus peregrè in montibus miserabili obitu vita functus est.*

Machab. lib. 2. c. 9. Antiochi inualida pœnitentia.

581. Quàm benignè erga confitentes ex vera pœnitentia sua peccata Deus se gerat, inde benè patet; quòd mundani iudices reos sua crimina confiteri volunt, vt eos puniant: sed Diuinus Iudex vt suos reos absoluat, æternique regni
B reddat hæredes. Ideo benè apud S. Ambrosium lib. de pœnitentia dicitur: *O singulare clementissimi Iudicis institutum! Ad hoc de reis confessionis vult exculpere vocem, vt non inueniat quod vlcisci non debeat. Et cum apud sæculi iudices confessus mox dirigatur ad pœnam; apud Dominum confessus statim pergit ad veniam. Nec hoc vllis elicit de confitente tormentis; cum pœnitens in semetipso officium videatur exercere tortoris. Lucra sunt pij iudicis gemitus pœnitentis, & gaudium cognitoris est sine quæstione confessio.* Seculi iudices sæpè reorum opibus inhiant, vt eas fisco adiudicent: at cœlestis *Iudicis lucra sunt gemitus pœnitentis. Expectat gemitus nostros sed temporales,*
C *vt remittat perpetuos: expectat lacrymas nostras, vt profundat pietatem suam. Si conuersus ingemueris, saluus eris,* ibidem apud Ambros. cap. 4. dicitur.

Confessionis forensis, & Sacramentalis cõfessionis oppositum discrimen.

Iudicis spiritualis lucra sunt gemitus pœnitentis.

At illi dixerunt: quid ad nos? tu videris.

582. QVid amentius hac Iudæorum responsione, cum dicant: *Quid ad nos?* quasi ad eos Iudæ culpa non spectaret. Si Iudas sceleratè eis innocentem Dominum vendiderat; cur eiusdem Domini ad necem emptio iniqua ab iis habenda non erat, adeoque retra-
D ctanda? Bene enim Hieron. Iudæis ait: *Si bene emistis sanguinem Iesu, quare non recepistis pecuniam vestram? si autem non vultis recipere, quoniam pretium sanguinis est, ostenditis vosmetipsos iniustè, & iniquè effudisse sanguinem.* Quare ex Principum sacerdotum verbis Domini innocentia mirum in modum eluxit; cum nec ipsi Iudæi Domino vehementissimè infensi ausi fuerint Iudæ de prodito Domino admissæ culpæ conscientiæ stimulo vrgeri, quòd Christum Dominum prodiderit; sed dixerint: *Quid ad nos? tu videris. Si tu peccasti, tu pœnas lues.* Benè apud Augustinum t. 4. lib. de vera & falsa pœnitentia cap. 12. dicitur: *Iudas pœnitens iuit ad Phari-*
E *sæos, reliquit Apostolos, nihil inuenit auxilij, sed augmentum desperationis. Dixerunt enim: Quid ad nos? tu videris. Si peccasti, tibi sit: non tibi succurrimus; non peccata tua charitatiuè suscipimus; non comportanda promittimus; non qualiter deponat vnus, docemus. Quid enim nobis, & misericordiæ; qui nec opera sequimur iustitiæ? si esset ad illos, qui orauerunt pro socru Petri febricitante; qui Chananæam tam improbam misericordi obtulerant: interrogasset Petrum pro se lacrymas effundentem; non fugisset Mariam, & Martham, quæ vitam Lazaro impetrauerant. Iuit ad diuisos,* hoc est, ad Pharisæos, qui diuisi interpretantur, *& diuisus periit.* Similiter dicitur apud Ambrosium lib. 1. de pœnitentia cap. 5. *Arbitror, quod etiam Iudas potuisset tanta Dei miseratione non excludi*

Principum Iudæorum demens responsio.

Principes Sacerdotũ vel inuiti, Christi innocentiam manifestãt.

excludi à venia; ſi pœnitentiam non apud Iudæos, ſed apud Christum egiſſet. Peccaui, inquit, quod tradiderim ſanguinem iuſtum. Reſponderunt: Quid ad nos? tu videris. Hunc ſermonem laqueus ſequitur.

Et proiectis argenteis in templo, receſſit.

Reſtitutionis rei malè ablatæ difficultas.

583. CVm Ioannis 12. 6. de Iuda dicatur: *Fur erat, & loculos habens, ea quæ mittebantur, portabat:* Quæritur, cur Iudas vnà cum argenteis illis, alia etiam furtim ab- B lata reſtituere non curauerit? Reſpondetur Iudam deſperatione obtenebratum id omiſiſſe. Furtis ergo ab aliis poſſidendis relictis, benè Iudæ dici potuit: *Quæ paraſti, cuius erunt?* Patet hinc præterea rei malè ablatæ reſtitutionem differendam non eſſe; cum non ſemper illam exequi cuicumque detur.

Lucæ 12. 20.

Et abiens laqueo ſe ſuſpendit.

S. Leo ſer. 1. de paſſ.

584. SAnctus Leo cum dixiſſet: *Non Dominus in cruce fruſtrà orauit dicens:* C *Pater dimitte illis; quia neſciunt quid faciunt,* ſubdidit: *Quod remedium nec te, Iuda, tranſiret; ſi ad eam pœnitentiam confugiſſes; quæ te reuocaret ad Christum, non quæ inſtigaret ad laqueum. Dicendo enim: Peccaui tradens ſanguinem iuſtum, in impietatis tuæ perfidia perſtitiſti; quia Ieſum non Deum Dei filium, ſed tantummodò noſtræ conditionis hominem inter extremum mortis tuæ periculum credidiſti. Cuius flexiſſes miſericordiam, ſi eius non negaſſes omnipotentiam.*

Iudæ deſperatio proditione peccatum maius.

Iudæ peccatum, quo deſperando ſuæ vitæ non pepercit, maius fuiſſe ipſa ſacrilega Domini venditione, indicat Idem ſanctus Leo ſerm. 16. de paſſion. ſic Iudam alloquens: *Facinus commercij tui non ideo deteſtandum eſt, quia Dominum viliter æſtimaſti; ſed quia redemptorem etiam tuum, ne tibi parceres, vendidiſti: & meritò tibi tua pœna commiſſa eſt, quia in ſupplicium tuum nemo tibi ſæuior potuit inueniri.* Sibimet ergo carnifex Iudas fuit, vt ſceleratiſſimus reus à ſceleratiſſimo carnifice puniretur. Sanctus Hieronymus Pſalmum 108. de Iuda interpretatur; cumque ibi dicitur: *Oratio eius fiat in peccatum*, addit ſanctus Hieronymus: *Pœnitentia Iudæ peius peccatum factum eſt. Quomodo peius peccatum factum eſt pœnitentia Iudæ? Iuit, & ſuſpendio perijt: & qui proditor Domini factus eſt, hic & interemptor ſui extitit. Pro clementia Domini hoc dico;* E *quia magis ex hoc offendit Dominum, quia ſe ſuſpendit; quàm quòd Dominum prodidit. Oportebat orationem ipſius eſſe in pœnitentiam, & verſa eſt in peccatum.* Quare verſa eſt in peccatum? Quia exaruit; exaruit autem ſpei veniam obtinendi viriditate deſtituta.

Aman, & Iudas comparantur. Eſter. 3.

Impius Aman auaritiæ illecebra Regem Aſſuerum ad Iſraeliticum populum morte delendum allicere conatus eſt, dicens: *Eſt populus per omnes prouincias Regni tui diſperſus. Si tibi placet, decerne vt pereat; & decem millia talentorum appendam arcarijs gazæ tuæ. Dixitque Rex ad eum: Argentum, quòd tu* A *polliceris, tuum ſit; de populo age quod tibi placet.* Sed impii Amani iniquitate comperta pro argento ſuſpendium habuit. *Dixit Rex: Appendite eum. Suſpenſus eſt Aman in patibulo.* Similiter Iudas pro argento, quod ex auaritia acquirere ſtuduerat, in ſuſpendii laqueum incurrit: eiuſque guttur laqueo obſtrictum rapacis manus pœnas dedit.

Chryſoſt. c. 1. ſer. de Abſalomo. Abſalon, & Iudas ſimul comparantur.

585. Quod de impio in patrem Abſalomo Chryſoſtomus ait, de Iuda Christi proditore dicere poſſumus: *Pendens iam mortuus ab hominibus inuenitur; quem nec iam cœlum potuit conſpicere viuum, nec terra vlterius ſuſtinere. O nefandum meritum! parricidæ iniuriam vindicans ligna, arbor vlciſcitur.* De Iuda Petrus Apoſtolus ait Actorum cap. 1. 18. *Suſpenſus crepuit medius, & diffuſa ſunt omnia viſcera eius.* Cum enim in arborem aſcendiſſet, & eius ramo funem alligaſſet, inſerto in laqueum collo pedes remouens ex arboris fulcimine, vbi inſiſtebat, magno impetu ſe præcipitem deorſum impulit: cumque obſtricto laqueo collo, penſilique corporis onere, intercluſa reſpiratio impetum in ilia faceret, medius diffuſis impiis viſceribus crepuit. Hinc patet ſuſpendio Iudam vitam finiiſſe. Quare contra ſententiam Theophylacti, Euthymii, Papiæ apud Oecumenium, & Magiſtri Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, qui poſt ſuſpendium rupto laqueo aliquantum temporis Iudam ſuperuixiſſe aſſerunt, ſunt allata verba ex Actis Apoſtolorum: *Suſpenſus crepuit medius, & diffuſa ſunt omnia viſcera eius.* Sunt etiam verba Hieronymi ſupra allata abſolutè dicentis: *Iudas ſuſpendio perijt.* Sunt etiam verba Auguſtini, qui explicans de Iuda illud Pſalmi 108. *Fiant dies eius pauci,* ait, *Dies eius paucos factos eſſe, quoniam ante paſſionem Domini ſcelere ipſius, & morte conſumpti ſunt.* Itidem verba Bedæ, qui ait Iudam ſuſpendio periiſſe, *vt guttur, per quod vox proditionis exierat, laquei nodus necaret.* Denique Syriaca lectione dicitur: *Abiens laqueo ſe* D *ſtrangulauit.*

Iudas ſuſpendio periit, non ſuperuixit.

Beda in Acta Apoſtolorũ c. 1.

Iudas cur crepuit medius.

586. *Crepuit medius.* Inuenio interpretem, qui huius rationem reddit, quia non decuit per os, quo fraudulenter oſculatus erat Christum, egredi maleuolam, & perfidam animam: quaſi verò ſpiritualis anima omninò indiuiſibilis ore, aut alio aditu ad egrediendum indigeret. Dicendum potius Iudam crepuiſſe medium, vt ea potiſſimùm pars, vbi crumenam iniqua pecunia plenam habuerat, in auaritiæ pœnam diſrumperetur.

Iudas, & Arius ſimul cõparantur. Nazianz. orat. 31. in laudem Athanaſii.

587. *Diffuſa ſunt omnia viſcera eius.* Iudas proditor cum impiis Iudæis conſpirando, Dei filio mortalem vitam ademit; Arius eidem Dei filio Diuinitatem adimere conatus eſt. Vterque diffuſis viſceribus periit. Hinc Nazianzenus ait: *Arius petulantis, & effrenatæ linguæ pœnas dedit in obſcœnis, & impuris locis extinctus, ac Iudæ inſtar diſruptus ob eamdem Verbi proditionem.* Arius diſrupta aluo viſcera effudit, quòd Dei filium ex æterni Patris *vtero ante Luciferum genitum* negauit. Viſcera itidem Iudas effudit, quòd in *viſceribus miſericordiæ Dei noſtri, in quibus nos viſitauit oriens ex alto*, ad impetrandam veniam non ſperauerit. Eamdem cum Iuda Arii comparationem affert Ambroſius libro primo de fide ad Gratianum cap. 9. dicens: *Vt ag-*

Pſ. 109. 3. Lucæ 1. 78.

noſceremus ſimilem Iudæ proditoris Arij quoque fuiſſe perfidiam, quem ſimilis pœna damnauit: effuſa ſunt & Arii viſcera. Pudet dicere vbi: atque ita crepuit medius proſtratus in faciem, ea, quibus Chriſtum negauerat, fœda ora polluens. Non eſt fortuita mors, vbi in ſacrilegio pari pœna parile proceſſit exemplum; vt idem ſubirent ſupplicium, qui eumdem Dominum negauerunt, & qui eumdem Dominum prodiderunt.

[Iudæ præuaricatio ſollicitæ cautelæ documentum.]

588. Iudæ caſu vnuſquiſque; ne ex optimo vitæ ſtatu in deterrimum cadat, ſollicitè cauere debet. Ideo benè Baſilius ep. ad Chilonem monet: *Iudæ execranda prolapſio à melioris vitæ rudimentis ad exitum ſortiti teterrimæ ſatis ſuperque*
B
eſſe debet, ad communiendos, tuendoſque Dei famulos in via inſtituta rectitudinis. Hic namque Chriſto vbi diutius cohæſiſſet diſcipulus, ineſcatus tandem qualiſcumque lucelli illecebra, & doctorem verum expoſuit, & per improbam eam negationem implicito ſibi laqueo præfocauit gulam. Ne ergo dederis ſomnum oculis tuis; & palpebris tuis dormitationem. [Pſ. 131. 4.] Gregor. 25. moral. cap. 9. cum dixiſſet: *Labuntur reprobi à ſtatu iuſtitiæ, & locum vitæ, illis cadentibus, alij ſortiuntur:* ſubdit: *Quis hominum æſtimare potuiſſet Iudam viuendi ſortem etiam poſt miniſterium Apoſtolatus amittere? Et quis è contra latronem crederet cauſam vitæ etiam in ipſo articulo mortis inuenire? Occultus Iudex vtrorumque corda diſcer-*
C
nens, alterum piè ſtatuit, alterum iuſtè confregit. Ideo Iob. cap. 34. 24. de Deo dicitur: *Conteret multos, & innumerabiles, & ſtare faciet alios pro eis.* Ideo bene monet Apoſtolus prima ad Corinth. c. 10. 12. *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat. Vtile eſt omnibus, vel penè omnibus, vt quales futuri ſunt ſcire non poſſint; vt quiſque dum neſcit, an ſit in bono perſeueraturus, humiliter, & ſollicitè Dei gratiam imploret; cum eáque caſum cauere, & in gratia perſeuerare ſatagat*, ait Auguſtinus libro de bono perſeuer. cap. 8.

589. Iudic. 9. per parabolam dicitur: Plures arbores oblatum ſibi in plantas reliquas im-
D
perium refutaſſe. Multò magis, ſi ſenſu præditæ fuiſſent, infelix Iudæ ſuſpendium arbores à ſe reiecturas fuiſſe cenſeri poteſt. Nihilominus deſperati Iudæ ſuſpendio fici arborem inſeruiiſſe aſſerit Iuuencus presbyter, & Beda c. 4. de locis ſanctis. [Iudas è fici arbore an ſe ſuſpenderit.] Qui addit talem arborem ſuo tempore ſuperfuiſſe. Ad Bedæ ſententiam comprobandam addunt aliqui iuxta Theodoretum, Procopium Iſidorum Peluſiotam, & Gennadium in catena Lippomani in Gen. cap. 3. 27. etiam ficum infelicem arborem fuiſſe, ex qua primi parentes vetitum fructum comederunt. Quod confirmat Barcaphas lib. de Paradiſo, *quia credibile eſt, ſimul atque de ea arbore primi parentes ediſſent; tum patrati ſceleris ani-*
E
maduerſione, tum pudore nuditatis, quæ pudenda ipſis, & probroſa eſſe cœperat, ex eo, quod proximè ad manum erat, ſubligacula ſibi comparaſſe, quibus ſua obuelarent pudenda. Ea verò ex ficulnea eſſe facta teſtatur Scriptura: nec eſt veriſimile eos proxima eis arbore prætermiſſa, ad aliam longius diſtantem feſtinaſſe. Sed eo quòd primi parentes, *cum cognouiſſent ſe eſſe nudos, conſuerunt ſibi folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata*, vt dicitur Gen. 3. 7. Oppoſitum deduci videtur; ſcilicet è fici arbore vetitum pomum non fuiſſe diſcerptum. Nam, vt bene

[Ficus non fuit primis parentibus vetitum pomum.]

A
cum Toſtato Peretius ait: *Cum ſtatim ac comederunt fructum vetitum, ſenſerint & malum, in quod incurrerant, & bonum, quo fuerant priuati: haud dubiè ingens eos illius arboris horror, & odium cepit; ex qua tantùm damnum accepiſſent. Timuiſſent eius folia contrectare, & ſibi in vſum veſtis admittere, maius aliquod malum ex ea ſibi metuentes.* [Toſtatus in 13 Gen. 9. 164. Pererius in Gen. l. 3. Diſput. de arbore ſcientiæ boni, & mali. Q. 2.] Præſertim cum Eua paulò ante tranſgreſſionem ſerpenti dixerit: *Præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne forte moriamur.* [Gen. 3. 3.] Adde ſecundò Scripturam indicare Euam abſente viro poſt colloquium cum ſerpente prius è vetita arbore ediſſe; poſtea fructum eius, quem innoxiè ſibi comediſſe viſa eſt, ad virum procul ex ea
B
arbore ſtantem detuliſſe. Præterea tertiò etiamſi ſimul Eua, & Adam èx vetita arbore comediſſent, adhuc à propria conſcientia, & nuditatis confuſione ſui criminis redarguti à delicti loco receſſiſſent. [Gen. 3.] Quartò de vetita arbore, eiuſque fructu dicitur: *vidit mulier quòd bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuque delectabile; & tulit de fructu illius, & comedit.* At fici arbor florum expers ſuo cum fructu pulchra oculis, aſpectuque delectabilis non videtur: quod quidem potius arboribus aliis iucundè florentibus pomaque colore aureo, purpureoque miſta habentibus conuenire videtur. Ficum ergo neque primo-
C
rum parentum præuaricationi, neque Iudæ ſuſpendio deſeruiiſſe dicendum eſt; eamque inter felices arbores Veranius de verbis Pontificalibus numerat. Si quis tamen è ficu Iudam ſe ſuſpendiſſe contendat, ad id confirmandum non vetitam primis parentibus arborem afferre debet; ſed potius ficum, quam Dominus Iudæ exitium præuidens, paulò ante ſuam paſſionem aridam reddidit Matthæi 21. 19. Marci 11. 13. Quod confirmari poteſt, ex eo quòd ad auertendum Iudam à proditione, eumque terrendum, Dominus ficum arefeciſſe à Chryſoſtomo dicitur t. 2. conc. prima de Lazaro, vbi ait: *Vt terreat diſcipulum*, nempe Iudam, *ne*
D
per contemptum fieret deterior; in ficum arborem ſuam poteſtatem exercuit dicens: Ne poſthac ex te fructus naſcatur. Eaque mox ſimplici verbo exaruit. Diſcipulus autem ſi hæc animaduertiſſet, ingentem ex hac vltione cepiſſet vtilitatem. [Matth. 21. Marci 11.] Denique quod Beda aſſerit, ficum ex qua ſe Iudas ſuſpendit, ſuum vſque tempus perduraſſe probabile non videtur: Cum ex Domini paſſione vſque ad Bedam propè ſeptingenteſimo trigeſimo primo Domini anno in viuis erat, vt ipſe teſtatur in fine 5. libri hiſtor. Angliæ.

590. *Vulgus inter nos Iudam è ſambuco ſuſpenſum ſentit* ait Mariana. Romæ etiam canes quotannis è ſambuco ſuſpendebantur. *Supplicia annua canes pendunt viui in furcas ſambuceæ arbore fixi.* ait Plinius lib. 29. cap. 4. idque [Iudas Sambucum ad ſuſpendium elegit.]
E
quia Gallis Senonibus in capitolium irrepentibus non latraſſent. Iudas autem cùm non modo contra Domini hoſtes non latraſſet, ſed eos ad Dominum comprehendendum duxiſſet multò iuſtius, quàm canes hoſtibus non latrantes è Sambuci furca ſuſpendium meruit. [Canes quotannis Romæ è Sambuco ſuſpendebantur.] Huic ſententiæ opponi poteſt, quòd noſtrates ſambuci ad ſuſpendium ſuſtentandum fragiliores videntur. Reſponderi poſſet 1. ex Theoph. arborem ex qua ſe Iudas ſuſpenderat, oneri ſuſtinendo imparem inclinatam eſſe, & Iudam ſuſpendio ſuperuixiſſe, Sed quoniam hanc ſententiam ſupra refellimus.

respondetur secundò, etiamsi nostrates Sambuci fragiliores sint, alibi tamen duriores sunt, adeoque oneri sustinendo non impares, vt testatur Plin. l. 16. c. 39. dicens: *Sambuci interiora mire firma traduntur: namque qui venabula ex ea faciunt, praeferunt omnibus.*

591. Quæritur hic denique quo tempore se suspenderit Iudas? Auctor Quæst. veteris, & noui Testam. Q. 94. respondet: *improbabile est apud me quo die, immo quo tempore laqueo vitam finierit Iudas Iscariotes.* Sed cum Euangelista dicat statim ac Iudas Dominum à sacerdotum Principibus, aliisque adstantibus ad mortem damnatum vidit, eum triginta argenteos retulisse, seque laqueo suspendisse; tunc eius suspendium, non postea fuisse dicendum est. Contra hoc citatus quæstionum auctor opponit, Iudæ suspendium ante passionem fuisse, *non inde probari posse, quia ante passionem relatum est: Cum sint multa, quæ cum ante facta probentur, nouissima ordinantur; & iterum quando locus admittit, vt quod post factum est, ante ponatur.* Sed contra est, quia in Euangelica historia iste inuersus ordo tunc est admittendus, quando ex alio Euangelista, & ex ratione constat posterius quod narratur, ante factum esse; vel prius narratum factum esse postea. Quod in casu nostro non accidit, cum neque ratio, neque Euangelista alius temporis ordinem, quo Matthæus Iudæ suspendium narrat, inuertere cogat. Iudas ergo ante Domini mortem se suspendit. Ita sensit Origen. tract. 35. in Matthæum: quamuis ratio, quam ibi Origenes affert, non probetur. Ait enim Iudam *recordatum ea, quæ frequenter Iesus dixerat de resurrectione sua futura, existimasse praeuenire in morte moriturum Magistrum, & occurrere ei cum anima nuda, vt confitens, & deprecans misericordiam mereretur.* Quæ de Iuda Origenis sententia reiicienda videtur; non enim credibile est per maximum scelus, cuiusmodi est seipsum interimere, Iudam sperasse à Domino se veniam, & misericordiam consecuturum. De Iuda plura sunt fer. 2. maior. hebdom.

Apud August. t. 4

Iudas ante Christi mortem se suspendit.

Principes autem Sacerdotum acceptis argenteis dixerunt: Non licet ea mittere in corbonam, quia pretium sanguinis est.

592. Cum Sacerdotum Principibus apud Pilatum in Domini morte procuranda occupatis, relatum esset Iudam argenteos in templum proiecisse, acceptis, hoc est receptis per alios argenteis, dixerunt eos non in templi gazophylacio, seu corbona, vbi fidelium oblationes seruabantur, ponendos esse; sed alibi seruandos, donec ipsi, quid de eis faciendum esset, decernerent: quod quidem postea decreuerunt, vt mox dicetur.

Consilio autem inito emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum: propter hoc vocatus est ager ille Aceldama, hoc est Ager sanguinis, vsque in hodiernum diem.

593. Ex inito consilio agri emptionem post Domini passionem factam censendū est. Non enim credibile est Sacerdotum Principes, vt Dominus ad mortem damnaretur acerrimè insistentes, ad agri emptionem animum diuertisse. In peregrinorum sepulturam à Iudæis agrum emi, sui sanguinis pretio Dominus voluit, vt Iudæi æternum impietatis suæ relinquerent ex agri empti o- ne monumentum, iuxta Hieronymum. Dominus Lucæ 19. 40. dixit: *Si hi tacuerint, lapides clamabunt.* Si obstinati Iudæi in Christi morte procuranda sacrilegum suum scelus fateri renuent, ager ille à pœnitente proditore restituta pecunia emptus suis glebis, fruticibus, herbis, & mortualibus sepulchrorum lapidibus in omnem consequentium temporum posteritatem Christi Domini innocentiam vel muto ore testabitur.

Christi innocentiam ager in peregrinorum sepulturam emptus testatur.

594. *Emerunt ex eis agrum figuli in sepulturam peregrinorum.* Ager figuli dicitur, non solùm quòd à figulo quodam fuerat antea possessus; sed quia Domini sanguinis pretio emptus est iuxta Hieronym. *Figuli ager appellatur, quia figulus noster est Christus*, qui est Dei filius, adeoque rerū omnium opifex. De Deo enim dicitur Eccl. 33. 13. *Quasi lutum figuli in manu ipsius*: seu, vt Syrus ait: *sicut lutum, quod plasmatum est per manum figuli, ita homo in manu creatoris sui.* Isa. 64. *Domine pater noster es tu; nos verò lutum, & fictor noster es tu.* Vt in huius diuini figuli agro, peregrinorumque sepulchro mortui mundo spiritualiter sepeliamur; in hac mortali vita peregrini sumus; hunc scil. ad cœlestem patriam tendentes, ibi æternam felicitatem consecuturi. Ideo Eccl. 16. 15. dicitur: *Misericordia faciet locum vnicuique secundùm meritum operum suorum, & secundùm intellectum peregrinationis ipsius.* Recipiet enim quisque mercedem in cœlo iuxta vitam sapienter in hac peregrinatione peractam.

Christus figulus, & ipse met ager figuli: hic. & sequ.

595. *Vocatus est ager ille Aceldama, hoc est ager sanguinis*, seu ex Hebraismo, *ager sanguineus.* Tale nomen huic agro tributum est, non quòd in eo se Iudas suspenderit, diffusisque visceribus sanguinem fuderit, ibique humatus sit; ita vt propterea de Iuda dictum sit Actor. 1. 18. *Possedit agrum de mercede iniquitatis*: Sed quia Christi Domini sanguinis pretio emptus est. Dicitur autem non solùm ager ille Domini sanguinis pretio emptus, ager sanguinis, seu ager sanguineus: sed ipse Dominus sua in passione veluti sanguineus ager fuit: quandoquidem de se ait Psal. 128. 3. iuxta Chaldæum: *Super corpus meum arauerunt arantes*: & Psal. 21. *Foderunt manus meas, & pedes meos*: Iis, qui in sanctissimo Christi sanguineo agro sepeliuntur, benè Apostolus ait: *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo*: & ad Rom. 6. 4. *Consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem*; in mortem scilicet peccati.

Ad Colos. c. 3 3.

Tunc impletum est, quod dictum est per Ieremiam Prophetam dicentem: Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiauerunt à filiis Israel; & dederunt eos in agrum figuli: sicut constituit mihi Dominus.

596. Citata Prophetæ verba alii tribuunt Zachariæ, alii Ieremiæ. Qui tribuunt Zachariæ in duas difficultates incurrunt: prima est, quia Zachariæ verba, licet de Christo argenteis vendito intelligantur; nihilominus Zachariæ sententia, & verba, sententiæ, verbisque apud Matthæum citatis multùm dissimilia sunt; in quibus concordandis auctores allatæ sententiæ valdè laborant. Secunda difficultas est, quia iidem auctores soluere debent, neque id plane assequuntur, quomodo ab Euangelista pro Zacharia Ieremias citetur. Huic difficultati respondet Maldonatus Euangelistam nullius Prophetæ nomen posuisse, sed tantùm dixisse: *Tunc impletum est, quod dictum est per Prophetam*:

Prophetæ citata verba Ieremiæ tribuenda non Zachariæ.

Scriptorem verò aliquem cum putaret Ieremiæ citari testimonium, eius nomen ad marginem adscripsisse; postea aliquem alium in contextum inseruisse. Confirmat hanc coniecturam, quòd in Syriaco Euangelio Ieremiæ nomen non legatur; quodque Augustinus scribit suo tempore in multis Latinis codicibus non legi. Contra hoc tamen bene ipse Augustinus obijcit nullam afferri causam, cur Ieremiæ potius, & non alius Prophetæ nomen à scriptore aliquo additum fuerit. Præterea quacumque ex causa additum Ieremiæ nomen, in vulgata editione diligenter sæpe recognita delendum erat; si Zachariæ, non Ieremiæ citata in Euangelio verba tribuenda forent. Has omnes difficultates vitant, qui Euangelistam ipsum Ieremiam citasse censent. Debent tamen respondere vbi citata Ieremiæ verba reperiantur; cum in eius, quæ extat, prophetia non reperiantur. Benè tamen respōdent Ieremiā præter eius, qui nunc extat, librum, alios scripsisse, vt patet ex verbis illis 2. Machab. cap. 2. *Inuenitur in descriptionibus Ieremiæ Prophetæ, quod iussit eos ignem accendere* In iis libris, qui interciderunt, citata verba fuisse dici potest; nisi quis velit, vt Eusebius indicat, citata ab Euangelista verba in hoc ipso, qui nunc extat Ieremiæ libro fuisse, ea tamen à Iudæis fuisse deleta.

597. *Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiauerunt à filiis Israel.* Explicat Propheta, ad quid triginta argentei expensi sint, scilicet ad soluendum pretium, quo Christus Dominus, cum à proditore Iuda venderetur, appretiatus, hoc est æstimatus est. *Quem appretiauerunt à filiis Israel*: Qua Dominus non ab exteris Gentilibus, sed ab Israëlitis maxima ab eo beneficentia affectis, tam vili pretio fuerat appretiatus. Cum autem dicitur, *quem appretiauerunt à filiis Israel* idem est ac, iuxta iudicium filiorum Israël, nempe sacerdotum, principum, populique seniorum. Vel inuerso verborum ordine, eorum constructio est: Pretium appretiati à filiis Israël; quem tanti, & non pluris ipsi æstimauerunt, seu appretiauerunt. De triginta argenteis dictum est supra in illa verba: *Illi constituerunt triginta argenteos.*

598. *Et dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus.* Interpretes qui hæc verba tribuunt Zachariæ, afferunt illius verba cap. 11. v. 13. *Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos: & dixit Dominus ad me: Proijce illud.* scilicet pretium *ad statuarium.* Quare illa verba: *dixit Dominus ad me:* refert Euangelista dicens: *Sicut constituit mihi Dominus*, hoc est præcepit. Sed quoniam censemus citata ab Euangelista verba esse Ieremiæ, recolenda est Scripturæ regula, qua docemur iuxta Hebraicum idioma in Scriptura vsurpari interdum verba realia pro verbalibus, vel mentalibus. Hinc Leuit. 13. v. 6. & deinceps dicitur: *Sacerdos mundabit*, vel *contaminabit leprosum*, id est mundatum, vel contaminatum declarabit, & pronuntiabit. Similiter Ierem. cap. 1. 10. dicitur: *Constitui te super gentes, & super regna; vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes;* id est, vt vaticineris, & prædices has gentes euellendas esse & destruendas illas verò ædificandas, & plantandas. Similiter cùm Propheta ait: *Sicut constituit mihi Dominus* sensus est: Sicut Dominus à se constitutum, & decretum mihi declarauit, seu reuelauit. Simili significatione Iob cap. 14. 13. Deo dixit: *Quis mihi hoc tribuat, vt constituas mihi tempus, in quo recorderis mei?* Vbi S.

Verba realia prouerbialibus, vel mentalibus interdum vsurpantur.

A Iob Deum precatur, non vt tunc constituat tempus; cum omnia ab æterno constituerit, sed vt constitutum tempus, in quo eius Dominus recordaretur, id est misereretur, ei significet.

Iesus autem stetit ante Præsidem; & interrogauit eum Præses dicens: Tu es Rex Iudæorum? dicit illi Iesus: Tu dicis.

599. HÆc Domini responsio an affirmatiua sit, an anceps & suspensiua, diximus supra, cum interroganti Iudæ: *Numquid ego sum Rabbi?* Dominus respondit: *Tu dixisti.*

B *Et cum accusaretur à Principibus Sacerdotum, & Senioribus, nihil respondit.*

600. QVod generaliter Matthæus dixit: *Cum accusaretur*: particulariter Lucas refert cap. 23. 2. *Cœperunt illum accusare dicentes: Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dare Cæsari; & dicentem se Christum regem esse.* Quibus in accusationibus eorum maligna peruersitas, confictaque calumnia aperte patet. Primo, cum Iudæorum gentem Dominus subuertisse dicatur, cur ex tanta Iudaici populi multitudine aliqui, quos Christus subuertere voluerit, non afferuntur? si, vt ipsi dicunt, *Commouit populum incipiens à Galilæa vsque huc*; C cur tantæ popularis commotionis ad vigiles Romani Magistratus aures, rumor nullus, nec fama peruenit? Cur ante hoc tempus, cum populus subuerti cœpit, accusatio ad Romanum Tribunal non allata est? In hac igitur prima, aliisque sequentibus contra Christum calumniis, non Christum tantùm, sed se ipsos, Præsidemque Romanum accusarunt: Præsidem quidem Romanum, quòd valdè ignauus fuisset, si cum populus subuerteretur, & Christus se Iudæorum Regem esse diceret, prohiberetque tributa Cæsari dari; ex his omnibus nihil antea plane cognouerit. Rursus se ipsos accusant: Cum enim quis in populo seditiosus est, D aliosque subuertere studet, regnumque ambit, statim deferendus est; omnisque mora vt læsæ majestatis crimen habetur. Cæterùm Domino sub Ezechielis persona ab æterno Patre dicitur: *Fili hominis; ne timeas eos, neque sermones eorum metuas; quoniam increduli, & subuersores sunt, & cum scorpionibus habitas.* Furum autem proprium est fures alios appellare: Similiter Iudæi, cum populi subuersores essent, Dominum populum subuertisse dicunt.

Iudæorum Christum calumniantiũ malignitas, & falsitas.

Luc. 23. c. 5.

Ezech. 2. c. 6.

601. Secunda calumnia, & falsitas est, quòd Dominus prohibuerit tributa dari Cæsari: cum Dominus oppositum dixerit: Viso enim numismate, Cæsaris imagine, & superscriptione impresso dixit: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari:* E Cumque ipse Capharnaum ingressus, pro se, & Petro staterem pecuniæ genus in tributum dederit. Tertia calumnia est, quod Christus se regem esse dixerit, & tamen post panum multiplicationem, *Cum cognouisset, quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus:* quod quidem testari poterant viri numero quasi quinque millia, vt habetur Ioan. 6.

Matt. 22. 17.
Matth. 17. 27.

602. Quæri hic potest cur Dominum accusantes præter has calumnias non etiam dixerint, eum dæmonium habere, & dæmonis operâ prodigia plura fecisse, vt alibi dixerunt? Respondetur hanc etiam calumniam Domino Iudæos op-

Luca 11. Christum tanquã dæ-

monũ operæ prodigia facientem cur Iudæi, vt aliàs, non accusarint.

posuisse, vt patet ex ipsius Pilati epistola ad Tiberium, allata ab Hesegippo libro quinto. Si verò quæratur cur cum reliquis talem calumniam accusationemque Lucas non retulerit? Respondeo probabiliter censeri posse, non ante, sed post Domini passionem Iudæos hanc in Christum calumniam attulisse: si enim antea apud Pilatum id Domino obiecissent; ne Pilatus id experiri vellet, & Dominus miraculum aliquod irrefragabile ederet, metuebant.

603. *Cum accusaretur, nihil respondit. Vbi auditus non est, non effundas sermonem*, dicitur Eccli. 32. 6. Quare bene noscens Dominus apud obstinatos Iudæos ipsique maximè infensos auditum non esse; nolle scilicet æquas aures, animumque eius verbis exhibere; ideo eorum calumniis nihil respõdit. Dices: saltem Pilatus non illibenter Christum, quid pro se responderet, auditurus fuisset. Respondetur etiam apud Pilatum sua verba tandem non profutura Dominum nouisse: cum bene nosceret Pilatum, non restiturum Iudæorum vocibus Christum ad mortem petentium. De Suzanna quæ ad Iudicium vocata nihil pro se respondit Dan. 13. 35. sed *flens suspexit ad cœlum*, ait Ambrosius: *Suzanna dum tacet in iudicio, melius locuta est oraculo; & ideo Prophetæ*, nempè Danielis *meruit defensionem, quæ propria voce non quæsiuit auxilium.* Ad Susannæ innocentiã significandam Danielis oraculo vsus est Deus: ad sanctissimi filij sui significandam innocentiam, multò mirabilius testimonium elicuit ex proditore, qui dixit: *Peccaui tradens sanguinem iustum*: testimonium elicuit ex Ethnico iudice, nempe Pilato, qui accusatoribus dixit: *Obtulistis mihi hunc hominem quasi auertentem populum: & ecce ego coram vobis interrogans nullam causam inueni in homine isto ex his, in quibus eum accusatis: sed neque Herodes; nam remisi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum est ei.*

Christus cur accusãtibus non respondcrit.

Ambros. l. de Ioseph c. 5.

Tunc dicit illi Pilatus: Non audis quanta aduersum te dicunt testimonia? & non respondit ei ad vllum verbum; ita vt miraretur Præses vehementer.

604. CVm Dominus muto linguæ vinculum abstulisset: *Locutus est mutus. & mirata sunt turbæ*, Matth. 9. 33. Ibi restitutam muto loquelam, vt mirum prodigium admiratæ sunt turbæ: hìc Domini silentium, accusantibus eum acerrimè Iudæis, meritò Præses, vt ingens miraculum habuit. *Quod scriptum est, non solùm mirari Pilatum, sed etiam valdè mirari, monet me, vt existimem, quoniam dignum ei videbatur magno miraculo, vt exhibitus ad criminale iudicium Christus, inturbabilis maneret, & staret ante mortem, quæ apud omnes homines terribilis existimatur*, ait Origen. tract. 35. in Matth.

Christi silẽtiũ pro magno miraculo habetur.

605. *Non audis quanta aduersum te dicunt testimonia?* Inter hæc testimonia illud erat: *Commouet populum docens per vniuersam Iudæam incipiens à Galilæa vsque huc. Pilatus autem audiens Galilæam, interrogauit: si homo Galilæus esset.*

Luca 23. 5.

A *Et vt cognouit, quòd de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem. Herodes viso Iesu gauisus est valdè. Erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eo quod audierat multa de eo, & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. Interrogabat autem eum multis sermonibus. At nihil illi respondebat.*

Spreuit illum Herodes cum exercitu suo, & illusit indutum veste alba, & remisit ad Pilatum. Lucæ 23.

606. GRegorius explicans Iob verba 12: *Lampas contempta apud cogitationes*
B *diuitum, parata ad tempus statutum*, ait: *Redemptor nobis lampas veraciter extitit; qui pro redemptione nostra in cruce moriens, tenebrosis nostris mentibus lucem per lignũ fudit. Huius lampadis flammas Herodes explorare voluit, cum eius miracula videre concupiuit. Sed lampas ante oculos nullo radio lucis emicuit; quia ei, qui se non piè, sed curiosè quæsierat, nihil de se mirabile ostendit. Inquisitus quippe Redemptor tacuit; expectatus miracula exhibere contempsit; seseque apud se in occultis retinens, eos quos exteriora quærere comperit, ingratos foris reliquit; magis eligens apertè à superbientibus despici, quàm a non credentibus vacua voce laudari. Vnde protinus lampas ista contempta est,*
C *sicut illic subditur: Spreuit illum Herodes cum exercitu suo, & illusit indutum veste alba.*

Christi diuina lux, veluti lampas contẽpta apud Herodem.

Christus coram Herode cur tacuerit: hic, & sequenti.

607. Dominus sub Mosis figura cœlestem doctrinam hominibus manifestans dixit: *Fluat vt ros eloquium meum.* Domini enim verba veluti cœlestis ros in pretiosas margaritas coalescere videbantur; quibus humana mens pulcherrimè exornabatur. De sanctissimis his margaritis ipse Dominus dixit: *Nolite sanctum dare canibus; neque mittatis margaritas ante porcos.* Vbi Chrysostomus ait: *Canes hi significant homines in impietate viuentes immedicabili; spemque omnino conuersionis in melius non habentes. Porci verò significant homines in luto infrænis luxuriæ iugiter commorantes: quos sanè omnes sua doctrina pro-*
D *nunciauit indignos.* Cum ergo ex impietate, & incestuosa luxuria se veluti canem, & porcum Herodes gereret; hinc ei Domini verba neganda erant; ideoque pluribus eius verbis nihil Dominus respondit.

Deuter. 32.

Matt. c. 7. 6.

Herodes cani, porcoque similis.

608. Ex Domini ergo silentio indignatus Herodes; eumque quòd accusantibus Iudæis nihil pro se responderit, fatuum existimans alba veste dementibus dari solita indui præcepit. *Stultus si tacuerit, sapiens reputabitur*, dicitur Prouerb. 17. 28. Contra Christus Dominus Dei sapientia cum tacuisset, peruerso Herodis iudicio stultus est reputatus. Sanctissimus Domini præcursor Ioannes Baptista in matris vtero sanctificatus ab Isaia 49. propheticè inducitur dicens:
E *Dominus ab vtero vocauit me; de ventre matris meæ recordatus est nominis mei; & dixit mihi: seruus meus es tu Israël, quia in te gloriabor.* Verè in Ioanne Baptista gloriam posuit Dominus, cum sanctus præcursor eius gloriam manifestauerit dicens: *Ecce Agnus Dei; ecce qui tollit peccatum mundi.* Cum ergo Herodes Ioannem Baptistam vita spoliasset, Dominus Iobi verbis dicere potuit: *Spoliauit me gloria mea.* Impio autem Herodi non satis fuit gloria Dominum spoliasse; sed insuper ignominia Dominum induere voluit: eum tanquam fatuum alba indutum, illusumque veste dimisit.

Ioan. c. 1. 29

Herodes impiè Dominũ gloria spoliauit & ignominiosa veste induit.

Iob 19. 9.

609. Christus Dominus tum glorificationis,

tum passionis tempore sub veste candida visus est. Glorificationis quidem tempore, cum in monte Thabor *vestimenta eius facta sunt alba sicut nix*: Passionis verò tempore, cùm illum Herodes illusit indutum veste alba. *Omni tempore sint vestimenta sua candida*, monet Ecclesiastes; & addit: *Oleum de capite tuo non deficiat.* Verè omni tempore misericordiæ oleum è Domini capite non defecit: siue enim ab æterno Patre glorificatus, siue ab hominibus illusus, nunquam humani generis misereri desiit. Hoc ipso tempore, quo ab Herode illusus est, ei cum Pilato reconciliationis beneficium contulit: *Et facti sunt amici Herodes & Pilatus: nam antea inimici erant ad inuicem.* Quàm verè de Christo Domino Apostolus ait: *Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum.* Reconcilians autem Herodem Iudææ regem cum Pilato Gentili præsignificauit Dominus in vnam Euangelicam fidem, & Ecclesiæ gremium post suam passionem simul Iudæos, & Gentiles à se congregandos.

Matth. 17. Christus glorificationis, & passionis tẽpore candida veste indutus. *Eccles. c. 9. 8* Christus omni tẽpore erga homines misericors. *Luca 23. 12.* *ad Ephes. 2. 14.*

610. *Spreuit illum Herodes cum exercitu suo.* Herodes alter cum audisset à Magis natum esse Regem Iudæorum, *turbatus est, & omnis Ierosolyma cum illo.* Sicut *Regis ad exemplum totus componitur orbis*; sic, *Regis ad exemplum totus peruertitur orbis.* Quanta exempli vis, vel ad bonum, vel ad malum sit, vide Dominica prima Quadragesimæ in illa verba: *Ductus est Iesus in desertum* Fer. 3. Dom. 2. *Dicunt, & non faciunt.* Dominica 3. *Extollens vocem quædam mulier*; Fer. 4. Dominica 4. numero marginali 12. Fer. 5. Dominica 4. n. 4. & Fer. 5. maioris hebdomadæ: *Exemplum dedi vobis.* De Herode, qui cum exercitu suo Dominum spreuit, quique Ioanni Baptistæ caput antea amputarat, ait Genebrardus libro secundo Chronolog. *Herodes Antipas ab Herode Agrippa accusatus apud Caium, quòd amicitiam firmasset cum Parthis, Lugdunum in exilium cum Herodiade mittitur. Illic vterque miserabiliter, & in summa egestate moritur, pœnas luens interfecti Ioannis Baptistæ, & illusi Christi.* Sed Egesippus lib. 2. Eusebius lib. 8. Iosephus libro 18. Herodem hunc in Hispaniam fugisse, ibique mœrore consumptum periisse scribunt.

Matth. 2. 3. Exemplum prauũ quã noxium. Herodis miserrimus exitus.

Per diem autem solemnem consueuerat Præses populo dimittere vnum vinctum, quem voluissent. Habebat autem vinctum insignem, qui dicebatur Barabbas. Congregatis ergo illis dixit Pilatus: Quem vultis dimittam vobis? Barabbam, an Iesum, qui dicitur Christus?

Matt. 27. 15.

611. Antequàm cruci affigeretur, oblatum est Domino *vinum cum felle mistum.* Vinum, quod ad vires reficiendas dabatur, felle est mistum, ad palatum amaritie cruciandum. Similiter Pilati voluntas liberandi Christum Dominum cum insignis ignominiæ amaritie mista est: collatus est enim innocens Dominus cum Barabba homine scelesto, seditioso, & homicida. *Numquid Deo potest comparari homo?* dicitur Iob 22. Quod fieri non posse videbatur, hic fieri videmus; comparatur enim Dei filio non homo tantùm, sed scelestus, seditiosus, & homicida.

Mat. 27. 34.

Sciebat enim, quòd per inuidiam tradidissent eum.

612. Cum in iis, quæ Christo obijciebantur, Pilatus nihil veri reperisset, hinc bene coniecit Iudæos tam rabidè Dominum ad necem poscentes, in eum non nisi inuidia commoueri. De Iosepho filio nesciens Iacob quid diceret, diuinauit dicens, *Fera pessima deuorauit Ioseph.* Fera pessima non syluestris, sed domestica, nempe fratrum inuidia; & quia Ioseph Domini figura fuit, *Fera pessima inuidia Iudæorum* interpretatur ab Hugone. Cur autem tam acerba inuidia Sacerdotum Principes aduersus Dominum afficerentur, causa erat, quia Ophthalmia, seu Lippitudine in mentis oculis laborabant. Ophthalmia autem laborantes à luce dolorem sentiunt: Christus autem Dominus Euangelica doctrina, & miraculis *erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem.* De Iudæis Christi gloriæ inuidentibus, quam sanctissimus Protomartyr Stephanus liberè prædicabat, dicitur: *Dissecabantur cordibus suis.* Si quæras qua serra hi dissecarentur? Respondetur, inuidia. Bene enim Anacharsis pronunciauit, *inuidiam esse serram animæ.* Cum ex inuidia inuidorum corda dissecatur, cæteris hominibus duplo infeliciores sunt; redditque rationem Euagoras: eo quòd alij propriis malis cruciantur; Inuidi verò & propriis malis, & alienis bonis torquentur. E dissecto inuidorum corde impurum purulentum vlcus prouenit, ex quo fœtidus oris halitus in alios semper exhalat. Hinc bene Socrates *animæ vlcus inuidiam* appellauit.

Gen. 37. 33. Inuidia fera pessima. Ophthalmia laborãtes à luce dolorẽ sentiunt. *Ioan. c. 1.* *Act. 7. 54.* Inuidia animæ serra. Inuidi propriis malis, & alienis bonis cruciantur. Inuidia animæ vlcus.

613. Si quis veluti penicillo Pharisæorum Christo inuidentium faciem depictam intueri velit, Ethnicum Poëtam audiat:

Pallor in ore sedet, macies que in corpore toto:
Nusquam recta acies; liuent rubigine dentes;
Pectora felle virent; lingua est suffusa veneno:
Risus abest; nisi quem visi fecere dolores.
Nec fruitur somno, vigilantibus excita curis.
Sed videt ingratos, intabescitque videndo,
Successus hominum; carpitque & carpitur vna;
Supplicium que suum est.

Ouidius 2. Metamor. Inuidiæ effigies.

Quatuordecim pessimas inuidiæ proprietates refert Pererius in Genes. cap. 37. disp. 4. ibique contra inuidiam remedia addit. Sed siquis valde efficax contra inuidiæ stimulos antidotum quærat; cogitet neminem ad inuidiam commoueri; si sua in potestate sit, statim acquirere aliquid pretiosius illo, quod ad inuidiam concitare posset. Fidelis ergo anima, cum opes, honores, supremasque dignitates alios consequi videt, cogitet se diuina ope posse charitatis erga Deum actum elicere, eumque statim eliciat, æstimetque illum, opibus, honoribus, & dignitatibus omnibus multò pretiosiorem. De inuidia plura diximus feria 2. post Dominicam tertiam Quadragesimæ.

Inuidiæ proprietates, & contra eas antidota.

Sedente illo pro tribunali misit ad eum vxor eius dicens: Nihil tibi & iusto illi; multa enim passa sum hodie per visum propter eum.

614. Hic proponitur contradictio, quam apud Interpretes discussam non reperio. Nam hoc cap. 27. v. 13. cum Pilatus Domino dixit: *Non audis quanta aduersum te dicunt testimonia?* Benè Cornelius ait: *Pilatus duxerat Iesum è domo sua foras, vt audiret accusationes*

Euangelij textuū conciliatio.

Principum nolentium ingredi Prætorium, ne contaminarentur Gentilis Præſidis domo, & tribunali; ſed vt puri manducarent Paſcha, vt dicitur Ioannis 18.28. Hic verò cum dicitur: *Sedente illo pro tribunali*, idem Cornelius ait: *Immittitur ſomnium vxori, vt illa marito Pilato in tribunali coram Principibus, & Iudæis illum reuelet, & enunciet; vt ipſi audiant Ieſum eſſe innocentem.* Ex quibus verbis videntur Principes aliique Iudæi in Pilati Tribunal introiiſſe. Vt contradictio tollatur reſpōdendum mihi videtur, cum dicitur: *Sedente Pilato pro Tribunali*, id intelligi debere extra Prætorium, in ſella tamen eò allata ad iudicandum. Iudex enim ad imperturbati animi quietem indicandam ſedens iudicare debet. *Tribunal ſedes eſt Iudicis*, ait hîc Rabanus.

Somnium vxori Pilati diuinitus immiſſum.

615. Quidquid plures alij ſenſerint, ſomnium hoc diuinitus Pilati vxori immiſſum cum Hieronymo cenſeo: vt ſimul ambo coniuges, & vterque ſexus Domini innocentiam teſtaretur. Cum Pilatus prius dixerit: *Nullam cauſam inuenio in homine iſto ex his, in quibus eum accuſatis*: (Lucæ 23.14.) Et poſtea: *Innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius*: eius autem vxor: *Nihil tibi, & iuſto illi*. Similiter Lucæ 2. cum Simeon de Chriſto Domino in templo teſtimonium protuliſſet, *in ipſa hora ſuperueniens Anna Phanuelis filia confitebatur Domino; & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Iſrael.* Vbi benè Ambroſius ait: De Chriſto Domino *Prophetauit Simeon, prophetauit copulata coniugio* ſcilicet Elizabeth; *prophetauerat Virgo*, nempe Deipara: *Debuit etiam vidua prophetare; ne qua aut profeſſio deeſſet, aut ſexus.* Benè autem Iudæorum incredulitatem hîc taxat Rabanus dicens: *Inſomnijs Gentilis viri vxor hoc intellexit, quod Iudæi vigilantes nec credere nec intelligere voluerunt.*

616. Lucæ 17.34. Dominus dicit: *Erunt duo in lecto vno; vnus aſſumetur, & alter relinquetur*: Vnus ſcilicet eligetur, & ſaluus erit; alter reprobabitur, & peribit, iuxta Hieronymum, & Theophylactum. Hæc Domini prædictio impleta eſt in Pilato, eiuſque vxore, cui Claudia Procula nomen fuit, teſte Lucio Dextro in Chronico anno Chriſti 34. Procula enim cum in Chriſtum Dominum crediſſet, ob inſignem pietatem in ſanctorum numero à Græcorum Menologio reponitur. Contra vero eius vir Pilatus apud Imperatorem à Iudæis accuſatus, & in Galliam relegatus ſibi gladio mortem conſciuit, vt teſtatur Oroſius lib. 7. cap. 5. Sic ex duobus coniugibus, qui eiuſdem maritalis lecti participes erant, vxor aſſumpta eſt in gloriam; vir ad æternum ſupplicium relictus eſt.

Pilato damnato, eius vxor Claudia Procula ſanctè obiit.

617. Pharaonis omnium initium fuit, ex quo ad Ægypti Principatum euectus eſt Ioſeph. (Geneſ. 41.) Similiter ſomnium Nabuchodonoſoris initium dedit, ex quo ſuper omnes Babylonis prouincias Daniel Princeps eſt conſtitutus. (Danielis c. 2) Sed longè felicius ſomnium Claudiæ Proculæ Pilati vxori diuinitus immiſſum eam ad cœleſte regnū euexit. Pilatus verò, qui quamuis vxoris ſomnio monitus, Dominum tamen ad mortem damnauit, meritum æternæ damnationis ſupplicium ſubiit. Aſſerunt nonnulli etiam Pilatum vxoris ſuaſu, & exemplo ad Chriſti fidem fuiſſe conuerſum; ideoque à Tertulliano Apol. cap. 21. Chriſtianum appellari: cui ſententiæ fauere videtur Auguſt. ſer. 3. de Epiſc. vbi Pilatum cum Magis Orientis Regibus, qui Chriſtum adorarunt comparat. Sed re vera Pilatum, qui Dominum ad mortem Iudæis tradidit, quique ſibi mortem

Sōnia Pharaonis, Nabuchodonoſoris, & Claudiæ Proculæ cōparantur.

Pilat⁹ Chriſtianus dictus, vt Romanus Scipio dictus eſt Africanus.

A intulit, vt ſupra diximus; non alio ſenſu Chriſtianum dici poſſe cenſeo, quàm quo ſenſu Romanus Scipio dictus eſt Africanus, & Metellus Numidia victa Numidicus. Sicut Pilati, & Claudiæ vxoris; ita Diocletiani, & Serenæ eius coniugis, diſpar vitæ exitus fuit. Imperatrix enim Serena ex Romano in Cœleſte Imperium eſt tranſlata; eiuſque ob inſignem ſanctitatem ſolemnitas ab Eccleſia celebratur 16. Auguſti. Contra verò teſte Baronio, Diocletianus mutato in ligonem ſceptro in Dalmatia hortorum culturæ addictus, decimo ruſticationis anno minacibus Conſtantini Auguſti literis territus, veneno hauſto ſubduxit ſe iræ mortalium immortales B apud inferos pœnas daturus. Ex Plutarcho libro de capienda ex hoſte vtilitate, roſæ vbi inter fœtida capita cœparum, atque alliorum naſcuntur, olent ſuauius, rubent amœnius, florent fœlicius; quaſi aduerſus fœtoris peſtem fragrantiorem odoriferam auram exerant. Similiter ſanctiſſimæ coniuges Serena, & Claudia Procula prope impios viros Diocletianum, & Pilatum ſanctitatis odore fragrantiores fuerunt.

Diocletiani eiuſq; vxoris diſpar exitus.

Roſæ prope cœpas, & allia naſæ ſuauius olent.

Principes autem Sacerdotum, & Seniores perſuaſerunt populis, vt peterent Barabbam, Ieſum verò perderent.

C 618. CVm Seniores ad præferendum Chriſto Domino ſeditioſum, & homicidam Barabbam populum induxerint, verè dici potuit: *Egreſſa eſt iniquitas de Babylone à Senioribus Iudicibus, qui videbantur regere populum.* (Dan. c. 13.) De Babylone iniquitas egreſſa dici potuit; cum ſub talibus Magiſtratibus Ieroſolyma in Babylonem degeneraſſet. De huiuſmodi autem Senioribus dicitur: *Qui videbantur regere populum*; apparenter enim populum regere videbantur, cum eum potius in præceps impellerent. Vbi tunc ex Ieroſolymitano populo erant plurimi in quos Dominus ſingularia beneficia contulerat? Vbi tot hominum millia erant, quos Dominus in deD ſerto, multiplicato pane largiſſimè pauit: quique tunc ad Paſcha celebrandum Ieroſolymam venerant? vbi tot mutorum linguæ ad loquendum à Domino Diuinitus expeditæ? *Non eſt inuentus, qui rediret* (Lucæ 17.18.) & pro Chriſti libertate, & innocentia impiis Sacerdotibus contradicendo *daret gloriam Deo.* O humani ingrati animi apertiſſimum augmentum.

Ingrati humani animi argumentū.

Reſpondens autem Præſes ait illis: Quem vultis vobis de duobus dimitti? At illi dixerunt Barabbam.

619. CVm in audiendo ab vxore miſſo nuncio Pilatus occuparetur, ipſi Pilato, qui antea ea allata verba dixerat, Iudæi non reſponE derunt. Quare poſt auditum nuncium Iudæis Dominum accuſantibus, eumque ad mortem damnari poſtulantibus iterum reſpondens Pilatus, dixit: *Quem vultis vobis de duobus dimitti? At illi dixerunt, Barabbam.* Hanc eorum impietatem Iudæis commemorat Sanctus Petrus Act. 3. 14. dicens: *Petiſtis virum homicidam donari vobis; Auctorem verò vitæ interfeciſtis.* De Chriſto Domino dictum eſt Iſa. 7. 15. *Butyrum, & mel comedet, vt ſciat reprobare malum, & eligere bonum.* E contrario Iudaicus populus ex inferis impietatis abſinthium, & fel comedit, vt malum eligere, bonumque reprobare vellet. Verè de perfidis Iudæis Barabbam Domino præferenti-

bus ipse Dominus dixit Io. 3. 19. *Lux venit in mundum; & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem.* Vt peruersi Iudæi Pascha celebrarent, Paschali die Christum immaculatum Dei agnum, quàm Barabbam cruentum lupum occidi maluerunt. Magna Christi ignominia fuit, quòd à Præside cum Barabba conferretur; sed ignominia longè maior fuit, quòd à populo Barabbæ posthaberetur. Voluit Christus Dominus suas ignominias, & cruciatus in horas crescere, vt maiora semper ardentissimæ suæ in genus humanum charitatis proferret indicia. Sic ad eum cruciandum spinis clauos succedere infra videbimus.

Christi charitas erga genus humanũ maior, & maior.

610. Consuetudinem hanc liberandi vinctum reum Paschali tempore seruabant Iudæi, eoquòd tali tempore olim ab Ægypti seruitute eorum maiores liberati fuerant. Hinc autem magis eorum ingratus animus extitit, cum in liberando reo, ob memoriam collati à Deo eis beneficij, Dei filium seditioso, & homicidæ posthabuerint. *O cæcitas Iudæorum; ô furia phrenneticorum! noli dimittere hunc, sed Barabbam. Quid fuit hoc dicere, quàm occidatur ille, qui suscitat mortuos, & dimittatur latro, vt iterum occidat viuos* ait Augustinus. Sed Barabbas: cum de eius liberatione, & de Christi ad mortem damnatione nunciatum est, quàm illuminatus, quàm felix fuisset; si prauo impiorum Iudæorum iudicio renuncians dixisset: *Domine mi Iesu, Iesu Domine mi, quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te, Iesu Domine mi, Domine mi Iesu.* Fuissent profectò hæ voces longè magis piæ, quàm illæ Dauidis Absalomum filium mortuum deflentis: *Fili mi Absalom, Absalom fili mi, quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te, Absalom fili mi, fili mi Absalom.* Reg. 2. 18.

Iudæorum erga diuina beneficia ingratus animus.

Aug. tract. 15. in Ioan.

Dicit illis Pilatus: Quid igitur faciam de Iesu, qui dicitur Christus? Dicunt omnes: Crucifigatur.

621. Iudæi dicentes de Domino: *Crucifigatur*, se ipsos, suosque filios crucifigendos dixerunt. A Tito enim in Ierosolymæ obsidione Iudæi quingenti, & plures quotidie crucifixi sunt vt testatur Iosephus libro 6. belli cap. 12. *Se occidit, qui vitam conatur occidere*, verè Chrysologus dixit ser. 152. Quotiescumque hanc sacrilegæ turbæ impiam vocem, CRVCIFIGATVR: audimus, aut meditamur; profectò piæ aures, animique exhorrescunt; talemque vocem, vt maximè abominabilem detestamur. Hinc ergo, ne mortaliter quis peccet, reformidare maximè debet. Nam, vt benè ait hic Hugo: *Iesum crucifigis quotiescumque mortaliter peccas, iuxta Apostolum ad Hebr. 6. 6. Rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei.* Dum mortalem vitam ageret, pro humana redemptione crucifigi Dominus voluit; nunc autem cum immortali vita gaudet, omnino inuitus à peccatoribus crucifigitur, vt alibi cum Augustino diximus. Quare apud Bernardum ita Dominus peccatorem alloquitur. *O homo, vide, quæ pro te patior, non est dolor, sicut quo crucior: ad te clamo, quia pro te morior: vide pœnas, quibus afficior; vide clauos, quibus confodior. Cum sit dolor tantus exterior, interior est planctus grauior; cum te ingratum experior.* Similiter B. Virgo in Reuelationibus sanctæ Brigittæ lib. primo cap. 37. ait: *Nunc conqueror, quia filius meus ab inimicis meis, qui nunc sunt in mundo, amarius crucifigitur, quàm tunc Iudæi crucifi-*

Iudæi à Tito supra quingentos quotidie Crucifixi.

Peccantes mortaliter Iesum crucifigunt.

Bernardus de pass.

A *xerunt eum. Nam licet Deitas impassibilis sit, nec mori possit; tamen propriis vitiis crucifigunt eum. Sicut enim si aliquis imagini inimici sui contumeliam, & læsionem faceret, licet imago non sentiret; Tamen propter voluntatem malam lædendi, læsor quasi pro opere argueretur, & dijudicaretur. Sic eorum vitia, quibus spiritualiter crucifigunt filium meum, abominabiliora, & grauiora sunt ei, quam illorum, qui crucifixerunt eum in corpore.* Quod ibi pergitur fusius explicare.

Ait illis Pilatus: Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant: Crucifigatur.

B 622. Addere potuisset Pilatus: Christus docendo, & operando quid boni non fecit? Verissimè enim de Christo vaticinatus est Malachias cap. 2. 6. *Lex veritatis fuit in ore eius; & iniquitas non est inuenta in labiis eius; & multos auertit ab iniquitate.*

623. *At illi magis clamabant*: CRVCIFIGATVR. Verè de Christi persecutoribus Dauid dixit: *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.* Vbi si quis quærat, impium superbiæ germen quo humore irrigatum semper crescat? Respondetur irrigari virulenta fluuij illius aqua, quem tartareus draco ex ore euomit; De quo C dicitur Apocalyps. 12. 15. *At misit serpens ex ore suo aquam tanquam flumen.* Citato Psalmi loco alij magis apposité ad Iudæorum in Christum fremitum explicandum legunt: *Contumeliosa vociferatio eorum, qui contra te insurgunt, crescit semper.* Et Hieronym. *Sonitus aduersariorum tuorum ascendit iugiter.*

Psal. 73. 23.

Superbiæ crescẽs germen qua aqua irrigetur.

Videns autem Pilatus, quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua lauit manus coram populo dicens: Innocens ego sum à sanguine iusti huius; vos videritis.

D 624. *Mos erat apud antiquos, vt cum vellet quis se ostendere immunem ab aliquo crimine, accepta aqua lauaret manus suas coram populo*, ait Sanctus Remigius. Ideo Deuteron. 21. præcipitur: *Quando inuentum fuerit hominis cadauer occisum, & ignorabitur cædis reus; venient maiores natu ciuitatis illius ad interfectum, lauabuntque manus suas*, &c. Iuxta hunc ritum manus suas abluens Pilatus, mendaciter dixit: *Innocens ego sum à sanguine iusti huius!* Vt à Domini sanguine innocens foret, constanti, & imperterrito animo, reijcere calumniantes Iudæos debebat; nec ex ignauissimo metu eorum voluntati turpiter assentiri; Cum *dimisit illis Barabbam; Iesum autem flagellatum tradidit eis, vt crucifigeretur.* Dauid, vt innocens foret, *Lauabo inter* E *innocentes manus meas.* dixit: Pilatus autem cum non inter innocentes, sed inter malignos inuidosque calumniatores Iudęos manus lauisset, inter nocentissimos nocentissimus fuit. Exod. 23. pręcipitur: *Non sequeris turbam ad faciendum malum; nec in iudicio plurimorum acquiesces sententiæ, vt à verò deuies.* Ex Socrate apud Laërtium lib. 2. cap. 5. Iustus Iudex existimare debet eum, qui prauæ multitudini satisfacit, similem ei qui falsum nummum reijceret, & aceruum ex similibus nummis constantem admitteret. *Nam cuius sententiam, cum solus est, falsam existimamus; neque vera existimanda est in turba similium. Non enim refert quàm multi sint; sed quàm graues, & iusti. Nummus adulterinus etiam in*

Psal. 25. 6.

Iustus iudex prauæ multitudinis voluntati obsistere debet.

in quonis magno acerno adulterinus est: & stultus esset, qui venenata gutta reiecta poculum integrum venenatum hauriret. Plato lib. 2. de legib. ait: *Princeps, ac Magistratus quilibet debet esse prudens, & fortis: Prudens, ne ex imperiti vulgi iudicio pendeat; fortis, vtque salutaria sunt, constanter exequatur.* Nazianzenus in sententiis: *Quisquis leges tuendas suscepisti, timorem omnem ex animo pelle: omnis enim, cui legum custodia mandata est, metu vacare debet.* Talis non fuit Pilatus, qui turbæ Iudaicæ clamore perterritus, contra propriam conscientiam Christum damnando peccauit.

Achab Rex & Pilatus Præses cõparantur.

625. Regi Achab, qui impio Benadab in bello capto pepercit, Deus dixit, 3. Reg. 20. 42. *Quia dimisisti hominem dignum morte, erit anima tua pro anima illius.* E contrario Pilato dici potuit: Quia damnasti hominem iustum, indignum morte, erit anima tua pro anima illius. Et ita vere accidit. Nam vt testatur Euseb. lib. 2. Histor. cap. 7. Orosius, lib. 7. cap. 3. & Genebrard. lib. 2. in Chronolog. *Herodes Agrippa Herodiadis frater Pilatum ad Tiberium, vt se multis criminibus purgaret anno Christi 39. transmisit; qui non multò post Caligula Imperatore: ærumnis succumbens sua se manu peremit.* Præterea ab eodem Pilato, qui vt Iudæos pacatos seruaret, Christum ad mortem damnarat, eisdem Iudæis seditionis causa data est. Nam, vt Genebrardus refert: *Christo panlò ante mortuo Pilatus noctu imagines Cæsaris in templo statuit: Quod prima seditionis, & turbarum Iudææ seminarium fuit: vt qui Pacis Principem de medio sustulerant, in dissensiones, & belli præsidis Satanæ inciderent potestatem. Anno 2. à morte Christi idem Pilatus sacrum thesaurum, quem corbonam vocabant, in Ierosolymorum aquæductum expenders, secundæ seditionis prebuit semina.* Hinc Pilatus, qui Dominum damnans ad falsam suam innocentiam testandam, aqua manus lauerat, Iudæis ex aqua seditionis incẽdium excitauit.

Pilatus sua se manu perëmit.

Genebrard. supra.

Pilatus, qui seditiosum Barabbam liberauerat, Iudaicæ seditionis origo.

Pilatus, qui Dominum damnans manus lauerat aqua seditionem excitat.

626. Porrò cum peruersè manus abluisset Pilatus, & simul ad mortem Dominum damnasset, malo suo experimento didicit verissima esse Iobi verba Deo dicta c. 9. 30. *Si lotus fuero quasi aquis niuis*, aquis scilicet, quæ niueas mihi manus reddant; *& fulserint velut mundissimæ manus meæ; tamen sordibus intinges me*; hoc est iuxta Gregorium, me peccati sordibus fœdissimè maculatum ostendes. Quod factum est, cum apud Tiberium Pilatus, vt pluribus criminibus inquinatus accusatus est. Idem ex Hebræo legitur: *In foueam demerges me*, in gehennæ scilicet, æternæque damnationis barathrum. Subditur ibi insuper: *Et abominabuntur me vestimenta mea. Quid vestimenti nomine, nisi hoc terrenum corpus exprimitur, quo induta anima tegitur? More autem sacri eloquij, vestimenta nostra nos abominari referuntur, quia abominabiles reddunt*, ait Gregorius. Pilati corpus propria manu confossum, tanquam desperati hominis corpus, eum omnibus abominabilem reddidit.

Greg. 9. Moral. 8.

Vestimenti nomine corpus significatur.

Et respondens vniuersus populus dixit: Sanguis eius super nos, & super filios nostros.

Ioseph. 13. Antiq. c. 22. & l. 17. c. 12. & lib. 6. de bello Iudai. co c. 12.

627. HOc est, pœna pro effuso Christi sanguine sit super nos, & super filios nostros. Teste Iosepho Alexander Hircani filius octingentos Iudæos: Varo Syriæ Præses Iudæorum duo millia: Titus innumeros propè Iudæos cruci affixit; itaut spatium crucibus deesset, & corporibus cruces. Hunc inter cætera effectum habuit, Iudæorum in suos filios imprecatio. Adde præterea Iudæos etiam suum Regem Antigonum à M. Antonio cruci affixum vidisse, & scribit Dio. l. 49.

Iudæorum eximij, quorum præter plurimos alios, duo millia crucifiguntur.

628. De Iudaici populi pœna Christi mortem subsecuta, plura habemus Psal. 108. præcipuè illis verbis: *Nutantes transferantur filij eius, & mendicent; diripiant alieni labores eius. In generatione vna deleatur nomen eius.* Vbi Hiero. ait: *Ex illo tempore, ex quo Dominus crucifixus est, ex tunc semper mouentur Iudæi, non stans in suo loco.* Qui pendente è cruce Domino, exprobrantes mouebant capita sua, in iniquissimæ exprobrationis supplicium, extorres, planéque exules mouere pedes coacti sunt. Ad quod significandum dicitur Ierem. 30. 1. *Peccatum peccauit Ierusalem, propterea instabilis facta est.* Ex Hebræo legitur: *Propterea elongata est*; à consortio scilicet cæterorum, tanquam immunda gens, & abominabilis. *Propterea facta est in commotionem*, legit Origenes: in commotionem scilicet capitis, quod ad ludibrium, & irrisionem moueri solet. Additur: *Et mendicent. Mendicitatem hic dicit diuitiarum spiritualium: non enim habent Prophetas, non habent Legem, non habent Sacerdotium, non habent Sacrificium; sed verè mendici facti sunt*, ait Hieronymus. *Diripiant alieni labores eius; quia vastati sunt à Romanis. Non sit illi adiutor, nec sit, qui misereatur pupillis eius.* Vbi benè Hieronymus quærit: *Respondete mihi, ô Iudæi: Fuistis in Babylonia, habuistis ibi Prophetas, Danielẽ, & Ezechielẽ; & re vera idololatræ eratis. Septuaginta annis fuistis in captiuitate, & postea venistis in propria. Ecce nunc quadringenti anni sunt*: [supra mille, & sexcentos anni sunt] *non dici nunc potest: Quare non est missus ad nos propheta? In illo tempore idola colebatis, & miserebatur vestri Deus: nunc autem non colitis idola, quare dereliquit vos Dominus? sed tunc reliquistis Dominum & idola colebatis, nunc autem Dominum crucifixistis; & ideo non erit vobis adiutor.* Subditur citato Psalmo: *In generatione vna deleatur nomen eius. O prophetia, ô sacramentum prophetiæ!* exclamat Hieron. *Post passionem Domini, quadraginta duo anni transierunt, & populus iste deletus est. Siquidem perfecta ætas quadragesimo anno venit: post passionem ergo Domini quadragesimo secundo anno deleta est Ierosolyma. Vide ergo quoniam in generatione vna deletum est nomen eius. Sed in hoc clementia est Domini. Crucifixerunt eum, & quadraginta annos dedit eis ad pœnitentiam. Ego simpliciter dico: Propterea interfecit eos post quadraginta duos annos quia ex illis, qui crucifixerunt Dominum, nemo remanserat ex eis.*

Iudæorum supplicium: hic, & seq.

629. Cum in Iudæorum peccati pœnam anno Domini quadragesimo secundo sub Tito Ierosolyma vastata fuerit, iterum vt scribit Adrichomius *anno Christi 1099. à Christianis Duce Godefrido idibus Iulij magna fortitudine, ac summa vi expugnata est feria sexta hora nona, eodem scilicet die, & hora, qua Christus mortuus est. Tantaque per Ciuitatis plateas, vicos & angiportus, ac ipso in templo, tum Ciuium, tum eorum, qui ex vicinis oppidis, & suburbanis in eam confluxerant, facta est strages, tantaque sanguinis effusio; vt nemini nisi per interemptorum funera transitus pateret; ac talos tenus in occisorum sanguine graderentur; atque ipsi victores à planta pedis vsque ad verticem cruore maderent. Qui vrbe potiti, armis, ac sordibus de-*

Adrichom. in descript. Ierusalem num. 1.

Iudæorum aliarumque strages inceas anno Dom. 1099. feria 6. hora nona, qua Dominus mortuus est.

positis, loca venerabilia Christi præsentia, passione, resurrectione, & ascensione sanctificata, à fidelibus, qui in Ierusalem habitabant, sibi ostensa, nudis vestigijs, mira deuotione diebus septem circumierunt, & deosculati sunt. Cum Iudæi de Christo dixissent: *Sanguis eius super nos, & super filios nostros*, iustissimo Dei iudicio in tam ingenti Iudæorum cum alijs, strage, eorum sanguis Christianorum pedibus conculcandus largissimè fusus est.

630. De hac imprecatione: *Sanguis eius super nos, & super filios nostros*, Chrysostomus ait: *Clementissimus Iesus, quamuis ipsi maximè, & aduersus se, & aduersus filios insanirent; non tamen ex sententia ipsorum ipsos condemnauit: sed tam ex ipsis, quàm ex filijs eos benignè suscepit, qui pœnitentiam egerunt. Nam & Paulus ex ipsis erat, & multa illorum millia, qui in Ierusalem crediderunt*; vt habetur Actorum cap. 2. 45. & cap. 4. 4. *Lauit eos ipse, cuius sanguinem fuderunt*, ait Augustinus. Impiè à Iudæis effusus Christi sanguis fuit quidem ad Iudaici populi supplicium, vt supra vidimus. sed cum plurium pœnitentium Iudæorum lacrymæ effusum Christi sanguinem postea subsecutæ sint; idem sanctissimus sanguis non ad ipsos puniendos, sed ad eos omnino saluandos, se æterno Patri exhibuit. Suggerebat autem diuina iustitia Christo Domino fulmina in Iudæorum populum, qui eum crucifigendum clamauit; sed visa eorum plurium pœnitentia, reiectis vltionis fulminibus, misericors Dominus suo ipsius sanguini dicere visus est: *Proyce tela manu sanguis meus.* Cum impœnitentes Iudæi, quibus Christi sanguis in suppliciũ fuit, dixerint: *Sanguis eius super nos, & super filios nostros*: Fideles pœnitentes post suarum culparum expiationem cum ad sacram Synaxim accedunt, magna æternæ beatitudinis spe dicant: *Sanguis eius intra nos, & intra animas nostras.*

Christi eximia erga peccatores misericordia.

Aug. in Ps. 93.

Fideles ad S. Eucharistiã accedẽtes quid dicere debeãt.

Tunc dimisit illis Barabbam; Iesum autem flagellatum tradidit eis, vt crucifigeretur.

631. PSalm. 5. 13. dicitur: *Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.* Vbi nomine bonæ voluntatis Dei, non solum Dei voluntas erga nos benigna, & benefica intelligitur; sed etiam bona voluntas nostra, qua Dei voluntatem exequimur: huiusmodi enim nostra voluntas, Dei voluntas est à Deo nobis immissa, Dei voluntati conformis, & Dei ope à nobis executioni mandata; cuius meritorijs actibus à Deo protegi & coronari meremur. Hoc bonæ voluntatis scuto Pilatus caruit; ideo furentium Iudæorum ictus repellere non est ausus. Id B. Brigittæ Dominus dicens: *Voluntatem bonam non habuit Pilatus; quia feruentiorem voluntatem habuit ad placendum Iudæis, & ad honorem suum quàm ad me liberandum.* A Iudæis prælatus est Christo Domino Barabbas; à Pilato autem mundano honori, pessimoque ambitionis tyranno Christus posthabitus est, ideoque Iudæis traditus. Porro vt discamus persecutiones, & ærumnas ab hominibus nobis illatas, non vt ab eis, sed vt à Deo nobis pro nostro spirituali profectu, meritorumque augmento immissas patienter tolerare; Christus Dominus non à Pilato, sed ab æterno Patre se Iudæis pro humana redemptione traditum sub Iobi figura dixit: *Conclusit me Deus apud iniquum*, Pilatum scilicet iniquum iudicem; *& manibus impiorum me tradidit.*

Pilatus scuto bonæ voluntatis caruit, ideo Iudaicæ turbæ ictibus cessit.

B. Brigitta l. 4. c. 106.

Persecutiones hominũ, vt Dei manu immissas patienter tolerare debemus.

Iob 16. 11.

632. *Iesum autem flagellatum tradidit eis.* Pilati nomen *Malleatorem significat*, apud Hieronymum. Verè Pilatus sui nominis significatum impleuit, cum Iudæorum manibus Dominum Malleatum reddi voluit. Verbum hoc FLAGELLATVM, verbum abbreuiatum est; vnico enim hoc verbo, quàm multæ Christi ignominiæ, quàm immanes verberum ictus significantur? Maxima ignominia, & cruciatus Christo Domino fuit coram tam frequenti, vilissimaque satellitum multitudine nudari. *Toto corpore nudus erat, cum flagellaretur*, vt à Deipara S. Brigittæ reuelatum est. Post præuaricationem nuditas primorum parentum pœna fuit: ad eam tamen operiendam ficus folia adhibuerunt: *Cum cognouissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata.* Sed ad Domini operiendam nuditatem pulcherrima Paradisi rosaria, & lilia natiuam suam purpuram, natiuamque byssum exhibuissent; nisi sua Dominus nuditate primis parentibus, generique humano immortalitatis stolam mereri voluisset.

Apud Hieronym. in Marc. c. 15. Pilati nomẽ malleatorẽ significat.

Christi nuditas in flagellatione quã ignominiæ, & doloris ei fecerit: hic, & seqq.

S. Brigitta lib. 1. c. 10.

Genes. 3. 7.

633. Primo Reg. 18. In eximiæ amicitiæ signum *Expoliauit se Ionathas tunica, qua erat indutus, & dedit eam Dauid, & reliqua vestimenta sua.* Christus Dominus suis se vestibus exuit, vt ijs expoliatus regium nobis cœlestis gloriæ paludamentum daret. De iniquis Iosephi fratribus dicitur Genes. 37. 23. *Nudauerunt eum tunica talari, & polymita.* Cum veste spoliaretur Ioseph, pro se à fratrum sæuitie liberando, eos magna animi angustia deprecatus est; fatentibus postea ipsis fratribus: *Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum, dum deprecaretur nos.* Quamuis autem Ioseph Dominum præfigurauerit, in hoc tamen figurato figura non respondit: Nudatus enim suis vestibus Dominus, ignominiam libenter subiit, nec aperuit os suum. De precibus Iosephi apud fratres fusis, vide Sanctum Ephrem tractat. de Laudib. Iosephi.

Christus, & Ioseph Patriarcha vestib. spoliati cõparãtur.

Gen. 42. 21.

634. Pastoribus ad Dominum recens natum in Bethlemio præsepi inueniendum, dictum est: *Hoc vobis signum: inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio.* At Beatæ Virgini, quæ iuxta reuelationem S. Brigittæ ad sanctissimum filium iam flagellandum accurrerat, quàm dissimile signum dari potuit; scilicet: Inuenies miseranda Mater, tuum filium, non quidem infantem, sed verbum nullum proferentem, pannis exutum, & positum in patibulo; ferali scilicet columnæ alligatum. Dicitur Christus Psal. 103. 2. *Amictus lumine sicut vestimento*: Sed eumdem sanctissima mater nudum columnæ alligatum tenebris amictum potius quàm lumine maluisset: vidit tamen pro lumine cruore contectum.

Luca 2. 12.

B. M. Virgo ad Christũ, cum esset flagellãdus, accurrit.

S. Brig. l. 1. c. 10.

635. De Christo Domino dicitur Apoc. 19. 16. *Habet in vestimento suo scriptum: Rex Regum, & Dominus Dominantium.* At de eodem Domino, vt flagellaretur, columnæ alligato dici potuit: Habet in nuda, cruentaque carne acutis flagellis scriptum: *Ego sum vermis, & non homo; opprobrium hominum, & abiectio plebis. Nudus est infernus coram eo, & nullum est operimentum perditionis*, dicitur Iob 26. Sed Dominus, qui mysticum est cœlum, cur nudus est? si nullum operimentum perditionis est, cur saluationis, & saluatoris nullum est operimentum?

Psal. 21. 7.

636. Isai. 59. 6. reprobis peccatoribus dicitur: *Telæ eorum non erunt in vestimentum; neque operientur operibus suis*: hoc est earum telarum operibus. At innocentissimo Domino cur

telæ ſanctiſſimæ matris manu contextæ in veſtimentum eſſe perhibentur? Sed ſicut Dei *Charitas operit multitudinem peccatorum*; ita Iudæorum impietas ſanctitatis magnitudinem ignominioſè diſcooperit. De Iudæis quòd valde ad terrenos affectus animum inclinarent, dictum erat: *Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram*. Sed cum iidem impij Iudæi impudentibus oculis nudatum Chriſtum Dominum aſpicere non timerent; de iis dici potuit: Oculos ſuos ſtatuerunt eleuare in Cœlum; ſcilicet in Chriſtum Dominum ſecundum Adamum *de Cœlo cœleſtem*.

Epiſt. 2. Petri c. 4. — Pſal. 16. 11. — 1. ad Cor. c. 15. 47.

637. De Noe Geneſ. 9. 21. dicitur: *Bibens vinum inebriatus eſt, & nudatus in tabernaculo ſuo*. De quo Cyprianus ait: *Inuenimus in Geneſi circa ſacramentum Noe figuram Dominicæ paſſionis illic extitiſſe, quia nudatus eſt*. Ex vini potu nudatus eſt Noe; Dominus autem ex illius Calicis potu nudatus eſt, de quo Petro dixit: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum? Calicem paſſionis*, ait Auguſtinus. De quo calice Chriſtus Dominus paſſionis amantiſſimus dixit: *Calix meus inebrians quàm præclarus eſt?* Sem, & Iaphet pij erga Noe filij pallio nudatum patrem operuerunt. Quàm libenter ſanctiſſimi Angeli, qui ſæpè in albis veſtibus viſi ſunt, candidiſſimis ſuis exuuiis nudum Chriſtum Dominum contexiſſent? Sed Redemptor noſter præ niueis veſtibus maluit proprio cruore, confuſione, & opprobriis pro humano genere operiri.

Cyprianus epiſt. 63. — Chriſti, & Noe nudati cõparatio. — Ioã. 18. 11. — Pſalm. 22. 5

638. 2. Reg. 6. 20. Cum Domini arca in regiam domum transferretur, Dauid Rex arcam cum populo concomitans, ad illius venerationem regiis ſe veſtibus exuit. Hinc ei ironicè eius vxor Michol dixit: *Quàm glorioſus fuit hodie Rex Iſrael, diſcooperiens ſe ante ancillas ſeruorum ſuorum; & nudatus eſt quaſi nudetur vnus de ſcurris!* Vbi Theodoretus ait: *Neſciebat Michol diuini amoris ſtimulos*. Si ergo diuini amoris ſtimulis Dauid regiis veſtibus ſe nudauit; multò magis ex iiſdem diuini amoris ſtimulis Chriſtus Dominus veluti præ ardore nimio propriis veſtibus ſpoliari ſe voluit.

Chriſti in flagellatione, & Dauidis ante arcam ſpoliationis comparatio.

639. Eodem capite dicitur: *Extendit Oza manum ad arcam Dei, & tenuit eam: Iratuſque eſt indignatione Dominus contra Ozam, & percuſſit eum ſuper temeritate; qui mortuus eſt iuxta arcam Domini*. Vbi quæritur cur Oza ſtatim morte mulctatus fuerit? Reſpondent aliqui, quia arcam Oza tetigerat, cùm ſacris veſtibus non eſſet indutus. Reſpondet Serarius, Quia Oza tetigerat arcam nudam, non autem ex ea parte, vbi arca velo tegebatur. Conformantur cum Oza impij carnifices, nudam, non ligneam arcam tangentes; ſed nudum Chriſtum Dominum ſacram diuinitatis arcam flagellantes. Peremptus eſt Oza, quod ſacris veſtibus exutus, materialem illam arcam tetigerit; profectò multò magis perimendi carnifices erant, non quòd ſacro veſtimento eis indebito carentes Dominum tangerent; ſed quòd ipſum Dominum ſuis exutum veſtibus immaniſſimè flagellarent. Si lethaliter percuſſus eſt Oza, quòd nudam arcam tetigiſſet; cur non multò magis lethaliter percutiendi impij carnifices erant, nudum Dominum flagellantes? Reſpondetur, quamuis Dominus ab impiis miniſtris nudus flagellaretur; erat tamen humanâ carne indutus: poſt autem humanæ carnis indumentum *Deus vltionum* eſſe noluit, & miſericordiarum Deus eſſe cœpit: vt vltionum Deus Ozam peremit; vt miſericordiarum Deus impiis carnificibus pepercit.

Oza cur morte mulctatus. — Ozæ, & Chriſtũ flagellantium cõparatio.

640. Ioannis 2. 15. de Domino dicitur: *Cum feciſſet quaſi flagellum de funiculis omnes eiecit de templo!* De funiculis autem facto flagello Dominus profanantes templum terruit, non percuſſit. Propterea Pſal. 59. ei dicitur: *Oſtendiſti populo tuo dura*. Oſtendiſti quidem, non immiſiſti. *Dedit ſignificationem, vt fugiant à facie arcus*, arcus ſcilicet diuinæ punitionis. Contra verò perfidi Iudæorum miniſtri, non Dei filio flagella oſtendere quod impudentiſſimum fuiſſet; ſed etiam infligere auſi ſunt.

641. De Iudæis Exodi 13. 21. dicitur: *Dominus præcedebat eos ad oſtendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis; vt dux eſſet itineris vtroque tempore*: ſcilicet, ne ab inuiis deſerti anfractibus detinerentur. Quam ingratas vices Domino impij Iudæi rependunt, cum eum marmoreæ columnæ, vt flagelletur alligant. E columna nubis ſua Dominus oracula Hebræis manifeſtauit: *In columna nubis loquebatur ad eos*. At Dominus marmoreæ columnæ alligatus, ibique planè nudus, ſic inde tacitè humano generi loqui videtur: *Propter te ſuſtinui opprobrium; operuit confuſio faciem meam*.

Columnæ Hebræos per deſertũ ducentis columnæ Chriſti flagellatio cõparatur. — Pſal. 8. 7. — Pſal. 68. 8.

642. De flagellorum ictibus ſibi inflictis Dominus Pſalm. 34. 15. dixit: *Congregata ſunt ſuper me flagella, & ignoraui*. Vbi quæritur quomodo Dominus omnia noſcens, inflicta ſibi flagella ignoraſſe ſe dicat? Omnes profectò flagellorum ictus, quos perpeſſus eſt, Redemptor noſter nouit; eorum tamen numerum cur ignoraſſe ſe dixerit, ex ſimili Auguſtini interpretatione prima ratio afferri poteſt. Cum Apoſtolus dixit: *Non iudicaui me ſcire aliquid inter vos, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum*: reddit rationem Auguſtinus: *Quia eis loquebatur, qui capere altiora de Chriſti Deitate non poterant: hoc inter illos neſciebat, quod per illum ſcire non poterant*. Similiter quia tot fuerunt in Dominum flagellorum ictus, tam celeriter, tam cæco furore repetiti, vt eorum numerus capi non poſſit; ideo ſe neſcire Dominus dixit, quod ab aliis ſciri non poterat; cum omnem humanam fidem excederet. Quare vbi in vulgata legimus: *Congregata ſunt ſuper me flagella, & ignoraui*; Auguſtinus legit: *Congregata ſunt in me flagella, & ignorauerunt*.

Chriſtus cur congregata ſuper ipſũ flagella ignoraſſe dixit, hic. & nu. 644. & 645. — 1 ad Cor. c. 2. 2.

643. Flagellorum autem ictuum numerum vt aliquo modo conijciamus, citato Pſalmi loco Symmachus non legit: *Congregata ſunt ſuper me flagella, & ignoraui*: ſed legit: *Congregati ſunt ſuper me percutientes, & ignoraui*. Cum percutientium numerus ignoretur, hinc quàm ingens percuſſionum numerus fuerit conijciatur. Si teſte Dauide, *Multa flagella peccatoris* ſunt, longè plura innocentiſſimi Redemptoris flagella fuerunt. Suæ legis tranſgreſſoribus Dominus Iſaiæ 28. 18. dixit: *Flagellum inundans cum tranſierit, eritis ei in conculcationem*. Vt has Dei minas ab humano genere Redemptor noſter auerteret, ipſe indignè inundantium flagellorum ictus ſubire voluit. Patientiſſimus Iob Dominum præfigurans dixit: *Deus flagellis meis me cinxit*. Verè vndique flagellorum ictibus ita circumcinctus Dominus fuit, vt cum eodem Iob dicere potuerit: *In nihilum redacti ſunt omnes artus mei*: Et de eo Iſaias cap. 1. 6. dixerit: *A planta pedis vſque ad verticem capitis non eſt in*

Flagellorũ ictuum in Chriſtum quãtus numerus: hic, & nu. 646. & 648. — Pſal. 31. 10. — Iob 19. 6. — Iob 16. 18.

eo sanitas. Ideo S. Thomas 3. p. qu. 46. art. 5. ait: *Passus est Christus in capite pungentium spinarum coronam; in manibus & pedibus fixionem clauorum; in facie alapas & sputa; & in toto corpore flagella.* Ibidem articulo sexto S. Thomas asserit: dolorem passionis Christi fuisse maiorem omnibus doloribus; quod ex pluribus capitibus probat, præcipuè ex Christi corporis complexione; de qua Deipara Sanctæ Brigittæ dixit: *Nullus sic delicatum corpus habuit, sicut ipse.* Ideo iuxta Apostolum ad Hebræos 10. 5. æterno Patri Christus dixit: *Corpus aptasti mihi*: Corpus scilicet aptissimum ad cruciatuum dolorem sentiendum mihi dedisti. *Corpus perfecisti mihi*, legit Chrysostomus; scilicet, vt acri acerbissimorum dolorum sensu in perfectum sacrificium foret. Sed vt ad flagella ignorata redeamus.

Christi dolor in passione omnibus aliis doloribus maior.

Christi maximè delicata tempe ries.

S. Brigitta lib. 1. cap. 37.

644. 2. Sæpè de Domino aliquid humano more dicitur, secundùm id quod foris, & per exteriorem effectum apparet. Ita Psal. 43. 23. dicitur: *Exurge, quare obdormis Domine? quare faciem tuam auertis, obliuisceris inopiæ nostræ, & tribulationis nostræ?* Quia iuxta id, quòd exterius apparet, Dominus ita interdum se gerere videtur, ac si obdormiret, vel obliuioni subiaceret. Similiter tam constanti animo, & imperturbato vultu flagella Dominus subiit, vt ea sibi inflicta, veluti ignorasse videretur. *Vox flagelli, & vox impetus rotæ*, dicitur Nahum 3. Si Domini flagella magno impetu sibilantia, veluti vocem habuerunt, flagellatus Dominus se veluti planè mutum exhibuit. Quamuis arctissimè columnæ alligatus Dominus fuerit, multò facilius, quàm Sampsoni ei fuisset arctissima vincula diffringere: ex inuicta tamen constantia fixo gradu ad columnã Dominus stetit; ita vt de eo dici benè potuerit: *Crura, seu tibiæ illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas.* Natura columnam, cui Dominus alligabatur, ex solido marmore firmam fecerat; sed diuina gratia longè firmiora Domini crura reddiderat: fundata enim erant super aureas Charitatis bases, super quas erga æternum Patrem, humanumque genus amor ea immobiliter fixerat.

Scriptura sæpe de Deo humano more loquitur.

Christi in flagellatione crura veluti colũnæ marmoreæ super bases aureas.

Cant. 5. 15.

645. 3. Iuxta Regulam traditam ab Augustino, & ab aliis in Psal. 21. & 40. Christus interdum loquitur ex persona propria; interdum ex persona sui mystici corporis, nempe fidelium, qui eius membra sunt; interdum sub persona vtriusque. Sub vtriusque persona Saulo dixit: *Quid me persequeris?* nempe tum nomen meum, tum meos fideles. Similiter cum dixit: *Congregata sunt super me flagella, & ignoraui*, loquens sub persona propria, & sui mystici corporis, intellexit id non solùm de flagellis propriis, sed etiam de flagellis, & cruciatibus, quos sui fideles, præcipuè S. Martyres subituri erant: respectu autem flagellorum, & cruciatuum suorum fidelium dixit: *Ignoraui*; quia eorum flagella, & cruciatus cum in Cœlum iam impassibilis ascendisset, experimentali scientia non nouit. Redemptor ergo noster pro nobis, & pro æterni Patris gloria patiendi cupidissimus, veluti dolens dixit: *Congregata sunt super me flagella, & ignoraui*: Cum Sanctorum Martyrum flagella omnia, vtputa Stephani lapidationem, Laurentij ardentem craticulam, Apolloniæ incensam fornacem, plurimorumque aliorum Martyrum equuleos subire, & experimentali scientia non ignorare cupiisset.

Christus in Scriptura vel ex persona propria, vel ex persona sui mystici corporis, vel ex vtriusque persona loquitur.

Act. 9. 4.

646. De impia turba, quæ Dominum flagellauit, sub Iobi figura ipse Dominus dixit: *Concidit me vulnere super vulnus; irruit in me quasi gigas.* Cum enim flagellorum verbera frequentibus, ictibus in Dominum ab impia turba repeterentur; sæpè super præcedens sanctissimi Corporis vulnus, vulnus subsequens addebatur. Idem significauit Psal. 68. dicens: *super dolorem vulnerum meorum addiderunt.* Promisit olim Israëlitis Dominus reportandam de hostibus victoriam, tantamque fore hostium cædem, vt suos pedes victor exercitus hostili cruore respergeret. *Deus confringet capita inimicorum suorum; vt intingatur pes tuus in sanguine.* Sed quoniam in Euangelica lege *Noua bella elegit Dominus*; ad inuisibiles hostes, immundosque spiritus debellandos, ipse Dominus flagella plurima subiens, tam largè proprium sanguinem fudit; vt suos ipse pedes sanguine intingeret, largéque respergeret.

Iob 16. 15.

Ps. 67. v. 22. & 25.

Noua bella in Euãgelica lege ad hostes debellandos.

Iudicum c. 5. 8.

647. De Sinarum incolis narratur consueuisse eos sua Idola, si quando, quæ ab eis petierint, beneficia consecuti non fuerint, verberibus plurimis flagellare. Barbara quidem impietas; sed Iudæorum per impios ministros Christum Dominum flagellantium impietati comparata, longissimo discrimine minor habenda; cum in Iudæorum gentem innumera semper beneficia Dominus contulerit.

Sinarum incolæ sua idola verberare cõsueuerunt.

648. Deuteronom. 25. Iudæis Deus præcepit: *Sin eum, qui peccauerit, dignum viderint plagis, prosternent, & coram se facient verberari; pro mensura peccati erit plagarum modus; ita dumtaxat, vt quadragenarium numerum non excedant; ne fœdè laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus.* Hanc legem in Christo flagellando, impia Iudæorum sæuities non seruauit. Ad minus ictuum quinque millia subiisse Dominum ex reuelationibus diuinitus factis plures asserunt, vt Ludolphus Sax. 2. part. c. 56. & Echius in sermone de passione. Quia ergo Redemptor noster iuxta Isaiam 53. *Vulneratus est propter iniquitates nostras; attritus est propter scelera nostra: & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum*: Et iuxta S. Petrum, *peccata nostra ipse pertulit in corpore suo*, in eo *pro mensura peccati fuit plagarum modus.* Hinc vnusquisque suorum peccatorum conscius recogitet in Christo Domino flagellando se suas partes obiisse. Insigni Sanctimoniali reuelatum fuit à sexaginta carnificibus Dominum fuisse flagellatum. Sed si impiis ministris illis peccatores, qui suis peccatis ad multiplicanda Domino flagella concurrerunt, addantur, innumerabiles Dominum flagellantium myriades reperientur. Ad nostra expianda peccata tum Christi merita, tum nostri pœnitentiæ actus concurrere debent: Christi flagella, ex iis pro nobis merita mensuram non habuerunt: nostris tamen pœnitentiæ actibus mensuram Deus statuit, nam *potum dedit nobis in lacrymis in mensura*, Psal. 79. 6.

Flagellorũ verbera apud Hebr. quadragenariũ numerũ excedere nõ debebãt. Christus quoq; millia verberũ ad minus in flagellatione subiit.

Petri ep. 1. c. 2. 24.

B. Magd. de Paz part. 6. pag. 532.

Christum flagellantes carnifices sexaginta fuerunt.

649. *Cædebatur virgis*, inquit Romanus Orator, *in medio foro Messanæ Ciuis Romanus, cum interea nullus gemitus, nulla vox alia illius miseri inter dolorem, crepitumque plagarum audiebatur, nisi hæc:* CIVIS ROMANVS SVM. *Sed cum imploraret sæpius, vsurparetque nomen Ciuitatis, Crux infelici, & ærumnoso comparabatur.* Redemptor noster cum impiè flagellaretur, quàm verè dicere potuisset: Ciuis Cœlestis sum; immò Cœlorum Princeps, e regia Dauidica stirpe sum: sum *Rex Regum, & Dominus Dominantium.* Sed suis hisce titulis, suáque omnipotentia patientissimus Dominus ad flagella repellen-

Cicero Act. 6 in Verrem.

Apoc. 19. 16.

da vti noluit; voluitque crucem, quæ illi parabatur, libentiſſimè pro humana redemptione ſubire.

Suarius 3. p. 12. Q. 46. ar. 8 Diſp. 35. ſect 2.

Chriſtum Iudæi ad crucis mortem reſeruantes noluiſſent tam immaniter flagellari.

6;0. *Veriſimile eſt Iudæos, qui aderant, incitaſſe milites. & data etiam pecunia corrupiſſe, vt Dominum acrius verberarent*, ait Suarius. Similiter Cornelius: *Fortè Iudæi milites corruperant, vt acrius in Chriſtum ſæuirent.* Sed contra eſt, quia vt idem Cornelius ait: *Naturaliter ex tot verberibus mori ſæpius debuiſſet Chriſtus; ſed Deitas carnem ſuſtentabat, vt plura pati poſſet.* Ergo ſi ex verberibus naturaliter mori Chriſtus debuiſſet; tot verbera Chriſto inflicta ex militum quidem ſæuitie, & diaboli inſtigatione, non ex Iudæorum incitatione fuerunt. B Probatur, quia idem Cornelius reddens rationem, cur omnes Pilato de Chriſto dixerint, CRVCIFIGATVR, ait: *Principes in ſuo conſilio decreuerunt vrgere, vt crucifigeretur; tum quia crux erat atrociſſima, & ſummi doloris; tum quia crux erat ignominioſiſſima, vtpote latronum, ſeditioſorum, & tyrannorum regnum inuadentium ſupplicium; vt hac ignominia omnem præteritam Chriſti famam, & gloriã obliterarent. & peſſumdarent.* Id bene confirmat ex Chryſoſtomo dicente; *Quare tantopere hanc eius mortem affectabant? quia ignominioſa erat; Veriti ergo ne eius poſtea memoria ſeruaretur, hanc probroſam mortem elegerunt.* Hinc patet Iudæorum Principes, reliquoſque qui eorum conſilio regebantur, C Chriſtum Dominum non ſub flagellis mori, ſed ad crucis mortem reſeruari voluiſſe: ideoque, cum Pilatus Iudæis Chriſtum accuſantibus dixiſſet: *Accipite eum vos. & ſecundùm legem veſtram iudicate eum.* hoc eſt condemnate: Iudæi accepta à Pilato Chriſtum damnandi facultate vti noluerunt. Nam cum lex iuberet blaſphemos, qualem Chriſtum eſſe dicebant, lapidari: Iudæi volentes Chriſtum ad maius ſupplicium, & infamiam crucifigi, dixerunt: *Nobis non licet interficere quemquam:* vbi benè iuxta Auguſtinum, & Cyrillum Toletus ait: *Maluisse ipſi iudicium refutant, tamquam ſibi in tanto Feſto prohibitum, vt Chriſtum crucifigat per Pilatum: id enim mortis genus non erat ſecundùm legem, nec à Iudæis vnquam obſeruatum: Romanorum erat, ideoque ſe tempore excuſant, vt Pilatum inducant ad crucifigendum.* D Non obſtante tamen Paſchatis ſolemnitate Chriſtum in prætorium adduxerunt, ſignificare volentes in mora periculum eſſe, & maximè referre, citiſſimè Chriſtum de medio tolli. Ex his ergo patet multiplicatam Chriſti flagellationem ex ſe mortem afferentem à Iudæorum inſtigatione non fuiſſe. Nihilominus pro oppoſita ſententia dici poſſet, quia Pilatus de Domino dixerat: *Ecce nihil dignum morte actum eſt ei: emendatum ergo illum dimittam.* ideo Iudæi aliqui timentes, ne à Pilato Dominus dimitteretur, cum vt plurimis flagellis milites enecarent, curaſſe. E

Ioan. 18. 31.

Iudicare cõdemnare ſignificat, & iudicium condemnationem.

Matth 5. 21

Auguſt. tract. 114. in Ioan.

Cyrillus lib. 12. c. 6.

Reos morte puniri Azymorum tẽpore Iudæis vetitum.

Act. c. 12.

Luc. 23. 15.

651. Cantic. 2. 9. De Chriſto Domino myſticè dicitur: *En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum. reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos: apparens per retia:* ideſt per feneſtras reticulatas, legit Hieron. His reticulatis feneſtris ſanctiſſimam Chriſti humanitatem ſignificari habetur ex ſanctis Ambroſio, Gregorio, Bernardo, & aliis. Verè Chriſti caro flagellis plurimis perforata, veluti reticulata feneſtra fuit, ex qua ipſius Redemptoris eximia in nos charitas, & miſericordia apparuit. Bene enim S. Bernardus ſer. 61. in Cant ait: *Patent mihi viſcera per vulnera, quoniam miſericordiæ affluunt; nec deſunt fora-* A *mina, per quæ effluant. Per foramina corporis patent mihi arcana cordis: patet magnum pietatis ſacramentum; patent viſcera miſericordiæ, in quibus viſitauit nos oriens ex alto.*

Hieron l. 3. in Ezech. c. 12.

Chriſti caro feneſtra reticulata hic, & ſequenti.

Luca 1. 78.

652. De columnis à Salomone in Ieroſolymæ templo poſitis dicitur 4. Reg. cap. 25. 17. *Retiaculum. & malogranata ſuper capitellum columnæ.* At ſuper Domini flagellati columnam, quæ vt infra dicetur, breuior fuit, pro retiaculo fuit ſanctiſſima Chriſti caro flagellorum ictibus veluti reticulata: pro malogranato fuit cruenta ſanctiſſimæ illius humanitatis facies, de qua, vt primaria Dei ſponſa dicitur Cant. 4. 3. *Sicut fragmen mali Punici. ita genæ tuæ.* Reticulatæ B Dominicæ carnis reti amanter, & ſalutariter capi ſe ſinat, qui diaboli inſidioſum rete vitare vult, de quo dicitur Pſal. 140. *Cadent in retiaculo eius peccatores.*

Columnæ Salomonis templi cum flagellati Domini columna cõparantur

653. Cantic. 5. Sponſa eamdem Chriſti humanitatem primariam Dei ſponſam veſtibus denudatam, flagelliſque ſauciam præfigurans, dixit: *Percuſſerunt me. & vulnerauerunt me, tulerunt pallium meum:* vulneribus tamen ſaucia, non vulnerum dolore, ſed amore languere ſe ait: *Adiuro vos, filiæ Ieruſalem, ſi inueneritis dilectum meum. vt nuncietis ei, quia amore langueo.* Similiter Chriſtum Dominum veſtibus denudatum, flagelliſque ſaucium audire mihi videor, C non de flagellorum plagis, & dolore conqueri; ſed erga humanum genus amore ſe languere teſtantem.

Chriſti eximius in humanũ genus amor.

654. Ibidem Sponſa dixit: *expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa?* Cum Chriſto Domino poſt flagella ab impiis miniſtris præciperetur, vt ſuis veſtibus hac, illac diſperſis indueretur; verè præ larga ſanguinis effuſione, ingentique plagarum dolore, virium que laſſitudine dicere potuit: *Expoliaui tunica mea, quomodo induar illa?* coactus eſt tamen humi rependo veſtes hac illac ad contemptum diſperſas quærere, illiſque ſe iterum induere; vt ad alia, atque alia ſupplicia, & ignominias ſe compararet. De Domino in cœlis regnante Dauid dixit: *Dominus regnauit, decorem indutus eſt. indutus eſt* D *Dominus fortitudinẽ.* Idem tamen Dominus in terris *circumdatus infirmitatibus noſtris.* pro fortitudine laſſitudinem, & languorem indutus, talis viſus eſt, *vt non eſſet ei ſpecies, neque decor.* Iſaiæ c. 53. 2.

Pſ. 92.

Ad Heb 5. 2.

655. Difficultas hîc agitatur circa Domini columnam, in qua ad flagella eſt alligatus. Oritur autem difficultas ex teſtimoniis Hieronymi, & Bedæ; quorum primus de ſacris Ieroſolymæ locis ait: *Oſtendebatur illic columna Eccleſiæ porticum ſuſtinens, infecta cruore Domini, ad quam vinctus dicitur, & flagellatus.* Secundus ait: *In Sionis montis planitie ædificata eſt magna Eccleſia, in cuius medio erat columna marmorea, cui* E *adhærens Dominus flagellatus eſt.* Ex his ergo teſtimoniis patet Domini flagellati columnam altiorem fuiſſe; ita vt ad ſuſtentandam Eccleſiæ porticum iuxta Hieronymum; vel ipſum Eccleſiæ tectum, ſeu fornicem iuxta Bedam apta foret. Contra verò Romæ flagellati Domini columna tripalmaris videtur. Propoſitæ difficultati reſpondent aliqui primò Dominum bis fuiſſe flagellatum, antea ſcilicet, & poſt mortis ſententiam: ſed hanc duplicem Domini flagellationem admittendam non eſſe bene oſtendit Suarius ſupra citatus. Reſpondet ſecundò Gretſerus lib. 1. de cruce c. 10. Columnam, quæ Romæ videtur, dimidiatam eſſe non integram. Sed

Hier ep 27.

Columna in Chriſti flagellatione breuior, an longior fuerit.

Beda lib. de locis ſanctis c. 3.

Lorinus in Deut. c. 25. v. 3.

contra ait Lorinus: *Huic sententiæ ipse illius spectator assentiri non possum; sed integram conspexi, marmoream, nigeis, ac albis notatam maculis, non plusquam trium circiter palmorum altitudinis; cui ferreus annulus infigi poterat in summo vertice, eique flagellandi manus alligari, vt verberari posset, tum à posteriore parte tum à priore; & circum ipsam à verberantibus impeli.* Integram prætetea esse eamdem columnam docet vetus inscriptio, & titulus illi sursum affixus; idque fusius probat Bosius lib. 1. de triumphali cruce cap. 13. Respondet tertio Suarius, sicut Gretserus: *Fortasse Romana columna tantum pars est; nisi loquatur Hieronymus de inferiori portica, quæ humiliori columna poterat sustineri.* Sed contra, quia cum B Romana columna integra sit, vt dictum est, sitque tripalmaris; ad porticum nullam sustentandam apta fuisse videtur. Respondet quarto Cornelius admissis duabus columnis, quibus successiuè alligatus est Christus, *vnam illarum esse illam ad quam noctu in domo Caiphæ alligatus Christus à famulis Pontificum petulanter fuit illusus, atque alapis, colaphis, fortè etiam virgis, bacillis, vel loris flagellatus: alteram verò esse illam, ad quam in prætorio Pilati idem fuit flagellatus, vti multi contemplatiui opinantur, teste Ioanne Seuerano lib. 6. de septem Romæ Basilicis, in Ecclesia S. Praxedis.* Sed contra est, quia Christus Dominus fuit quidem in domo C Caiphæ illusus, consputus, colaphis, palmisque cæsus, vt Euangelista refert; virgis tamen, bacillis vel loris flagellatus ab Euangelista non refertur; quæ quidem Domini flagellatio si ibi fuisset, ab Euangelista omissam fuisse probabile non est: cur enim colaphos, sputa referret, flagella verò omitteret? Admissa ergo non duplici, sed vnica Domini flagellatione, cum altior columna à Hieronymo relata Domini sanguine aspersa dicatur, in ea Dominum flagellatum fuisse dicendum esset, non autem in Romana breuiore columna; Quod contra traditionem Romæ communiter admissam assereretur. Adde etiam, quòd breuior columna, vt aptior ad vndique flagellandum potius ab impiis ministris electa D fuisse videtur. Respondetur igitur vltimò: sicut in eadem Domini flagellatione plures flagellantes, & varia flagellorum genera mutata sunt: dicitur enim, vt refert Suarius, flagellatus fuisse Dominus primò funibus crassioribus, secundò additos esse ferreos scorpiones, tertiò catenis, quartò virgis spineis cæsum: ita ad propositam duarum columnarum difficultatem probabiliter dici potest, in eadem Domini flagellatione duas successiuè adhibitas esse columnas, altiorem alteram, alteram breuiorem: itavt primò milites vrgente sæuitie celeriter obuiæ columnæ altiori Dominum alligarint, ibique flagellare cœperint; postea, vt toto corpore flagellaretur, ab aliis E superuenientibus ministris, breuiori columnæ fuerit alligatus. Hinc impletum est ipsius Domini vaticinium apud Isaiam 50. *Corpus meum dedi percutientibus*, vbi Septuaginta legunt: *Dorsum meum dedi ad flagella.* Domine mi Iesu, Deus meus, & Redemptor meus, *Vt anima mea non periret, proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea*; ideo dorsum tuum ad flagella dedisti. Aliqui à Rickelio relati censent breuiori columnæ alligatum Dominum in terra pronum, prostratumque flagellatum fuisse. Vide Danielem Mallonum in scholiis ad tract. Paleotti de stigmatibus Christi cap. 5. Quæres, breuior columna ferreo annulo superius infixo ad quem vsum in

Christus duabus columnis successiuè alligatus.

Suarius supra.

Christus funibus, ferreis scorpionibus, catenis ferreis, & spineis virgis flagellatus.

Isa. 38. 17.

Christum flagellantes in terram prostrarunt

Romani Præsidis atrio fuerit? Respondetur, vel ad reorum flagellationem: damnatos enim ad mortem flagellare Romani antea consueuerant: vel etiam, vt in columnæ annulo post equitantis descensum equorum fræna ligarentur.

656. Quæri hîc etiam potest, cur cum in Domini morte petræ scissæ sint, in Domini flagellatione marmorea columna scissa non fuerit? respondetur, ne Dominus, qui multò antea dixerat: *In flagella paratus sum*, videretur scissa columna flagella vitare voluisse. Secundò Quia Domino suæ passionis instrumenta, quibus cruciatus humanum genus redemit, æternique Patris mandatum impleuit, iucundissima fuerunt; ea proinde in posterum asseruari voluit, vt crucem, clauos, & lanceam, adeoque suæ flagellationis columnam. Tertio, vt Dominicæ charitatis erga nos firmissimum ipsius columna monumentum foret. In columna vndique canalibus excauata Veteres iacula seruare consueuerant. In Domini columna iacula seruantur, quæ inde prodire debent, vt nos Domini cruciatuum iugiter memores, ardentissimæ charitatis dulcibus, salutaribusque ictibus sauciemur.

Columna cur ob Christi flagellationem scissa non est sicut petræ ob eius crucifixionem?

Ps. 37. 18.

Hæc consuetudo habetur ex Homero Odys. lib. 1. & lib. 17.

Columna apud Veteres iacula seruabat.

657. Quàm exoptabile nobis esse debet Christo Domino nunc non passibili, & cruciando; sed iam glorificato, & adorando, instar stabilis columnæ arctissimis charitatis vinculis colligari. Vt hoc consequamur, de infernis hostibus reportanda victoria nobis est. Huiusmodi enim victoribus à Domino promittitur Apocal. 3. 12. *Qui vicerit faciam illum columnam in templo Dei mei.* Ipse Christus Dominus simul Deus, & homo templum Dei est. *Dominus Deus omnipotens templum illius est, & Agnus.* Non in perfidi Pilati atrio, sed in hoc cœlesti Dei templo vt columnæ simus, de victis tartareis hostibus victores esse debemus, diuinæ autem legi obedientes victores erimus iuxta Sapientis sententiam: *Vir obediens loquetur victorias.* Ad hoc significandum supra mysticam Dei templi columnam scribendum dicitur NOMEN NOVVM. Quærit Hugo de sancto Charo quod nam sit nouum hoc nomen suis seruis à Deo dandum? & respondet: *Qui modò in peregrinatione vocantur Christiani, in patria à Iesu vocabuntur Iesuani, idest salvati.* Vt hoc nomen consequamur, prius exequendo diuinam voluntatem, nomen illud habere debemus, de quo Deus fideli animæ dixit: *Et vocaberis voluntas mea in ea.* Christus Dominus per obedientiam Iesus est appellatus, *factus obediens vsque ad mortem; propter quod Deus donauit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur.* Similiter is Iesuanus appellabitur, qui diuinæ voluntati se obsequentem exhibuit. Diuinæ autem voluntati *obediens loquetur victorias*; & consequenter de eo à Deo dicitur: *Qui vicerit faciam illum columnam in templo Dei mei.* Plura ad Domini cruciatum pertinentia dicta sunt fer. 4. post Domin. 2. Quadrag.

Columnæ in Dei templo esse studeamus.

Apoc. 21. 22.

Prou. 21. 28.

Apoc. 3. 12. Pii fideles, qui in hac mortali vita Christiani dicuntur in vita beata Iesuani dicentur.

Hugo in Apoc. c. 3. 17. Isaia 62. Ad Philip. c. 2.

Tunc milites Præsidis suscipientes Iesum in prætorium, congregauerunt ad eum vniuersam cohortem.

658. CVm Dominus in ipso Præsidis atrio columnæ alligatus flagellatus fuerit, cur Marcus de Domino iam flagellato, & spinis coronando ait; *Milites autem duxerunt eum in atrium prætorij.* Respondetur vel Marci verbis significari in idem prætorii atrium ductum Do-

Marc. 15. 16. Euangeliorum textuum conciliatio.

minum fuisse prius, vt flagellaretur, & deinde ibidem fuisse coronatum. Vel prætorii atrium interius Præsidis atrium intelligi debet; sicut in Assueri Regia atrium interius fuisse constat ex lib. Esther c. 4. & cap. 5. Nos Domini passionis memores illum in interius cordis atrium, seu aditum, vt veueremur, & ardenter semper amemus, suscipiamus.

Cohors quot milites continebat.

Congregauerunt ad eum vniuersam cohortem. Cohors est peditum, sicut turma est equitum; continebatque milites quingentos, vel, iuxtà alios centum viginti quinque. Vniuersa hæc multitudo ad Dominum illudendum, & cruciandum est congregata. Impiis autem militibus totidem saltem dæmones addebantur, qui militarem sæuitiem in Dominum incitabant. Hinc S. Bonau. 1. par. stim. cap. 8. exclamat: *O summa, & ineffabilis tua manifestatio charitatis, dum talia & tanta à dæmoniis sustinebas.* Ad Dominũ, vt supra diximus, vlterius illudendum, & cruciandum quingenti, vel saltem centum viginti quinque sunt congregati. Quare cum Psal. 37. Dominus dixisset: *In flagella paratus sum*; subdidit postea: *Multiplicati sunt, qui oderunt me inique.*

Et exuentes eum, chlamidem coccineam circumdederunt ei.

659. SI Dominus in eodem Præsidis atrio simul flagellatus, immediatè post rubra chlamyde indutus, spinisque coronatus est; cum à Matthæo dicatur, *Milites exuentes eum*, intelligi debet non immediatè antequam chlamyde eum induerent, sed antequam flagellarent. Si verò, dum Iudæi Domino, duobusque latronibus ipsum Dominum ad ignominiam comitaturis cruces parandas curabant; sæuos milites vlterius Dominum illudendi, & cruciandi, voluntas subiit; quòd vt liberius id exequerentur in interius atrium Dominum duxerunt; tunc dicendum probabiliter est Dominum post flagellationem suis iterum indutum vestibus, postea tamen iisdem detractis coccinea chlamide ad irrisionem tamquam Iudæorum Regem fuisse circumdatum.

Christus cœlestis Sponsus cãdidus apud Herodem, rubicundus apud Pilatũ.

660. Ad cœlestis Sponsi pulchritudinem significandam Sponsa Cantic. 5. dixit: *Dilectus meus candidus, & rubicundus.* Sed idem cœlestis Sponsus, pro humani generis redemptione, ad ignominiam candidus, & rubicundus esse voluit; candidus ab Herode, vt fatuus alba veste indutus; rubicundus in Pilati atrio tamquam falsus Rex coccinea veste circumdatus.

Et plectentes coronam de spinis posuerunt super caput eius.

Suarius 3. p. Q. 46. a. 8. disp. 35. sect. 3. Spinea corona an ex Pilati voluntate Domino imposita fuerit.

661. POtest aliquis dubitare, ait Suarius, *cum hac corona Christo sit ante latam sententiam mortis imposita, quando Pilatus adhuc curabat eum à morte liberare, quomodo permiserit huiusmodi coronam illi imponi, quæ non poterat non inferre vulnera lethalia?* Respondet Suarius: *Non esse hoc necessarium; quia non est intelligendum spinas illas cranium capitis perforasse; sed solùm carnem, & pellem, quæ est in capite: & verisimile est spinas ita fuisse infixas per superiorem capitis partem, vt per inferiorem sanguine conspersa prodirent; atque hac ratione fortiter in carne hærerent. Vnde necesse erat vehementem sequi dolorem; præsertim quando venas simul, & neruos*

A *traiecissent.* Sed contra hanc responsionem primò ad hominem argui potest: Cum enim acutæ spinæ longiores, atque duriores neruos traiecerint, cranium etiam læsisse dicendum est, atque adeo ex tali spinarum traiectione, & inde ex spasmo Christi Domini mors necessariò prouenisset; nisi eius vita adhuc diuinitus ad crucem subeundam seruata fuisset. Secundò, vt S. Vincentius Fererius ser. de Parasc. ait: *Spinea Domini corona erat ad modum pilei; itavt vndique caput tegeret, & tangeret.* Spinoso ergo hoc pileo obtectum Domini caput cum milites arundine percussissent, vtique profundius acutæ, & longiores spinæ Domini caput, & tempora transfixerunt. De stulti vinea dicitur Prouerb. 14. *Superficiem eius operuerunt spinæ.* At Dei filii capitis, qui æterni Patris sapientia est, non superficiem tantùm spinæ operuerunt; sed multò profundius in cranium penetrarunt. *Tanta violentia, & crudelitate*, ait Ioannes Thaulerus, *sacro Christi vertici diram hanc coronam oppresserunt; vt quemadmodum diuus Bernardus ait, aculei cerebrum attingerent; ipsius quoque venas, neruos, & ossa capitis penetrantes; adeo vt sanguis illius sancto permixtus cerebro vbertim per faciem, per collum, perque capillos deflueret.* Respondendum est igitur ad allatam dubitationem, milites ex propria sæuitie, & diaboli instigatione Dominum spinis coronasse; non autem ex Pilati voluntate, & iussu, quod patet ex verbis Ioan. 19. dicentis: *Pilatus Iesum flagellauit*, hoc est, ad flagellandum tradidit: *& milites plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti eius.* Vbi flagellationem quidem Pilato tribuit, coronationem militibus; vt bene cum Chrysostomo ipse Suarius obseruauit. Quod si Augustinus huiusmodi cruciatus Pilatum permisisse ait; intelligi debet de permissione non positiua, sed negatiua; Quatenus non inuigilauerit, ne vltra præscriptum militum sæuities progrederetur.

Spinea Domini corona ad modũ pilei vndique caput ambiens.

Thaulerus de vita Christi c. 28. Spineâ coronâ quantum Domini caput cruciatum fuerit.

Augustin. tract. 116. in Ioannem.

662. Ex infixis Domini capitis spinis quanta sanguinis copia defluxerit, indicatur ex Psal. 31. vbi etiam de Domino spinis coronato verba illa interpretantur: *Conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina*; ibique ex Hebræo legitur: *Versus est succus meus in siccitate æstatis dum configitur spina.* Hoc est, ex meo confixo spinis capite tanta vis sanguinis defluxit, vt terræ æstiuo tempore omnino arenti similis redditus sim. Cum Dominus effusum in Gethsemani horto sanguinem reassumpserit, vt supra diximus, iure quærere, & queri possumus: Vt quid, Domine, super amœna Gethsemani horti germina, & flores effusum sanguinem reassumpsisti. si ille iterum super acutas spinas erat sæuissimè effundendus? *si coronas nos in misericordia, & miserationibus*, cur te spinis in sæuitie, & crudelitatibus coronari pateris? *si benedictio Domini super caput iusti*; cur super caput tuum maledictio est? cur terra ex primorum parentum peccato maledicta, tibi omnimodè innocenti *spinas, & tribulos germinauit*? Si *iusti in atriis domus Dei florebunt*; cur tu iustorum caput in impii Præsidis atrio non floribus; sed spinis coronaris? Et si alibi *semen, quod est verbum Dei cecidit inter spinas, & simul exortæ spinæ suffocauerunt illud*: tu tamen Domine increatum Dei verbum inter spinas cadis; & fructum centuplum, immò infinitum cœlestium gratiarum humano generi refers. De Christo Domino Nicephorus ait: *Cæsariem habuit subplanam, ac non admodum densam leniter quodammodo ad crispos declinantem.* Quàm bene

Spinea corona quantum sanguinis è Domini capite elicuerit.

Ps. 102. 4.

Prou. 10. 6.

Gen. 3. Ps. 91. 40.

Luca 8.

Nicephorus lib. 1. c. vlt. Cantic. 7. 5.

Domino dici potuit: *Coma capitis tui sicut purpura Regis vincta canalibus*? Cum enim ex confixo spinis capite sanguinei riui veluti per canales longè defluerent; tunc venerabilis Domini cæsaries concreto sanguine tamquam *purpura Regis vincta in canalibus* fuit. *Sanguis Christi purpura est* ait Ambrosius ser. 17. in Ps. 118.

663. Ad Israelitarum populum ab Ægyptia seruitute liberandum dicitur Exod. 3. *Apparuit Moysi Dominus in flamma ignis de medio rubi*: Psal. autem 98. 7. de eodem Moyse, eiusque populo dicitur: *Dominus in columna nubis loquebatur ad eos. Spinosa planta est rubus*, ait Clemens Alex. Prius ergo inter spinas, deinde in columna Deus se Israelitis olim exhibuit. Sed postea Dominus assumpta humana carne, vt nos à diaboli seruitute liberaret, prius columnæ alligari, deinde spinis coronari voluit. De spinea hac Domini corona Clem. Alex. ait: *Hoc diadema est inimicum iis, qui insidiantur; iis autem, qui in Ecclesia simul versantur, amicum eos circumsepsit, & munivit. Hæc corona flos est eorum, qui crediderunt in eum, qui glorificatus est; cruentat autem, & castigat eos, qui non crediderunt. Dominus suo capite, ac principali parte corporis omnia mala nostra portauit, propterque pungebatur. Cum ipse ab offensionibus, & peccatis, & eiusmodi spinis nos propria passione liberasset, Diabolumque infirmasset, meritò dixit: vbi est mors stimulus tuus?* Quia mortis stimulus, seu aculeus peccatum est, quo spiritualis mors homines sauciat, & interimit: ne huiusmodi aculeis sauciemur, Dominus spinarum aculeis suum configi caput voluit. Isaiæ 27. 4 Deus ait: *Indignatio non est mihi. Quis dabit me spinam, & veprem?* Hoc est, Quis faciet, vt hominibus sim veluti in spinam & veprem, eos per iracundiam configendo. Iuxta Hieronymum: *Quis me faciet durum, atque crudelem, vt erga homines misericors non sim?* Ipsa quidem spina, & vepris, quibus Dominus coronatus est, effecit, vt erga nos Dominus in spinam & veprem non foret. *Neque de spinis colligunt ficus, neque de rubo vindemiant vuam*, Dominus dixit. At de Domini spinis suauissimi cœlestium gratiarum fructus colliguntur. *Nos quidem vuas ex spinis colligimus; & ficus ex rubis. Illi autem consauciantur, & laniantur, ad quos manus extendit; nempe ad populum infidelem, & infrugiferum*, ait Clemens Alex.

Clemens Alex. 2. Pædagogi c. 8. — *Clemens supra.* — Spinea Domini corona iustis munimen, iniquis supplicium. — *1 ad Corin. c. 15. 59.* — *Luca 6. 44.* — E Spinis pii fideles vuas colligunt. — *Clem. Alex. supra.*

664. Domini coronam ex duriore, & longiore spina, quæ rhamnus dicitur, fuisse contextam, bene asserunt Rhodiginus l. 5. c. 9. Martinus Delrius lect. 9. de pass. & alii. Rhamnum asperiorem inter spinas esse docet Nyssenus. Ex hoc spinæ genere, quod rhamnus dicitur, contra ignē sacrum, & contra vlterius corrodentia vlcera medelam sumi, eiusque ramos fenestris, valuisque impositos veneficia depellere Dioscorides scribit. Rhamnum serpentium morsibus medelam esse docet etiam Rhodiginus. Sed longè efficacior ex Christi Domini spinea corona contra gehennæ ignem, contra peccatorum vlterius progredientia vlcera, infernique serpentis morsus, medela nobis, & antidotum exhibetur. Spineam hanc Domini coronam nostrorum sensuum valuis, ac fenestris imponentes, eam iugiter animo præsentem habeamus; vt diaboli veneficia procul arceri possimus. Ideo Psal. 31. peccator ait: *Conuersus sum in ærumna mea*, hoc est iuxta Hugonem, à peccato per pœnitentiam ad Deum conuersus sum, dum crucifigitur spina; dum menti meæ spinea Domini corona per meditationem infigitur. Syluestrem rhamnum vulnerare, & vulneratorum sanguine delectari, ait Hieronymus. Dominicæ autem coronæ rhamnus salubriter animum charitate sauciat, & ex vulnere pœnitentium lacrymas, non sanguinem elicere delectatur.

Spinea Domini corona ex rhamno, asperrimo spinæ genere: hic, & sequenti. — *Nyssenus tract. 2. in Ps. 15.* — *Dioscorides lib. 1. c. 101.* — Rhamnus sacri ignis, vlcerum, & serpentum morsuum medela. — *Rhodiginus supra, & lib. 22. c. 31.* — *Hieron. in c. 3. Habacuc. & c. 2. Aggæi.* — Rhamnus sauciorum sanguine delectatur.

665. De Syluestribus nemorum incolis Iob 30. dixit: *Esse sub sentibus delicias computabant.* Non dissimiliter iusti cœlesti regno ciues destinati sub Domini coronæ sentibus suas esse delicias putant. Propterea rhamnus Domini coronam præfigurans Iudicum 9. 15. dixit: *Venite, & sub vmbra mea requiescite.* Fideles enim tamquā Christi membra, qui sub spinoso eius capite sunt, ab infernorum hostium insidiis securi requiescere possunt. *Rhamnus*, inquit Hieronymus, *sentium genus est asperrimum aculeis, & flore gratissimum. Vnde intelligitur duplicem habere virtutem, vltionis, & bonorum retributionis, idest iustis flores ad ornatum, peccatoribus præbet spinas ad configendum.* Ideo Dominus spinoso rhamno coronatus, dicitur *positus in ruinam, & in resurrectionem multorum*; in reproborum scilicet ruinam, & in electorum resurrectionem. Ex rhamni seminibus expresso succo hebetem visum acutiorem reddi, docet Galenus. Caligantes nostræ mentis oculi, vt ad cœlestia contemplanda eleuari possint, ex Domini coronæ rhamno piæ meditatione collyrium comparemus.

Syluestres homines esse sub sentibus gaudent. — *Hieron. in Ps. 57.* — Rhamnus aculeis asperrimus, flore gratissimus. — *Luca 2. 34.* — Rhamni seminum succus visum acutiorem reddit. — *Galenus 8. Simplicium medic. & 3. de medic. facilè parādo. n. 110.*

666. Cum ex Hieronymo rhamnus quidem floreat, iunci verò marini flores non habeant, hinc non ex marinis iuncis, vt aliqui sentiunt, sed ex rhamno, vt supra diximus, Domini coronam fuisse contextam habetur: Dominicæ enim coronæ ex spinis flores tribuuntur. Clemens Alexandrinus supra citatus expressè ait: Christo Domino diadema impositum, *per spinam semper florentem*; & addit: *Hæc corona, flos est eorum, qui crediderunt.* Præterea cum Gen. 22. 13. Aries inter vepres hærens cornibus, ab Abrahamo pro Isaac immolatus, Christi Domini figura fuerit iuxta Ambrosium, Augustinum, & Theodoretum, hinc, vt figurato figura respondeat, terrestribus vepribus, non marinis iuncis Domini caput præcinctum fuisse dicendum est. Benè etiam addit Baronius, marinos iuncos propriè spinas non appellari; nec eos militibus ita in promptu fuisse, vt ex iis Domini caput coronari voluerint, cum ad Dominum sine mora cruciandum vehementer inhiarent.

Spinea Domini corona non marinis iuncis contexta. — *Ambros. l. 1. de Abrahā c. 6.* — *August. 16. de ciuit. c. 32*

667. *Florida quidem est rosa, sed mihi tristitiam infligit. Quoties florem hunc video, peccati mei admoneor, propter quod terra, vt spinas, & tribulos proferret, condemnata est*, ait Basilius. Similiter quamuis rhamnus, vt Hieronymus ait, florem gratissimum habeat; quamuis spinas florentes videamus; pio tamen mœrore nos afficere debent in memoriam reuocantes, quòd ob nostras culpas sibi Dominus sacratissimum caput cruentis spinis coronari voluerit. Iisdem tamen nos assidua meditatione caput coronemus. Mundi sectatores à terrenis deliciis dediti dicunt: *Coronemus nos rosis antequam marcescant.* Christi Domini imitatores, Coronemus nos spinis, vt ex spinis flores habeamus, quibus in cœlo perpetuo coronemur, aiunt.

Basilius hō. de Paradiso — Rosa, rhamnique flos pio mœrore afficere debēt. — *Sap. c. 2. 8.*

668. Anno Domini millesimo nonagesimo nono ab infidelium iugo liberata Ierosolyma, Christianorum Reges, qui in ea regnarunt, Godefridum primum Regem imitantes, suas imagines non aliis, quam spinarum similitudine horridis coronis redimiri voluerunt teste Gulielmo Tyrio

Ierosolymæ Christiani Reges suas imagines spinea corona redimiri voluerunt.

mo Tyrio lib. 9. de bello ſacro, cap. 9. Similiter, qui regnare in cœleſtis Ieroſolymæ regno cupit, ſpinis ſuum coronari caput velit; ærumnas ſcilicet omnes, quas ad diuinam legem ſeruandam, prauoſque affectus edomandos perferre oportet, libentiſſimè ſubeundo. *Chriſtus poſt ſanguinis effuſionem accepit corporis immortalitatem*, ait Bernardus. *Videmus Ieſum propter paſſionem mortis gloria, & honore coronari*, ait Apoſtolus ad Heb. 2. 9. Coronatus eſt autem Dominus poſt paſſionem gloria, & honore, vt Chriſtianus iuxta Tertullianum *illam Chriſti coronam amuletur*; ſcilicet acquirere ſtudeat, *quæ poſtea ei obuenit*, ſcilicet in cœleſti regno poſt crucem.

Bernardus ſer. 2. in cœna Domini.

Tertullian. lib. de corona militis ſub finem.

669. Sed ad impios miniſtros redeamus in Domini ludibrium ſpineam coronam adhibentes. Cum caput præcipua corporis pars ſit, cerebri, mentiſque ſenſus regentis ſedes; quæ capiti iniuria infertur, præ cæteris ignominiam maximam affert. Ideo 4. Reg. 2. Quod petulantes pueri Eliſei capiti illuſiſſent dicentes: *Aſcende calue, aſcende calue: egreſſi ſunt duo vrſi de ſaltu, & lacerauerunt ex eis quadraginta pueros.* Cum autem impii ſatellites ſpinea corona Domini capiti illuderent, cur immanes vrſi, cur Hyrcanæ tygres, & Libyæ Leones detinebantur, ne impios carnifices dilacerarent? meritò piſſimus vir Ioannes Thaulerus exclamat: *Quomodo Pater æternus iniuriam, & probra, quæ videbat, glorioſi filij ſui tolerare potuit? Prophetam ſuum Eliſeum à pueris non tam ex malitia, quàm puerili leuitate irriſum tam grauiter vltus eſt; & vnicum eundemque chariſſimum filium ſuum vliſci noluit! O pater amantiſſime, quid eſt homo, quòd ſic eum amas? Quòd tam venerandum, tam bonum, tam dilectum filium pro impio, & damnato peccatore manibus tradidiſti canum rabidorum?*

Capiti humano illata iniuria maximè ignominioſa.

Thaulerus c. 17.

Dei in homines amor eximius.

670. Domini coronæ ſpinas nonnulli affirmant fuiſſe duas, & Septuaginta; alii plures, alii pauciores, ait Suarius. Sed ſpinas, quibus quotidie peccatores Dominum configunt, numerare quis poteſt? Colliqueſcat præ dolore cor noſtrum, totumque reſoluatur in lacrymas, quòd Dominum, quod creatorem noſtrum execrandis noſtris ſceleribus tam dirè coronemus. Nos quotidie venerandum Chriſti caput inclementer vulneramus; multoque maiori eum contumelia afficimus, quàm qui eum paſſionis tempore cruciarunt.

Spinæ Domini coronæ ſeptuaginta duæ, vel etiam plures: Sed peccatorũ Chriſtum configentiũ numerus maior.

Suarius ſup.

Et arundinem in dextera eius.

671. IMpii milites, ſicut ad ludibrium ſpineam coronam, ita etiam arundinem, veluti irriſionis ſceptrum Chriſto Domino tamquam ridiculo regi dederunt. Sed quæ ad ludibrium, & cruciatum impii illi adhibuerunt, Dominus ad myſterium conuertit. Quod bene ſic explicat ſanctus Athanaſius: *Spineam coronam geſtauit vt ſollicitudines noſtræ vitæ extirparet; vt omnes in ſecuritatem aſſereret; & ſementem verbi à ſpinis depurgatam haberent. Ipſe enim in doloribus, & curis erat, vt nos doloribus careremus. Atque hinc rurſum eſt, quòd arundinem accepit; cum illi à Diabolo porrigeretur ignaro, quòd contra ſe ipſum gladium acueret. Dicitur enim arundo ſerpentibus lethalis eſſe, atque inde potiſſimùm interfici. Quale quid Dauid in Goliath deſignauit; qui ſumpto aduerſarij gladio, eo ipſo aduerſarij caput præcidit. Idem quoque Seruator fecit ſumens arundinem ab illis; vt nos non ſolùm liberaret à verſutia ſerpentis; ſed illum*

Athanaſ. de paſſ. & cruce Domini.

Arũdo ſerpentibus lethalis.

A *ſerpentem tolleret, & mortuum exhiberet.* Aptiſſimè victoris Dauidis figuram Athanaſius aſſerit. Sicut enim Dauid Philiſtæum gigantem animatum ſuperbiæ ſimulacrum ad terram victor afflixit; ſic nos ſi Dominum ad ludibrium, vacuum arundinis ſceptrum geſtare attento animo piè meditemur; poterimùs arundine illa abominabile ſuperbiæ monſtrum ad terram ſternere, mundanæque gloriæ faſtus, pompaſq; deſpicere. *Calamus Orientis populi bella conficiunt*, ait Plinius. Similiter arundineo Domini calamo contra inanem mundi gloriam, diabolique inſidias victoriam certò reportaturi, bella ſuſcipere poſſumus.

Arundine, ſeu calamo Orientales bella conficiunt.

Plinius lib. 16. c. 36.

B 672. Quoniam veteres arundineis calamis ad ſcribendum vtebantur, *Calamum Dominus tenebat in manu, vt ſacrilegium ſcriberet Iudæorum*, ait Hieronymus. Dicamus potius clementiſſimum Dominum manu calamum ſuſcepiſſe, vt *deleret, quod aduerſus nos erat Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis*: ideoque diabolum *amiſiſſe Chirographum, & calamum, quo nos in ſua cautione deſcripſerat*, vt Athanaſius ait.

Hieron in Matth. c. 27.

Ad Coloſſ. c. 2. 14.

Athan ſup.

673. Paulò poſt ſuam paſſionem Dominus eâdem dexterâ, qua ad ludibrium arundinem geſtauit, viſus eſt à Ioanne lucidiſſimas ſtellas habere: *& habebat in dextera ſua ſtellas ſeptem.* Arundinis enim ludibrio ſtellarum ornatus ſucceſſit; ſicut felli mellifluus fauus: *Fauos poſt fella guſtauit*, ait Tertullianus: vt nos doceret qua C via ad cœleſtes honores, & delicias ſit eundum.

Arundini ad ludibr. ſtellæ ad ornatum ſuccedunt.

Apoc. c. 1. 16 Tertullian. ſupra.

Et genuflexo ante eum, illudebant ei dicentes: Aue Rex Iudæorum. Et expuentes in eum acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius.

674. IN ſacrilegum ſcelus horum impiorum os, lingua, & manus coniurabant; Dominum, ore, lingua, & manu percutientes. Percutiebant lingua, cum iuxta Ieremiæ vaticinium ad Dominum illudendum, & per ludibrium Regem ſalutandum, ſeipſos hortarentur, dicentes: *Venite percutiamus eum lingua.* Irriſoriis præterea linguæ ictibus fœtida ex ore ſputa addebant, D *expuentes in eum.* Rurſus, vt oris, & linguæ æmula manus foret, percutiebant manu, cum accepta arundine in ſanctiſſimum Chriſti caput ſpinis præcinctum immaniſſimè geminarent. De ſanctiſſima Domini ceruice arundinis ictibus ſæpius percuſſa Iobi eſt vaticinium: *Concluſit me Deus apud iniquum; manibus impiorum me tradidit: contritus ſum: tenuit ceruicem meam, & confregit me; & poſuit me ſibi quaſi in ſignum.* Ne quis autem putet leuiores in Domini caput arundinis ictus fuiſſe, eo quòd noſtrates arundines leuiores, & fragiles ſint; meminerit in orientalibus regionibus arundines multò duriores, & grauiores eſſe; ita vt in bello præfixa E ferrea cuſpide pro iaculis ſint, vt ſupra ex Plinio diximus.

Ier c. 18. 18.

Iob. 16.

Arundinis ictus in Domini caput quàm graues.

675. De his Domini ludibriis, & cruciatibus bene Anſelmus ait: *Regali purpura induitur; Sed plus in ea deſpicitur, quam honoratur. Sceptrum in manu geſtat; ſed eo ipſo venerendum caput feritur. Adorant coram ipſo genibus flexis in terra, & Regem conclamant; & continuò ad conſpuendas amabiles genas eius ſubſiliunt: maxillas palmis concutiunt, & honorabile collum exhonorant.* Cum Nazianzenus ab Arianis, iniuriis pluribus afficeretur, illas libentiſſimè propoſito Chriſti Domini exemplo perferens dixit: *Quota ſunt hac pars iniuriarum, quæ Chriſto contigerunt.*

Anſelmus in ſpeculo c. 11.

Iniuriarum tolerantia ex Christi opprobriis desumenda

dum conspueretur, & pugnis cæderetur? Omnia, A in me scilicet collata opprobria, *non vni conferendæ coronæ spineæ duco, qua victoris nostri caput cinxit; & per quam me quoque vitæ asperitate coronari animaduerto: non vni arundini, per quam illud debile sublatum est imperium,* scilicet Diaboli: *non vni vel felli, vel aceto, per quæ amarulentia nostra degustatio sanata est:* amarulenta scilicet vetiti pomi à parentibus degustatio facta.

Athan. sup.

676. *Acceperunt arundinem & percutiebant caput eius.* De hoc bene Athanasius ait: *Resumpta à Domino arundine, cum milites arundine Christum se pulsare existimarent, hallucinabantur; quippe qui diabolum ipsos irritantem verberabant. A suis ipsius membris hoc malum illi infligebatur, quod versutissimo illi ad summum* B *vituperium cessit. Si à Domino vapulasset, gloriari poterat: nunc ab illis percutitur, quos in seruitutem redegerat ad omne dedecus, probrumque transcendit.* Percussus autem ipsis inflictis Domino verberibus diabolus dicitur; eo quòd ex Domini passione, humanique generis redemptione maximè cruciatus fuerit.

Arundine Christum percutientes diabolum cædebant.

677. In Caiphæ domo, cum impii ministri Colaphis, & manuum palmis Dominum cæderent, ait S. Lucas: *Velauerunt eum, & percutiebant faciem eius: quò audacius, & inuerecundius omnes iniuriarum species ei inferrent,* ait Iansenius. Nam, vt S. Hieronymus ait: *Fulgor, &* C *maiestas Diuinitatis occulta in Domini humana facie relucebat.* Quæritur ergo cur etiam hic in Pilati domo Dominum illudentes, & expuentes, & arundine percutientes, eius faciem non velauerint? Respondetur ad Domini velandam faciem Iudæis satis pro velo fuisse sanguinem, qui ex spinis coronato Domini capite vbertim in faciem defluebat. *Corona spinea capiti eius artissimè imposita fuit, quæ ad medium frontis descendebat; plurimis riuis sanguinis ex aculeis infixis decurrentibus per faciem eius, & crines, & oculos, & barbam replentibus; vt quasi nihil nisi sanguis totus videretur.* vt S. Brigittæ B. Virgo reuelauit. Itavt hinc bene de Domino Isaiæ vaticinium fuerit: *Quasi absconditus vultus eius.* D

Luca 22.64
Iansenius in concordia c. 138.
Hieron. in Matth. c. 9.
Arundine percutiẽtes Domini caput, cur faciem eius, vt aliàs, nõ velauerunt?
S. Brigitta lib. 1. c. 10
Isaia 53.3.

678. *Dicentes: Aue Rex Iudæorum.* Cum ex Hæbræo Iudas laudationem, seu confessionem significet, & hinc Iudæi laudantes, & confitentes interpretentur; nos irrisoriam impiorum militum salutationem, in pium sensum conuertẽtes, Christum Dominum laudantes, nostrasque culpas vera pœnitentia confitentes, eumque nostrum Regem agnoscentes, ei dicamus: *Aue Rex Iudæorum*; hoc est nostrûm omnium, te toto corde laudantium, nostrasque culpas largis pœnitentiæ lacrymis confitentium.

Christus Rex Iudæorum, hoc est eum laudãtium & cõfitentium Rex.

Exiuit iterum Pilatus foras, & dicit eis: Ecce adduco vobis eum foras, vt cognoscatis, quia nullam inuenio in eo causam. [Exiuit ergo Iesus portans coronam spineam, & purpureum vestimentum] & dicit eis: Ecce Homo Ioan. 19.4. E

Adrichom. de descript. Ierus. n. 120

679. DE loco, in quem ex prætorio exiit Pilatus, Adrichomius ait: *Xystus porticus erat in modum pontis lapideis frequentibus arcubus supra plateam publicam ampla latitudine extructa; ac subdialibus inambulationibus erecta. Ex hoc loco Præsides Romani populum alloqui solebant. In quo stans Pilatus Iesum dire flagellatum, conspuitum, spineamque in capite gestantem coronam, ac purpureo indutum pallio, Principibus, populoque Iudaico videndum exhibuit dicens: Ecce Homo; vt ita afflicto commiserarentur. At illi inconditis vocibus clamabant: Crucifige eum, crucifige eum. Vbi adhuc visitur, & peregrinis ostenditur arcus quidam Lapideus. cum hac inscriptione: Tolle, tolle, crucifige.* Hac inscriptione contra Iudæorum impietatem semper *lapis de pariete clamabit.* Habacuc. c. 2. 11.

Lapis Ierosolymæ inscriptus: *Tolle, tolle, crucifige*: perpetuò contra Iudæos clamat.

680. Iniquus Præses dicens nullam inuenisse in eo causam, in caput suum mentitus est. Si enim nullam in eo causam inuenit, cur eum immanissimis militibus tam crudeliter flagellandum per summam iniuriam tradidit? Vnà cum iniquo Præside extra prætorium Christus Dominus *exiit portans spineam coronam, & purpureum vestimentum*: De hoc purpureo vestimento dixit Matthæus: *Chlamydem coccineam circumdederũt ei.* Vbi quæritur, si ea vestis ex Matthæo coccinea, hoc est cocco tincta dicitur, cur à Ioãne purpurea appellatur? coccum enim, & purpura, seu murex valde diuersa sunt. Nam ex Dioscoride, Strabone lib. 10. *Coccum est granum tinctorium, seu frutex fullonius, cui adhærent grana, quibus fit color lanarum præcipuus: purpura verò est piscis ex concharum genere in faucibus habens liquorem tingendis etiam lanis maximè expetitum. Quare Vlpianus l. si cui lanas de leg. 3. ait: Purpuræ appellatione omnis generis purpuram contineri puto; sed coccum non continebitur; hæcinum & ianthynum continebitur.*

Chlamys, qua Christus ad ludibrium est indutus, quomodo simul coccinea, & purpurea dicitur: hîc, & sequenti.

681. Respondet primò Beda: *Non debet videri contrarium, quod Matthæus dicit circumdedisse chlamidem coccineã; quia, vt Origenes refert, vnius sunt materiæ coccus, & purpura; Cocculæ enim inciduntur, & ex his guttæ sanguinis fluunt, ex quibus vtriusque generis tingitur vestimentum.* Sed cõtra est, quia vt supra ostendimus, non eiusdem materiæ purpura, & coccus sunt. Respondet secundò Ambros. *Chlamydem coccineam induitur à militibus, & purpuream tunicam.* Sed cum ad Dominũ illudendum satis fuisset coccinea chlamys, interiorem purpuream tunicam addere superfluũ omninò videbatur; neque tanta in Domino vestiendo mora à sæuis militibus adhibita probabilis videri potest. Respondet tertiò Cornelius dici posse chlamydem illam fuisse dibapham, idest bis tinctam; scilicet semel purpura, seu murice, & iterum cocco. Sed contra est, quia quamuis lanæ, & ex iis vestes bis rubro colore tingerentur; nihilominus ad eas bis tingendas, non prius murex, & deinde coccus, sed idem simplex liquor adhibebatur. Hinc Lyricus ait: *Te bis Afro murice tinctæ vestiunt lanæ.* Resp. quartò, quamuis ab initio, & propriè purpureus color ex purpuræ, seu muricis succo prouenerit, nihilominus postea coccineus ex cocco rubor etiam pupureus dictus est. Quod patet ex Plinio l. 21. c. 8. *Luxuria vestibus quoque prouocauit eos flores, qui colore commendantur. Hos animaduerto tres esse principales. Vnũ in cocco, qui in rosis micat. Gratius nihil traditur aspectu; & in purpuras Tyrias, dibaphasque, ac Laconicas* scilic. *tingendas, adhibetur.* Nostro quidem tempore purpura, quam Italo vocabulo *scarlatũ* dicimus, à cocco, non à purpura, seu murice purpureum colorem contrahit. Præterea quamuis purpura, & murex diuersa sint, ait enim Plin. l. 9. c. 36. *Purpuræ viuunt annis plurimùm septenis: Latent sicut murices circa canis ortum tricenis diebus:* Nihilominus murice tinctæ vestes adhuc purpureæ dicuntur.

Ambros. in Lucã c. 23.
Horat. lib. 2. Ode 16.

682. *Et dicit eis: Ecce Homo.* Pilatus, vt Iudæos ad commiserationem moueret, ac Dominum, quem innocentem agnoscebat, à morte liberaret; eum flagellis, & spinis cruentatum, & lacerum populo ostendit:

ſed fruſtra, iterum clamantibus Iudæis: *Crucifige, crucifige eum* Porrò cum præſes diceret: *Ecce homo*, adſtantes, admiranteſque Angeli clamabant: *Ecce Deus* Ecce quantam ad ignominiam, quos ad cruciatus ſe altiſſimus pro humano genere abiecit. Adamo, qui Dei ſimilitudinem affectauerat, per irriſionem Deus dixit: *Ecce Adam quaſi vnus ex noſtris.* Secundò Adamo, Deique filio ſub humana carne, non irriſu, ſed
Gen 3.22. verè dicitur: *Ecce Adam quaſi vnus ex noſtris*; humanis ſcilicet cruciatibus, ærumnis, ignominiiſque ſubiectus.

683. Iuſti, qui perditum peccatorem indi-
Pſ. 51. 9. cantes dixerunt: *Ecce homo. qui non poſuit Deum adiutorem ſuum*: dicant nunc: *ecce Homo, quem poſuit Deus adiutorem ſuum* ad humani generis redemptionem. *Ecce gloria Domini apparuit in nube*, dicitur Exodi 16. 10. Ecce ignominia Domini ſub humanæ carnis nube apparuit, nunc
Ioan. c. 11. dicere poſſumus. *Ecce, quem amas, infirmatur*, Lazari Sorores Domino dixerunt: *Ecce. quem amas* cruciatur, ignominiiſque ſummis afficitur, nos æterno Patri dicamus: Cum turbæ ad Iordanem accurenti Ioannes Dominum indicans
Ioan. c. 1. 29 dixiſſet: *Ecce Agnus Dei; ecce qui tollit peccatum mundi*; fuerunt qui Dominum vt verum Meſſiã agnoſcerent, & venerarentur. Hîc verò dicente Pilato: *Ecce Homo*, impia Iudæorum turba immaniſſimè clamat. *Crucifige, crucifige eum. Ex-*
Iſaia c. 5. 7. *pectaui, vt faceret iudicium, & ecce iniquitas;*
Iſa. 50. 9. *& iuſtitiam, & ecce clamor*, ſic meritò apud Iſaiam Dominus conqueritur: idemque æterni ſui Patris bene fretus auxilio, contra infenſam Phariſaicam turbam ait: *Ecce Dominus Deus auxiliator meus, quis eſt qui condemnet me? Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis ambulate in lumine ignis veſtri, & in flammis, quas ſuccendiſtis. De manu mea factum eſt hoc vobis; in doloribus dormietis.* Vbi bene iuxta Luſitanũ

A Foreriũ dicitur: *Vos, qui veſtris ſtudijs, & ſermonibus ignem accenditis, omnes vos Iudæi tales eſtis: ite in locum ignis veſtri, quem ſuccendiſtis: ignis nempe extinguibilis veſter eſt; vobis eum paraſtis. Ite in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo. Ego, quem vos, vt hominem ſceleſtum reprobaſtis; ego vos ad hunc ignem damno. Illic doloribus capita aceclinabitis. Hæc ſunt inferni ſtrata, hæc ceruicalia, nempè dolores.* Huc *deuenerunt impij, & infideles Iudæi, qui in filium Dei fuerunt iniurij, & impij, Pluet enim ſuper peccatores laqueos: ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum.* Inferni ſtrata, & ceruicalia quæ ſint. Pſ. 10. 7.

684. Cum, vt ſupra diximus, Pilatus, vt Dominum à morte liberaret, eum cruentum, & lacerum Iudæis oſtenderit: & dixerit: *Ecce* Euangelii textuum conciliatio.
B *homo*, videtur id contradicere Matthæo, qui ante hanc Domini oſtenſionem de Pilato ait: *Ieſum flagellatum tradidit eis, vt crucifigeretur.* Reſpondetur cum Matthæus Dominum ſpinis coronatum, Iudæiſque à Pilato oſtenſum narrare omiſiſſet, compendiariis verbis dixiſſe: *Ieſum flagellatum tradidit eis, vt crucifigeretur*, hoc eſt, cum Ieſum, vt flagellaretur, tradidiſſet; cumque vidiſſet Domini flagellatione adhuc Iudæos non placari, eiuſque mortem clamoribus expoſcere, tandem tradidit eum vt crucifigeretur. Quare neque iuxta Matthæum Domini flagellationem, & ad mortem ſimul traditio fuit; ſed hæc illam ſubſequuta eſt, non quidem immediatè, ſed interpoſita mora, qua
C populo Dominum Pilatus oſtendit. Clamantibus enim Iudæis, & Pontificibus dicentibus: *Non habemus Regem, niſi Cæſarem*. tunc Pilatus timens ne apud Regem accuſaretur, quòd Dominum ſe Iudæorum Regem facientem liberaſſet, tradidit eis illum vt crucifigeretur, iuxta Ioannem c. 19.



PARS TERTIA.

DOMINICÆ PASSIONIS IN CALVARIÆ MONTIS PATIBVLO.

Et poſtquam illuſerunt ei, exuerunt eum chlamyde, & induerunt eum veſtimentis ſuis, & duxerunt eum, vt crucifigerent.



685. E Sionis monte, vbi Præſidis prætorium erat, deſcendens Dominus, viam vt ad Caluariæ montem aſcenderet, inire cœpit: *Baiulans ſibi crucem exiuit in eũ, qui dicitur Caluariæ locũ*, ait Ioan. 19. 17. Cœpit ergo Dominus humeris crucem portare, quod quamuis reliqui Euangeliſtæ referre omiſerint, ex allato Ioannis teſtimonio certum eſſe debet. Præterea, cum
Plutarchus de ſera Numinis ira. apud veteres crucifigendi crucem ferre conſueuerint. *Quiſque malefactorum ſuam effert crucem*, ait Plutarchus: non videtur ex tali vſu Chri-

D ſtum Dominum Iudæorum, militumque ſæuities excepiſſe. E Præſidis domo ſub crucis onere egrediens Redemptor noſter, dicere bene potuit: *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris* Iuxtà communem Patrum ſententiam mons myrrhæ Caluariæ montem ſignificat: Hebraice enim myrrha *mor* dicitur; & *mons Moria* dicitur Caluariæ mons. *Vadam ad collem thuris*, hoc eſt ad Ioſephi ab Arimathia hortum, qui editior Caluariæ monti adiacebat. Vadam, ait Dominus, ad crucis mortem, & ad ſepulturam. Domino autem funeſta, & cruenta via ad mortem, & ſepultura pro noſtra redemptione eunti, Cant. 4 6. Mons myrrhæ Caluariæ mons.

Psalm. 118. dicere fidelis quisque potest: *In via tua vivifica me.* Mors enim Christi vita fidelium fuit.

686. De Abrahamo filium suum sacrificaturo dicitur Genes. 22. 6. *Tulit ligna holocausti, & imposuit super Isaac filium suum.* Vbi Aug. ait:

August. ser. 71. de temp.

Quod Isaac ipse sibi ad immolandum ligna detulit, & in hoc Christum Dominum figurauit, qui ad locum passionis crucem suam ipse portauit. Sed antequam crucis lignum Christus Dominus portaret, id ipse sibi præfigurare voluit. Nam S. Birgittæ B. Virgo dixit: *Filius meus fuit quasi pauper rusticus, qui non habens bouem, nec asinum, personaliter ligna portabat de sylua; & alia instrumenta ad opera sua*, scilicet fabrilia, *necessariò perficienda. Qui inter alia instrumenta etiam virgulas apportabat, quæ sunt necessariæ ad flagellandum.* Cum igitur Dominus de sylua ligna portaret, suæ crucis portando oneri proludebat: Cum inde etiam flagellationi aptas virgulas ferret, in iis sua, quæ subiturus erat flagella, meditabatur. Addidit ibi B. Virgo. *Filius meus in dorso suo grauissimum pondus, scilicet amaram crucem portans omnium peccata sanguine suo purgauit, & deleuit.*

S. Brigitta lib. 4. c. 64.
Christus è sylua lignorum onera domũ, ortabat.

687. Quàm graue fuerit crucis pondus ex eius magnitudine benè colligi potest. *Christo crucem attinuit. in pedum quindecim, altitudinis verò octò impositam esse maiorum traditione accepimus*, ait Adrichomius. Idemque de crucis altitudine asserit S. Bonauentura. Talem autem crucis altitudinem, & latitudinem fuisse benè etiam colligitur ex procera Christi Domini statura, nempe septipalmari, iuxta mensuram quæ Romæ in templo S. Ioannis Laterani ostenditur. Quare cum crux tres circiter pedes fuerit intra terram fixa, & crucis palmos septem Dominus occupasset, pendentem Dominum quinque ferè pedes distasse deducitur è terra.

Crucis magnitudo.
Adrichom. sup. nu. 121.
S. Bonauẽt. Medit. vitæ Christi c. 77.

688. De Domino crucem baiulante Thaulerus ait: *Tametsi totus, vt Isaias ait, vulneribus plenus erat, & à planta pedis vsque ad verticem capitis non erat in eo sanitas, attamen à quibusdam annotatum est grauiter eum læsum, & singulari affectum vulnere in humero suo. Huic enim ingens crucis trabs imminebat, quæ grande ei inflixit vulnus. Et quia crux prolixior erat, totam in humeris recipere non potuit: vnde factum est, vt pars extrema lapidibus, quibus via strata erat, adhærens grandem excitaret, & horrendum strepitum, Dominum incredibili dolore afficientem.* De Dei beneficentia erga Israëliticum populum dicitur Deuteronom. 32. 16. *Assumpsit eum, atque portauit in humeris suis.* Quàm ingratas vices Deo rependerunt impij Iudæi, qui Dei filij humero ingens crucis onus imposuerunt.

Thaulerus c. 28. de vita Christi
Isa. c. 1. 6.
Crucis onus Christi humero ingẽs vulnus inflixit.

689. Crucis onus baiulando Dominus effecit, vt eius iugum nobis suaue foret, & onus leue; idque iuxta promissum Oseæ 4. 11. *Ero eis quasi exaltans iugum super maxillas eorum.* suum scilicet cruci humerum supponendo Christus Dominus effecit, vt humanarum ærumnarum crux nobis leuior foret, minus nos deprimendo. Vide Augustinum hom. 22. de verb. Apost. De Christo Domino æternus Pater prædixit Isaiæ 22. 22. *Dabo clauem domus Dauid super humerum eius; & aperiet, & non erit qui claudat; & claudet, & non erit qui aperiat.* Vbi Hieronymus ait: *Clauis erit super humerum eius, hoc est in passione, iuxta illud, quod in alio loco scribitur: Cuius Principatus super humerum eius.* Similiter Hugo: *Dabo clauem domus Dauid super humerum eius, id est crucem, quo cælum aperitur. Et aperiet cælum bonis,*

Mat. c. 11. 30
Crux Cœli clauis.
Isaia 9.

A *& non erit, qui claudat: claudet malis, & non erit qui aperiat.* Hinc de Domino apud Isaiam vaticinio bene respondent Ioannis verba Apocalyps. 3. *Hæc dicit Sanctus, & verus, qui habet clauem Dauid; qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit.* Ierusalem autem cœlestis, & triumphans, & Ierusalem militans, nempe Ecclesia domus Dauid, hoc est Christi, dicitur: quia Dauid in terrena Ierosolyma regnans Christum in spirituali, & cœlesti Ierosolyma regnantem præfigurauit. Hinc Christi clauis, hoc est absoluta eius potestas, clauis Dauid à Ioanne dicitur, eo quòd à Dauide regnante præfigurata fuerit.

B 690. Ingens crucis onus, quòd post attritas flagellis, & larga sanguinis effusione vires pro nobis Dominus baiulauit, piè meditantes seruabunt profectò Apostoli monitum; *Alter alterius onera portate*: seu ex Græco; *Ait vicissim aliorum onera baiulate.* In proximorũ portandis oneribus Christi crucem portantis exemplum imitari gloriosum nobis esse debet: ignominiosum autem valdè erit in proximorum onerum tolerantia à ceruis rationis expertibus superari. Quare Augustinus cum dixisset: *Dilectionis officium est inuicem onera nostra portare*, addit: *Sicut de ceruis nonnulli scribunt, cum fretum ad insulam transeunt, pascuorum gratia, sic se ordinant; vt onera* C *capitum suorum, quæ gestant in cornibus, super inuicem portent; ita vt posterior super anteriorem ceruice protecta caput collocet. Et quia necesse est vnum esse, qui cæteros præcedens non ante se habeat, cui caput inclinet, vicibus id agere dicuntur; vt lassatus sui capitis onere ille, qui præcedit, post omnes redeat; & ei succedat, cuius ferebat caput, cum ipse præiret. Ita inuicem onera sua portantes fretum transeunt: donec veniant ad terræ stabilitatem. Fortasse ceruorum naturam intenderat Salomon, cum ait: Ceruus amicitiæ, & pullus gratiarum tuarum colloquantur tecum. Nihil enim sic probat amicum, sicut oneris amici portatio. Verbi gratia, iram fratris tunc portabis, cum tu aduersus eum* D *non irasceris; vt rursus eo tempore, quo te ira præoccupauerit, ille te tranquillitate sua supportet. Item si quis loquacitatem in se vicerit, & pertinaciam non dum vicerit; alius verò adhuc loquax sit, sed iam pertinax non sit; debet ille huius loquacitatem, & iste illius pertinaciam, donec illud in illo, & hoc in isto sanetur, charitate portare.* Subdit denique: *Christus Iesus sine peccato cum esset, peccata nostra suscepit; non attendens sua, sed nostra: ita & nos libenter ad eius imitationem inuicem onera nostra portemus. Hoc ergo exhibeamus illi, cuius infirmitatem portare volumus, quod ab illo nobis vellemus exhiberi; si fortè nos in ea essemus, & ipse non esset.* Idem docet Gregorius homil. 13. in Ezech. Basil. in Psal. 33. & Cassianus collat. 11. c. 11.

ad Galatas c. 6. 2.
Proximorũ onera portanda.
Aug. homil. 21. de verbis Apost. & lib. 83 q. 71.
Ceruorum transfretãtium mira industria.
Prouerb. c. 5. 19.

E

Exeuntes autem inuenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem; hunc angariauerunt, vt tolleret crucem eius.

691. CVm iuxta iustorum testimonia, quos citat Adrichomius, Christus Dominus crucem baiulans, ex præsidis palatio per octoginta gressus processisset, vigilia, flagellis, & sanguinis effusione maximè debilitatus sub crucis onere cecidit. Inde tamen cum impiorum militum concussus ictibus surgeret, & vlterius per centum triginta, & vnum gressus procederet,

Adrichom. supra n. 118.
Christus sub crucis onere cecidit.

ad quoddam triuium militibus Simon Cyrenæus occurrit: hunc milites coëgerunt, vt Domini crucem tolleret, ne sub ea Christus deficeret; crucisque ignominiosam, sæuamque mortem, contra id, quod Iudæi valde expetebant, euaderet.

692. Quàm inuidendus sanctis Angelis Cyrenæus hic Simon fuit! Eius loco sub crucis pondere ad Dominum leuandum quàm libenter supremi spiritus se subiecissent; de quibus dicitur: *Sub quo curuantur, qui portant orbem. Intelligendi sunt portare orbem Cælestes Spiritus, qui sub Deo curuantur per omnia illi obsequentes* vt explicat Sanctus Thomas. Quàm libenter Magdalena ad terram prostrata, suos cadenti Domino capillos substraisset, ne *poneret in puluere os suum*. Quàm amanter Beata Virgo suis vlnis, quibus toties sanctissimum suum filium gestauerat, eum cadentem sustentasset! De iusto certè dictum est Psal. 36. 24. *Cum ceciderit, non collidetur; quia Dominus supponit manum suam* Cur ergo eum cadit iustorum Princeps, & caput, non Deus, non Angelus, supponit manum suam; sed ad eum subleuandum vilem rusticum angariare necesse est?

Iob 9. 13.

Ierem Thr. 3. 29.

693. Psal. 72. 23. Deo dicitur: *Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum*, vbi Hieronymus ait: *Christus Dominus hæc loquitur: Vt iumentum factus sum apud te, portans in carne peccata populi tui: & ego in te, & tu in me.* De vili iumento Deus Iudæis præcepit Exod. 23. 5. *Si videris asinum odientis te iacere sub onere, non pertransibis; sed subleuabis cum eo* Christus Dominus, cui veluti iumento ingens crucis onus erat impositum, cum sub tanto onere caderet; non ad eum subleuandum accurrerunt Iudæi; sed post plures ei inflictos ab impijs militibus pugnos, vix tandem coëgerunt aduenam Cyrenæum cadentis Domini onus subire, ne forte deficeret in via.

Iudæi in Christum crudeliores, quàm in vile animal.

694. De Israëlitico populo Deus Moysi dixit: *Porta eum in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum; & defer in terram*, scilicet promissionis, *fluentem lacte & melle.* Nunc contra idem populus Dei filium, non in sinu portat; sed sub crucis onere deficiētem per terram trahit ad Caluariæ montem, vt crucifigat. Eidem Israëlitico populo Deus Isa. 49. 22. dixit: *Ecce ego leuabo ad gentes manum meam: & afferent filios tuos in vlnis, & filias tuas super humeros portabunt: Et erunt Reges nutritij tui; & reginæ nutrices tuæ: Vultu in terram demisso adorabunt te; & puluerem pedum tuorum lingent.* At idem perfidus populus, vt iniquas vices Deo rependeret, sanctissimum eius filium puluere, sputisque sordidatum per vilem Gentilium satellitum turbam ad infame crucis supplicium traxit. Hæ vices Deo redduntur, cui quasi non satis fuisset Reges nutritios, reginasque nutrices Israëlitico populo exhibere; ipsemet id minus suscepit dicens: *Ego quasi nutritius Ephraim portabam eos in brachiis meis. In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.* Sed clementissimus Dominus, qui in vinculis charitatis Israëliticum populum traxit, eodem populo instigante in vinculis odij ab immanissimis militibus trahitur.

Num. c. 11 12.

Ingratus Iudæorum animus erga eximiā Dei beneficētiā.

Osea 11. 3.

695. In itinere ad Caluariæ montem ter Dominum cecidisse ait Adrichomius. Primo, cum è Prætoris domo per octoginta gressus processisset. Secundò ad portam, quæ Iudicum appellabatur. Tertiò, ad montis Caluariæ radicem. Ter autem Dominus cadens, ne nos triplici mentis, oris, & operis casui obnoxii simus, monuit, & meruit.

Adrichom. supra n. 518

Christus ter in via ad Caluariæ montē cecidit.

696. Sed ad Simonem Cyrenæum redeamus. Hic quamuis origine Cyrenæus, probabiliter tamen iuxta legem, quam profitebatur, Iudæus erat: sicut de aliis non gentilibus, sed Iudæis dicitur Actor. 11. 20. *Erant quidam ex eis viri Cyprij, & Cyrenæi. Angariauerunt prætereuntem quemdam Simonem Cyrenæum venientem de villa, patrem Alexandri, & Rufi, vt tolleret crucem eius* ait S. Marcus 15. 21. De villa veniens Simon Cyrenæus cum Christi Domini crucem baiulasset, eiusque mox fidem amplexus, longe dulciores fructus iis, quos ex sua villa habere poterat, ex sancto Crucis ligno decerpsit. Verè enim sanctissimæ Christi cruci ab Ecclesia, & Ambrosio dicitur:

Simon Cyrenæus è crucis ligno suauissimos fructus habuit.

Crux fidelis inter omnes arbor vna nobilis:
Sylua talem nulla profert fronde flore germine.
Aroma fundis cortice, vincis saporem nectaris,
Iucunda fructu fertili.

Porro quia Dominus per Crucem regnaturus erat, iuxta 70. Lectionem, Augustinum, Cyprianum, Cassiodorum, & Tertullianum dicitur: Psal. 95. 10. *Dominus regnauit à ligno*: Similiter è crucis ligno Cyrenæus Simon suis simul cum filiis regnauit. Ipse enim post Domini passionem, & duo eius filii Sacerdotes, & Episcopi consecrati sunt, vt scribit L. Dexter in Chronic. ad annum Christi 142. numero 10. Et Braulio in addit. ad Chronic. Maximi. Sacerdotes autem & Episcopi consecrati, verè de Christo Domino dicere potuerunt: *Fecit nos Regnum*, seu *Reges*, iuxta Tertullianum, *& Sacerdotes Deo, & Patri suo*, vt dicitur Apocalyps. 1. 6. & 5. 10. *Fecisti nos Deo nostro regnum, & Sacerdotes; & regnabimus super terram.*

Cyprian. de monte Sina, & Sion.

Tertull. cōtra Iudæos c. 11. & 13.

Simon Cyrenæus, & duo eius filij post Domini passionē Episcopi.

697. Antequam Dominus à Cyrenæo crucis onere leuaretur, ei sanctissimam Matrem occurrisse docet S. Bonauentura dicens: *Quia Domino mæsta mater propter multitudinem gentium appropinquare non poterat, nec videre; iuit per aliam viam breuiorem cum Ioanne, & sociabus suis, vt alios præcedens ei approximare valeret. Cum autem extra portam ciuitatis in concursu viarum eum haberet obuium, cernens eum oneratum ligno tam grandi, quod primò non viderat, semimortua facta est præ angustia, nec verbum ei dicere potuit; nec Dominus ei; quia accelerabatur ab eis, qui eum ducebant ad crucifigendum.* De eodem Deiparæ sanctissimo filio occursu ipsamet S. Brigittæ dixit: *Quo procedebat, apparebat terra fusa sanguine. Cum autem duceretur quasi latro ipse filius meus, abstersit sanguinem ab oculis suis. Cumque iudicatus esset, imposuerunt ei crucem portandam; quam cum ad modicum portasset, veniens vnus assumpsit eam sibi portandam. Interea eunte filio meo ad locum passionis, alij percusserunt eum in collo, alij in faciem cæciderunt; & tam fortiter, & valenter percussus est; vt licet ego non viderem percutientem, audiui tamen clarè sonitum percussionis. Cumque venissem cum eo ad locum passionis, omnia instrumenta ibi vidi præparata ad mortem suam.* Porrò eunte Domino ad mortem, sequentia, ex S. Luca cap. 27. addenda sunt.

Bonau. lib. Medit. vitæ Christi c. 77.

B. V. Mariæ Christo crucē baiulanti occursus.

S. Brigitta l. 1. c. 10.

Christi sanguine via ad Caluariæ montē conspersa. hic, & n. 701.

Sequebatur illum multa turba populi, & mulierum, quæ plangebant, & lamentabantur eum. Conuersus autem ad illas Iesus dixit: Filiæ Ierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ steriles, & ventres, qui non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos, & collibus operite nos. Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?

Surius sup. S. Leo serm. 10. de pass. B. V. an in flentiū mulierū comitatu fuerit.

698. CAVENDVM *est*, ait Suarius, *ne quis existimet B. Virginem fuisse inter mulieres illas, quæ Christum flebant, ad quas ipse dixit: Nolite flere super me. Illæ enim, vt notat S. Leo, solùm mouebantur quodam humano affectu, quo solet infirmior sexus etiam pro iis, qui digni sunt morte ad lacrymas moueri. Quem affectum non reprehendit Christus; nam licet supernaturalis non esset, erat tamen pius. Sed reprehendit earum existimationem; putabant enim eum coactum pati; & imbecillem, & qui se tueri non posset; & causam mortis non intelligebant, nec peccatum eorum, qui eum occidebant: & ideo illis dixit Christus: Nolite flere super me, sed super filios vestros. Hæc autem existimatio in B. Virginem cadere non poterat: & quamuis summè doleret, & fleret, tamen exterius nullum signum vociferationis, aut perturbationis edidisse, sed summa modestia, ac tolerantia dolorem vehementissimum tulisse putandum est.* Sed contra est, quia quamuis prædictus naturalis affectus, & falsa existimatio de Christi passione in aliquibus ex mulieribus illis fuerit; nihilominus id de omnibus, quæ in eo comitatu erant, concedendum non est. Nam, vt bene Cornelius ait, inter has fœminas etiam fuit Berenice, seu Veronice, vulgo Veronica. Hæc, vt Adrichomius ait: *Lineum capitis sui peplum dedit Christo, quò faciem suam tergeret; cui Dominus faciei suæ imaginem perfectè impressit, atque in amoris sui pignus reddidit. Quod in hodiernum vsque diem Christi facie insignitum Romæ in S. Petri Basilica in Vaticano monte per Constantinum magnum constructa grandi honore asseruatur, ac statis diebus populo ostenditur.* Cum ergo Dominus populi sui vultus imagine linteum illud diuinitus impressisset, & in amoris sui pignus Veronicæ reddidisset, hinc omnino dicendum est Veronicam vera fide illuminatam, pioque & supernaturali affectu pium illud officium Domino exhibuisse. Quare quamuis Dominus ob rationes à Suario allatas, flentibus mulieribus dixerit: *Nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros*; id tamen non Veronicæ, & multò magis neque Beatæ Virgini in eo mulierum comitatu flentibus dictum esse est intelligendum. Regula enim Scripturæ est, quòd quando alicui multitudini, secundùm mores heterogeneæ aliquid dicitur; non omnibus, & singulis id dici intelligendum est. Quare quamuis Apostolus ad Corinthios scribens, eorum prauas contentiones; & quod multò peius est, incestam lasciuiam reprehendat dicens: *Significatum est mihi, quia contentiones sunt inter vos. Omninò auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes; ita vt vxorem patris sui aliquis habeat; & vos inflati estis, non magis luctum habuistis*: Nihilominus eâdem in epistola Corinthiis ait: *Gratias ago Deo meo semper pro vobis; quod in omnibus diuites facti estis in illo, in omni verbo, & in omni scientia; ita vt nihil vobis desit in vlla gratia ex-*

Adricho. in descript. Ierusalem nu. 44. Christus in Veronicæ velo faciem suā impressit.

Multitudini cū aliquid dicitur, non omnibus, & singulis idē est tribuendum: hic, & nu. 1002. ad Cor. ep. 1. c. 1. & c. 5.

A *pectantibus reuelationem Domini nostri Iesu Christi; qui & confirmabit vos vsque in finem sine crimine in die Aduentus Domini nostri Iesu Christi*: Quare illud primum de prauis Corinthiis, hoc secundum de iustis scripsisse dicendum est. Similiter Gen. 6. 12. quamuis dicatur: *Omnis caro corruperat viam suam super terram*; id tamen de Noe, eiusque familia, quæ per arcam à diluuio salua facta est, non est intelligendum. Iuxta allatam regulam, intelligenda sunt verba Psal. 77. 34. De Deo, & Israelitis: *Cum occideret eos, quærebant eum, & reuertebantur; & diluculo veniebant ad eum.* Vbi benè Augustinus ait: *Quærebant eum, non vtique ij, quos occiderat;*

B *sed qui exemplo eorum occidi timebant. Sic autem de illis Scriptura loquuta est, tamquam hi Deum quærerent, qui occidebantur; quia vnus populus erat, & tamquam de vno corpore dicitur: Reuertebantur, & diluculo veniebant ad eum.*

699. *Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos, & collibus, operite nos.* Citat Dominus Oseæ vaticinium c. 10. 8. Quod quidem vaticinium licet ad literam intelligatur de excidio, maximaque calamitate decem Israelitarum tribuum, cum ab Assyriis vastata est Samaria: nihilominus ait ibi S. Hieronymus: *Hoc vaticiniū Dominus in vltimo tempore captiuitatis Iudaicæ dixit esse complendum Lucæ 23. Quicquid ergo tunc contra decem tribus, siue contra omnem dici-*

C *tur Israel, sciamus nunc etiam ad totum populum posse transferri: vt quando Romani ceperunt Ierusalem, & subuerterunt templum: siue cum Iudicij dies venerit, magno horrore metuentes: Operite nos, montibus; & collibus: cadite super nos: mori magis optantes, quàm cernere, quæ afferunt mortem.* Indicauit igitur Dominus vtens Oseæ verbis, primò Ierosolymæ excidium sub Tito cum Iudæi calamitatibus, & cædibus territi in cryptas, & cloacas se abdiderunt, vt refert Iosephus. Tunc quidem mulieres suos videntes, filios fame, ferroque perire, se potius fuisse steriles, quàm filios genuisse optarunt. Secundò, miserrimum etiam obstinatæ Iudaicæ gentis

D exitium extremi iudicii die Dominus indicauit.

Iudæi in Ierosolymæ excidio in cryptas, & cloacas se abdiderūt.

700. *Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Ignis in sacra Scriptura tribulationes, persecutiones, calamitates, & ærumnas significat. Hinc Psal. 16. 3. dicitur: *Igne me examinasti*. Similiter Psal. 65. 10. *Igne nos examinasti*. Ignis autem non ad virides, & fructiferas arbores, sed ad sterilia, & arida ligna comburenda adhiberi solet. Porrò, quia oliua semper viret, foliis non defluit, & vberes fructus parit, estque misericordiæ, pacisque Symbolum; bene hinc Christus Dominus dicere potuit: *Ego sicut oliua fructifera in domo Dei.* Contra verò impii Iudæi erant veluti *arbores infructuosæ, bis*

E *mortuæ eradicatæ*: ideo calamitatum ignis in Iudæos veluti arida ligna erat adhibendus, non in Christum Dominum, qui ex cœlesti radice eximiè fructifera arbor erat. Si ergo Christum Dominum acerba mors velut ignis assumpsit; qua morte, quo exitio pessimi Iudæi veluti arida ligna, sunt assumendi? Profectò *deuorabit eos ignis, & ardebit vsque ad inferni nouissima. Congregabuntur super eos mala: consumentur fame, & deuorabunt eos aues morsu amarissimo. Foris vastabit eos gladius, & intus pauor.*

Ignis calamitates significat.

Ps. 51. 10.

Epist. B. Iudæ Apost.

Ex Deuter. c. 32. 22.

Et venerunt in locum, qui dicitur Golgotha, id eſt Caluariæ locus.

Pilato à prætorio vſque ad crucis locũ greſſus mille trecẽti viginti, & vnus: ſiue pedes ter mille, trecẽti, & tres. Adrichom. ſupra n. 118.

701. A *Pilati palatio vſque ad locum, vbi crux infixa fuit: ſunt greſſus mille trecenti viginti, & vnus: ſiue alia ſupputatione, pedes ter mille trecenti, & tres*, ait Adrichomius; idque ex pluribus collegiſſe ſe ait, qui ſedula indagine ſacra loca inuiſerunt. Hoc ergo tam longum iter per ſaxa, ſcrobes, & per prærupta, & ardua montis, vigilia, flagellis, ſanguiniſque larga effuſione debilitatus Dominus patientiſſimè pro noſtra redemptione peregit. De gigantibus, dum diluuij aquis mergerentur, Iob 26. 15. dictum eſt iuxta S. Thom. *Ecce gigantes gemunt ſub aquis*. De Dei filio ad nos ſub humanâ carne veniente iuxta Hieronymum dictum eſt Pſal. 18. 6. *Exultauit vt gigas ad currendam viam, à ſummo cœlo egreſſio eius, & occurſus eius vſque ad ſummum eius.* Diuinus hic gigas longo ad Caluariæ montem itinere, non ſub aquis, ſed ſub ſudore, & ſanguine anhelans viſus eſt. De Christo Domino propria virtute in cœlum aſcendente dicitur Iſaiæ 41. 7. *Semita in pedibus eius non apparebit.* At de eodem ad Caluariæ montem eunte dici non potuit, *ſemita in pedibus eius non apparebit*; quandoquidem *quò procedebat, apparebat terra infuſa ſanguine*, vt B. Brigittæ Deipara reuelauit. Præterea de Chriſto Domino dictum eſt Pſalm. 76. 20. *In mari via tua, & ſemitæ tuæ in aquis multis; & veſtigia tua non cognoſcentur. In mari via Domini fuit*, ait Euthymius, *quando Dominus acceſſit ad diſcipulos ambulans ſupra mare; quam deambulationem manifeſtius exprimens ſubdidit: & ſemitæ tuæ in aquis multis; hoc eſt in profundis fluctibus; & veſtigia tua, quæ fiens in mari, non agnoſcentur.* De ſua autem paſſione, & cruciatuum multitudine iuxta Auguſtinum Dominus dixit Pſalm. 68. 3. *Veni in altitudinem maris:* in hanc maris altitudinem Dominus cum veniret, eius veſtigia ſanguine impreſſa cognita ſunt. Quod B. Brigittæ Deipara reuelauit dicens: *Locum, vbi ſtabant pedes filij mei, totum repletum vidi ſanguine; & ex veſtigiis filij mei cognoſcebam inceſſum eius.*

B. Brigitta lib. 1. c. 10.

Marci c. 6.

S. Brigitta lib. 1. c. 10.

Caluariæ montis deſcriptio.

702. Ex Adrichomio in deſcriptione Ieruſalem num. 235. *Mons Caluariæ, mons petroſus, & mediocriter altus erat, Hebraicè Golgotha dictus, qui Ciuitati inter Occidentem, & Septentrionem proximus erat: in quo noxij publico iudicio damnati extremo ſupplicio plectebantur. Vbi quouis tempore, ſicut circa patibula videre eſt, paſſim iacebant Caluariæ oſſa, viſcera, & ſanies hominum ſuſpenſorum, decollatorum, vel alio mortis genere occiſorum. Hic Ieſus Chriſtus Saluator noſter, nudus inter duos latrones, quaſi noxius pro ſalute omnium crucifixus eſt. Itaque Caluariæ mons, cum antea eſſet infamis, Chriſti paſſione, eiuſque ſanguine vſque adeò eſt nobilitatus, & ſanctificatus, vt nunc Angelis, pariterque hominibus ſit colendus.*

Et dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum.

703. V Inum in potum dederunt; fellis vero veſiculam, quam ciſtulam fellis vocant, conciſam in vino miſtam dederunt in eſcã. Hanc impiorum immanitatem iam prædixerat Dominus Pſal. 68. 22. *Dederunt in eſcam meam fel.* Cumque immanes Domini perſecutores, vt eum in omnibus cruciarent, dandum ei vini potum felle miſtum curauerint; verè de iis Dominus dixit Deuteronom. 32. 32. *Vua eorum vua fellis, & botri amariſſimi: fel draconum vinum eorum:* Et Ieremiæ 2. 21. iuxta S. Hieronymum Iſraeliticæ etiam genti Dominus dixit: *Ego te plantaui vineam veram; quomodo conuerſa es in amaritudinem vitis aliena?* Vaticinium illud: *Dederunt in eſcam meam fel*, adeò de Chriſto Domino fuit, vt in Quinta Synodo collat. 4. Theodorus Mopſueſtenus damnatus fuerit, quòd id negauerit.

Ieremiæ c. 2. iuxta Septuaginta.

704. *Et dederunt ei bibere myrrhatum vinum*, ait S. Marcus c. 15. 23. Ex Galeno lib. 5. medic. cap. 19. Et ex Dioſcoride lib. 1. cap. 76. Myrrhatum vinum vim habet ad ſoporem inducendum, ad ſenſus hebetandos, doloremque obtundendum: ideo reis crucifigendis dabatur. Cum hunc morem prohibere in Chriſti paſſione immanes Chriſti perſecutores non auderent; ne apertè eorum iniquitas manifeſtaretur; ita eum ſeruandum curarunt, vt admiſto felle myrrhatum vinum vel à Chriſto non potaretur, adeoque eius dolor non obtunderetur; vel ſaltem Chriſti palatum fellis amaritie cruciarent. Vtrumque conſecuti ſunt, vt infra videbimus. Contra allatum morem de myrrhato vino crucifigendis dando non obſtat, quòd duobus latronibus myrrhatum vinum datum non legatur: Euangeliſtas enim Chriſti Domini paſſioni narrandæ intentos id omiſiſſe cenſendum eſt.

Myrrhatũ vinũ ſomnũ inducit, ſenſus hebetat, doloriſque vim obtundit.

705. Præter allatum de felle ex Pſalm. 68. Vaticinium, eodem ſpectant prolata à Ieremia verba de ſe immediatè, de Chriſto Domino per figuram: *Circumdedit me felle, & labore*: ſcilicet labia mea per felleum vinum felle, & per crucis onus humeros meos labore circumdedit. *Factus ſum in deriſum omni populo. Repleuit me amaritudinibus; inebriauit me abſinthio*: vbi amaritudines, vt abſinthium acerbos Chriſti cruciatus metaphoricè; fel verò propriè felleum à Iudaico populo propinatum Domino vinum ſignificant. Ideo ibidem verſ. 19. Chriſtus Dominus pium quemque fidelem alloquens ſubdit: *Recordare paupertatis, & tranſgreſſionis meæ, abſinthij, & fellis: Recordare paupertatis*, hoc eſt nuditatis meæ; & Iudaicæ contra me *tranſgreſſionis*, hoc eſt *perſecutionis*, vt vertunt Septuaginta.

Ierem. Thr. c. 3. v. 5. & 15
Vaticinia de felle Chriſto dato: hic, & ſeq.

706. Iudaici populi ſæuitiem Spiritus ſanctus præuidens Habacuc cap. 2. 15. dixit: *Væ, qui potum dat amico ſuo*, ſuo ſcilicet Redemptori, qui vt eximiè amicus pro eo animam ponit: *Væ, qui potum dat amico ſuo, mittens fel ſuum, & inebrians*, ſcilicet opprobriis ſaturans, *vt aſpiciat nuditatem eius*; ſcilicet, vt mox ſuis veſtibus ſpoliandus humani generis verus amicus, & Redemptor nudus crucifigatur. De felleo vino Chriſto Domino propinato fuit etiam Sibyllæ vaticinium relatum à Lactantio lib. 4. cap. 18. *In eſcam fel, & in ſitim acetum dederunt. Inhoſpitalitatis hanc ponent menſam.* Vbi datum acetum debet intelligi poſt crucifixionem, vt infra videbimus.

707. Iſraelitas Moſes monuit Deuteronom. 29. v. 18. *Ne ſit inter vos radix germinans fel, & amaritudinem.* Quod Chaldæus vertit: *Ne ſit inter vos cogitans peccata, & ſuperbiam.* Quare dum impios miniſtros Domino felleum vinum propinantes deteſtamur, caueamus ne in eandem nos impietatem incurramus: peccata enim, & ſuperbia quibus diuinæ legis mandata detrectamus, Domino fellis radix, & amaritudinis ſunt.

Peccata Domino fellis amara radix.

708. Myrrhatum Chriſti vinum non ſenſum hebetare, non dolorem obtundere, ſed ſen-

Tobiæ c. 9. 8. Fel Tobiæ oculos illuminans, & fel Christo datum comparantur.

sum, doloremque acuere nobis debet, vt iugiter Christi Domini passionem magno animi sensu meditemur. Raphael Angelus Tobiæ dixit: *Lini super oculos eius* scilicet patris tui, *ex felle isto piscis: scias quia mox aperientur oculi eius.* Christi fel ei in escam datum, si nostræ menti meditando applicetur, multò felicius mentis nostræ oculos ad eximiam diuinam beneficentiam erga nos cognoscendam aperiet. *Illuminati sunt oculi mei, eo quòd gustauerim paululum de melle,* Ionathas dixit 1. Reg. 14. Multò melius fidelis anima dicere potest: Illuminati sunt oculi mei, eo quòd paululum de Domini felle gustauerim. *Gustans paululum mellis, & ecce morior*; ibidem dixit Ionathas. Nos Domini passionem piè meditantes dicere possumus: Gustauimus paululum fellis, & ecce viuimus.

Et cum gustaßet, noluit bibere.

709. DOminus pro nobis multa pati cupiens potum illum gustauit, vt fellis amaritiem sentiret: noluit bibere, ne myrrhato vino sensum ad crucifixionis dolorem sentiendum obtunderet. Prætereà, quia Psalm. 68. v. 22. vbi dicitur: *Dederunt in escam meam fel*: ibi pro felle Hebraicum vocabulum *rosch* toxicum significans ponitur; hinc nonnulli asserunt Dominum venenatum vinum bibere noluisse, vt se ad crucis mortem seruaret. Sed contra hanc sententiam est, quòd cum Iudæi tam ardenter à Pilato Dominum crucifigi flagitassent, scilicet, vt infami morte eius sanctitatis famam abolerent; hinc improbabile omninò videtur eosdem ad Dominum crucifigendum valde solicitos ei ante crucifixionem mortiferum poculum propinari voluisse, vel id militibus non vetuisse. *Nihil erat inter omnia genera mortis illo genere execrabilius, & formidabilius*, De crucifixione ait Augustinus: per crucem ergo, non per venenatum potum sæuissimi Iudæi Christum mori voluerunt.

Venenum Christo Iudæi nō propinarunt.

Crucifixione nullum maius supplicium: hic & n. 722. & 724.

Aug lib. 83. q. 25.

Postquam autem crucifixerunt eum.

710. CRedibile est Sanctum Euangelistam Matthæum, cum ad Domini crucifixionem narrandam peruenisset, antequam modica atramenti gutta de ea scriberet, largissimos lacrymarum imbres profudisse: quibus profusis, præ doloris sensu, vix breuiter duo hæc verba calamo notare potuisse: *Crucifixerunt eum.* Malachiæ cap. 3. 8. cum Iudæorum fraudes acri reprehensione damnarentur, additur: *Si affliget homo Deum?* seu, vt alij legunt: *Num affliget homo Deum suum?* Hoc est iuxta Hieronymum, num eo hominum scelera peruenient, vt Deum suum crucifigant? Quod plane impossibile videbatur, iam fieri posse Iudaicus furor ostendit. Euangelista dicens: *Crucifixerunt eum*, clauis Dominum cruci affixum, non funibus vinctum expresè significauit. De S. Thoma Apostolo ait S. Gregorius. *Egit miro modo superna clementia, vt discipulus ille dubitans, dum in magistro suo vulnera palparet carnis, in nobis vulnera sanaret infidelitatis.* Quare cum teste Prateolo Ioannes Vestphalus hæreticus in passionis concione de Domino dixisset: *Quis scit an funiculis eum alligauerint cruci?* huic prauæ dubitationi dubitans Thomas remedium adhibuit: certus enim de Christi clauis cruci affixi vulneribus dixit: *Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam.*

Christus, clauis cruci affixus est, nō funibus vinctus: hic, & seqq.

Greg. hom. 26 in Euāg.

Ioann. c. 20.

711. Cantic. 5. 14. De Christo Domino mysticè dicitur: *Manus eius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis.* Vbi Cassiodorus ait: Christi manus ex plagis sanguine purpuratas similes fuisse hyacinthi flori, qui est purpurei coloris. Quod si ibi verius hyacinthus gemmam significet, etiam inter gemmas hyacinthi rubescentes sunt, teste Dioscoride: hinc sua in passione Christi manus hyacinthis gemmis, hoc est ex cruento vulnere sanguineis guttis plenæ dicuntur. Pretiosas has gemmas è Christi manibus subripere hæreticus nititur, qui Christi manus funibus vinctas, non clauis cruci affixas perperam asserit. Vbi legitur, *Manus eius tornatiles aureæ plenæ hyacinthis*, ex Hebræo legitur: *Manus eius tornatiles aureæ plenæ carbunculis.* *Gemmula carbunculi in ornamento auri* dicitur Eccli. 32. 7. Verè aureis Christi manibus sanguineæ plagarum guttæ in ornamento fuerunt. Quid ad Chrysolithos, sapphiros, iaspides, & smaragdos acquirendos, Indica maria humana cupiditas nauigat; cum e Christi manibus longè pretiosiores gemmas habere possimus? *Foramina tua in die, qua conditus es, præparata sunt,* dicitur Ezech. 28. 13. Foramina nostra in Christi manibus plagarum fixuræ sunt: hæc foramina, hæ gemmarum fodinæ, vnde cœlestium gratiarum gemmas eruere possumus, nobis præparatæ sunt in die, qua conditi sumus: hoc est cum Christi Redemptio per gratiam ad nouam cœlestem vitam nos clementissimè condidit. Hinc Augustinus ait: *Manus tuæ, Domine, fecerunt me, & plasmauerunt me: Manus, inquam, illæ, quæ affixæ clauis sunt pro me. Opus manuum tuarum ne despicias: vulnera manuum tuarum precor, vt aspicias. Ecce in manibus tuis, Domine, descripsisti me: lege ipsam scripturam, & salua me.* Si sanguine tuis in manibus descriptus sum; ne ipse tam dignę descriptionis prototypus e tuis manibus excidam: Mea sit anima, vt iustorum animæ, in manibus tuis semper.

Christi cruci affixæ manus plenæ hyacinthis.

Aug in Soliloquiis c. 2.
Iob 10.
Psal. 137. 8.
Isa. 49. 16.

712. Videtur alicui sufficienter probari Christum clauis cruci fuisse affixum; quia, cum milites crucifixis latronibus, quos viuos repererant, crura fregissent; *ad Iesum venientes, vt viderunt eum mortuum, non fregerunt eius crura.* Si autem non clauis confixus, sed tantùm funibus cruci vinctus Dominus fuisset, non iam mortuus fuisset inuentus. Sed hæc ratio est inefficax; nam adhuc sine clauorum vulneribus, sed tantùm ex præteritis flagellorum, spinarum, aliorumque cruciatuum doloribus naturaliter Dominus obiisset; nisi ei diuinitus ad prolixiorem cruciatum, & *copiosa apud eum redemptio* foret; vita seruata fuisset.

Ioan. 19. 32.

Psal. 129. 7.

713. Contra allatam, veramque iuxta Catholicam fidem sententiam, quòd Dominus clauis cruci affixus fuerit, obijci posset, apud Hebræos in vsu fuisse reos in cruce funibus suspendere, non autem clauis affigere; ad quod probandum afferuntur plura sacræ Scripturæ testimonia. Deuteronom. 21. 22. *Quando peccauerit homo, & adiudicatus morti appensus fuerit in patibulo; non permanebit cadauer eius in ligno, sed in eadem die sepelietur.* Iosue cap. 8. 29. *Regem suspendit in patibulo vsque ad vesperam, & solis occasum: præcepitque Iosue, & deposuerunt cadauer eius de cruce.* Ibidem cap. 6. 26. de quinque regibus dicitur: *Percussit Iosue, & interfecit eos*, non gladio, sed cruce, subditur enim: *Suspendit super quinque stipites, fueruntque suspensi vsque ad vesperam.* Huic obiectioni bene respondet Suarius:

Suarius supra sect. 3.

Non

Non fuisse omnino præter consuetudinem Hebræorum, quos cruce puniebant, clauis affigere; Legimus enim 2. Reg. cap. 21. septem filios Saulis fuisse crucifixos. Contra hanc responsionem opponere posset aliquis hos Saulis filios non ab Hebræis, sed à Gabaonitis suspensos fuisse: at *Gabaonitæ non erant de filijs Israel, sed reliquiæ Amorrhæorum*, vt eodem citato loco dicitur. Quare inde crucifigendi consuetudinem apud Hebræos fuisse non probatur. Respondetur Gabaonitas, licet origine Israëlitæ non essent, transiisse tamen in religionem, ac fidem Hebræorum, vt ibi Interpretes docent. Quod si quis eos Gentiles fuisse contenderet, retorqueri posset argumentum; Nam si ideo Saulis filii cruci affixi sunt, quòd eos Gentilibus Gabaonitis puniendos Dauid tradiderit; adeoque Gentiles iuxta suam consuetudinem eos cruci affixerint: Similiter, quia Christus Dominus Gentilibus Romanorum ministris ad mortem est traditus, ideo eum iuxta suum morem Gentiles cruci affixerunt. Quod autem Romani reos cruci clauis affigere consueuerint, probatur ex Couarr. lib. 4. variarum resol. c. 3. Ioannes Torrez nostræ Societatis lib. 5. Philosophiæ Moral. Principum c. 3. & sequentibus plura de crucifixione Hispanico idiomate scripsit; ibique qui funibus, & qui clauis crucifigerentur, docet.

714. S. Hilarius lib. 10. de Trin. ait præter claues funibus etiam Christum cruci fuisse alligatum: redditque rationem Cornelius, quia *alioqui tota moles corporis à manibus vix pendere, & sustentari potuisset.* Sed contra hanc sententiam sunt imagines Christi Domini cruci affixi; quæ quidem antiquæ traditioni conformes censeri debent; in iisque præter clauos nulla funium vincula addi videntur. De Domini funibus, quæ ostenduntur Romæ in templo sanctæ Crucis in Ierusalem, dicendum est funibus illis Dominum ante crucifixionem fuisse ligatum; vel in ipsa crucifixione, cum eius sinistra manus ad paratū crucis foramen tracta sit, vt infra dicitur. Ad Cornelii rationem respondetur sine funium vinculis, tantùm clauis, maximo tamen dolore, potuisse Domini corpus in cruce sustentari: nam manum ex illa parte perforarunt, quà os solidius est, vt B. Brigittæ Deipara reuelauit. Clauis præterea Dominum sustentari potuisse multò magis dicendum est; si claui non immediate per manus palmam, sed per brachii pulsum transuersim in mediam palmam adacti cruci Dominum confixerunt, vt in ea firmius affigeretur; quemadmodum ex Mallonio ipse Cornelius docet: Adde præterea dicentibus Iudæis: *Si Filius Dei es, descende de cruce*; cum ad complendam humanam redemptionem à cruce Dominus descendere nollet, si opus fuisset, efficere potuisse, ne clauorum vulnera dilatarentur, manusque dilacerarent, ne pendens corpus deorsum laberetur.

S. Brigitta lib. 1. cap. 10.

715. Citatur Nonnus Panopolitanus tanquam docens Christi manus præter clauos ferreo vinculo fuisse adstrictas: nam in Ioannem ex. v. 18. ait: *Illic interfectores ad lignum quadrilaterum sublime supra terram erectum extenderunt Christum adstringentes vi explicatas vtrinque manus ferreo vinculo, & immenso, & singulari clauo. pedis vtriusque pectusculum vno impetu perforatū trānsfixere pedibus sibi mutuò impositis, & complicatum inflexibile exitij vinculum* Sed contra hanc sententiam obstāt imagines etiam antiquissimæ, quæ Christum cruci affixum sine ferreo vinculo repræsentant. Quare si oppositum Nonnus asseruit, eius sententia amplectenda non est. Dici tamen posset à Nonno clauum, quo Domini manus confixæ sunt, vinculum appellari; tum quia loquens de manuum confixione præter ferreum vinculum, clauorum mentionem non fecit; tum quia loquens de pedibus, ipsum clauum eos configentem vinculum appellauit.

Christi manus cruci affixæ præter clauos nullū aliud ferreum vinculum habuerunt.

716. Gretserus lib. 1 de cruce, c. 29. citat S. Irenæum, Iustinum, & Gregorium Turonēsem asserentes in cruce fuisse asserculum, in quo innixi, & fixi fuerint Christi pedes. Sed cum ex tali fulcimine pendentis Christi corporis aliquantulum dolor imminutus esset, credibile non est illud impios Iudæos apponi voluisse.

Christi pedibus in cruce asserculus nō est suppositus: hic, & sequenti.

Scilicet is Solymis labor est, ea cura Sionem
Vellicat, vt Domini labentes fulciat artus.

717. Adde præterea maximè debilitatū Christi corpus, neque in eo asserculo pedibus nitendi naturaliter vim habuisse. Ob easdem rationes, neque Brugensis sententia placet, qui asserit crucis lignum versus inferiorem partem fuisse excauatum, vt ibi Christi pedes niterentur. Cant. 5. 15. de Christo cœlesti sponsa dicitur: *Crura illius columnæ marmoreæ super bases aureas;* Sed in cruce Domini crura, seu tibiæ non modo non aureas, sed neque ligneas bases, quibus inniterentur, habuerunt. Hinc de crucifixo Domino Augustinus ait: *Candet nudatum pectus, rubet cruentum latus, tenta arent viscera, decora languent lumina, regiá pallent ora, procera rigent brachia, crura pendent marmorea, rigat terebratos pedes beati sanguinis vnda: Spectas, gloriose genitor, gratissimæ prolis lacera membra: vide Redemptoris supplicium, & redempti dimitte delictum.* Dominum qui nihil omnino grauatus, *appendit tribus digitis molem terræ*; pro nobis sui sanctissimi Corporis onus, dolore maximo, ambabus fixis in cruce manibus sustinere voluit. Hinc Deut. 28. humano generi prædictum fuit: *Erit vita tua pendens ante te*: hoc est Christus Dominus, qui, vt propria vita, & multò magis, quàm ipsa vita, charus vnicuique esse debet, pro te clauis affixus è cruce tuo in conspectu pendebit.

Crux ad sustentandos Christi pedes non fuit inferius excauata.

Aug Meditationū c. 6.

Isaia 40. 12.

718. Citatus Nonnus vnico clauo complicatos Christi pedes cruci fuisse confixos asserit. Idem sentit S. Bonauentura in meditationibus vitæ Christi c. 28. cui subscribit Ludolphus; & in eandem sententiam inclinat Tostatus para dox. 3. c. 10. Contra verò, vt Deipara S. Brigittæ dixit: *Dexterum pedem crucifixerunt, & super hunc sinistrum duobus clauis; itaut omnes nerui, & venæ extenderentur, & rumperentur.* Ibidem de Domini confixis manibus Deipara eidem S. Brigittæ dixit: *Primò dexteram manum affigentes stipiti, qui clauis perforatus erat: & manum ipsam ex ea parte perforabant, quà os solidius est. Inde trahentes cum fune aliam manum eius ad stipitem, eam simili modo affixerunt.* Duobus etiam clauis Domini pedes fixos esse, indicare videtur S. Cyprianus dicens: *Clauis sacros pedes terebrantibus.* Idem sentit Gregorius Turonensis libro de gloria Martyrum c. 6.

Pedes Domini an vno, an duobus clauis cruci affixi fuerint.

Ludolphus 2. P. vitæ Christi c. 63. S. Brigitta l. 1. c. 10.

Cyprianus ser. de Pass.

719. Christi Domini in cruce doloris sensus, præter clauorum vulnera, ex crucis asperitate etiam augebatur. Crucem enim citati Patres non leuigatum lignum, sed rudem trabem, rudemque stipitem vocant. Crucis transuersum ex palma fuisse docet Mallonius c. 4. Lignum autem palmæ valdè asperum est, leuigationis omnino incapax. Præter transuersum palmæ lignum tria alia ligna, scilicet cedrum, cypressum, & oliuam

Crux non leuigatum, sed asperum lignum fuit.

ad crucem construendam adhibita fuisse, docet, idem Millonius, & Gretserus de cruce l.1.cap.5. quod antiquum carmen indicat.

Palma crucis lignum, cedrus, cyparissus, oliua

Crux ex quo ligno compacta: hîc, & sequentibus.

Crucis latitudo & longitudo.

Petrus Comestor c. 72. histor. Euang. ait primū lignum fuisse rectum quindecim palmorum, secundum transuersum alteri proportionatum; tertium tabulam, in qua crucis titulus scriptus fuit; quartum lignum dicitur fuisse stipes defossus in rupe, in quo infixa erat crux. De quo Suarius ait: *De hoc ligno maior est mihi dubitatio; quia non video cur non fuerit facilius, & firmius ipsummet lignum crucis in terra, seu rupe defigi. Quicquid tamen sit, certum est, quando Christus crucem portabat, solùm constasse ex duobus lignis, recto scilicet, & transuerso.* Ad Suarii dubitationem responderi potest, crucem quidem non fuisse intra stipitem illum infixam, sed in defossa terra; quia tamen terra defossa firmiter crucem non sustinebat, adhibitos fuisse longiores ex stipite cuneos ad crucem bene firmandam. Quod aperte patebit ex reuelatione factæ S. Brigittæ lib.7. c. 15. infra citanda. Gregorius Turonensis supracitatus, & alii, qui in cruce sub Domini pedibus tabulam fixam fuisse censent, huic tabulæ quartum lignum tribuere possent. Vel probabilius dici potest ex quarto ligno longiorem fustem supra crucem affixum fuisse, ad tabulam titulo inscriptam sustinendam; vt à distantibus crucis titulus legi posset.

Suarius supra sec. 2.

720. De crucis ligno, quid Hebræorum Rabbini senserint, refert Galatinus l. 6. c. vlt. Cum Antoninus Rom. Consul Rabbinum interrogasset *ex qua arbore excisa esset virga, qua Moses miracula faciebat, atque vnde eam nactus fuerat, ita respondit. De hoc scriptum reperi à Rabbi Simeone in libro, Qui inuestigatio secretorum dicitur: Virga illa qua Moses, & Aaron miracula faciebāt in terra Ægypti, & quæ postea in deserto floruit, gemmasque edidit, ab ea arbore excisa est, quam Deus Mosi ostendit in deserto, vt aqua amara dulces fierent: Et hæc arbor excisa fuit ab arbore vitæ, quæ in paradiso sita erat, Angelorum manibus quam quidem miserunt Adæ; cum ille misisset Seth filium suum ad paradisum, misericordiam Dei imploraturum de suo peccato. Dixeruntque Angeli ad Seth, vt plantaret hanc arborem; quæ cum primùm fructum faceret, misericordia Dei in eum descenderent; aperirenturque portæ cœli, quæ obseratæ sunt. Hanc autem arborem, seu potius ramum accepit Seth plantauitque in deserto, quam postea Moses inuenit, & ex ea virgam excidit. Cum autem venisset Israel ad Mara; neque illius aquas bibere possent, Deus ostendit Mosi hanc arborem, vt aquas illas redderet dulces. Hæc est arbor illa, in qua Moses serpentem imposuit, per quam Deus vniuersum orbem saluum facere instituit; & mittere misericordiam suam super Adam, cum venerit Rex Messias. Tunc enim hæc arbor fructus gestabit, quibus secundò aquæ amaræ efficientur dulces, purgabunturque primum peccatum, omniaque debita, quæ fecerunt facturique sunt homines. Hinc intelliges, cur Deus miserit serpentes in Israel in deserto; & tamen præceperit Mosi. Num. 21. Fac tibi serpentem æneum, & pone eum super lignum, & erit omnis, qui percussus fuerit, & aspiciet eum, viuet. Hoc enim significat, quòd quicumque morsus fuerit à serpente peccatorum, respiciens in serpentem in arbore collocatum, semper viuet. Et quoniam ex arbore vitæ hæc arbor excisa fuerat, fructus eius vitam afferent mundo. Hæc tamen arbor abscondetur in terra cunctis mortalibus ignota. Cum autem dominabitur in terra S. Regina Helena, ab ea perquiretur, neque inuenietur quousque Deo impleatur misericordia, & ex terra eam prodire faciat.* Hæc ab Hebræo Rabbino de Domini cruce dicta, quamuis fabulosa haberi debeant; nihilominus ex iis Christi passio per crucem, humanique generis redemptio, peccatorumque expiatio ipsis Rabbinis testibus habetur.

Crucis Dominicæ Rabbinorū figmentum.

Exodi 15. 25

721. Sed ad crucis lignorum veritatem redeamus. Habita ratione tantùm recti, & transuersi ligni, ex quibus crux constat, crucis patibulum *geminum lignum* Septuaginta interpretes appellarunt Iosue c. 8. 29. vbi geminum crucis lignum allegoricè interpretans Origenes ait: *Crux Domini nostri Iesu Christi gemina fuit: hoc est gemina ratione constat, & duplici. Quia visibiliter quidem filius Dei in cruce crucifixus est; inuisibiliter autem in ea cruce diabolus cum principatibus suis & potestatibus affixus est cruci. Audi Apostolum: Quòd erat contrarium nobis tulit illud de medio affigens cruci sua, exuens principatus, & potestates, traduxit, liberè triumphans eas in ligno crucis, vt apud Græcos habetur. Ergo duplex ratio Dominicæ crucis. Vna illa, quā dicit Apostolus Petrus, quòd Christus crucifixus nobis reliquit exemplum. Secunda, quā crux illa trophæum de diabolo fuit, in quo crucifixus est, & triumphatus* Teste Polybio Africani captos leones crucifigebant, vt leones reliquos tali supplicio absterritos procul ab Vrbe arcerent. Nos similiter, vt procul à nobis praua suggerentes immundos spiritus arceamus, iis crucis signum ostendamus: cruci enim affixum, ibique à Christo Domino ad nostram tutelam deuinctum leonem intelligent, de quo Apostolus ait: *Aduersarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret.* Circuit quidem; sed crucis efficacitate attritis viribus, valdéque debilitatis.

Origenes hom. 8. in Iosue.

Ad Coloss. 2.

Iuxta Græci textus lectionem.

Petri epist. 1. c. 2. 21.

Apud Plinium l. 8. c. 16. Leones cur Afri crucifigebant.

Epist. 1. Petri c. 5.

722. Sed quale apud veteres habitum fuerit crucis supplicium videamus. Acerbum mortis genus est capitis amputatio, acerbissima viui corporis crematio; sed in ciuili iure, capitalium pœnarum summum supplicium dicitur ad crucē dānatio; minus viui crematio; minimum capitis amputatio. Ad ignominiam eorum, qui in cruce suspenduntur, vel affiguntur, eos lugeri non solere Iurisperiti testantur. Subiit hanc ignominiā Dominus, itaut propterea dixerit, Psal. 68. 21. *Sustinui, qui simul mecum contristaretur, & non fuit; & qui consolaretur, & non inueni:* & Ierem æ cap. 1. vers. 16. & v. 21. *Longè factus est à me consolator. Ingemisco, & non est, qui consoletur me.* Hinc bene apud Arnobium Dominus ait: *Tot millia saturati, tot millia saluati, infiniti edocti; & nec vnus inuentus est mihi consolator tempore, quo dederunt in esca mea fel, & in siti mea potauerunt me aceto.* Dices, nonne Lucas ait: *Sequebatur illum multa turba populi, & mulierum, quæ plangebant, & lamentabantur eum?* Præterea ex Ioāne: *Stabat iuxta crucem Iesu mater eius, & soror matris eius Maria Cleophæ, & Maria Magdalene,* quibus addebatur *discipulus, quem diligebat Iesus:* in quibus certè omnibus de Christi passione maxima contristatio erat. Cur ergo Dominus ait: *Sustinui, qui simul mecum contristaretur, & non fuit?*

Cap. de pœnis. L. capitalium. n. 28. Crucifixio summum præ aliis supplicium.

L. 11. de his, qui notantur infamia.

Christus in cruce quomodo consolatē non habuerit: hîc, & seq.

Arnobius in Psal. 68.

Lucæ 23. 27.

Ioan. 19. 25.

723. Respondetur primo ex Rickelio, & Aignano, quia perpauci doluerunt, & fleuerunt de Christi morte, iuxta quod ipse Dominus discipulis prædixerat, *Plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit; vos verò contristabimini:* Ideo

Ioan. 16. 20.

iuxta communem loquendi modum de omnibus negatur, quod de paucis tantùm affirmari posset. Respondetur 2. Dominum ibi loqui de tristitia, qua afficiebatur, non ex cruciatibus; sed quòd, cum vellet omnes homines saluos fieri; nihilominus pro plurimorum salute, præcipuè persequentium eum Iudæorum frustra cruciatus subiret, sanguinemque effunderet. Quod bene sic explicat Augustinus: *Contristabantur illi carnaliter de vita mortali, quæ mutanda fuerat morte, & reparanda resurrectione. Hinc erat illa tristitia: De illis enim esse debuit qui ceci medicum occiderunt; qui tanquam perniciosè febrientes phrenetici faciebant iniuriam ei, à quo illis fuerat salus allata: Ille volebat curare, illi sæuire. Hinc tristitia medico. Quære verum inuenerit huius tristitiæ comitem? Non enim ait, sustinui, qui contristaretur, & non fuit; sed qui simul contristaretur, id est ex ea re, qua ego contristabar; & non inueni. Ergo in tristitia: quam habuit Dominus de illis, pro quibus orauit, Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt, nullum comitem inuenit.* Quod si huius tristitiæ comes, & particeps B. Virgo fuit; eius tamen contristatio ad Domini consolationem non fuit; cum sanctissimæ Matris dolor sanctissimi filij dolorem augeret.

Aug. in Ps. 68.

714. Ad acerbitatem crucis supplicij, quod Dominus subiit, redeamus. Augustinus de principiis Dialecticæ cap. 6. ait: *Crux propterea dicta est, quod ipsius verbi asperitas cum doloris, quem crux efficit, asperitate concordat.* Idem tract. 31. in Ioannem: *Supplicium crucis ideo durius erat, quia diutius cruciabat; & omnes crucifixi longa morte necabantur.* Longa morte Redemptor noster necari voluit, vt nobis longam, æternamque vitam mereretur. Idem Augustinus tract. 36. in Ioannem ait, *Crucis morte peius nihil fuit inter omnia genera mortium. Vbi dolores acerrimi exagitant, cruciatus vocatur à cruce nominatus. Pendentes in ligno crucifixi, clauis ad lignum pedibus, manibusque confixi, producta morte necabantur. Non enim crucifigi hoc erat occidi, sed diu viuebatur in cruce; non quia longior vita eligebatur; sed quia mors ipsa protendebatur, ne dolor citius finiretur. Elegit extremum, & pessimum genus mortis, qui omnem fuerat ablaturus mortem.*

725. Sed cum antea tam infame, tam acerbum fuerit crucis patibulum, post quam illud sua Christus morte sacrauit, omnino gloriosum est redditum. Quare de S. crucis gloria mysticè est illud apud Ezech. cap. 17. 24. Domini oraculum: *Scient omnia ligna regionis, quia ego Dominus humiliaui lignum sublime, & exaltaui lignum humile: & siccaui lignum viride; & frondere feci lignum aridum.* Lignum sublime ipsum peccatorem significat, iuxta illud Psalm. 36. *Vidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut cedros Libani; transiui, & ecce non erat.* Eradicatus enim ex hac vita peccator, velut aridum lignum in gehennæ ignem mittitur. *Lignum humile dicitur Crux*, ait Hugo, *quæ ante Domini passionem vilissima habebatur, vtpotè patibulum damnatorum; quæ modo quinque modis exaltata est. Primò, contactu membrorum Christi, & sanguinis eius aspersione. Secundò, Veneratione fidelium. Tertiò, Virtute miraculorum; ideoque canit Ecclesia: Ad crucis contactum resurgunt mortui, & Dei magnalia reserantur. Quartò voce, & laude prædicantium; ideo etiam Ecclesia canit: O Crux venerabilis, quæ salutem attulisti miseris, quibus te efferam præconiis? Quintò, Exaltatur deiectione hostium Corporalium, & Spiritualium. Vnde fusi Thraces, cæsi*

Crucis post Domini passionem gloria: hic, & seqq.

A *Persæ, &c. Et iuxta Chrysostomum Diabolus timet ensem, per quem lethale vulnus accepit.* Additur vltimo apud Ezechielem: *Frondere feci lignum aridum.* Ideo de Cruce canit Ecclesia:

Crux fidelis inter omnes, Arbor vna nobilis,
Sylua talem nulla profert, Fronde, flore, germine.

Vt ex Romano Martyrologio 16. Martij habetur, in Lycaonia S. Papas Martyr arbori alligatus, migrans ad Dominum eamdem arborem ex sterili reddidit fructuosam. Multò nobilius, & perfectius Christus Dominus sterilem, aridamque crucis arborem Cœlestium germinum, fructuumque feracem reddidit.

Martyr sterili arbori alligatus, eã fructiferam reddidit.

B 726. *Noe arca proculdubio figura est peregrinantis in hoc sæculo Ciuitatis Dei, hoc est Ecclesiæ; quæ fit salua per lignum, in quo pependit Mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus*, ait Augustinus. De Noe ergo arca ad literam, allegoricè de crucis ligno dicitur Sap. 14. 7. *Benedictum est lignum, per quod fit iustitia*, seu vt legit S. Germanus de exaltatione Crucis: *Benedictum lignum, per quod fit salus.* Dicitur Noe arca *benedictum lignum, per quod fit iustitia*; quia iuxta id quod diuina iustitia exigebat inundante diluuio, peccatores extra arcam perierunt; iusti autem in arca incolumes sunt seruati. Similiter Iudæi, quibus sanctum crucis lignum est scandalum, & Gentiles, quibus est stultitia, damnan-
C tur: Fideles vero, qui in Cruce Domini nostri Iesu Christi gloriantur, æternam salutem consequuntur. Secundò per crucis lignum facta est iustitia, quia Christus Dominus subeundo crucis mortem secundùm id, quod ex iusta pro hominum peccatis satisfactione debebatur, adæquatè satisfecit. Sicut enim offensa facta est Deo infinitè digno, ita à Christi Domini diuina persona infinitè digna, pro tali offensa satisfactio facta est. Adde præterea peccati iniuriam sumere suam grauitatem extrinsecè, & terminatiuè tantùm à persona offensa; intrinsecè enim Deus offendi nequit: è contrario autem satisfactio suam dignitatem intrinsecè à Christi persona infinitè digna satisfaciente desumpsit. Adde insuper peccati
D iniuriam à peccatoris cognitione finito modo offensum cognoscente limitari: Diuinum verò Verbum sanctissimæ Christi humanitati vnitum illimitata cognitione passionis opprobria, crucisque mortem, ad quam pro peccati satisfactione se demittebat, agnouisse. Cum ergo tam eximia satisfactio, adeoque humani generis salus per crucis lignum facta sit; meritò sanctissimum crucis lignum pio præconio exaltantes dicamus: *Benedictum lignum, per quod fit iustitia; benedictum lignum, per quod fit salus.* De mutata crucis in gloriam ignominia, bene Augustinus ait: *Dominus crucem de Diabolo superato, tanquam trophæum in fronte fidelium positurus erat. Nihil erat tunc in carne intolerabilius; nihil nunc est in fronte*
E *gloriosius. Quid seruat fideli suo, si talem honorem dedit supplicio suo? Denique modo in pœnis reorum non est apud Romanos; vbi enim Domini crux honorata est, putatum est quod & reus honoraretur, si crucifigeretur.*

Aug. lib. 15. de Ciuit. c. 26.

Crucẽ præfigurat Noe arca.

Epist. 1. ad Cor c. 1. 23.

727. Cum tantam gloriam, tantamque in Diabolum vim ex Christo Domino cruci affixo, sanctissima crux habuerit, iure optimo fideles monet Sanctus Ephrem: *Pingamus in ianuis, atque frontibus nostris, in ore, in pectore, atque in membris omnibus viuificum signum. Armemur in superabili hac fidelium armatura: ea enim victoria est mortis, fidelium spes; lux orbis terræ, paradisi*

S. Ephrem l. de pœnit. c. 3.

Crucis signo fideles armari debent.

reseratrix, profligatrix hæresum, Monachorum adminiculum; firmamentum fidei, magna, salutarisque custodia, & gloria perpetua orthodoxorum in æternum. Hanc, o Christiane, armaturam diebus singulis, & noctibus, horis, atque momentis, in omni loco circumferre non desinas: nihilque sine illa perficias, siue euigiles, siue operi insistas, siue manduces, siue bibas, siue maria nauiges, siue transmittas flumina; hac te lorica circumtege, membraque tua tam salutari signo exorna; & non accedent ad te mala. Apud eumdem sermone de cruce, hoc sanctissimæ Crucis encomium habetur.

Crucis elogia. *Crux spes Christianorum, Crux resurrectio mortuorum, Crux claudorum baculus, Crux pauperum consolatio, Crux frænum diuitum, Crux superborum euersio, Crux triumphus aduersus dæmones, Crux iuuenum pædagogus, Crux inopum abundantia, desperatorum spes, nauigantium gubernatrix; Crux fluctuantium portus, oppugnatorum murus. Crux orphanorum, & pupillorum pater, iustorum consiliarius, Crux afflictorum consolatio, & subleuamen. Crux infantium custos, virorum caput, senum corona. Crux lumen eorum, qui in tenebris sedent, & Regum magnificentia. Crux seruorum libertas, imperitorum sapientia, & barbarorum philosophia. Crux Prophetarum prædicatio, Apostolorum congregatio, & Martyrum gloria. Crux Virginum pudicitia, & Sacerdotum gaudium. Crux Ecclesiæ fundamentum, & orbis terrarum securitas; templorum idolorum destructio, & Iudæorum scandalum. Crux imbecillorum fortitudo, & firmitas, & ægrotorum medicina. Crux leprosorum purgatio, atque paralyticorum erectio. Crux cibus esurientium, & fons sitientium. Crux Monachorum fiducia, & nudorum tegumentum. In ea Christus patulum Diaboli os obstruxit. Hac Crucis armatura muniti sancti Apostoli omnem inimicam potentiam conculcarunt; cunctasque gentes suis sagenis, ad huius adorationem attraxerunt & congregarunt. Hac thoracis loco amicti milites Christi Sancti Martyres quascumque artes, & adinuentiones, audaciamque Tyrannorum superarunt, ac destruxerunt, & audacter, atque intrepide Christum Crucifixum prædicarunt. Hanc sancti baiulantes Monachi, abdicato seculo, ingenti cum gaudio, ac alacritate in solitudinibus, montibus, speluncis, & terræ cauernis sibi mansiones, habitationesque delegerunt.* Quàm bene sanctissimam Crucem DIVITVM FROENVM S. Ephrem appellauit! Diuites enim, & potentes huius sæculi maximè concupiscentiis variis sunt obnoxij; quas, si sapiunt, crucis frœno cohibere debent. Ad quod significandum diuino instinctu factum est, vt Sancta Helena in sui filij Constantini Imperatoris equi frœno sanctissimæ Crucis clauum ponendum curauerit.

Cõstãtinus Crucis clauum in equi frœno ponit.

Suarius supra ser. 3. ex Ecclesiastica historia. Galatinus l. 6. cap. vlt.

728. De sanctissimo crucis ligno S. Andræas Apostolus à Galatino relatus sic ait: *Primus homo per lignum præuaricationis mortem induxit: & necessarium hoc erat generi humano, vt per lignum passionis, mors, quæ ingressa fuerat pelleretur. Et quoniam de immaculata terra factus fuerat homo primus, qui per lignum præuaricationis mundo mortem intulerat; Necessariò de immaculata Virgine natus est perfectus homo. in quo Dei filius, qui primum fecerat hominem, vitam æternam, quam perdiderant per Adam homines, repararet; ac per lignum crucis, lignum concupiscentiæ excluderet: expanderet in cruce immaculatas manus pro manibus incontinenter extensis: pro suaui cibo arboris vetitæ, escam fellis acciperet; & in se suscipiens mortalitatem offerret. Offerret*, ait Apostolus; si enim oblatam immortalitatem accipere, & consequi renuamus, ex nostra culpa est, non ex Dominicæ liberalitatis illam offerentis defectu.

729. Cum hactenus de clauis, crucisque ligno dictum sit; circa ipsam Domini crucifixionem quæri potest primo: An in terra antequam Crux erigeretur; an post erectam crucem in ea affixus fuerit? Christum Dominum non in terra prostratum, sed Cruci iam erectæ affixum censet S. Bonauentura in fasciculo Myrrhæ in c. 3. Panopolitanus supra citatus in Ioannem cap. 19. v. 18. Nicephorus lib. 1. cap. 30. Toletus in Ioannem cap. 19. adnot. 4. Rutilius Benzonius, Paleottus, & alij apud Mallonium adnotat. in cap. 6. Alphonsi Paleotti de stigmatibus S. Sindonis, & Consaluus Durantus in lib. 7. cap. 1. Reuelat. S. Brigittæ. Pro eadem sententia citatur Nazianzenus in Tragædia de Christo patiente. Sed eam Tragædiam ex debitæ grauitatis defectu Nazianzeno non esse tribuendam censet Bellarmin. de Script. Eccles. Citatur etiam S. Bernardus ser. de Passione cap. 5. quem sermonem Bernardi non esse idem Bellarminus asserit. Citatur præterea S. Ambrosius lib. 10. in Lucam, & S. Cyprianus tract. de Pass. qui Dominum in crucem ascendisse dicunt. Quem in crucem ascensum significare videntur Cantic. verba cap. 7. v. 8. *Dixi: Ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius.* Quibus verbis iuxta Cassiodorum, Philonem Carpathium, Honorium, Aponium, Bedam, SS. Gregorium, & Anselmum, & alios Christus se in Crucem ascensurum significare videtur. Sed ex allatis verbis Christum erectæ iam cruci affixum fuisse apertè non colligitur. Possunt enim ea verba explicari de ascensu in Caluariæ montem: cum autem dicitur IN PALMAM, hoc est in crucem, sensus esse potest, quòd ascensus referatur ad montem, IN PALMAM autem, hoc est in Crucem, referatur non ad ascensum, sed ad finem propter quem in montem ascendebat; scilicet ad subeundam Crucis mortem: vel ad triumphandum de morte. *Ascendisti, Domine, Palmam, quia illud Crucis tuæ lignum portendebat triumphum*, ait citatus Cyprianus. Fauet huic interpretationi Syriaca, & Arabica lectio, qua dicitur: *Ascendam per Palmam*, hoc est, ascendam per eleuandam Crucem ad mortem superandam & triumphandam.

Christus an in Cruce iã erecta, an verò in cruce in terra iacente crucifixus fuerit? hic, & seqq.

730. Præterea cum SS. Patres Dominum in crucem ascendisse dicunt; cumque Ecclesia ait Dominum *hora sexta pro redemptione mundi crucis patibulum ascendisse*; talis ascensus bene intelligi potest etiam supra crucem humi stratam. Quamuis enim quis ex recto corporis situ, vt in cubili iaceat, se demittat; adhuc tamen stratum lectum ascendere dicitur: vt Psal. 31. *Si ascendero in lectum strati mei.* Christi autem crux, & passio iuxta Ambrosium, & alios lectus vocatur cum Psal. 40. 4. dicitur: *Dominus opem feret illi super lectum doloris eius.* Præterea cum quis per gradus in supremam domum ascendit; non solùm superiores gradus ascendisse dicitur; sed etiam infimum parùm supra soli planitiem extantem. Similiter Dominus, cum supra crucis stipitem, seu trabem aliquantum supra terram extantem se collocauit; supra stipitem illum, & trabem dicitur ascendisse.

Ambros. l. 3. de Virg.

731. Pro sententia de Domino erectæ iam cruci affixo, citantur verba ex libro 1. cap. 10. Reuelat. S. Brigittæ, vbi dicente Deipara de sanctissimo suo filio: *Rapuerunt eum sani torto-*

res, & extenderunt in cruce, &c. Cum neq; de erecta, neque de ſtrata cruce mentio fiat, inde allatæ ſententiæ confirmatio habetur. Habetur tamen talis ſententiæ confirmatio ex lib. 4. c. 70. vbi Deipara ait: *Erat Crux fixa, & brachia eius eleuata; itavt nodus crucis inter ſcapulas eſſet; nec vllum capitis declinatorium crux præbebat; & tabula tituli vtrique brachio ſuper caput eminenti affixa erat. Ad crucem igitur iuſſus dorſum vertit: & manum poſtulatus primò dexteram extendit: & inde alia manus ad reliquum cornu non attingens diſtenditur: & pedes ſimul ad foramina ſua diſtenduntur; cancellatiſque & quaſi à tibiis diſtincti, duobus clauis ad crucis ſtipitem per ſolidum os, ſicut & manus erant, configuntur.* Similiter ipſa S. Brigittæ l. 7. c. 15. ait: *Ad montem Caluariæ dum eſſem mæſtiſſime plorans, vidi Dominum meum nudum, & flagellatum ductum per Iudæos ad crucifigendum. Vidi quoque tunc foramen quoddam exciſum in monte; & crucifixores in circuitu paratos ad operandum crudelitatem; Dominus autem conuerſus ad me, dixit mihi: Attende tu, quia in iſto foramine terræ infixus fuit pes crucis meæ tempore paſſionis. Et ſtatim vidi qualiter ibi crux eius à Iudæis figebatur, & firmabatur fortiter in foramine petræ montis, cum lignis confixis cum malleo validiſſimè circumquaque, vt crux ſolidius ſtaret, nec cederet. Cum igitur crux ita ſolidè firmata eſſet, ibidem ſtatim adaptabantur tabulæ ligneæ in circuitu ſtipitis crucis, per modum graduum, vſque vbi pedes eius crucifigi debebant, vt poſſent per illos gradus tabularum, tam ipſe, quàm crucifixores aſcendere; & ſuper tabulas illas aptiori modo ſtare ad crucifigendum eum. Poſt hoc autem aſcenderunt ipſi per illos gradus ducentes eum cum irriſione, & vituperio maximo: qui gratanter aſcendens, velut agnus manſuetus ductus ad immolandum, cum eſſet iam ſuper tabulas illas, non coactus, ſed ſtatim voluntariè extendit brachium ſuum; & aperta ſua dextera manu, poſuit eam in cruce, quam illi ſæui tortores immaniter crucifixerunt: perforabant eam clauo per illam partem, qua os ſolidius erat. Tunc etiam trahentes cum fune vehementer manum eius ſiniſtram cruci affixerunt eam ſimili modo. Deinde extenſo corpore vltra modum in cruce poſita fuit vna tibia eius ſuper alteram; & ſic iunctos pedes affixerunt in cruce duobus clauis: & in tantum extenderunt illa glorioſa membra in cruce vehementer; quòd quaſi omnes venæ, & nerui eius rumpebantur.*

Chriſti crucifixionis modus.

732. Oppoſita ſententia, quòd Chriſtus Dominus in terra proſtratus cruci, antequam ea erigeretur, fuerit affixus, eſt ſancti Anſelmi lib. de paſſione, B. Laurentii Iuſtiniani ſer. de paſſ. S. Antonini in Chronicis par. prima, Luytii l. 2. de cruce cap. 7. & aliorum. Huius ſententiæ fundamentum eſſe poteſt, quòd talis crucifigendi modus crucifixoribus fuerit facilior, præterea inter Ieroſolymæ loca ſancta oſtenditur locus, vbi Dominus cruci, antequam erigeretur, fuit affixus: qui locus aliquot paſſus diſtat à loco vbi crux in terra fixa fuit. Circa vtramque oppoſitam ſententiam viri doctiſſimi, inter quos Suarius, ancipites ſunt, nihilque certum definiũt, Mihi tamen, quamuis alioquin in hanc poſteriorem ſententiam propenderem, nihilominus ad priorem ſententiam magis ſequendam, magnum pondus videntur habere duo allata ex S. Brigittæ reuelationibus teſtimonia; quæ niſi negentur, poſteriorem ſententiam ſequi non poſſumus. Negandæ verò reuelationes illæ ſine vrgente in oppoſitum ratione non videntur; cum eas doctiſſimi viri probauerint, quibus earum examen Pontificia auctoritate commiſſum eſt.

Diuiſerunt veſtimenta eius ſortem mittentes: vt impleretur, quod dictum eſt per Prophetam dicentem: Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.

733. IOan. 19. 23. *Milites cum crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta eius, & fecerunt quatuor partes, vnicuique militi partem, & tunicam. Erat autem tunica inconſutilis deſuper contexta per totum: dixerunt ergo ad inuicem: Non ſcindamus eam, ſed ſortiamur de illa, cuius ſit.* Ex his Ioannis verbis patet præter inconſutilem tunicam non ſciſſam, alia Domini veſtimenta, quæ plurali numero dicuntur, ſibi milites diuiſiſſe. Quæ autem plura hæc Domini veſtimenta fuerint, quæritur? Veſtes Chriſtique, & quot fuerint: hic, & ſequenti.

734. Primò Cornelius probabiliter cum Euthymio cenſet præter intimam tunicam corpori adhærentem inſtar ſubuculæ, duas alias veſtes Chriſtum Dominum habuiſſe; ſcilicet longiorem veſtem interiorem veluti togam; & extimam, quæ exterius corpus tegebat, & ornabat inſtar pallii. Addit Lorinus: *Ioannes ſcribens partes quatuor factas, indicat eamdem veſtem, quæ ritu Hebræorum fimbrias habebat in quatuor angulis.* De hac veſte Hebræis præcipitur Deut. 22. 12. *Funiculos in fimbriis facies per quatuor angulos pallii tui, quo operieris.* Contra hanc ſententiam eſt, quòd omnino improbabile mihi videtur Dominum crucem baiulantem extremũ pallium geſtaſſe; præcipuè cum illud non ſolum adoperimentum, ſed etiam ad ornatum adhiberetur, vt Cornelius ait. Quare ſatis probabile videtur illud antea Domino fuiſſe ſubtractum; atque adeo inter veſtimenta in Caluariæ monte à militibus diuiſa non videtur numerandum. Lorinus in Pſal. 21. 19.

735. Præter pallium, & interiorem veſtem, & inconſutilem intimam tunicam, inter Chriſti veſtimenta caligas numerat Maldonatus; ſed has etiam cum flagellaretur, detractas Domino fuiſſe, nec eas iterum induiſſe, nudiſque pedibus crucem baiulaſſe, montemque aſcendiſſe valde probabile eſt.

736. Tertiò Toſtatus parad. 5. c. 42. Chriſtum femoralibus vſum eſſe cenſet. Lorinus Leuit. 6. 10. ait: *Femoralibus Chriſtum, cum flagellatus eſt, ac multò magis quando crucifixus, fuiſſe nudatum.* Sed contra eſt, quia ex multorum ſententia femoralium apud Hebræos vſus non erat; quod probari videtur ex c. 28. Exodi v. 42. Vbi Moſi de ſacerdotibus præcipitur: *Facies & feminalia linea, vt operiant carnem turpitudinis.* Similiter 6. Leuit. 10. *Veſtietur tunica Sacerdos, & feminalibus lineis.* De quibus Hieron. ep. 128. ait: *Dicamus primò communes Sacerdotum veſtes, atque Pontificum. Lineis feminalibus quæ vſque ad genua, & poplites veniunt, verenda celantur; & ſuperior pars ſub vmbilico vehementer adſtringitur: vt ſi quando expediti mactant, victimas, tauros, & arietes trahunt, portantque onera, & in officio miniſtrandi ſunt, etiamſi lapſi fuerint, & femora reuelauerint, non pateat quod opertum eſt.* Quod ſi apud Hebræos etiam laicos feminalium, ſeu femoralium communis vſus fuiſſet; vtique neceſſe non erat peculiare præceptum de Sacerdotum feminalibus fieri. Femoraliũ vſus an fuerit apud Hebræos.

737. Quartò cum dicitur: *Milites acceperunt vestimenta eius, & fecerunt quatuor partes*; ex his vestimentis à militibus diuisis non excludendum est pallium: quamuis enim illud ante ascensum ad Caluariæ montem Domino milites subtraxerint, in Caluariæ tamen monte illud ipsum antea subtractum accipientes diuiserunt.

Quintò dici potest nomine tunicæ inconsutilis non intelligi intimam subuculam, seu interulam. Quod probari videtur ex eo quod dicitur Ioan. 21. 7. *Simon Petrus, cum audisset, quia Dominus est, tunica succinxit se; erat enim nudus:* nudus scilicet omninò, sed iuxta Bedam, eo modo, quo operarii extima veste se nudare solent; ita vt interula, seu indusium remaneat. Quare ibi tunica, Græcè dicitur ἐπενδύτης, hoc est superindutorium. Nonnus inconsutilem οἴνωμα vocat, hoc est vinei, subrubrique coloris. Interulæ autem candidæ esse solent. Præter igitur inconsutilem tunicam milites intimum Domini indusium accipientes, illud sibi diuiserunt. Dices cur tanta auiditate frustulum linei, seu lanei indusii sanguine respersi habere milites contenderint? Respondetur primò ex Procopio, & Paulo Burgensi, Milites contendisse ex Christi vestibus partem habere, non quòd ad induendum vtilis foret; sed quia existimabant vim aliquam medicatam in iis esse, & fortasse ex fama acceperant mulierem, quæ sanguinis fluxum patiebatur Christi fimbriam tangendo sanatam fuisse, de qua dicitur Matthæi 9. 22. Addi piè posset Milites aduertisse ex Christi vestibus suauem aliquem odorem exhalare, iuxta id quod Psal. 44. 9. dicitur Christo Domino: *Myrrha, & gutta, & casia à vestimentis tuis*: seu vt legit Hieronymus, *in cunctis vestimentis tuis*: hoc est, vestimenta tua adeo odorifera sunt, vt aromata plura suauem odorem spirantia esse videantur. Respondetur secundò ex Theophylacto, & Euthymio Milites non ob æstimationem Christi vestium, sed potius ad ludibrium earum partem cupiisse, vt eam tamquam ludicri Regis spolia iactarent. Vel etiam vt talium vestium testimonio apud Romanos gloriarentur, quò hominem se Iudæorum Regem facientem occidissent.

Milites cur Christi indusii partem tam auidè habere contenderint? *Procopius in Gen. c. 18.*

738. *Sortem mittentes*, non solùm circa togam inconsutilem, sed etiam supra scissarum vestium partes: quod indicat Marcus c. 15. 24. dicens: *Diuiserunt vestimenta eius mittentes sortem super eis.* Hanc sortem fuisse ex talorum iactu indicat Iustinus in Triphonem. Vtinam talorum ludo tunc tantùm supra discissas Domini vestes impii vsi essent; & non etiam nunc idem ludus ad Dominum, eiusque Sanctos blasphemandos, & quantùm in se est, lacerandos à peccatoribus exerceretur. Arida illa animalium ossa in talos elaborata maiorem perniciem sæpe ludentibus afferunt; quàm rabidi dentes, vngues, & cornua immanium belluarum afferre possent.

Talorum ludo Christi vestes diuisæ sunt.

739. Tunicam inconsutilem B. Virginis opus fuisse ex Patrum traditione docet Euthymius. Ludolphus addit Domini statura crescente eamdem tunicam simul creuisse. Quantum charam habuerit hanc tunicam maternis manibus elaboratam Christus Dominus, ipsa Deipara S. Brigittæ reuelauit Luc. 7. cap. 8. dicens: *Ego, quæ ipsum verum Deum genui, testimonium perhibeo, quòd vnum proprium habebat Iesus Christus filius meus, & illud ipse solus possidebat. Hoc enim fuit illa tunica, quam ego propriis meis manibus feci. Et hoc testificatur Propheta in persona filii mei dicens: super vestem meam miserunt sortem. Attende, quòd non dicit vestem nostram, sed vestem meã; & scias etiam, quòd quandocumque induebam ipsum illa tunica propter vtilitatem sui sanctissimi corporis, tunc oculi mei statim replebantur lacrymis; & totum cor meum torquebatur tribulatione, & dolore, & affligebatur interna amaritudine; ex eo quòd ego bene noueram modum, quo in futurum illa tunica ab eodem filio meo esset separanda; scilicet tempore passionis eius, quando ipse nudus, & innocens à Iudæis crucifigeretur. Et hæc tunica fuit illa vestis, super quam crucifixores eius miserunt sortem. Nullusque in vita eius eamdem tunicam habuit, nisi solus ipse.*

Ludolphus p. 2. c. 63. Tunicam inconsutilẽ B. V. manu elaboratam quam charã Dominus habuerit.

B. V. Mariæ Christum puerum vestientis lachymæ, & dolor.

740. Mich. Aiguan. refert, cum Pilatus semel, atque iterum tunicam inconsutilem indutus corã Tiberio reus stetisset sancto quodã horrore correptum Imperatorem dimisisse liberum Pilatũ: cumque tertio sine tunica venisset, capitali sententia fuisse damnatum. Probabilitatem aliquã huic sententiæ affert, quòd ea tunica, vt Iacobus Valentia asserit, in sortitione Gentili militi obtigerit, à quo facile in Romani Præsidis Pilati manus deuenire potuit: Pilatum autem post Domini passionem, sanctitatem ipsius Domini, resurrectionem, & miracula, diuinamque virtutem credidisse, ac de iis ad Tiberium scripsisse, testatur Orosius lib. 7. c. 4. Præterea cum Pilatus semel, atque iterum Christum Dominum è manibus Iudæorum eripere, & indemnatum dimittere voluisset; cumque tertiò eum damnasset; hinc factum est, vt ipse Dominus nullum bonum opus, licet imperfectum, sine præmio deserens, semel etiam, atque iterum Pilatum à damnationis sententia apud Tiberium liberare voluerit; tertiò verò damnari siuerit.

Aiguanus in Psal. 37.

Valentia in Ps. 21. Pilatus Christi tunica indutus Tiberio Imperatori horrorem incussit.

741. *Vt impleretur, quod dictum est per Prophetam dicentem: diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem miserunt sortem.* Idem vaticinium ex Psal. 21. citans Ioan. 19. 24. ait: *Vt Scriptura impleretur dicens: Partiti sunt vestimenta mea sibi, & in vestem meam miserunt sortem.* Ex his, & similibus alibi citatis Prophetarum locis quidam colligebant Iudæos persequendo, & crucifigendo Christum non peccasse; cum ad complendam diuinam scripturam, & Prophetarum vaticinia cooperati fuerint. Contra horum impiam falsitatem ait Athanasius: *Prophetæ quod erat futurum, faciendum prauiderunt; nemini autem ad id auctores fuerunt. Sicut qui rem, quæ nunc malè fit, cernit, non est in causa vt fiat.* Quamuis ergo particula, Vt, sæpe finem significet; interdum tamen non ad finem, sed ad cõsecutionem, & euentum significandum vsurpatur. In his, quæ Deus absolutè fieri voluit, & præuidit, vt infallibiliter euenirent, particula illa causam, finemque denotat. In operibus verò peccatum inuoluẽtibus, quæ tantùm Deus, vt futura præuidit, eaque non voluit, sed fieri permisit: particula illa tantùm euentum, & sequelam indicat, quod bene sic docet Cyrillus: *Nemo putet idcirco, quæ à Prophetis dicta sunt, in exitum venire, vt adimpleatur scriptura. Nam si sic esset, laudari potius, quàm vituperari tamquam scripturarum ministri nequam homines possent: quippe qui nec deliquisse omninò viderentur, si coacti fecissent. Nam si adimplere scripturam necesse esset; illi, per quos adimpleretur, nullo crimine profectò tenerentur. Præterea in scripturæ auctorem culpa redundare videretur; siquidem, vt adimpleretur scriptura, vi quadam mala commiserint. Sed quis adeo rationis ac mentis inops erit,*

Particula, Vt, interdũ finem, interdum nõ finem, sed consecutionem, & euentum significat. *Athanas. ser. de Pass.*

Cyrillus in Ioan. lib. 9. c. 10.

vt scripturam sancti Spiritus peccandi causam attulisse homini vnquam credere possis? Non ergo, vt adimpleatur scriptura, nec ista de causa facta sunt à quibusdam, quæ scriptura prædixit: sed contra, quia ita nonnulli facturi erant, idcirco presciens Spiritus sanctus futura prædixit. Similiter particula QVIA, interdum non causam, sed consecutionem ad effectum præuisum significat, vt Ioan. 12. 40. cum de Iudæis dicitur: *Propterea non poterant credere, quia dixit Isaias: Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum:* scilicet excæcari, & indurari Deus permisit. Vbi particula, QVIA, non denotat Isaiæ Prophetiam fuisse causam non credendi, sed prauam Iudæorum voluntatem credere nolentium, vt bene explicat Augustin. tract. 53. in Ioan. Chrysost. in Ioan. hom. 67. & Theophyl. in Ioan. c. 12.

Isa c. 6. 19.

Christus quas vestes resurgens acceperit: hîc, & sequ.

742. Iustinus q. 116. ad Orthodox. huiusmodi quæstionem proponit: *Si resurgens Dominus ex monumento sepulchralia in sepulchro reliquit, qui fit, vt litera non tradant eum post resurrectionem, aut nudum apparuisse, aut aliunde vestem sumpsisse? Quod si nec aliunde indumenta sumpsit; neque nudus iis, quibus eum viderunt apparuit; quomodo verum est. quòd vestimenta in sepulchro reliquerit?* cui quæstioni respondet: *Vestimenta quidem Seruatoris post eum crucifixum milites diuiserunt; sed quæ postea illata sunt in sepulchro viuenti inepta erant. Quas vestes autem ferebat Dominus post resurrectionem, eas aut confecit, aut sumpsit aliunde, vtrumque enim poterat, & conficere, & aliunde capere.* Abulensis parodox. 5. cap. 24 ait: *Sicut Saluator noster nullas in sepulchro vestes habuit;* vestes scilicet, vt pallium, togam, & tunicam: *ita quoque resurgens de panno, aut substantia aerea nullis tegumentis adopertus est, sed planè nudus apparuit.* Probat hoc Abulensis cap. sequenti dicens: *Sicut Christus resurgens ex omni parte plenam induit immortalitatem, omni reiecta corruptibilitate, ita quoque decens fuisse patet, vt cunctæ corruptibilitatis conditiones, & adiumenta extrinseca corruptibilis status tunc adempta forent. In Christo resurgente cunctus fulgor, & decor corporalis, qui in aliqua creatura esse valebat, apparuit: quo dato, nihil in eo videri poterat, de quo erubescendum sibi foret; nec quod cæteri videntes aliquo suffunderentur rubore. Aliquid autem ad erubescendum manere incitatiuum pœnalitatis genus est. A Christo tamen cunctæ pœnalitates exclusæ sunt; cum eum planè beatum astrui necesse sit.* Subdit idem infra: *A corpore benedicti Iesu tantus procedebat fulgor, vt quascumque contegeret partes, quas velari, & conspectibus subtrahi honestum foret; nec cuiusuis corruptibilis substantiæ ope ad tegendum quicquid in corpore suo erat, opus erat; sed iustius erat, vt ille admirandus fulgor, cum gloriosi corporis Redemptoris incorruptibilis facti, quidquid in eo velandũ erat [si quid tale esse poterat] contegeret; vt incorruptibile se ipso manens nullius corruptibilis honestaretur velamento.* Probat eamdem sententiam Abulensis ibidem cap. 35. *Si corpus Domini Iesu vestibus contectum fuisset, non vidisset Thomas Ioan. c. 20. Vulnera Saluatoris nostri; nec manum misisset in latus. Apparet igitur Christum post resurrectionem in vestibus nullis apparuisse; sed purè nudatum, amictum tamen gloria, & splendore.*

Iustinus supra.

743. Contra allatam Abulensis sententiam videtur cum Iustino dicendum Dominum post resurrectionem ante Ascensionem vestibus vsum esse. Quamuis enim immortalis esset, quia tamen inter mortales versabatur, ad eorumdem

A conditionem se accommodabat: ideoque gloriosi corporis fulgorem occultabat: & quamuis concedatur interdum talem fulgorem ostendisse, id etiam sub fulgidis vestibus faciebat; sicut in Monte Thabor gloriosè transfiguratus sub niueis vestibus apparuit. Quare contra Abulensem militat eadem ratio, quam ipse super cap. 17. Matthæi q. 43. cum de Domini in Monte Thabor transfiguratione ageret, affert, dicens: *Vt ostenderetur verum res manere, & non penitùs esse phantasma, debuit vestis Christi apparere coloris albi. Si autem induerit solis fulgorem, & non appareret color determinatus aliquis qualis solet esse in vestibus, esset occasio suspicandi de phantasmate; ideo vestibus datum est, quòd haberent colorem album, & non fulgorem solis.* Addit ibidem contra se Abulensis: *Christus ostendit imaginem gloriæ Beatorum; illi autem quamquam vestibus non vtuntur; tamen quando nobis apparent, videntur vt communiter vestiri propter honestatem corporum, conformando se consuetudini nostræ. Vnde & Angeli, qui corpora non habent, quando nobis apparent, veniunt quasi vestiti, & vestitus eorum est communiter albus. Ideo Christus, qui in transfiguratione ostendit se pertinere ad statum Beatorum ostendit vestes communiter albas. Sic patet in Christi resurrectione de Angelis, qui apparuerunt: nam dicitur Marci 16. Introeuntes in monumentum viderunt iuuenem sedentem in dextris opertum stola candida: & Ioannis 20. de duobus Angelis, qui fuerunt in monumento Christi, dicitur, quòd vidit duos Angelos in albis sedentes. Idem fuit in Ascensione Christi ad cœlos: nam dicitur Act. 1. Quòd duo viri astiterunt iuxta discipulos in vestibus albis: illi autem erant Angeli: Talis autem est conditio omnium Beatorum spirituum apparentium, quod vestes candidas videantur habere.* Hæc omnia, quæ Abulensis ibi docet, Christum Dominum post resurrectionem non nisi vestibus indutum apparuisse manifestè probant. Adde præterea, si Dominus post resurrectionem planè nudus, & propter nuditatem semper fulgidus, vt Abulensis ait, discipulis apparebat; quamuis aliquando sub aliqua formæ diuersitate appareret, ex nuditate, & fulgore, adhuc Dominum eis apparere coniicere poterant, cum tali modo nudi nunquam Angeli eis apparuissent: & nihilominus Ioan. 21. 14. dicitur: *Stetit Iesus in littore; non tamen cognouerunt Discipuli, quia Iesus est.* Adde secundò suam post resurrectionem cum Magdalenæ Dominus apparuit, illa existimauit Dominum hortulanum esse. Tunc ergo vel Dominus nudus apparuit, & sine fulgore, & est contra Abulensem; qui Dominum loco vestium, fulgore ad se, qua parte vellet, tegendum adhibuisse asserit. Vel dicitur cum fulgore apparuisse, & tunc certe Dominum hortulanum esse Magdalena non putasset. Addde tertiò Dominum suam etiam post resurrectionem, duobus discipulis euntibus in Emmaus apparuisse sub peregrini specie; & consequenter non nudum, sed vt peregrinum decet, indutum. Porrò quod sanctus Thomas Domini vulnera viderit, & tetigerit, non hinc deducitur ei Dominum nudum apparuisse; sed tantùm diffibulata, & deducta circa pectus veste, vt lateris vulnus videri, & tangi posset. Ad manuum autem, pedumque vulnera videnda, & tangenda, quid vestis obstaret, non apparet.

Matth. 17.

B

C

D

Ioan. 20. 15.

E

744. Quæri secundò potest, an Dominus,

Christus an in cœlum ascendens vestes habuerit: hîc, & sequent.

cum in cœlum ascendit, vestes habuerit? Negat Abulensis paradox. 5. q. 34. Vbi sequentibus verbis, eamdem de Christi post resurrectionem nuditate sententiam docet; & præcipuè de Domini in cœlum ascensu meminit: *Dicendum est Christum resurgentem nudum fuisse, in eademque nuditate cunctis apparuisse, quibus eum sacer canon Euangelistarum apparuisse commemorat. In ea quoque habitudine cœlos conscendit, in æternum sub eadem nuditate mansurus. Hunc quoque tenent modum corpora Sanctorum, quæ cum Domino ad æternæ illius felicitatis gloriam, cum resurrexerint, rapientur. Nec à quoquam, qui sapiat, obticendum nobis reor Christi resurgentis, & apparentis nuditatem tamquam sub inhonestate quadam ducendam. Nullum enim in eo erat deformitatis, & ignominiæ signum, quòd nudus apparuerit: quin potius maioris gloriæ testimonium erat in benedicto corpore eius, quam si quibuslibet vestibus contectū fuisset. Corpus namque sanctissimum Redemptoris in resurrectione sua maximam omnium corporum cepit pulchritudinem. Rationabilius erat tam admirandam pulchritudinem aspicientium oculis cernendam dari, quàm corruptibilibus vestibus adopertam fore. Tanta erat fulgoris in corpore illo admiranda reuerentia, tamque superexcellens decor; vt nulla in eo deformitas, aut turpitudinis macula notaretur, quamquam nudus esset.* Sic enim Psalmista testatur: *Amictus lumine sicut vestimento*, id est quòd corpus *Redemptoris ita gloria, & fulgore tegebatur, ac si vestibus velaretur, honorabilius tamen.*

Psal. 103. 2.

745. Sed contra hanc Abulensis sententiam ob rationes supra allatas, multò probabilius est dicendum Dominum fulgida veste indutum in cœlum ascendisse, quousque in discipulorum conspectu fuit: cum verò ab eorum oculis à nube subtractus est, vestem dimisisse, solum luminis amictum retinendo; qualis in cœlo Beatorum statum decet; iuxta quem statum dicitur citato Psalmo, *amictus lumine sicut vestimento.* Vestium vsum esse quidem in cœlo posse, non autē actu esse, docet August. ep. 146. Nullam tamen ob causam vestium indigentiam beata in illa patria esse benè docent Basilius reg. 22. ex fusis: & Clemens Alex. lib. 2. pædagog. cap. 10. eo quod Beatis, vt diximus, luminis amictus pro vestibus sit. Quam decorum, gloriosumque luminis amictum, vt nobis Redemptor noster mereretur, sua in passione propriis vestibus nudari voluit.

Vestium vsus nullus in cœlo.

746. Dominus, qui in passione propriis vestibus est nudatus, easque milites sibi diuiserunt; idem Dominus post resurrectionem teste Isaia 53. *Fortium diuidet spolia.* Hoc admirans Augustinus ait: *Ille sicut ouis ad immolandum ductus; ille inter iniquos deputatus, ille vulneratus propter peccata nostra, cuius liuore sanati sumus; cuius facies iniuriata est, palmis cæsa, & sputis illita; cuius deformis in cruce positio; ille ab iniquitatibus populi Israel ductus ad mortem; ille, qui non habebat speciem, neque decorem, quando colaphis percutiebatur; quando pendens irridebatur; ille, qui sicut agnus coram tondente non habebat vocem; iam in hæreditate possidet multos, & fortium partitur spolia; cum ea, quæ diabolus, & dæmones possidebant per Ecclesiarum suarum fabricas, & quoslibet necessarios vsus, illis expulsis, perditisque distribuit.* Dionysius tyrannus *detracto Iouis Olympio magni ponderis aureo amiculo, iniectoque ei laneo pallio dixit: æstate graue esse aureum amiculum, hyeme frigidum; laneum autem ad vtrumque tempus anni aptius.* Quæritur hîc an similiter milites pro vestibus, quibus Dominum exuerunt, amiculum aliquod ei substituerint?

August. l. 1. de consensu Euangelistarū Q. 31.

Christus vestibus in passione fortium diuidit spolia.

Valerius Maximus l. 1. c. 2.

An merè nudus Dominus in cruce pependerit?

747. Respondet Abulensis: *Femoralia Saluatoris cum eo in cruce affixo à militibus intacta fuisse. Nam de his dici nequit, sicut de vestibus eiusdem, quas diuisione quadrifaria milites assumpserunt. Nemo namque tam durus fuisset, vt immemor humanæ verecundiæ tam detestanda aggredi ausus fores.* Nec, *si quisquam auderet, hoc Christus passurus erat: eo quoque de cruce deposito, vt fuerant, femoralia permanserunt.* Sed Dominum, sicut etiam Hebræos, femoralibus vsum non esse, iam supra probauimus. Præterea contra Abulensem est, quòd iuxta eumdem resurgens Dominus femoralia secum non tulerit; & de iis, vt in sepulchro relictis mentio nulla fiat; cum de reliquis fiat, dicente Ioan. c. 20. 6. *Venit Simon Petrus, & introiuit in monumentum, & vidit linteamina posita, & sudarium, quod fuerat super caput eius.* Huic obiectioni nititur Abulensis respondere, sed non satisfacit.

Christus nō omnino nudus in cruce pependit: hîc, & sequ.

748. Respondetur secundò Dominum in cruce velamen habuisse, de quo Deipara S. Brigittæ reuelauit l. 1. cap. 10. *Stante filio meo, sicut natus erat, nudo corpore, vnus tunc accurrens apportauit ei velamen, quo ipse exultans intimè velabat verecunda sua.* Idem S. Brigitta repetit l. 4. cap. 6. de Domino dicens: *Iussus vestes ponit, paruumque linteum verendis prætexit; quod & ipse inde consolatus adiuuit ad ligandum.*

749. Nihilominus ait Suarius: *Communior sententia SS. Patrum est Christum omnino nudum absque alicuius partis velamine crucem ascendisse. Ita Ambros. lib. 20 in Luc. ait: Refert considerare qualis ascendat; nudum video. Talis ascendit, quales nos auctore Deo natura formauit. Talis in paradiso homo primus habitauerat; Talis ad Paradisum homo secundus intrauit. Idem significat Athanasius dicens: Exuebat vestimenta sua: decebat enim cum hominem introduceret in Paradisum, exuere tunicas, quas Adam accepit, cum è Paradiso eiceretur.* Eamdem sententiam amplectitur Ludolphus, & Bonauentura supra citati. Contra hanc sententiam respondetur, esse nudum, vt Philosophicè loquar, suscipere magis, & minus. Patet hoc ex Iob. cap. 1. 21. Qui ait: *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc*; vbi sensus est: Ex vtero materno tamquam ex terreno ergastulo nudus egressus sum; & nudus in terrenum ergastulum reuertar, hoc est in sepulchrum. Et tamen quamuis ex matris vtero nudus homo egrediatur; non tamen in sepulchrum omnino nudus reuertitur. Præterea cum agricolarum instructor aratori, & satori ait: *Nudus ara, sere nudus: hyems ignaua colono*: sensus non est ita aratorem, & satorem omninò nudos arare, & serere debere, vt ne lineum quidem tegmen sibi relinquant: sed nudos eos esse debere dixit, prout ipsi sibimet hyemali tempore pluribus vestibus induti comparantur. Porrò cum de Domino Ambrosius ait: *Talis ascendit, quales nos natura formauit*: Sistendo in ea comparatione reperiemus hominem secundinis obuolutum, contectumque à natura formari. Cum autem

Suarius sup. sect. 4.

Athanas. Orat. de pass. & cruce Domini.

Virgilius in Georg.

Ambrosius

Ambroſius addit: *Talis in paradiſo homo primus habitauerat, talis ad paradiſum homo ſecundus intrauit.* Hoc quidem de homine in paradiſum cum omnimoda veſtium nuditate introeunte negandum non eſt. Athanaſii autem allata verba ſignificant tantùm, Dominum ſuas veſtes exuiſſe; non autem nudatum veſtibus linteum non accepiſſe.

750. Probat præterea omnimodam in cruce nuditatem Suarius dicens: *Chriſtus cum alligatus fuit columnæ, vt flagellaretur, omninò nudus fuit. Ergo non recuſauit pro hominibus affici hoc dedecore, & dolore, atque triſtitia ex huiuſmodi pudore orta.* Quod autem in flagellatione Dominus omnino nudus fuerit, bene probare poſſet Suarius ex Deiparæ teſtimonio lib. 1. c. 10. Reuelat. S. Brigittæ, vbi ait: *Ductus ad columnam perſonaliter ſe veſtibus exuit. Alligatus nihil omnino operimenti habebat; ſed ſicut natus eſt, ſic ſtabat; & patiebatur erubeſcentiam nuditatis ſuæ.* Sed ex S. Brigittæ teſtimonio ſicut in flagellatione omnimodam Domini nuditatem admittere debemus; ita ex eiuſdem teſtimonio ſupra allato, omnimoda Domini nuditas in crucifixione admittenda non eſt. Diſparitas autem eſt manifeſta; cum flagellatio intra Præſidis atrium nocturno tempore fuerit: crucifixio autem in edito Caluariæ monte, in patente crucis patibulo, diurno tempore, coram frequentiſſimo omnis generis populo facta ſit.

Supra.

751. Probat ſecundò ſuam ſententiã Suarius: *Non eſt veriſimile hoſtes ipſos Chriſti habuiſſe curam tegendi illum. Vix etiam aliquis ex iis, qui adſtabat auſurus eſſet illi ſubuenire, aut hanc beneuolentiam illi oſtendere. Quinimo etiamſi aliquis, vt B. V. Magdalena, aut Ioannes hoc auderet, non fuiſſet permiſſus ab iis, qui omnem iniuriam, & ignominiam Chriſto vehementer optabant. Si autem diuinæ prouidentiæ rationem ſpectemus, nihil abſurdi eſt, quòd Chriſtus nuditate ſua noſtram nuditatẽ operire voluerit; omniumque temporalium rerũ abiectionem perfectè docuerit.* Sed contra reſpondetur ex Methodio Epiſc. apud Marianum Scotũ in Chronic. an. Dom. 39. & ex Bar. anno Dom. 34. c. 116. iuxta Chriſtianam traditionem inter pias mulieres, quæ Chriſtũ ad montẽ Caluariæ euntem ſequebantur, fuiſſe Veronicam; quæ ipſi Domino ſudarium tradidit, vt faciem ſudore, & ſanguine madentem abſtergeret; quod cum ſuæ Dominus faciei applicuiſſet, illud ſua impreſſũ effigie eidem Veronicæ reſtituit. Si ergo tale pium officium Domino præſtitum, id Deo prouidente, à militibus vetitum non fuit; neque illud aliud de velamine ad eumdem Dominum ſuis nudatum veſtibus tegendum, Deo id etiam prouidente, negandum eſt.

752. Probat tertiò ſuam ſententiam Suarius dicens: *Chriſti nuditatem figuratã eſſe in Noe Gen. 9. qui cum vineam plantaſſet, inebriatus vino illius, omnino nudatus eſt: quod eleganter de Chriſto explicat Auguſt. l. 16. de Ciu. c. 2. & l. 12. contra Fauſtũ c. 263. & Cyprian. ep. 63. Rupertus, & Eucherius in Geneſim.* Reſpondetur ſiſtendo in Chriſti cum Noe comparatione, vt adamuſſim figurato figura reſpondeat, dicendum eſt Chriſtum, poſtquã ſuis veſtibus nudatus eſt, velamine fuiſſe contectum: ſicut nudatum Noe pii eius filii Sem, & Iaphet pallio operuerunt.

753. Præter velamen, Chriſtus Dominus dolorificum capitis operimentum in cruce habuit, ſcilicet ſpineam ad modum pilei coronam. Quia

A tamen hoc Matthæi c. 27. 31. dicitur: *Poſtquam illuſerunt ei, exuerunt eum chlamyde, & induerunt eum veſtimentis eius, & duxerunt, vt crucifigerent:* Ex his verbis aſſerere aliquis poſſet, vt Euthym. aſſerit, Domino vnà cũ purpurea chlamyde, & arundinis ſceptro, etiam ſpineã coronam fuiſſe ſublatam; eo quòd hæc omnia ei ad ludibrium, tamquam ludicro Regi impoſita fuerint: ideo veluti contra hanc Euthymii ſententiam reſpondens Origenes ait: *De chlamyde ſcriptum eſt, quoniam denuo ſpoliauerunt eum chlamyde coccinea; de corona autem ſpinea nihil tale Euangeliſtæ ſcripſerunt; propterea quòd nos quærere voluerunt exitum rei de corona ſemel impoſita, & nunquam detracta.*

Chriſtus in cruce coronam ſpineã habuit: hic, & ſequ.

Origenes tract. 35. in Matth.

B Cum Origene ſentiens Cyprianus Dominum cruci affixum ita alloquitur: *Clauis ſacros pedes terebrantibus, foſſiſque manibus, de vulnerum anxietate non loqueris, de ſpinis ſacrum caput pungentibus non quereris.* Similiter Tertull. lib. contra Iudæos c. 13. ait: *Iſaac cum ligno reſeruatus eſt, ariete oblato in vepre cornibus hærente, & Chriſtus ſuis temporibus lignum humeris ſuis portauit inhærens cornibus crucis, corona ſpinea in capite eius circumdata.* Prætereà id Deipara S. Brigittæ reuelauit l. 1. c. 10. vbi poſt Dominum cruci affixum ait: *Aptauerunt coronam de ſpinis, quæ tam vehementer reuerendum caput filij mei pupugit; vt ex ſanguine fluente replerentur oculi eius, obſtruerentur*

Cyprianus epiſt. 63.

C *aures, & barba tota decurrente ſanguine deturparetur.*

754. Probat idem Suarius primò ex traditione ſupra allata, nempè *Chriſtũ, cum duceretur ad locum ſupplicij portans crucem, in via ſudario quodam faciem terſiſſe; atque in eo faciem ſuã impreſſam reliquiſſe, & ſudarium ipſum ſanguine tinctũ, qui per faciem fluebat propter ſpineam coronã.* Sed hæc ratio non planè conuincit: potuit enim ſanguis ex præteritis adhuc recentibus ſpinarũ vulneribus fluere; præſertim cum Deipara S. Brigittæ dixerit: *Eunte filio meo ad locum paſſionis, alij percuſſerunt eum in collo, alij in faciem ceciderunt: & tàm fortiter, & valenter percuſſus eſt; vt licet ego non viderim percutientem, audiui tamen clarè ſonitum percuſſionis.*

Suarius ſupra ſect. 4

S. Brigitta l. 1. c. 10.

D 755. Secundò Suarius ait: *Poteſt reddi probabilis ratio, quare exuerunt eum chlamyde, non verò abſtulerint coronam ſpineam; quia veſtis illa purpurea fortaſſe erat alicuius valoris, & erat aliena, & fieri potuit, vt proprius Dominus eam recuperare voluerit. Quæ ratio in corona ſpinea locum non habet.* Sed contra eſt, quia chlamis illa probabilius fuit vilis, & detrita gregarii alicuius militis: ſi enim alicuius valoris fuiſſet, eam auari milites ſanguine, & ſputis aſpergendam non adhibuiſſent. Ratio ergo cur Domino chlamydem detraxerint, non autem ſpineam coronam, eſt; quia Dominũ ſub propriis veſtibus noſci à populo, ab eoque illudi voluerunt: Spineã verò coronam reliquerunt, vt in pungentium ſpinarum cruciatu Do-

E minus perſiſteret. Porrò ex allato B. Virginis teſtimonio dicentis, poſt crucifixionem *aptauerunt coronam de ſpinis capiti eius*, colligitur ad Dominum inconſutili veſte ſpoliandum, coronam, quæ, vt ſupra diximus, inſtar pilei eius frõtem, & tempora ambiebat, fuiſſe ſublatam, deinde iterum capiti aptatam: ex quo vehementer Domino capitis dolor renouatus, & auctus eſt, nouaque ab infixis ſpinis vulnera ſunt inflicta: ita vt verè nominus de impia turba ſub Iobi perſona dicere potuerit: *Concidit me vulnere ſuper vulnus.* De homine deſcendente ab Ieruſalem in

Iob. c. 16. 15 Iericho, dicitur Luc. 10. 30. *Incidit in latrones, qui etiam despoliauerunt eum & plagis impositis abierunt semiuiuo relicto.* Christus Dominus, cum à cœlesti Ierosolyma in terram descendisset, in impios latrones incidit, qui eum propriis vestibus despoliauerunt, plagisque impositis crucifixerunt. Habuit spoliatus, & saucius viator ille, qui eius vulneribus vino, & oleo mederetur; eiusque vulnera alligaret. At Christo Domino spoliato, & saucio vulnera alligata non sunt, sed renouata: eique vinum, & oleum in medelam non est datum; sed ad eum amaricandum, & cruciandum vinum cum felle mixtum propinatum est.

Christo vulnera renouata.

756. Dominum cruci affixum contemplando exclamare cum Augustino debemus: *Quid cōmisisti, dulcissime puer, vt sic iudicareris? Quod scelus tuum? Quæ noxa tua, quæ causa mortis? Quæ occasio tuæ damnationis? Ego sum tui plaga doloris, tuæ culpa occisionis. Ego tuæ mortis meritum, tuæ vindictæ flagitium. Ego tuæ passionis liuor, tui cruciatus labor. O mirabilis censura conditio! Peccat iniquus, & punitur iustus: Delinquit reus, & vapulat innocens: Offendit impius, & damnatur pius: quod meretur malus patitur bonus: quod perpetrat seruus exoluit Dominus: quod committit homo sustinet Deus. Quò nate Dei, quò tua descendit humanitas? Quò tua flagrauit charitas? Quò processit pietas? Quò tunc attigit amor? Quò peruenit compassio? Ego iniquè egi, tu pœna mulctaris: ego facinus admisi, tu vltione plecteris: ego crimen edidi, tu tortura subiceris: ego superbiui, tu humiliaris: ego tumui, tu attenuaris: ego inobediens exstiti, tu obediens scelus inobedientiæ luis. Quid Rex meus & Deus meus, quid retribuam tibi pro omnibus, quæ retribuisti mihi? Non enim inueniri potest in corde hominis, quòd condignè talibus referatur præmijs: nec est creaturæ molitis officium, quo iustè creatori recompenset præsidium. Est autem, nate Dei, in hac tua mirabili dispensatione, est cui fragilitas mea in aliquo suppeditet; si tua visitatione compuncta mens carnem suam crucifigat cum vitijs, & concupiscentijs.*

Augustinus Medit. c. 6.

757. Idem August. lib. de Virgin. vnicuique fidelium ait: *Inspice vulnera pendentis, sanguinem morientis, pretium redimentis, cicatrices resurgentis. Caput habet inclinatū ad osculandum, brachia extensa ad amplectendum, totum corpus expositum ad redimendum. Hæc quanta sint cogitate: hæc in statera vestri cordis appendite; vt totus vobis figatur in corde, qui totus pro nobis fixus fuit in cruce.* Deipara lib. 2. c. 26. Reuel. S. Brig. vnumquemque fidelem sic sibi dicere debere docuit: *Dominus Iesus Christus fuit nudatus, & derisus; quomodo ergo decet, vt ego seruus vestiar delicatioribus?* Eodem capite Christus Dominus, quæ vestes apud pios esse debeant, docuit: *Debent tibi esse vestes sub triplici genere. Primò vestimentum lineum, quod nascitur, & crescit de terra: Secundò pelliceum, quod fit de animalibus: Tertiò sericum, quod fit de vermibus.* Quæ omnia ad sensum spiritualem & mysticum ibi aptata legi possunt.

Vestes, quibus fideles vti debeant.

Iesus autem dicebat: Pater dimitte illis; non enim sciunt quid faciunt. Lucæ 23. 34.

758. DVm milites nudati Domini vestes sibi diuidebant, ipse humani generis Redemptor viscera misericordiæ indutus, suis pro crucifixoribus æternum Patrem ardenter obsecrans orauit; curamque salutis inimicorum, matris, dilectique discipuli curæ præposuit. Audi Augustin. ser. 4. de Sanctis: *Nonne post tanta, quæ in eum commiserunt impij Iudæi, qui retribuebant mala pro bonis, pendens in cruce ait: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt? Orauit in homine, qui exauditus est in Patre. Quando in cruce pendens orabat, videbat, & præuidebat omnes inimicos; sed multos ex illis futuros amicos præuidebat; & ideo veniam omnibus postulabat. Illi sæuiebant, & ille orabat. Illi dicebant Pilato: crucifige: ille clamabat: Pater ignosce. In asperis clauis pendebat, sed lenitatem non amittebat. Illis iam petebat veniam, à quibus tantam accipiebat iniuriam. Illi sæuiebant, illi circumlatrabant, illi insultando caput agitabant, quod sanum non habebant: quia caput, quod est Christus, non habebant: & quasi in vno summo medio constituto phrenetici circumquaque sæuiebant: pendebat ille, & sanabat: pendebat, & tamen petebat: & non descendebat; quia de sanguine suo medicamentum phreneticis faciebat. Denique post resurrectionem sanauit, quos pendens immanissimos tolerauit: & sanguinem, quem fuderunt sæuientes, biberunt credentes: & facti sunt sequentes, qui erant persequentes.* Pergit ibi Augustinus fideles hortari, vt ex Christi imitatione inimicis parcere discant.

Christus inimicorum salutis curā, matris, dilectique discipuli curæ præposuit.

759. Ea in oratione vt efficacius suis persecutoribus veniam Dominus posceret, Deum benigno, & tenero patris nomine appellauit: cum aliter pro se orans paternum affectum non implorauerit, sed dixerit *Deus, Deus meus.* Secundò persecutorum culpam excusauit dicens: *Nesciunt quid faciunt*: & antea etiam discipulis, quos Iudæi persecuturi erant, dixerat: *Hæc facient vobis, quia non nouerunt Patrem, neque me.* Domini exemplum secutus S. Petrus etiam ex ignorantia Iudæos excusauit dicens: *Nunc, fratres mei, scio, quòd per ignorantiam fecistis, sicut & Principes vestri.* Similiter S. Paulus de Domini crucifixione dixit: *Qui habitabant Ierusalem, & Principes eius, hunc ignorantes, & voces Prophetarum, petierunt à Pilato, vt interficerent eum.* Quæritur autem hic qualis fuerit hæc Iudæorum ignorantia de qua Christus ait: *Nesciunt quid faciunt.* Respondet S. Thom. tertia p. Q. 47. a. 6. *Principes Iudæorum cognouerunt Christum; & si aliqua ignorantia fuit in eis, fuit ignorantia affectata, quæ eos non poterat excusare: & ideo peccatum eorum fuit grauissimum, cum ex genere peccati, tùm ex malitia voluntatis. Minores autem Iudæi grauissimè peccauerunt quantùm ad genus peccati: in aliquo tamen diminuebatur eorum peccatum propter eorum ignorantiam. Vnde super illud Lucæ 23. Nesciunt quid faciunt, dicit Beda: Pro illis rogat, qui nescierunt, quid facerent. Multò magis fuit excusabile peccatum Gentilium, per quorum manus crucifixus est, qui legis scientiam non habebant. Dicendum ergo, quòd excusatio illa Domini non refertur ad Principes Iudæorum, sed ad minores de populo.* Circa quam sancti Thomæ sententiam duo occurrunt. Primò cum dicitur: *Principes Iudæorum cognouerunt Christum*; dicendum potius videtur, Principes Iudæorum cognoscere quidem Christum potuisse; sed ex valde culpabili ignorantia actu eum, vt Messiam Christumque in lege promissum, & multò minus, vt naturalem Dei filium non cognouisse, & credidisse. Quod patet ex Lucæ 22. 66. vbi Domino

Ioan. c. 16. 3

Act 3. 17.

Act. 13. 28.

Iudæorum ignorantia Christum crucifigentium qualis fuerit: hic, & sequ.

dicentibus Senioribus populi, Principibus Sacerdotum & Scribis: *Si tu es Chriſtus, dic nobis: ait illis: Si vobis dixero, non credetis mihi.* Secundò, quamuis S. Thomas cum Beda, cui addi poteſt Iuſtinus Q. 108 dicat: *Excuſatio illa Domini non refertur ad Principes Sacerdotum, ſed ad minores de populo:* videtur probabilius dicendum Chriſtum pro omnibus oraſſe. Primò quia hac in oratione exemplum nobis inimicos diligendi, & pro eis orandi præbuit, iuxta id quod mandauerat Matth. 5. *Diligite inimicos veſtros: orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos.* Quare ſicut in hoc Domini mãdato, inimicus, & perſecutor nullus eſt excipiendus, ita perſecutorem nullum Dominus ſua in oratione excepit. Quemadmodum vniuerſalis etiam pro lapidantibus ſibique infeſtis omnibus S. Protomartyris oratio fuit cum dixit: *Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Act. 7. 59.

760. Dices, poſitis Prophetarum vaticiniis, & Chriſti miraculis, eiuſque vitæ ſanctitate, ſanctæque doctrinæ illuminatione, Principum Iudæorum, vt benè S. Thomas ait, ignorantia affectata fuit, quæ eos non poterat excuſare: ideoque Chriſtus Dominus dixit Ioan. 15. 22. *Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum nõ haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo.* Quæritur ergo, cur Iudæorum ignorantia ad eorum peccatum excuſandum, & minuendum à Domino affertur? Reſpondetur peccantes ex culpabili ignorantia, reſpectu conſequentium ex tali ignorantia peccatorum, peccare in cauſa. Peccatũ autem in cauſa non ſẽper eandẽ grauitatem habet, quam haberet actu commiſſum. Patet hoc in Gentilibus, qui quãuis in multa peccata incurrant, eo quòd culpabiliter Chriſtianam fidem non amplectantur, tamen illorum peccata excuſationem aliquam habent, quòd peccantes Chriſtianæ fidei illuminationem non habeant. Contra verò fidelium peccata poſt fidei illuminationẽ grauiora ſunt, ideoque Petrus Apoſtolus ait: *Melius erat illis non cognoſcere viam iuſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum conuerti ab eo, quod illis traditum eſt, ſancto mandato.* Quamuis ergo ex culpabili ignorantia Chriſtum verum Meſſiam, Deique filium eſſe Iudæorum Principes non cognoſcentes, eum crucifigi voluerint; nihilominus hoc eorum peccatum maius fuiſſet, ſi Chriſtum vt verum Meſſiam, Deique naturalem filium apertè cognoſcentes crucifixiſſent. Ideo Apoſtolus ait: *Loquimur Dei ſapientiam in Myſterio; quã nemo Principum huius ſeculi cognouit: ſi enim cognouiſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.*

Petri epiſt. 2. c. 2. 21.

Ad Corint. 1. c. 2. 7.

761. Ex dictis patet Dominum hîc excuſantem Iudæorum peccatum, *quia neſciunt quid faciunt:* eumdemque Dominum dicentem Ioan. 15. ipſos Iudæos excuſationem non habere, ſibi non contradicere. Hîc enim loquitur de excuſatione minuente peccati grauitatem; ibi verò loquitur de excuſatione omnimoda circa peccatum. Dices ex ignorantia, Iudæorum peccatum nullo modo excuſari poſſe. Nam 21. Matth. 38. ſub parabola Deus Pater inducitur à locata agricolis vinea, hoc eſt à fidelium Eccleſia Sacerdotibus, & Principibus Hebræis fructus exigere volens, ideoque ibi poſt miſſos fruſtra ſeruos, hoc eſt Prophetas, cum nouiſſimè filium ſuum miſiſſet, ait: *Verebuntur filium meũ.* Ingrati autem agricolæ dixerunt: *Hic eſt hæres, venite occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius.* Ergo Hebræorum Sacerdotes, & Principes ſub agricolarum nomine ſignificati, Chriſtum, vt hæredem, adeoque vt Dei filium agnouerunt. Reſpondetur primò ex communi interpretum ſententia, in parabolis non omnia ad amuſſim ad ſignificationem rei per parabolam intentæ eſſe applicanda. Reſpondetur ſecundò cum Agricolæ aiunt: *Hic eſt hæres, venite occidamus eum;* ſenſus eſt: Hic eſt, qui ſe hæredem eſſe ait; hunc ergo, ſicut antea præmiſſos ſeruos, occidamus: & hoc experimento alii, ſiue vt ſerui, ſiue vt hæredes ad nos venire non audebunt.

Euangelii textuum conciliatio.

Parabolæ verba non omnia ad amuſſim ad rem ſignificatam ſunt aptanda.

792. In cruce Domini pro inimicis oratio tam inſigne diuinæ eius charitatis argumentum fuit, vt Iſaiæ 53. cum plurima de Domini paſſione dixiſſet, extremo tandem loco, tamquam quid omninò eximium addidit: *Pro tranſgreſſoribus rogauit. Qui inimicum interficit, donandus eſt Paradiſi deliciis,* impius Mahometes in Alcorano pronunciauit. At Chriſtus Dominus pro inimicis interfectus, tamquam ſupremus Rex Paradiſi deliciis fruitur; eaſque ſuis pluribus inimicis, pro quibus orauit impertiit. De inimicorum dilectione, & pro iis oratione plura habentur fer. 3. poſt cineres. Marci 6 Cum ad Herodis aures Chriſti nomen, eiuſque miraculorum fama perueniſſet, deceptus dixit: *Ioannes Baptiſta reſurrexit à mortuis; & propterea virtutes operantur in illo; quem ego decollaui Ioannem, hic à mortuis reſurrexit.* Vbi mirum profectò eſt, cur Herodes iniuriæ per iniquam necem Ioanni illatæ bene conſcius, eumque rediuiuum exiſtimãs, & proinde vindictam ab eo timere debens, non tentauerit eum iterum ſua ſub poteſtate redigere; vel ſi id non auderet, cur ſaltem precibus ſibi placatum reddere non ſtuduerit. Id profectò aliunde prouenire non potuit, quàm ex certa ipſius iniqui Herodis exiſtimatione putantis ſanctos viros, qualem Ioannem habebat, omnino eſſe à propriis vlciſcendis iniuriis alienos.

Chriſti inter mirabilia oratio pro inimicis, vt eximia ponitur.

Sancti viri ab vlciſcendis iniuriis alieni. Mat. 27. 56

Et ſedentes ſeruabant eum.

763. Cum duo Saülis filii, & quinque eiuſdẽ nepotes affixi in cruce penderent, de Reſpha Saulis filiorum matre dicitur 2. Reg. 21. *Tollens Reſpha cilicium ſubſtrauit ſibi ſupra petrã, ab initio meſſis, donec ſtillaret aqua ſuper eos de cælo.* Poſt ſex menſes horum corpora è cruce depoſita fuiſſe, & ſepulturæ mandata Hebræi tradunt. Pia igitur mater ſex menſes, nempe à Martio, quo menſe in Palæſtina eſt meſſis initium, vſque ad Septembrem, quo ibi pluuiæ incipere ſolent, in pio cuſtodiendi filiorum, aliorumque corpora officio perſtitit; ne à rapacibus volucribus diſcerperentur. Quam diuerſo fine, & affectu impii Iudæi, & milites Dominum cruci affixũ ſeruabant; ne ſcilicet ab aliquo ante eius mortem è cruce deponeretur; vt in cruce pendens eius confixæ clauis manus magis, magiſque lacerarentur: idque non donec ſtillaret aqua de cœlo; ſed donec ex confoſſo Domini latere ſanguis, & aqua defluxit. Reſphæ ſtrepitu licuit voraces aues à filiorum laceratione arcere: at Deiparæ ardentibus gemitibus è crucis patibulo, vbi eius ſanctiſſimus filius opprobriis, & inflictis plagis lacerabatur, impios milites arcere non licuit.

Reſphæ eximius erga filios amor.

Et imposuerunt super caput eius causam ipsius scriptam: Hic est Iesus Rex Iudaeorum.

Ioan. 19. 19. Christus in opprobriũ Nazarenus dicitur.

764. IDem titulus ex S. Ioãne sic scriptus habetur: *Iesus Nazarenus Rex Iudaeorum.* Probabile enim est Pilatum Domini patriam in titulo indicare voluisse; idque suggerentibus Iudæis in Christi opprobrium: Nazareth enim apud Iudæos locus erat ignobilis, & cõtemptus; ita vt propterea Nathanael dixerit Ioan. 1. 46. *A Nazareth potest aliquid boni esse?* Sed nesciens quid diceret verè Nathanael negando dixit: *A Nazareth potest aliquid boni esse?* A Nazareth enim non aliquid boni cum limitatione, sed omne bonum prodiit; nempe Christus Dominus in ea vrbe conceptus. De Christo enim Domino iuxta Tertull. & Augustinum Mosi Deus dixit: *Ego ostendam omne bonum tibi*, Exodi 33. 19.

Tertull. lib. 4. contra Marcionem c. 22. Nazianz. Orat. 2. de Theologia August. l. 2. de Trinit. c. 19.

765. Integer Domini titulus qualis fuerit, ex ipso titulo, qui Romæ in templo S. Crucis asseruatur, colligi non potest, cum ibi tantum *Nazarenus* perfectè legatur; reliqua autem verba vetustate exesa legi nequeant: probabile autem est integrum scriptum titulum talem fuisse: *Hic est Iesus Nazarenus Rex Iudaeorum.* Quamuis enim Gretserus, Pagninus, Bosius, & Suarius, in quorum sententiam propendet Cornelius, censeant scriptum non fuisse: *Hic est*: quia id satis significabatur ex eo quòd in cruce, vbi Christus pendebat, talis inscriptio affixa fuerit: Nihilominus probabiliter oppositũ censeo. Sicut enim Christus Dominus gloriæ in monte Thabor ignominiam in Caluariæ monte contraponi voluit; ita præclaro illi æterni Patris testimonio prius prope Iordanem, deinde in monte Thabor prolato: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui*: & alteri acclamantis populi testimonio: *Hic est Iesus Propheta a Nazareth*; titulum crucis opponi voluit, in quo per ludibrium dicebatur: *Hic est Iesus Nazarenus Rex Iudaeorum.* Quod confirmatur ex eo quòd duo Euangelistæ Matthæus, & Lucas duas illas particulas: *Hic est*, ponant. Præterea idem probari potest ex consueto vsu inscriptionum, quibus ad mortem damnati indicabantur. Refert enim Euseb. lib. 5 Eccles. Histor. sub Marco Aurelio, & Vero S. Martyrem Attalum vndique per amphitheatrum circumductum, tabulâ, in qua Latinis litteris hæc erat inscriptio, præcedente: *Hic est Attalus Christianus.* Præterea nostro tempore, vbi ad indicandum reum non inscriptio, sed tubicinis vox adhibetur, quamuis reus inter satellites laqueo ad collum alligato videatur; tubicen eius nomen, & damnationis causam manifestando, semper præmittit: *Hic est*, sed quod criminosis damnatis ignominiosum est, sanctis Martyribus Christi Domini passionem imitantibus, coram sanctis Angelis,

Christi in cruce titulus quomodo scriptus. Suarius supra. sect.

Matth. c. 3 Matth. 17 Matth. 21

Quàm pulchrum est populo monstrari, & dicier: Hic est. Inter hos superiori seculo fuere SS Paulus, Ioannes, & Iacobus è Societate Iesu, cum pluribus aliis SS. Martyribus, qui supra rusticos currus cum ad crucis mortem ducerentur, ante eos tabella præferebatur, in qua eorum mortis sententia sic erat inscripta. *Hi ad crucem damnantur, quod contra Iaponiæ Imperatoris iussum Christi legem amplexi sint, eamque prædicauerint.* Præsenti autem sæculo anno Domini 1637. Pater Franciscus Marcellus Mastrillus è nostra Societate, cum etiam à

Ex litteris P. Petri Gomez anno Dom. 1597. S Martyres Paulus, Iacobus, & Ioannes, & P. Marcellus Mastrillus quo inscripto titu-

A Iaponibus ad mortem duceretur, eius humero charta affixa est, in qua hæc mortis sententia legebatur: *Hic demens ad mortem ducitur iussu M. Iaponiæ Imperatoris Xonguni quòd in Iaponiæ regno ad exteram prædicandam legem venerit, contra Xachæ, Amydæ, aliorumq; Fatbochorum leges. Ad eum spectandum omnes conueniant; in eiusque persona alij discant.*

lo ad Martyriũ ductus. Ex eius vita à Patre Leonardo Cinnamo scripta.

766. Plures S. Patres censent tantum in Christi cruce sententiæ titulum fuisse affixum. Chrysostomus enim hom. 84. in Ioannem ait: *Cum tres cruces inuenta essent; par est, & quia media erat, & propter titulum Domini crucem agnitã: nam latronum cruces titulum non habebant.* S. Ambros. de S. Helena ait: *Tria patibula confusa reperit. Sed non potuit obliterari Christi triumphus. Inuenit, quia in medio patibulo prælatus titulus erat: Iesus Nazarenus Rex Iudaeorum. Habeat ergo Helena vnde crucem Domini recognoscat.* Similiter Euthymius asserit, *iuxta diuinam omnino prouidentiam titulum super solam Christi crucem positum esse*: & hinc addit: *A titulo potissimùm fuisse cognitam.* Ideo asserit Theophylactus in 19 Ioan. Sed contra est, quia è sacra historia ab Ecclesia in festo Inuentionis S. crucis recepta dicitur: *Alta defossa tres cruces erutæ sunt, repertusque seorsum ab illis crucis Dominicæ titulus: qui cum ex tribus, quibus affixus fuisset, non appareret, eam dubitationem sustulit miraculum.* Præterea non pro certo haberi debet latronum crucibus titulum non fuisse affixum, eo quòd de talibus titulis Euangelistæ non meminerint. Neque enim Euangelistæ latrones propriis vestibus exutos fuisse narrant. Quamuis sine dubio eos nudos crucifixos esse dicendum videatur.

Latrones an titulum inscriptum in cruce habuerint. Ambros. orat. de obi tu Theodos. Euthymius in c. 27. Matthæi.

B

C

767. Quæritur hic vlterius, cur Pilatus scripserit, *Hic est Iesus Nazarenus Rex Iudaeorum*: & non potius scripserit, vt Iudæorum Pontifices contendebant: *Hic est Iesus Nazarenus, qui dixit: Rex sum Iudaeorum?* Respondet Augustinus talem sententiæ titulum scripsisse Pilatum, *Vt exprobaret frontem Iudaeorum, quod à Rege suo manus non abstinuerunt.* Quare contendentibus Iudæis, vt titulus mutaretur, iuxta Augustinum *Respondit eis Pilatus: Quod scripsi scripsi. Quid suggeritis mihi falsitatem? ego non corrumpam veritatem.* Similiter Chrysostomus hom. 84. in Ioannem ait: *Scripsit titulum Pilatus, tum vt Iudaeos vlcisceretur, tum vt Christum excusaret. Nam cum tamquam prauum tradidissent, & sententiam hanc latronum societate confirmare vellent; ne quis tam turpem mortis notam inuréret, & tamquam malum, & perditum Christum accusare posset; vt calumniantium os obstrueret, in Regem suum Iudaeos insurrexisse denunciat: & tamquam trophæo cuidam, nempe cruci, literas insculpsit clara voce, & victoriam, & regnum profitentes, quamuis non perfectè. Hoc autem ægre ferebant Iudæi.* Ex his Patrum testimoniis aliqui existimarunt titulum eo modo scripsisse Pilatum, eo quòd verè cognouerit Christum esse verum Regem, & propterea Iudæis dixerit: *Ecce Rex vester*; & *Regem vestrum crucifigam?* Sed contra est, quia esto Pilatus Christum siue ex prosapia, siue ex quocumque alio capite verè Iudæorum Regem esse cognouisset; non tamen id manifesto titulo testari voluisset: id enim testando sibi ipsi, & Romano Imperio maximæ iniustitiæ notam inussisset; quòd scilicet legitimum Iudææ Regem, & ipsius

Ioan. 19 21.

D

August. in Ps. 56. Pilatus cur Christum Iudæorum Regem in crucis titulo scripserit hic. & sequ.

E

Ioan. 19.

Pilati testimonio innocentem in infamem crucis mortem tradidisset. Bonæ enim & Pilati, & Romani imperii existimationi conducebat; quòd fictus, non verus Iudæorum Rex ad mortem damnatus esset; præsertim, cum vt fictus, non vt verus Rex ab ipsis Iudæis habendus diceretur; qui testabantur: *Non habemus Regem, nisi Cæsarem.* Præterea cum Dominus consanguineos, fratresque haberet, de quibus diximus Fer. 3. Dom. Pass. Vtique suspicioso Tiberio valdè displicuisset Dominum Pilati testimonio verum Iudæorum Regem declaratum fuisse. Domino enim sublato, adhuc eius fratres, & consanguinei remanebant; qui ne Iudæorum regnum ad se iusto titulo pertinere assererent, illudque; si occasio daretur, obtinere tentarent, Tiberius timere poterat. Benè enim Augustinus de Pilato ait: *Apertissimè contra Cæsarem venire videretur, si Regem se non habere, nisi Cæsarem, profitentibus, alium Regem vellet ingerere.* Quare cum Pilatus dixit: *Regem vestrum crucifigam?* &, *Ecce Rex vester*; id non verè asserendo; sed eo sensu dixisse putandum est, quo dixerat: *Ecce homo*: scilicet, vt ad commiserationem Iudæos flecteret, eorumque refelleret calumniam, Iudæisque quasi irridendo diceret, omninò verisimile non esse tam abiectum hominem, & nemine auxilium ferente acerbissimè flagellatum se Regem facere voluisse.

Ioan. 19. 15.

Aug. in Ioā. Tract. 116.

768. Respondet 2. Suarius *Pilatum non intellexisse Christum esse Regem eo modo, quo nos credimus eum esse Regem, & supremum Dominum totius mundi, aut etiam Iudæorum. Quia tamen certò sciebat Christum esse innocentem, & ab ipsomet audierat se Regem esse cum dixit: Regnum meum non est de hoc mundo; non credidit ipsum mentiri; sed confusè intellexit eum habere inter Iudæos regiam dignitatem alterius rationis à regno temporali, pertinentem ad ritum Iudaicum; sicut Pontifices, & Prophetæ habebant inter Iudæos singularem excellentiam, & dignitatem. Itaque verisimile est intellexisse Christum iuxta religionem Iudæorum fuisse virum ab illorum Deo missum, eique datum, vt in rebus ad religionem pertinentibus eos instrueret, & gubernaret: atque hoc sensu, aliouè simili vocasse illum Regem Iudæorum; atque ita non in Christi ignominiam, & accusationem; sed potius in excusationem, & honorem, atque Iudæorum opprobrium, & indignationem hunc titulum posuisse: erat enim illis infensus, propterea quod in procuranda morte innocentis ei fuerant molestissimi.* Sed contra hanc etiam sententiam militat ratio supra allata. Quia esto, quòd Pilatus eo modo, quo Suarius ait, Christum Regem esse cognouerit; non tamen eum Regem publico titulo nominasset, cum tale nomen iuxta consuetum vsum dominium simpliciter non solummodo regimen circa ea, quæ ad religionem spectant, significet. Dicendum ergo est Pilatum eo titulo significare voluisse causam cur Christum ad mortem damnauerit, scilicet, quòd iuxta Iudæorum testimonium se eorum Regem facere voluisset. Sed vt breuitati studeret, non scripsisse: Hic est Iesus Nazarenus, qui se Iudæorum Regem facere tentauit; sed: *Hic est Iesus Nazarenus Rex Iudæorum.* Affirmando autem: *Hic est Iesus Rex Iudæorum*, soluit talem affirmationem per irrisionem dictam esse intelligi. Simili modo cum Adam vetiti pomi comestione Dei similitudinem affectasset, nec eam vllo modo consecutus esset, ei Deus non dixit: Ecce Adam, qui se quasi vnum ex nobis facere voluit; sed per irrisionem dixit: *Ecce Adam, quasi vnus ex nobis.* Verissimum tamen est, quod per ironiam Pilatus scripsit, ad apertissimum de Christo testimonium Spiritum sanctum direxisse; scilicet ad Christum, vt Dei filium rerum omnium Dominum, & Regem esse, testandum. Ideo admirans diuinam prouidentiam, ex ipsius Pilati ore, quo Dominum damnauerat, veritatem de Christi regno extorquentem exclamat Augustinus: *O ineffabilem vim diuinæ operationis, etiam in cordibus ignorantium!* Quare cum Iudæi Pilato dixissent: *Noli scribere, Rex Iudæorum*; Pilatus, quem scripserat titulum mutare noluit, respondítque: *Quod scripsi scripsi.* Id præsignificatum iam erat Psalm. 56. De quo Psalmo Augustinus ait: *Psalmus iste passionem Christi cantat.* Titulus huius psalmi iuxta Augustinum talis est: *Ne corrumpas tituli inscriptionem.* Idque interna cogitatione dictum esse Pilato censet Augustinus, ideo ait: *Nonne occulta vox quædam Pilato intus quodam, si dici potest, clamoso silentio personabat, quod tanto ante in psalmorum literis prophetatum est: Ne corrumpas tituli inscriptionem. Ecce titulum inscriptionis non corrumpit; Quod scripsit scripsit.*

Suar. supra sec. 2.

Gen. 3. 22.

Aug. tract. 117 in Ioan.

Aug. tract. 117 in Ioan.

769. Subdit ibi Augustinus: *Iudæorum tantùm Rex est Christus, an & Gentium? Immo & Gentium: Cur ergo magnum volumus intelligi in hoc titulo Sacramentum, in quo scriptum erat, Rex Iudæorum, si Rex est Christus & Gentium?* Respondet Augustinus: *In eo, quod de Christo veraciter scriptum est in titulo, Rex Iudæorum, qui sunt intelligendi Iudæi, nisi semen Abrahæ, filij promissionis, qui sunt etiam filij Dei? Quoniam non qui filij carnis, ait Apostolus, hi filij Dei; sed qui filij promissionis deputantur in semine. Et Gentes erant, quibus dicebat: si vos Christi, ergo Abrahæ semen estis, secundum promissionem hæredes. Rex ergo Iudæorum Christus, sed Iudæorum circumcisione cordis, spiritu non litera.* De hoc Domini titulo Lucas ait: *Erat superscriptio scripta super eum literis Græcis, & Latinis, & Hebraicis.* De Iudæis autem contra Dominum dicitur: *Acuerunt linguas suas sicut serpentis.* Trisulcis linguis furere serpentes videntur; Iudæi acuentes in Dominum linguas suas sicuti serpentis, ter iuxta Ioannem Pilato dixerunt: *Crucifige eum*: vt ter iteratis vocibus ab impiis Iudæorum linguis Domini gloria opponeretur, tergeminis linguis Latinis, Græcis, & Hebraicis, Dominus Iudæorum Rex in crucis titulo est appellatus, & post passionem factum est, vt *omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris.*

Ad Rom. c. 9. 7.

Ad Galat. c. 3. 29.

Lucæ 23. 38.

Psal. 139. 4.

Ad Philip. cap. 2.

Tunc crucifixi sunt cum eo duo Latrones, vnus à dextris, & vnus à sinistris.

771. Benè Tostatus parad. 3. cap. 44. ait: *Euangelistæ manifestè signant latrones eadem vulnera, quæ Christus tolerauit suscepisse. Nam sicut eum dicunt crucifixum, ita de latronibus confitentur, vt patet Ioan. 19. cum dicitur: Crucifixerunt Iesum, & duos latrones cum eo: sicut hic ipse clauis fixus est, ita & illi: aliter crucifixi minimè dicerentur; nam crucifixus cruci affixus dicitur; affixio autem sine clauis non fit. Si igitur crucibus alligati forent, crucifixi minimè dicerentur.* Quare benè ibidem Tostatus monet. *Ne quisquam existimet Latrones cum Christo pendentes nullis clauis in manibus & pedibus vulnera pertulisse, dicens eos funibus alligatos cruci; sicut in*

Latrones clauis etiam cruci affixi.

Ecclesiis insipienter valde pictores describunt. Hoc autem quorumdam introductum indiscreta deuotione reor; volunt enim pœnas Domini Iesu à pœnis latronum distinguere. Contra hunc pingendi visum præter allatam rationem, aliam affert Tostatus dicens: *Iudæi latrones, vt morerentur, cum Christo appenderunt; sed si solùm manus, & pedes cinctibus ligati forent, nullo alio inflicto nocumento, nisi per longam temporis expectationem non morerentur; itaut prius fame confecti, quàm doloribus exanimati viderentur.* Hæc ratio efficaciter non conuincit; responderi enim potest crurum fractione eorum mortem fuisse accelerandam, vt verè accelerata fuit. Porrò latronum clauis confixio probatur etiam auctoritate Patrum; nam Augustinus serm. 130. de tempore, de bono latrone ait: *In semetipso erat clauis confixus; & non saucium intellectum, neque confixum sensum habebat.* Chrysost. hom. 1. de Cruce, & Latrone: *Quòd mente sana vigilabat clauorum confixione constrictus, quis poterit non admirari?* De eodem Gregor. 18. mor. 25. *In cruce claui manus, pedesque eius ligauerunt; nihilque in eo à pœnis liberum, nisi cor, & lingua remanserat. Inspirante Deo totum illi obtulit, quod in se liberum inuenit.*

771. Inter Domini in eius passione opprobria extremo loco numerat Isaias 53. *Cum sceleratis reputatus est. Cum eo crucifigunt duos latrones: & impleta est scriptura, quæ dicit: & cum iniquis reputatus est*, ait S. Marcus: Habacuc cap. 3. vers. 2. Iuxta Septuaginta dicitur: *In medio duorum animalium cognosceris:* Quod vaticinium de Christo Domino inter bouem, & asinum in Bethlemio præsepi reclinatum plures SS. Patres intelligunt; itaut propterea dixerit Isaias cap. 3. *Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui.* Ideo Ambrosius de Domino recens nato loquens ait: *Infantis audis vagitus, non audis bouis Dominum agnoscens, mugitus? Agnouit enim bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui.* Similiter Augustinus: *Dic tu, Habacuc Propheta, testimonium de Christo. Domine, inquit, audiui auditum tuum, & timui: considerauì opera tua, & expaui. Quæ opera Dei iste miratus expauit? Numquid fabricam mundi iste miratus expauit? In medio, inquit, duorum animalium innotesces. Quia Verbum, per quod facta sunt omnia in præsepio tacuisti. Agnouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui. Hinc Ecclesia canit: In medio duorum animalium iacebat in præsepio, & fulgebat in cœlo.* Magna quidem fuit Domini humiliatio, quòd in præsepio inter duo animalia natus sit: sed multo maior, quòd in crucis patibulo inter duos latrones mori voluerit.

Marcus c. 15. 28

Christus inter duo animalia nascitur; inter duos latrones moritur.

Ambros. in Lucam c. 2.

Aug. orat. contra Iudæos, & Paganos c. 13.

In Officio Circumcisionis.

772. Exod. 25. Deus Mosi præcepit: *Facies Propitiatorium de auro mundissimo: duos quoque Cherubim aureos ex vtraque parte oraculi. Inde præcipiam, & loquar ad te supra Propitiatorium, ac de medio duorum Cherubin.* De duobus his Cherubim intelligit Theophylactus allatum Prophetæ vaticinium: *In medio duorum animalium innotesces.* Deus ergo, qui olim inter duos Cherubim suum solium collocauit, idem assumpta humana carne pro humana redemptione duos inter latrones suum figi crucis patibulum voluit. Inde non ad Mosem, sed ad vniuersum humanum genus loquitur; & quid pro nobis passus sit; & quid, vt tam eximiæ charitati grati simus, faciendum nobis sit, memorat. Inde mortalis vitæ contemptum; inde cœlestis patriæ, eius morte acquisitæ desiderium docet.

Prætereuntes autem blasphemabant eum mouentes capita sua.

773. Blasphemare non solùm maledicta iacere, sed vituperare, & opprobriis afficere significat. Sic Epist. 2. S. Petri cap. 2. dicitur: *Per quos via veritatis blasphemabitur*, idest diuinum, & Christianum viuendi institutum vituperabitur, & damnabitur. Dominus in se iacta conuicia, & irrisiones, dum in cruce penderet, præuidens dixit Psalm. 21. 8. *Ego autem sum vermis, & non homo; opprobrium hominum, & abiectio plebis, omnes videntes me deriserunt me; locuti sunt labiis, & mouerunt caput.* Quare Cassiodorus, aliique sacri interpretes aiunt hoc Psalmo tam apertè recenseri, quæ de Christi passione Euangelistæ narrant; vt non futura, sed veluti transacta videantur; ne quid excusabile perfidis, aut fidelibus relinqueretur ambiguum. Sua ergo in passione Dominus ait: *Ego sum vermis, & non homo*, vbi quia Hebræi similitudinis particulam omissam subintelligere solent, sensus est: ego reputatus sum tanquam vilis è putrida terra vermis, & non homo; *opprobrium hominum, ignominia hominum*, legitur à Tertulliano; & sensus est. In eum vilitatis statum deueni, vt quòd inter homines ego numerer, sibi homines ignominiæ ducant. Propterea vilissimæ plebis abiectio sum; in ipsa scilicet plebe præ cæteris abiectus, & omninò contemptus. *Abiectio plebis, fæx plebis*, legitur à Campensi: *Nullificamen plebis*, legit Tertullianus. Is ergo, qui ex nihilo cœlum, terramque condidit, talis pro nobis habitus est, vt eum nihili æstimandum Iudæorum populus duxerit. Deipara lib. 4. cap. 49. Reuel. S. Brig. de sanctissimi Filii sui passione ait: *Isto tempore patiebatur filius meus, & loquebatur dicens: Ego reputor quasi vermis, qui quasi mortuus in hyeme iacet; in quem transeuntes expuunt, & calcant in humero eius. Sic fecerunt mihi Iudæi, quasi vermi; quia abiectissimus, & indignissimus ab eis iudicatus sum.* De iisdem Iudæis Dominum in cruce affixum irridentibus, & conuiciantibus dicitur Psalm. 108. *Os peccatoris, & os dolosi super me apertum est. Locuti sunt aduersum me lingua dolosa, & sermonibus odii circumdederunt me; & expugnauerunt me gratis.* Vbi Hieronymus ait: *Ego pro ipsis crucifigebar; & illi insultabant mihi. Vulnera mea medicina eorum erat; & videbar illis in derisum. Et expugnauerunt me gratis. Dupliciter intelligitur, gratis, hoc est sine causa. Quæ digna causa erat, vt expugnarent me? Quia sanaueram ægrotos eorum; quia mortuos resuscitaueram; quia alia signa feceram. Vide ergo quoniam gratis expugnauerunt eum. Gratis aliter intelligitur. Voluerunt extinguere, & delere nomen meum; & tamen non potuerunt. Quando aliquis aliquem persequitur, & nihil proficit, & non implet desiderium suum, gratis persequitur.*

Blasphemare non solùm maledicta iacere, sed etiam vituperare significat: hic, & num. 789.

Similitudinis particulã Hebræi omittunt.

Christi mira humiliatio.

Tertull. contra Iudæos cap. 14.

Tertull. li. 3. cõtra Marcionem c. 7. & 17.

774. *Mouentes capita sua.* Capitis motio licèt ad compatiendum, & ad commiserandum interdum fieri solita legatur, vt patet Iob. 16. 15. *Consolarer & ego vos sermonibus, & mouerem caput meum super vos:* nihilominus ad irrisionem, & contemptum etiam caput moueri

Capitis motio vel ad consolandũ, vel ad irridendum fieri solet.

Fit etiã iuxta Gregorii ad admirationem, vt Iob. 42. 11. *Mouerunt ſuper eum caput.*

alibi legitur, vt Eccleſiaſtici 12. 18. *In oculis ſuis lacrymatur inimicus; & quaſi adiuuans ſuffodiet plantas ſuas. Caput ſuum mouebit, & plaudet manu.* Similiter 4. Reg. 19. 21 De Rege Aſſyriorum Deus ait: *Spreuit te, & ſubſannauit te, Virgo filia Sion: poſt tergum tuum caput mouit, filia Ieruſalem.* Ad irridendum ergo Dominum, & ſubſannandum Iudæi capita mouebant; idque iuxta vaticinium Pſalm. 21. ſupra allatum, & Pſalm. 108. 25. *Ego factus ſum opprobrium illis; viderunt me, & mouerunt capita ſua. Inſultando caput agitabant, quod ſanum non habebant*, ait Auguſtinus. Male ſani capitis motio ex noxio aqueo humore caput occupante prouenire ſolet. De peccatore autem dicitur: *Bibit quaſi aquam iniquitatem.* Ex hoc peſtilenti potu Iudæi noxio humore occupatum caput agitabant.

Aug ſer. 4. de Sanctis.

Iob 15. 16.

775. Quòd Dominum Iudæi impiè irriſerint, & ſubſannando capita mouerint, meritas poſtea pœnas luentes, expugnata Ieroſolyma, & in varias regiones exules diſperſi Deo fateri coacti ſunt: *Poſuiſti nos opprobrium vicinis noſtris; ſubſannationem, & deriſum his, qui ſunt in circuitu noſtro. Poſuiſti nos in ſimilitudinem, ſeu in Prouerbium, commotionem capitis in populis.* Hoc eſt: Tam viles, & abiecti æſtimati ſumus; vt nos alii omnes probris afficiant, ſubſannent, & irrideant; itaut Gentium parabola, fabula, & ludibrium facti ſimus; noſque oſtendentes geſtu, capitiſque motione derideant.

Pſal. 43.

Iuxta Hier. epiſt. 135.

Et dicentes: Vah, qui deſtruis templum Dei, & in triduo illud readificas.

776. HÆc interiectio, *Vah*, cui Hebraïca reſpondet *Heahh*, vel iuxta alios *Heah*, dicitur apud Latinos & Græcos *euge*; quare Iob 39. 25. pro particula *vah* Septuaginta poſuerunt *euge*, & viciſſim Pſal. 34. 21. pro gemina particula *euge, euge*, Hieronymus legit *vah, vah*; ſicut etiam Pſalm. 39. 16. & Pſal. 69. 4. *vah* autem, ſeu *euge* non vni ſignificatui deſeruit. Interdum abſolutè bono aliquo, ſibique iucundo lætantis affectum ſignificat. Sic citato capite Iob 39. 25. ad lætitiam ſignificandam, quam generoſus equus audito buccinæ ſono habet, dicitur: *Vbi audierit buccinam, dicit vah.* Efflando enim naribus generoſos ſpiritus *vah* reſonare videtur. Similiter Iſaiæ 44. 16. de eo, qui magna lignorum ſtrue, accenſo igne algentia membra calefacit, dicitur: *Calefactus eſt, & dixit vah.* Vbi pro *vah* Septuaginta legunt: *Dulce eſt mihi*, hoc eſt, gaudeo tam multo igne bene calefieri. *Vah* ergo, ſeu *euge*, idem eſt, ac ſi Latiniè diceremus: *Bene quidem*, ſeu, *rectè ſanè*. Quare interiectio lætantis, & approbantis eſt. Interdum eadem particula *vah* eſt interiectio quidem lætantis, & gaudentis, non tam proprio bono, quàm alieno malo: & tunc inſultantis interiectio eſt; quo ſenſu Iudæi Chriſti crucifixione lætantes dicebant: *Vah, qui deſtruis templum Dei.* Euthymius aſſerit eos apud Antiquos clamaſſe *euge, euge*, quia aſſecuti aliqui eſſent quod optabant. Idem dicendum de particula *vah* à Iudæis Domino inſultantibus vſurpata. Quam iniqua eſſet iſta exprobratio: *Vah, qui deſtruis templum Dei*, patet ex dictis ſupra, cum

Vah, ſeu, quod idem eſt, Euge quid ſignificet.

Euthymius in Pſ. 34. 21.

de falſis teſtibus idem Domino obiicientibus diximus.

Salua temetipſum ſi filius Dei es, deſcende de Cruce.

777. E *Contrario, quia Filius Dei eſt, ideo non deſcendit de Cruce*, benè Chryſoſtomus ait: Perſiſtendo enim vſque ad mortem in cruce, humanum genus, ad quod iuxta æterni Patris voluntatem aduenerat redempturus erat. Deorſum ſe demittere diaboli ſuggeſtio eſt, qui alibi Domino dixit: *Si filius Dei eſt, mitte te deorſum. Conſidera nunc vocem filiorum diaboli, quomodo imitantur vocem paternam. Diabolus enim dicebat: mitte te deorſum, ſi filius Dei es: & Iudæi dicunt; ſi filius Dei es, deſcende de cruce*, ait Chryſoſtomus. Sicut diaboli vox eſt, *Deſcende de cruce*; ita Domini vox eſt: *Tolle crucem tuam*, & in crucem aſcende: ſubeundo ſcilicet cruciatus quoſlibet, & ærumnas, vt diuina voluntas in omnibus à fideli anima impleatur.

Chryſoſt ſer. de Paſſ.

Matth 4. Iudæi imitatores diaboli.

Chryſoſt. ibid.

Matt. 16 24. Diaboli vox: Deſcẽde de cruce Dei vox: Tolle crucẽ.

Similiter & Principes Sacerdotum illudentes cum Scribis, & ſenioribus dicebant. Alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere. Si Rex Iſrael eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei.

778. PEſſimum Hebræorum ſtatum prædicens Dominus Oſeæ 4. 9. ait: *Erit ſicut populus, ſic Sacerdos.* Quod vaticinium hîc impleri cognoſcimus. Tam enim Iudæorum populus, quàm Sacerdotes Dominum illudendo dicebant: *Deſcendat de cruce.* Hi Hebræorum Principes, qui Chriſti miracula negabant, non *Alios ſaluos fecit*, ſed, *Si alios ſaluos feciſſet*, congruenter dicere debebant. Sed Chriſti Domini miracula negando *mentita eſt iniquitas ſibi*; & ex mentito, & inuito ore diuinitus veritas eſt extorta. Bene enim hîc Hieronymus ait: *Etiam nolentes Scribæ, & Phariſæi confitentur, quòd alios ſaluos fecerit. Itaque veſtra vos condemnat ſententia, qui enim alios ſaluos fecit; vtique ſi vellet, & ſeipſum ſaluare poterat.*

Pſal. 26. 12.

Iudæi inuiti Chriſti potentiam teſtantur.

779. Machab. 1. cap. 6. Turres ligneas elephantis impoſitas ab Antiocho Rege Chriſti perſecutores myſticè ſignificare docet Hugo. De ſingulis autem illis ligneis turribus ibi dicitur: *Intus erat magiſter beſtiæ*; nempe diabolus, qui perſecutores in Chriſtum Dominum incitabat, & dirigebat. Hoc magiſtro quàm falſam doctrinam edocti fuerint Iudæi, benè oſtendit S. Leo, ſerm. 4. de Paſſ. dicens. *Quis vobis Magiſter tradidit; quæ doctrina perſuaſit, quòd illum Regem Iſrael, illum Dei filium credere deberetis, qui ſe aut crucifigi non ſineret, aut à confixione clauorum liberum corpus excuteret? Non hoc vobis legis myſteria, aut Prophetarum ora cecinerunt. Sed illud verè legiſtis: Faciem meam non auerti à confuſione ſputorum: & iterum: Foderunt manus meas, & pedes meos; dinumerauerunt omnia oſſa mea. Nunquid legiſtis: Dominus deſcendit de cruce? Sed legiſtis: Dominus regnauit à ligno.*

Diabolus beſtiæ magiſter.

Iſaia 50. 6.

Pſal. 21.

Pſal 45. 10. Iuxta Septuaginta.

780. *Deſcendat nunc de cruce, & credimus ei.* Rurſus his verbis *mentita eſt iniquitas ſibi.* Nam bene Hieronymus ait: *Fraudulenta eſt hæc promiſſio: & credimus ei. Quid enim plus eſt de cruce, adhuc viuentem deſcendere, an de ſepul-*

Pſal. 26. 12.

chro mortuum resurgere? Resurrexit, & non credidistis: Ergo etiamsi de cruce descenderet, non crederetis. A

781. *Descendat nunc de cruce*: Hæc verba audiens B. Virgo, cum bene conscia esset per sanctissimi Filii sui mortem humanum genus esse redimendum; cumque diuinæ æterni Patris voluntati, omnino se conformare vellet; quam vim materno affectui intulit; sanctissimum Filium è cruce non descendere exoptando. Gerson lib. 2. in Magnificat, & S. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 41. tantam B. Virginis cum diuina voluntate conformitatem fuisse dicunt; vt deficientibus crucifixoribus sanctissimum Filium, pro humana redemptione ipsa, B si Deus iussisset, crucifixisset: neque enim minus Dei voluntati obsequens fuisset, quàm Abraham, qui ad proprium Filium immolandum Deo id præcipienti se paratum exhibuit.

B. Virginis eximia cum diuina voluntate cōformitas.

Confidit in Deo, liberet eum nunc, si vult eum. Dixit enim, quia Filius Dei sum.

782. INcreduli isti Iudæi non vt Melissi, sed vt Cholissi malè paralogizabant. Nam ex eo quòd aliquem cruciari Deus sinat, eum diuina protectione, & beneuolentia desti- C tutum esse falsò deducunt. Poterant autem Scribæ, & Pharisæi, nisi voluntariè cæci fuissent, huius deductionis falsitatem à sacris literis, quarum peritiam profitebantur, apertè cognoscere. Primo ex Archangeli Raphaëlis testimonio Tob. 12. 13. *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, vt probatio tentaret te.* Secundo ex iis, quæ passus est Iob *vir simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo.* Tertio ex Salomone c. 3. Sapientiæ: *Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori, & æstimata est afflictio exitus illorum; & quod à nobis est iter, exterminium: illi autem sunt in pace, & si coram ho-* D *minibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. Quoniam Deus tentauit eos & inuenit illos dignos se. Tanquam aurum in fornace probauit illos, & quasi holocausti hostiam accepit illos.*

Paralogismus Iudæorū deducentiū, ex cruciatibus, aliquē Dei amicum non esse: hîc, & seq. Iob. 1.

783. Pharisaïcæ deductionis falsitatem vel solo naturali lumine Seneca cognouit, qui libro de Prouid. cap. 1 ait: *Deus virum bonum in deliciis non habet: experitur, indurat, sibi illum præparat.* Idem cap. 2. videtur directè oppugnare Iudæorum verba: *Deus liberet eum, si vult eum*, cum ait: *Athletæ gaudent, cum fortissimis confligere, cædi, vexarique: Marcet sine aduersario virtus. Deus bonorum amantissimus, qui illos quam optimos, & excellentissimos vult, fortunam illis, cum qua exerceantur, assignat.* E *Non video quid habeat in terris Iuppiter pulchrius, si conuertere animum velit, quàm vt speret Catonem, iam partibus non semel fractis, stantem nihilominus inter ruinas publicas erectum.* Si id de Catone dicitur; quid de mira Domini in passione constantia Philosophus vera illuminatus fide dixisset? Idem cap. 3. ait: *Nihil infelicius eo, cui nihil vnquam euenit aduersi. Indignus visus est, à quo aliquando vinceretur fortuna; quæ ignauissimum quemque refugit, quasi dicat: Quid ego istum mihi aduersarium assumam; statim arma submittet. Ignem experitur in Mutio; paupertatem in Fabricio; exilium in Rutilio; tormenta in*

A *Regulo, venenum in Socrate; mortem in Catone. Magnum exemplum nisi mala fortuna non inuenit. Calamitates, terroresque mortalium sub iugum mittere, proprium magni viri est. Calamitas virtutis occasio est. Gaudeant magni viri aliquando rebus aduersis non aliter, quàm fortes milites bellis triumpho. Auida est periculi virtus. Gubernatorem in tempestate, in acie militem intelligas. Probi dura patiuntur, vt alios pati doceant: nati sunt in exemplar.* Ibidem à Seneca fortes viros sic alloquens Fortuna inducitur. *Aliis bona falsa circumdedi; & animas inanes veluti longo, fallacique somnio lusi. Auro illos, argento, & ebore ornaui; intus boni nihil est. Vobis dedi bona certa,* B *mansura. Quantò magis versauerit aliquis, & vndique inspexerit, tanto videbit meliora, maiora, quæ promisi vobis metuenda contemnere, cupienda fastidire. Non egere felicitate felicitas vestra est. Ferre fortiter; hoc est, quo Deum antecedatis. Ille extra patientiam malorum est, vos supra patientiam.* Hoc vltimum, si Christiana fide illuminatus fuisset Seneca vtique non absolutè dixisset. Deus enim noster assumpta humana carne pro nobis extra malorum patientiam esse noluit.

784. S. Hieronymus in Ecclesiastæ verba: *Vidi sub sole in loco Iudicij impietatem, & in loco Iustitiæ iniquitatem*, sic explicat: *Sub sole isto* C *veritatem, & iudicium exquisiui; & vidi etiam inter iudicum ipsa subsellia, non veritatem valere, sed munera. Arbitratus sum aliquid iustitiæ in præsenti seculo geri; vel pium nunc pro suo merito accipere; vel impium pro suo scelere puniri. Postea verò cum corde meo colloquens, & reputans intellexi non per partes Deum, & per singulos iudicare; sed in futurum tempus reseruare iudicium; vt omnes pariter iudicentur, & secundùm voluntatem, & opera sua ibi recipiant.* Quare contra Sacerdotum Principes, & Scribas dicentes: *Si filius Dei est, & si vult eum, liberet eum nunc*; sic bene Chrysostomus arguit: *O insani scelestique homines, an Prophetæ non erant Prophetæ; & iusti, quos occidistis, iusti non erant,* D *Quoniam eos Deus a periculis non eripuit? Immò verò erant, etiamsi à vobis iniuria vexabantur. Quid ergo huic amentiæ vestræ æquale excogitari potest?* Vrgere posset Chrysostomus argumentum piissimi Abelis exemplo, qui ab inuido fratre per summam sæuitiem est enectus. Præterea Isaiæ exemplo, qui teste Epiphanio iussu impii Manassæ Regis crudelissimo supplicio in duas partes est sectus: à quo supplicio, quamuis eum Deus non liberauerit; ad illius tamen sanctitatem indicandam, eius sepulchrum miraculis gloriosum reddidit, vt idem Epiphanius testatur. Ex eodem Epiphanio Ieremias ex tribu Sacerdotali vir sanctissimus, lapidibus à scelerato populo obrutus est. Amos Propheta ab E Amasiæ Sacerdotis filio fuste inter tempora percussus interiit. Idemque de pluribus aliis dici potest, quorum innocentem vitam, & gloriosum pro sancta Dei lege interitum nosse, & bene perpendere Sacerdotum Principes, & Scribæ debebant; ne turpiter paralogizarent de Christo dicentes: *liberet eum Deus, si vult eum*: seu; *si diligebat eum*, vt Arabicus legit. Sed iam antea Iudæorum insanam perfidiam præuidens Spiritus sanctus, quod hi dixerunt, prædixerat Psal. 21. 11. & Sap. 2. 16. vt ibi aperto videre est.

Ecclesiasta. c. 3. 16.

Chrys. hom. 89. in Matt.

Iusti maximè cruciati. *Epiphanius de vita & morte Prophetarum.*

785. *Scrutamini scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere: & illa sunt, quæ testimonium*

testimonium perhibent de me: & non vultis venire ad me, vt vitam habeatis, Ioan. 5. 39. Iudæis Dominus dixit. Si Scripturas perfidi Iudæorum Sacerdotes scrutati fideliter essent, de Domino non dixissent. *Confidit in Deo, liberet eum.* Quare bene iis, quòd incredulis discipulis dixit, dicere Dominus potuit:

Luc. 24. 25. *O stulti, & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ. Nonne oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Quod cum Dominus dixisset *incipiens à Moyse, & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant.* Similiter ad Apostolos omnes in fide

Luc. 24. 45. confirmandos, *Aperuit illis sensum vt intelligerent Scripturas; & dixit eis: Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die.* Inter Scripturas autem de Christi Passione, præcipuè est Dauidis Psal. 21. & Isai. cap. 53. vbi vterque Propheta potius historiam, quàm vaticinium de Christi cruciatibus scribere videtur.

Id ipsum autem & Latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.

Marci 15. 32. 786. Similiter S. Marcus ait: *Et qui cum eo crucifixi erant, conuiciabantur ei.* Sed ambobus his Euangelistis Luc. cap. 23. 39. contradicere videtur dicens: *Vnus de his, qui pendebat, latronibus blasphemabat eum dicens: Si tu es Christus, saluum fac temetipsum, & nos. Respondens autem alter increpabat eum dicens: Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es: Et nos quidem iustè; nam digna factis recipimus; hic verò nihil mali gessit. Et dicebat ad Iesum: Domine, memento mei cum veneris in Regnum tuum. Ait illi Iesus: Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.*

Latro vnus ex duo Domino improperauit: his & sequent.

Respondet S. Augustinus Matthæum, & Marcum breuiter perstringentes hunc locum, pluralem numerum pro singulari posuisse. Sicut in Epist. ad Hebr. pluraliter est dictum: *Clauserunt ora leonum*, cum solus Daniel

Ad Hebr. 11. 33.

significari intelligatur: & pluraliter dictum: *secti sunt*; cum de solo Isaia tradatur. In Psalmo

Act. 4. 26. etiam, quod dictum est: *Adstiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum*, pluralem numerum pro singulari positum, in Actibus Apostolorum exponitur. Nam Reges propter Herodem, Principes propter Pilatum intellexerunt, qui testimonium eiusdem Psalmi adhibuerunt. Idem sentiunt Epiphanius hæresi 66. & Ansel. in Matthæum, & alii plures. Subscribunt etiam huic sententiæ Suar. 3. par. q. 46 a. 11. Maldonatus, Cornelius in Matth. aliique interpretes. Addítque Cornelius etiam pluralem numerum pro singulari vsurpasse S. Lucam c. 23. 36. cum dixit: *Illudebant ei & milites accedentes, & acetum offerentes ei:* Cum Matth. dicat: *Currens vnus ex eis, acceptam spongiam impleuit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere.*

787. Sed cum Scripturæ verba quantùm potest secundùm id, quod verba sonant, sint explicanda, admittendum non videtur, vt quod absolutè, & explicitè de pluribus dicitur, vni tantùm tribuatur: Quare cum ad Hebræos dicitur, *Clauserunt*, seu *obturauerunt ora leonum*. Id non solùm Danieli est tribuendum; sed aliis etiam ex supradictis Heroibus Samson enim leonem nuda manu discerpsit Iudic. 14. 6. Dauid leonem suas oues inuadentem suffocauit 1. Reg. 17. 34. vt bene ibi Cornelius docet. Similiter cum in eadem ad Hebræos epist. dicatur: *Secti*

A *sunt*, id non solùm de Isaïa dictum intelligere debemus; sed etiam de aliis, puta de Machabæis; quibus manus, & pedes resecti, & recisi sunt, vt ibidem idem Cornelius docet, & Ribera. Quamuis enim *secti sunt*, *serrati sunt*; legat Hieronymus: nihilominus sistendo in vulgata lectione, *secti sunt*, idem est ac cæsi sunt: Non enim Latinè secare est serrare, sed cædere; vnde venas secari, hoc est ad medelam incidi dicimus. Ambrosius lib. 10. in Lucam cum Augustini sententia probabiliter consentiens, ad eam probandam affert etiam illud ex eadem Apost. epist. *Circuierunt in melotis.* Id tamen non tantū de Elia est intelligendum; sed etiam de Eliseo, B aliisque Prophetis Tyrannorum persecutionem fugientibus. Ait enim ibi Theodoretus: *Ita Elias ille magnus, ita Eliseus illius gratiæ hæres; ita plurimi Prophetæ.* Addit Cornelius: *Vsi sunt Prophetæ melote, quasi vili, & aspero amictu; tū quia Achab, Antiochus, & alij ad extremam paupertatem eos adigebant: tum quia hoc suo vili habitu volebant docere homines luxum vestium esse spernendum. Denique, vt hoc quasi cilicio, & habitu populum ad pœnitentiam excitarent, & compungerent.* Præterea quamuis ex Psal. 2. Apost. dixerint c. 4. Act. 26. *Astiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. Conuenerūt enim verè in ciuitate ista aduersus* C *Sanctum puerum tuum Iesum, quem vnxisti, Herodes, & Pontius Pilatus:* Nihilominus Apostoli nominando tantùm Herodem, & Pilatum, non intelligendi sunt exclusisse alios etiam, quos cōtra Dominum fuisse eo Psalmo Dauid præsignificauit. Inter quos præter Herodem, qui Dominum veste alba illusit, Herodes alter Ascalonita, qui Dominum ad necem quæsiuit, ideoq; Innocentes occidit, numerandus est: vt notant Cassiodorus, Hugo, & Ludolphus. Rursus Principum nomine præter Pilatum, Sacerdotū Principes Annas, & Caiphas significantur ex Tertulliano lib. 1. contra Marcionem c. 21. & lib. 4. c. 42. & lib. 5. cap. 2. & lib. de Resurrectione carnis c. 19. Præterea Cassiodorus per Principes Pharisæos de- D signari docet. Lyranus præter Sacerdotū Principes, Iudæorum Principes alios, nempè populi seniores intelligit: de quibus dicitur Act. 3. 17. *Vos per ignorantiā fecistis, sicut & Principes vestri.* Origenes eos intelligi docet, de quibus Apost. 1. ad Corinth. 2. 8. ait: *Quam nemo Principum huius sæculi cognouit; si enim cognouissent, nūquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Quem locum cum de Angelis Origenes interpretatur, de malis tantùm Angelis est intelligendus, qui suam ex Christi morte perniciem non cognouerunt. Denique Lucæ 23. 36. cum dicitur: *Illudebant ei milites accedentes, & acetum offerentes ei:* id verè non de milite vno, sed de pluribus est intelligendum. Quāuis autem Matth. dicat: *Currens vnus ex eis* E *acceptam spongiam impleuit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere:* nihilominus cum Dominus dixisset *Sitio*, antequam miles ille spongiam porrigeret, dicendum est alios milites ostendendo Domino vas, ad illudendum dixisse: En vas aceto plenum; si sitis, bibe. Quare sicut in allatis locis ita in illo de latronibus Domino improperantibus, ad figuram syllepsim, vsurpantem pro vno plures, confugere non placet.

Origenes tract. 4. in Matth.

788 Respondet igitur 2. Hieron. diuerso modo Lucā, & Matthæū cum Marco de latronibus scripsisse; *non quòd discrepent Euangelistæ, sed quòd primū vterque blasphemauerit; dehinc vnus crediderit in Iesum; & priorem negationem sequenti confes-*

sione emendauerit. Hanc sentētiam amplectuntur Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius in Matthæum. Præterea Cyrillus Ierosolymitanus Catechesi 13. & Hilar. Can. 33. in Matt. Orig. in eundem tract. 35. ait: *Conueniens est, vt in primis intelligantur ambo latrones Dominum blasphemasse; post hoc autem vnum ex eis conuersum esse, & credidisse,* iuxtà Lucæ verba hîc intexenda.

Luc. c. 23. 39. *Vnus autem de his, qui pendebat, latronibus, blasphemabat eum dicens: Si tu es Christus, salua temetipsum, & nos. Respondens autem alter increpabat eum dicens: Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es. Et nos quidem iustè, nam digna factis recipimus; hic verò nihil mali gessit.*

789. **B**Lasphemabat eum. Blasphemabat hîc non significat imprecationes, & maledicta proferre; sed conuiciari, & vituperare, vt supra etiam diximus in illa verba: *Prætereuntes blasphemabant eum.* Blasphemabat igitur, hoc est improperabat hîc malus latro Domino, quòd verus Messias, & Christus non esset, cum se à crucis morte, sociosque saluare non posset.

790. *Respondens alter increpabat eum dicens: Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es.* In eadem scilicet mortis damnatione mecum; & propterea me præteritæ improperationis in Christum prolatæ pœnitentem, sequi deberes. Vel in eadem damnatione es, cum iniquis Iudæorum magistratibus, qui innocentem Christum damnauerunt. Boni huius latronis verba admirans Aug. ser. 130. de tempore ait: *Ea, quæ circa ipsum erant, relinquens, de altero curam gerebat in cruce, doctor effectus, & corripiens, & dicens: nec times Dominum tuum. Noli attendere iudicio huic, quòd deorsum est; alius Iudex inuisibilis est. Ne ergo consideres, quòd à iudice mortali condemnatus est: non enim talia sunt superna iudicia. In terreno iudicio iusti condemnantur, & iniusti effugiunt, & rei dimittuntur, & innocentes puniuntur. Vidisti Philosophiam latronis; vidisti intellectum, & doctrinam? subitò in ictu oculi de cruce in cœlum transiliuit.* — Latro bonus ex latrone doctor.

791. *Nos quidem iustè, nam digna factis recipimus; hic autem nihil mali gessit. Iustus prior accusator est sui,* dicitur Prouer. 18. 11. 7. *Iustus seipsum prius, quàm alios accusat,* alii legūt. Multò magis bonus hic latro iustus fuit, non solùm se ipsum prius, quàm alios accusando; sed Christum Dominum planè innocentem testando. Sic bonam Domini æstimationem apud populum per summam iniuriam à Iudæis sublatam, publica latro confessione restituit. Dum Apost. S. Andreas duceretur, vt crucifigerent eum, populus clamabat voce magna dicens: *Innocens eius sanguis sine causa damnatur.* At dum Christus Dominus ad crucis mortem duceretur, nemo ex ingrato Iudæorum populo eum innocentem esse clamauit. Solus bonus Latro è cruce Dominum innocentem esse testatus est.

Luc. 23. 42. *Et dicebat ad Iesum: Domine, memento mei cum veneris in regnum tuum.*

792. **Q**Væritur hîc vnde bonus latro ad Christum vt regem confitendum, & in eum credendum conuersus fuerit? Respondet Origenes: *Forsitan videns conuersionem aeris, &* — Origenes

A *tenebras fieri insuetas, non sicut fieri frequenter solebant.* Similiter Hieron. hîc ait: *Sole fugiente, terra commota, saxisque disruptis, & ingruentibus tenebris, vnus credit in Iesum, & priorem negationem sequenti confessione emendauit.* Similiter etiam Chrysost. ita latronem alloquitur: *Quis te erudiuit, ò Latro, talia de eo diceret? Non me, inquit, lex docuit, sed sol occultans lumen suum. Vidi quidem crucifixū; sed terræmotū sensi, & propter parricidas Iudæos elementa indignantia intellexi. Et petræ quidem scindebantur; & corda hominum non mouebant. Scissæ sunt petræ, disruptum est velum templi;* Allatis Patrum sententiis, opponitur, quòd tenebræ subsecutæ sint, non præcesserint latronis B confessionē, quam cū S. Lucas narrasset, postea subdidit: *Erat autem ferè hora sexta, & tenebræ factæ sunt in vniuersam terrā vsque in horam nonam.* Sed cum tenebræ ferè hora sexta cœperint, quādo Dominus crucifixus est, dici potest tunc *ingruentibus tenebris*, vt ait S. Hieron. fuisse ex eo prodigio latronem illuminatum. Narrat autē S. Lucas post latronis confessionē tenebras factas; non quòd illius confessionem fuerint subsecutæ; sed vt confessionis illius motiuū indicarēt. Quare, iuxtà hanc sententiam verè dici potest Deum iussisse *de tenebris lucem splendescere;* vt Apostolus ait: Verissimum tamen est ex petris scissis, & ex C terræmotu latronis confessionem non prouenisse, cum hæc S. Matthæus narret postquam dixerat, *Iesus clamans voce magna emisit spiritum.* — tract. 36. in Matth. La:ro bonus vnde pœnitens ad salutem conuer. sus? Chrys. hom. 1. de cruce & latrone. 2. ad Cor 4. 6.

793. S. Leo non extrinseco alicui prodigio, sed absolutè internæ illustrationi Latronis conuersionem tribuit dicens. *Quæ istam fidem exhortatio persuasit; quæ doctrina imbuit? Quis prædicator accendit? Non viderat prius acta miracula; cessauerat tunc languentium curatio, cæcorum illuminatio, viuificatio mortuorum: ea ipsa, quæ mox erant gerenda, non aderant: & tamen Dominum confitetur Regem, quem videt supplicij sui esse consortem. Inde ergo oriebatur hoc donum, vnde accepit fides ipsa responsum.* — Leo ser. 2. in passione.

D 794. Eximiam sancti huius Latronis fidem benè perpendit Chrysostomus dicens: *Cum patibulo affixum cerneret, verberibus cæsum, contumelijs affectum, felle potatum, sputis conspersum, à tanto populo subsannatum, à iudice damnatum, ad mortem adductum; nullo istorum scandalizatus est. Sed cum cerneret crucem & clauos defixos, & tantam fieri subsannationem à plebe deprauata, rectà ipse via incedebat dicens: Memento mei in regno tuo: & ei, qui maledicebat, os occludebat, suaque peccata confitebatur, & de resurrectione philosophabatur. Idque cum excitatos mortuos non vidisset, non leprosos mundatos; non claudos sanatos; non mare refrænatum, non dæmones eiectos; non panes multiplicatos; non alia, quæ Iudaicus populus spectauerat: & cum spectasset, eum cruci affixerat. Hic E verò patibulo affixum cum conspexisset, & Deum illum confessus est, & Regni meminit. At illi, qui miracula facientem conspexerant; & quos partim verbis, partim operibus ipsis, doctrinæ participes fecerat; non modo nihil inde vtilitatis ceperunt; sed cum in crucem illum sustulissent in extremum sunt perditionis barathrum deuoluti.* — Chrysost. lib. aduersus scandalum Pass. c. 14. Latronis boni mira fides: hîc, & sequentib.

795. Tam eximia fuit boni huius latronis fides, & de Christo Domino confessio; vt eam sanctorum Patriarcharum & Prophetarum fidei comparatam aliquo ex capite Chrysostomus præferat dicens: *Credidit Abraham Deo; sed credidit illi de cœlis loquenti, & per sanctos Angelos sermonem proferenti; & de propria authoritate legem danti. Credidit Isaias, sed in gloria con-* — Latronis pœnitentis fides Patriarcharū, & Prophetarum fidei cōparatur. Chrys. hom. de cruce, & latrone 1. 3.

sistenti. Vidi enim, inquit, Dominum sedentem super thronum excelsum, & eleuatum. Credidit Ezechiel; sed & ipse Dominum super Cherubim contemplatus est. Crediderunt reliqui Prophetæ: sed diuerso modo Dominum gloria intuentes, sicut videre possibile humanæ erat naturæ. Credidit Moses; sed de medio ignis loquenti, & in tubæ clangore, & in tonitru, quæ & infidelem poterant prouocare. Ille, nempe bonus latro, *vidit Saluatorem non super throno regali; non adorari in templo, non loquentem de cœlis; non per Angelos disponentem; sed in pœna sociatum latroni. Videt in tormentis, & tamquam in gloria adorat. Videt in cruce, & rogat tamquam in cœlis sedentem. Videt condemnatum, & Regem inuocat dicens: Domine, memento mei, dum veneris in regnum tuum. Crucifixum vides, & Regem predicas: in ligno pendere cernis, & cœlorum regna meditaris? O admiranda latronis conuersio! Numquid scripturas legisti, cum ab iniquitate non cessares? Numquid Prophetas audisti homicidia exercens? Numquid diuinum audisti sermonem, quando ad cædem gladium acuebas? Vnde eruditus es talia philosophari de Christo? Iudæi crucifixerunt, qui nouerunt legem, & Prophetas legerunt: & tu horum ignarus Deum vocas eumdem condemnatum, & adoras crucifixum!* De eodem sanctus Gregorius 18. Mor. c. 25. ait: *Libet mentis oculos ad illum latronem reducere, qui de fauce ascendit ad crucem, de cruce ad Paradisum. Intueamur qualis ad patibulum venerit; & à patibulo qualis abscesserit. Venit reus fraterno sanguine; venit cruentus, sed interna gratia est mutatus in cruce; & ille qui mortem fratri intulit, morientis Domini vitam prædicauit dicens: Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum. In corde fidelium tres summopere manere virtutes testatur. Apostolus dicens: Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas: quas cunctas subita repletus gratia & accepit latro, & seruauit in cruce. Fidem habuit, qui regnaturum Dominum credidit, quem secum pariter morientem vidit. Spem habuit, qui regni eius aditum postulauit dicens: Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum. Charitatem quoque in morte sua veraciter tenuit; qui fratrem, & collatronem suum pro simili scelere morientem, & de impietate sua arguit, & ei vitam, quam non cognouerat, prædicauit dicens: Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es: & nos quidem iuste: nam digna factis recipimus; hic verò nihil mali gessit. Ille, qui talis ad crucem venit ex culpa, ecce qualis à cruce recedit ex gratia. Confitebatur Dominum, quem videbat secum humana infirmitate morientem; quando negabant Apostoli eum, quem miracula viderant diuina virtute facientem.*

Isaia 6.

1. ad Cor. c. 13.

Lucæ 23. 42.

Et dicebat ad Iesum: Domine, memento mei cum veneris in regnum tuum.

796. NOn est ausus ante dicere: *Memento mei Deus, quàm per confessionem iniquitatis præteritæ sarcinam peccatorum deponeret. Vide quanta res sit confessio: confessus est, & paradisum aperuit, confessus est, & tanta fiduciæ robur accepit, vt de latrocinio regnum deposceret, considerans quantorum bonorum causa sit crux. Dicito mihi, latro, regnum petens quid in eo tale vides, ex quo petis? Dic mihi; nam quod in conspicuo est, clauos, & crucem cernis. Sed hæc, inquit, crux ipsa regni insigne est; & propter eam Iesum Regem appello, quia video crucifixum. Opus enim Regis est vitam suam pro his, quibus regnat, opponere. Rex bonus animam suam ponit pro his, quorum Princeps est. Quoniam igitur animam suam posuit, ideo eum Regem cognosco, & Deum appello,* ait Augustinus ser. de tempore 130.

Cõfeßionis peccatorum magna vis.

797. *Crux schola erat: ibi docuit magister latronem: lignum pendentis facta est cathedra docentis,* ait Augustinus serm. 87. de diuersis. Quam bona cathedra ad discipulos erudiendos crux est! Ex ea breui temporis mora plus discitur, quàm alibi longiore temporis spatio addiscatur. Petrus Apostolus post multum tempus, quo Dominum docentem audierat, tandem dixit: *Non noui hominem.* Contra verò latro Christum cœlestis regni Regem agnouit dicens: *Memento mei, cum veneris in regnum tuum.* Discipuli euntes in Emmaus diu familiariter cum Domino versati, tandem increduli dixerunt: *Nos autem sperabamus, quia ipse esset redempturus Israel.* Contra latro cœlestis regni felicitatem certò sperans, eam à Domino in cœlo regnaturo fidenter omnino petit.

Crux schola, & cathedra salutis.

Matt. 26. 73

Lucæ 24. 21.

798. Bonus latro dicens: *Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum,* eodem die largissimè, & supra votum à Domino consecutus est, quod petebat. Contra verò Ioseph in carcere vinctus, cùm Pharaonis præcipuo pincernæ dixisset: *Memento mei, cum tibi bene fuerit, vt suggeras Pharaoni, vt educat me de isto carcere;* diu sua spe frustratus est. Nam *succedentibus prosperis præpositus pincernarum oblitus est interpretis sui.* Hinc bene nosci potest quàm vera sit Dauidis sententia Psal. 117. *Bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine. Bonum est sperare in Domino, quàm sperare in Principibus. Quia non dum scriptum erat: Bonum est sperare in Domino, quàm sperare in homine; cum Ioseph in omnibus Dei gratiam meruisset, subreptum est illi, vt ab homine auxilium peteret. Pro qua re additi sunt duo anni, quibus adhuc teneretur in carcere; tamquam diceret ei Deus: Ego tibi ostendo, vt magis à me, quàm ab homine debeat auxilium postulare. Sine vlla enim dubitatione credendum est, quòd pro castigatione sancti Ioseph non permisit Deus magistrum pincernarum, vt in mente haberet, quòd ei sanctus Ioseph, quando de carcere dimissus est supplicauerat. Nos ergo diuina ope magna fiducia freti dicamus sæpe: Secundùm misericordiam tuam memento mei tu propter bonitatem tuam, Domine, Memor esto mei non secundùm iram, qua ego dignus sum; sed secundùm misericordiam tuam, qua te digna est. Non propter meritum meum; sed propter bonitatem tuam, Domine,* ait August. Addit ibi Dauid. *Dulcis, & rectus Dominus. Dulcis quia perire non patitur; rectus, quia punire non obliuiscitur,* ait Hugo: ideoque Deo dicendum docet: *Vbera matris habes, verbera patris habe.*

Genes. c. 40.

Latronis boni, & Iosephi Patriarchæ cõparatio.

Fiducia in homine noxia, & fallax.

Psal. 24. 7.

Aug. ser. 82. de tempore.

799. Cùm sanctis iam beatis, & contra humanas ærumnas perpessis, eorum opem implorantes dicimus: *Mementote vinctorum tanquam simul vincti; & laborantium tamquam & ipsi in corpore morantes,* eos nostrarum precum bene memores omnino fore certo credamus. Ideo Bernardus ait: *Absit, absit à vobis, animæ sanctæ, Ægyptia illa crudelitas pincernæ Pharaonis, qui in gradum pristinum restitutus, statim oblitus est Ioseph. Non sic noster Iesus crucifixi secum latronis potuit obliuisci: factum est vti-*

Ad Hebr. c. 13. 3.

Bern. ser. in festo Omniũ SS.

que, quod promissum est: ipsa die, qua compassus est, & regnauit.

Lucæ 23. 43.

Et dixit illi Iesus: Amen dico tibi: Hodie mecum eris in Paradiso.

860. Meritò exclamat Chrysost. O admiranda rerum materies! *Nec Abrahæ data est per vocem repromissio Paradisi. Hæreditauit quidem per fidem; repromissionem autem Paradisi nemo ante latronem accepit. Perscrutans diligentius vetus testamentum, & nouum, nullum ante latronem inuenies repromissionem Paradisi meruisse; non Abraham, non Isaac, non Iacob, nec Moysen, nec Prophetas, nec Apostolos; sed ante omnes reperies latronem. Vocauit Deus Abraham dicens: Exi de terra tua, & de cognatione tua; & non dixit illi: Hæreditatem capies Paradisi; sed, Veni in terram, quam monstrauero tibi. Isaac typum Christi portauit: Iacob colluctatus in figura cum Deo est: Moyses legem accepit; & per repromissionem audiuit bona terræ manducaturum se esse, si legem Domini Dei sui custodisset: & nusquam repromissio Paradisi ante latronem.* Idem Chrysost. hom. 84. in Ioann. cum perpendisset ab iniquis Iudæis ad Domini ignominiam latrones cum eo cruci fuisse affixos, de bono latrone addit: *Non solùm crucifixi gloriam non offendit, sed non parum auxit: Neque enim minus fuit in cruce latronem conuerti & Paradisum introire, quàm petras collidi.* Collisæ petræ humi stratæ remanserunt contritus latro ad paradisum assurrexit.

Chrysost. 3. hom. de cruce & latrone. Christi eximia erga latronem liberalitas: hîc & seq. Genes. 12. Genes. 22. Exodi 20.

801. *Quid hoc admirabilius?* ait Andreas Cretensis. *Cernere Deum in cruce pendentem, & quidem inter latrones. Benedictum lignum, per quod latro Paradisum inhabitat; & ligni eius amarum expulit edulium. Quid hoc mirandum magis? Quem locum clausit deceptus Adam, hunc aperuit latro ad veri Dei agnitionem euectus: & à quo ille latro extorris factus est, huius iste inuitatus adscriptus est ciuis. O congruam permutationem! Egressus est fur, & loco eius ingressus est fur: ille quidem ob præuaricationem, hic verò ob agnitionem. Ille seductus ab eo, qui illum supplantauerat; hic verò simul crucifixus cum eo, qui ipsum creauerat.* Exodi 22. 29. dicitur: *Primitias tuas non tardabis reddere.* Ad hoc Dei mandatum implendum, *Crux latronem cœlo, vt re vera sui fructus primitias intulit*, ait B. Petrus Damiani serm. de crucis exaltatione. *Amen dico tibi.* Domini verba dicentis *amen* quasi iuramentum fuisse ait August. tract. 41. in Ioan. *Abundantius volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilij sui, interposuit iusiurandum*, ait Apost. ad Hebr. 6. 17. & Lucæ primo 73. Zacharias dixit: *Iusiurandum, quod iurauit ad Abraham patrem nostrum daturum se nobis.* Adeo enim eximium, & ab humana mente inexcogitabile erat hoc infinitæ bonitatis beneficium, quòd assumpta humana carne Deus daturus se nobis foret; vt tam insignis beneficii promissionem iuramento Deus, qui est summa Veritas, confirmare voluerit. Similiter hîc, cum latronis captum, & votum excederet, quod statim è cruce Paradisum consecuturus esset, id clementissimus Dominus veluti iuramento confirmandum existimauit dicens: *Amen dico tibi.* Quid propriè significet *Amen* fusius explicauimus Dominic. Pass. in ill. Domini verba: *Amē, amen dico vobis.*

Andreas Cretensis orat. de crucis exaltatione. Latronis boni, & Adami comparatio.

Amen, quid significet.

803. Hac Dominus erga latronem tam liberali promissione diuitias bonitatis suæ insigni argumento ostendere voluit. Ideo S. Ambros. ait: *Pulcherrimum affectandæ conuersionis exemplum, quòd tam cito latroni venia relaxatur; & vberior est gratia, quam precatio. Semper enim plus Dominus tribuit, quàm rogatur. Ille rogabat, vt memor sui esset Dominus, cum venisset in regnum suum: Dominus autem ait: Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.* Similiter de latrone August. ait: *Considerabat facinora sua, & pro magno habebat, si ei vel in fine parceretur. Dominus autem continuò, cum ille diceret: Memento mei, Domine, quando veneris in regnum tuum: Amen, inquit, dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Misericordia obtulit, quod miseria distulit.* Non solùm tanta est diuina liberalitas, vt *Deus plus tribuat, quàm rogatur*, iuxta Ambros. sed insuper, vt plus tribuat, quàm pollicetur iuxta August. qui id apertè ostendit ex Dei promissione facta de arida virga germina diuinitus productura Numer. 17. *Quem elegero, germinabit virga eius.* Vbi Augustinus ait: *Considerate, quia vnum promisit Deus futurum in virga, sed plura dedit. Consuetudinis suæ rem fecit Dominus noster; semper enim maiora tribuit, quàm promittit. Et erit, inquit, homo, quemcunque elegero, germinabit virga eius. Hoc est solum, quod promisit Deus, vt virga eius, quem elegerat, germinaret.* Vbi verò ad rem venitur, *vt quod promissum est ostendatur impletum; non vnum illud, quod promissum fuerat, effectum dicitur; sed vide quanta addantur. Ait enim Scriptura: Ecce germinauit virga Aaron in domo Leui. Hoc est vnum illud sine dubio, quod fuerat promissum: sed adduntur alia, & dicitur: Et produxit frondes, & protulit flores, & germinauit nuces. Cum ergo de solo germine fuisset promissum, vide quanta largitur Deus; vt non solum germen produxerit: sed & flores, & non solùm flores: sed & fructus.* Similiter supra promissionem latroni factam: *Hodie mecum eris in Paradiso*, aliquid plus Dominus addidit. Nam probabilibus allatis rationibus piè censet P. Theophilus Raynaudus inter sanctos illos, de quibus Matthæus ait: *Multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt*, surrexisse etiam S. Latronem; ita vt ipse S. Latro etiam Aaronis virgæ instar dicere potuerit: *Refloruit caro mea.* Quod si quis hoc latronis priuilegium admittere nolit: aliud certè supra promissionem addidisse Dominum negare non debet. Scribit enim Felix Faber, & Lucas Tudensis à S. Helena latronis crucem in Cyprum aduectam esse, ibique magnifico in templo Nicosiensi vrbi proximo magna cum veneratione fuisse collocatam. In sacro ergo templo, vbi Christus Dominus sub Eucharistiæ sacramentalibus speciebus esse voluit, ibidem secum latronis crucem esse disposuit, vt secum non solùm S. Latro in cœlo; sed etiam eius crux secum in terra foret. Adduntque iidem authores S. Helenam Dominicæ crucis particulam in S. Latronis cruce inclusisse; vt sicut secum Dominus S. Latronem esse voluit; sic etiam per suam Dominus crucem cum eiusdem S. Latronis cruce amabilem nexum haberet.

Ambr. li. 10. in Lucam. Deus plus eo, quod rogatur, tribuit.

Aug. ser. 8. de verbis Domini.

Deus plus tribuit, quā pollicetur. Aug. ser. 99. de tempore.

Raynaudus li. de latrone cap. 13. Matt. 27. 52. Latro bonus cū Domino resurrexit. Psal. 27. 7. Felix Faber in itinerario. Lucas Tudensis contra Albigenses c. 19. S. Latronis crux in templo collocata. S. Latronis in cruce pars Dominicæ crucis inclusa.

S. Latro quomodo eodem mortis die in Paradiſo fuerit.

804. *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Ad explicandum quo ſenſu ipſo paſſionis die latro in Paradiſo fuerit, ſacri interpretes, & Theologi 3. pa. quæſt. 46. ar. 1. plures Paradiſi ſignificatus afferunt. Inſtar omnium plenè ſatisfacere videtur, quod Auguſt. ep. 57. ad Dardanum ait: *Si ſecundùm hominem putamus dictum eſſe: Hodie mecum eris in Paradiſo; non ex his verbis exiſtimandus eſt in cœlo eſſe Paradiſus. Neque enim ipſo die in cœlo futurus erat homo Chriſtus Ieſus; ſed in inferno, hoc eſt in limbo Sanctorum Patrum; in ſepulchro autem ſecundùm carnem: Sed in ſepulchro Paradiſum nullus intelligit. Et ſi quiſquam eſſet ita abſurdus, vt hoc intelligere conaretur, eo quòd illud ſepulchrum in horto erat; certè hinc ab iſta opinione reuocaretur, quòd ille, cui dictum eſt: Hodie mecum eris in Paradiſo; non illo die fuit cum Chriſto in illo ſepulchro: nec eius fidei pro magno munere efferretur ſepultura carnis, nihil gaudij, vel doloris in morte ſentientis, cum ille de requie, vbi ſenſus eſt, cogitaret. Reſtat igitur, vt ſi ſecundùm hominem dictum eſt: Hodie mecum eris in Paradiſo, in inferno intelligatur eſſe Paradiſus; vbi erat eo die futurus ſecundum humanam animam Chriſtus. Porro ſi vtraque regio & dolentium, & requieſcentium in inferno eſſe credenda eſt; quis audeat dicere Dominum Ieſum ad pœnales inferni partes veniſſe tantummodo; nec fuiſſe apud eos, qui in Abrahæ ſinu requieſcunt? Vbi ſi fuit, ipſe intelligendus eſt Paradiſus, quem latronis animæ illo die dignatus eſt polliceri. Quæ ſi ita ſunt generale Paradiſi nomen eſt, vbi feliciter viuitur*; ſcilicet per beatificam viſionem, qua Deus clarè videtur. *Regio beatitudinis animi Deus ipſe eſt*, ait idem Auguſtin. lib. 1. Retract. cap. 1. Poteſt hoc explicari non diſſimili loquendi modo à priſcis Romanis vſurpato. Cum enim Romæ Luculli villa eſſet, deliciis omnibus affluens, cui villæ nomen erat Apollo; hinc factum eſt, vt qui in deliciis verſabantur, in Apolline eſſe dicerentur: ſimili modo qui beatitudine fruitur, in Paradiſo eſſe dici benè poteſt.

S. Latro poſt mortē ſtatim beatus: hic, & ſequ.

805. Suarius citato loco 3. pag. quærit, an latro ſtatim poſt obitum admiſſus fuerit in Paradiſum abſque vlla mora? Et reſpondet probabilius, & doctrinæ Sanctorum magis conſentaneum ac denique ferè certum eſt ſtatim ſine vlla mora fuiſſe beatum. Quia credendum eſt conuerſionem adeo miraculoſam fuiſſe ita perfectam, vt integram remiſſionem culpæ, & pœnæ conſecuta ſit. Etiam tormentum crucis, & confractio crurium illi potuerunt ad plenam ſatisfactionem valere. Ad quod confirmandum affertur Cyprianus, qui latronem hunc martyrem vocat ep. 33. ſer. de cœna, & ſer. de paſſione Domini. Per martyrium autem plena remiſſio obtineri ſolet. Hanc ſententiam ſequentes non debemus aſſerere Dominum latroni dicentem: *Hodie mecum eris in paradiſo*, locutum eſſe, vt homo eſt, & Paradiſi nomine ſanctorum Patrum limbum ſignificaſſe iuxta Auguſtini ſupra allatam interpretationem: ſi enim ad beatitudinem conſequendam ad limbum latro deſcendere debuiſſet; vtique non ſtatim, ſed aliqua interpoſita mora, vſque dum ad limbum veniret beatitudinem conſecutus eſſet. Quare ad excludendam omnem omnino moram, amplectenda eſt hæc alia Auguſtini interpretatio ibidem allata: *Eſt ſenſus multo expeditior, ſi non ſecundùm id, quòd homo erat; ſed ſecundùm id, quòd Deus erat, Chriſtus dixiſſe accipiatur: Hodie mecum eris in Paradiſo. Homo quippe Chriſtus illo die ſecundùm carnem in ſepulchro, ſecundum animam in inferno futurus erat. Deus vero idem ipſe Chriſtus vbique ſemper eſt. Vbicumque ergo ſit Paradiſus, quiſquis beatorum ibi eſt, cum illo ibi eſt, qui vbique eſt.* Idem docet Auguſt. tract. 112. in Ioan. *Qui homini pœnaliter pendenti, & ſalubriter confitenti ait: Hodie mecum eris in Paradiſo, ſecundùm id, quod homo erat, anima eius ipſo die futura erat in inferno, caro in ſepulchro. Secundùm autem id, quod Deus erat, vtique & in Paradiſo erat. Et ideo latronis anima à priſtinis facinoribus abſoluta, & illius munere iam beata quamuis vbique, ſicut ille, eſſe non poterat, tamen etiam ipſo die cum illo in Paradiſo eſſe poterat; vnde ille, qui vbique ſemper eſt, non receſſerat.*

Chriſtus an vt homo, an vt Deus latroni dixerit: Hodie mecum eris in Paradiſo.

806. Hinc bene Abbas Arnoldus Carnotenſis S. Bernardi familiaris tract. 2. de vltimis Chriſti verbis ait: *Inter cætera pietatis exempla latro noſter nobis occurrit pœnitentiæ regula, confeſſionis forma, indulgentiæ præco, ſpei exemplum: qui dum ingemuit, ſubito quod quærit inuenit; quod petit accipit; & illico audit: Hodie mecum eris in Paradiſo. Non ad loca purgatoria, flammaſque peccatorum vltrices confitens deſtinatur; non ad loca tenebroſa, & tormenta deducitur: nullam pars aduerſa gratiæ Dei præſumit inferre calumniam. Vna crucis pœna omnia abolet crimina; immo non pœna, ſed gratia: Præmittitur igitur in Paradiſum hic noſtræ nuncius abſolutionis; & primitias libertatis noſtræ, teſtis libertate donatus Paradiſi ciuibus id expectantibus, ac deſiderantibus primus inuexit.*

Peccatoris conuerſione ſtipula inferni fit cedrus Paradiſi.

B. Petri Damian. ſer. de S. Bonifatio

807. Iob. 13. 25. Deo dixit: *Stipulam ſiccam perſequeris.* Contra bonus latro dicere potuit: Stipulam ſiccam infernis ignibus debitam in cœlum eleuas. De hoc enim S. latrone B. Petri Damiani verba vſurpare poſſumus, *Stipula Tartari cedrus eſt Paradiſi: torris inferni factus eſt ſplendidum ſidus cœli*: Diabolo lapides verſos eſſe in ſtipulas Deus dixit Iob cap. 41. 19 Vbi præter alios ſignificatus ſenſus eſt: Obduratos in peccatis veluti lapides peccatores tanquam in ſtipulas verti, vt in æternum inferni incendium deiiciantur. E contrario pœnitentes peccatores è ſtipulis in pretioſos lapillos euadunt ad cœleſtis Ieroſolymæ Regiam exornandam. Mercurium Iurandi peritum, & furum præſidem fabuloſè inter ſidera ethnici tranſtulerunt. At non fabuloſè, ſed verè pœnitens latro antea, *torris inferni factus eſt ſidus cœli*; nempe luçidiſſimum Empyrei ornamentum. De Chriſto Domino ſecundùm diuinitatem æterno Patri omnino æquali Apoſtolus dixit: *Non rapinam arbitratus eſſe ſe æqualem Deo*; ſicut ſcilicet æqualitatem quandam cum Leo Lucifer rapere conatus eſt dicens: *Super aſtra Dei exaltabo ſolium meum; Similis ero Altiſſimo.* Iniquus raptor Lucifer è cœlo fuit eiectus, pœnitens latro in cœlum euectus eſt. *En latro locatur, vbi Lucifer corruit*, ait Arnoldus Abbas ſupra citatus. Iniquo raptori exprobratum eſt; *Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer, qui manè oriebaris?* E contrario pœnitens latro factus eſt *ſidus cœli.*

Ad Philipp. 2. 6.

Iſa. 14.

S. Latronis, & Luciferi in rapina diſcrimen.

Iſa. 14.

P. Damiani ſupra.

808. Porrò ex eo quòd admittatur ſtatim poſt mortem latronem Paradiſi beatitudinem conſecutum eſſe; non proinde abſolutè admitti debet ſententia Cyrilli Ieroſolym. Catecheſi 13. aſſerentis latronem beatitudinem eſſe conſecutum ante omnes antiquos Patriarchas; atque adeo eum primum inter homines poſt

Christum, clarè Deum vidisse: quod etiam citatus Arnoldus indicare videtur. A qua sententia dissentiendum est; nam, cum Christus Dominus ante latronem mortuus esset, & statim ad sanctorum Patrum limbum descendisset; tunc sanctos Patriarchas, & alios ibi detentos beatos reddidisse dicendum est. Certè omissis aliis sanctus Ioseph, qui ipsum Dominum Herodis furore rapuerat, latroni præferendus omnino videtur. Cum autem S. Cyrillus ait latronem Paradisi gloriam obtinuisse prius aliis; citius aliis intelligi potest: cum alii post longum tempus, quo in limbo fuerunt, beatificam visionem habuerint; latro verò statim post obitum. Græcorum autem errorem asserentium sanctos ante iudicii diem beatitudinem non consequi bene refellit S. Thomas opusc. 6. c. 9. & Bellarminus lib. de Sanctorum beatitudine cap. 2. Falsò etiam Anastasius Q. 73. in Scripturam asseruit Latronem non fuisse eo die beatum experientia; sed sententia: Domini enim verba promissionis consecutionem, non sententiam significarunt. Sic Leuit. 9. cum Moses Israelitis dixit: *Hodie Dominus apparebit nobis*; eo ipso die, quod Moses dixerat: impletum est: *Apparuitque gloria Domini omni multitudini.*

S. Latronē eodem mortis die non fuisse beatū falsò asseritur.

809. Præterea hîc de bono latrone quæritur, an martyr dici possit? Respondeo hunc martyris titulum à pluribus sanctis Patribus ei tribui. S. Hieronymus epist. 13. ait: *Latro crucem mutat Paradiso; & facit homicidij pœnam martyrium.* Idem repetit epist. 58. S. Hilarius lib. 1. de Trinit. *Hominis filius loquens in terris manet, & in cælo martyri suo paradisum promittens.* Idem repetit in Psal. 65. S. Basilius Seleuciensis Orat. 24. explicans Domini verba Matth. 20. *Non est meum dare vobis*, ait: *Neque Patris est temerè, gratisque talia largiri: propterea martyrium perferenti regnum concedo: Hodie mecum eris in Paradiso.* S. Anselmus alloquio cœlesti 30. Christo Domino ait: *Venerabilis ille confessor, & gloriosus martyr tecum fuit per totum illud hodie.* Additur his antiquissimus Pater S. Cyprianus epist. 73 ad Iubaianum dicens: *Sanguine suo baptizatos, & passione sanctificatos consummari, & diuinæ pollicitationis gratiam consequi declarat in Euangelio Dominus, quando ad latronem in ipsa passione credentem, & confitentem loquitur, & quod secum futurus sit in paradiso pollicetur.* Cypriani sententiæ consonat alius illius ætatis eruditus author, qui inter Cypriani opera legitur aitque ser. in cœna Domini de latrone: *Latrocinium damnationem meruerat, & supplicium, sed cor contritum pœnam mutauit in Martyrium; & sanguinem in baptismum. In momento impietas religionem, crudelitas induit pietatem; & statim consummatus ciuis Sanctorum, & domesticus Dei præmissus est in Regnum, reconciliationis humanæ priuilegium secum ferens ad superos; quod Deo Patri tantæ legationis fungens honore, in seipso scriptura huius experimentum continens, libero, & securo aditu peuetrans penetrauit. Quid tu Domine amplius Stephano contulisti? Quid amplius ille obtinuit dilectus tuus, qui supra pectus tuum in cœna recubuit? Quid amplius Pauli meruere sudores? Quid labores Sanctorum? Quid tot annorum tormenta, Quid Martyrum plagæ? Vna hora huic collatum est præmium, ad quod illi per tot discrimina peruenerunt. Sic tu, Domine, armentarios statim facis Prophetas; opiliones Reges; telonarios Apostolos; piscatores doctores.* Cum dicitur, *armentarios facis Prophetas*; id de Propheta Amos intelligit, qui cap. 7. ait: *Armentarius ego sum vellicans Sycomoros*: cumque ait: *Opiliones Reges facis*, Dauidem ex ouium pastore in Regem electum indicat. Sed multo mirabilius fuit ex rapaci lupo, qualis latro fuerat, ouem in diuinum sacrificium facere; quàm ex armentario Prophetam, & ex Pastore Regem. Denique idem apud Cyprianum auctor ser. de Pass. ait: *In cruce latro confitens non tantùm indulgentiam meruit; sed Christi familiaris effectus præmissus est in paradisum, & factus est particeps regni, per confessionem factus collega martyrij.* Cypriani sententiæ subscribit etiam August. lib. 1. de Anima, & eius origine c. 9. *Latro ille non ante crucem, Domini sectator; sed in cruce confessor à Cypriano sancto inter martyres computatur, qui suo sanguine baptizantur; quod plerisque non baptizatis feruente persecutione prouenit. Tanto namque pondere appensum est, tantumque valuit apud eum, qui hac nouit appendere, quòd confessus est Dominum crucifixum; quantum si fuisset pro Domino crucifixus. Tunc enim fides eius de ligno floruit, quando discipulorum marcuit. Illi desperauerunt de moriente, ille sperauit in commoriente. Refugerunt illi authorem vitæ; rogauit ille consortem pœnæ. Doluerunt illi tamquā hominis mortem; credidit ille regnaturum esse post mortem. Deseruerunt illi sponsorem salutis; honorauit ille socium crucis. Inuenta est in eo mensura martyris, qui tunc in Christum credidit, quando defecerunt, qui futuri erant martyres: & hoc quidem oculis Domini clarum, qui non baptizato tamquam martyrij sanguine abluto tantam felicitatem statim contulit.* Idem tamen August. lib. 4. de baptismo cap. 22. Cypriani sententiæ assentiri non videtur; ibi enim cum allatam Cypriani de latrone sententiam retulisset, subdidit: *Quod etiam, atque etiam considerans inuenio non tantum passionem pro nomine Christi id, quod ex baptismo deerat, posse supplere; sed etiam fidem, conuersionemque cordis; si forte ad celebrandum mysterium baptismi in angustijs temporum succurri non potest. Neque enim latro ille pro nomine Christi crucifixus est: Sed pro meritis facinorum suorum: nec quia credidit passus est; sed dum patitur credidit.* Quare August. latroni non martyrium, sed cordis ad Deum conuersionem ex pecatorum contritione fuisse pro baptismo asserit; contritio autem baptismus flaminis, hoc est desiderii, & in voto dicitur.

S. Latro an Martyr dici possit: hîc, & sequenti.

Act. 9.

Ioan. 21.

Amos 7.

S. Latro Prophetæ Amos, & Dauidi cōparatur.

1. Reg 19.

De hoc vide August. lib. 2. Retractationum c. 18

810. Si cum Cypriano, Hilario, Hieronymo, aliisque latronem, vt martyrem æstimare velimus; piè dicere possumus latronem diuinitus illustratum firmiter credidisse, si à Domino à cruce liberationem, & temporalem vitam petiisset, id certò se impetraturum: noluisse tamen petere; vt in testimonium debitæ satisfactionis diuinæ iustitiæ, mortem pro præteritis demeritis subiret: tum maximè, vt Christum Dominum omnino innocentem, & post mortem verè regnaturum in cruce testaretur; atque adeo esset tale testimonium valdè luculentum: tum quia à morti proximo proferebatur; tum quia ad illud proferendum non ex aliquo iam obtento beneficio, qualis liberatio à morte fuisset, mouebatur. Quare bene Gaufridus ser. 10. ait: *Latro confessor ex latrone efficitur; & martyr ex confessore: & tormenta, quæ prius in latrone cœperant, nouam gratia co-*

quæ prius in latrone cœperant, nouam gratia coronam & præmium martyrii ſortiuntur. Similiter ait Diego: *O beatiſſimum latronem: imme non latronem, ſed martyrem, & confeſſorem: neceſſitatem enim vertit in voluntatem; & pœnam commutauit in gloriam, & crucem in triumphum.* Neceſſariò quidem S. latro cruci affixus moriebatur; ſed quia moriendi neceſſitate vitam à Chriſto petendo, liberari noluit, cum neceſſitatem in voluntatem vertiſſe bene Diogo ait. *Hinc etſi pœna cœperit in latrone, nouo genere conſummatur in martyre*, vt ait Eucherius, & ſimiliter citatus Gaufridus.

Dregol de paſſ. Dom. 8. arram.

Eucherius hom. de latrone.

811. S. Bonauentura ſer. 2. de pluribus martyribus bonum latronem martyrem fuiſſe ex eo cenſet, quòd patientiſſimè mortem tulerit. Carthagena ait: *Milites quando latronis crura fregerunt, id non ſolum effecerunt, quia iam mortis erat crucifixos hoc ſupplicij genere antequam morerentur afficere; ſed ſimul etiam ex odio in Chriſtum; quia viderant latronem eum coluiſſe, & tamquam Regem cœli, & terræ confeſſum fuiſſe. Has ergo cum ſuſtinuiſſet latro illata tormenta propter egregiam, & præclaram, quam de Chriſto protulerat confeſſionem, non dubitauerim illum cum diuo Cypriano martyrem vocitare.* Hanc boni latronis martyrii rationem, quam Carthagena tradit, afferunt etiam Corenus lib. 1. de Patientia cap. 21. & Bonacina diſp. 2. de Sacram. q. 1. p. 2. Eadem etiam reperitur apud Henriquez lib. 1. de Pœnit. cap. 14. num. 2. litera K. Bonacina prætereà aſſerit latronem martyrem dici poſſe; quia non tam citò crucis ſupplicium ſubiiſſet, niſi Iudæi illud accelerandum curaſſent, vt hinc Chriſti infamia inter latrones morientis augeretur; ideoque tunc pro Chriſto mortuus latro videtur. Has Bonauent. Carthagenæ, & Bonacinæ martyrii rationes bene improbat P. Raynaudus valde erudito libello de latrone c. 12.

812 *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*, Matth. 11. 12. Dominus dixit. Vbi violenti præcipuè ſancti martyres intelliguntur. Hi enim non ſolùm in cœlum piè violenti fuerunt; ſed in tyrannos, in immanes feras, in elementa, in ſeipſos piam, miramque vim intulerunt. In tyrannos audacter contradicentes; in feras naturalem earum ſæuitiem cohibentes, *obturauerunt ora leonum*: in elementa, *extinxerunt impetum ignis*: in ſeipſos, ſæuiſſimos cruciatus, mortemque ſubeundo. Inter piè violentos cœleſtis regni raptores præcipuum locum obtinet S. Latro; de quo bene S. Chryſoſtomus ait: *O mira rerum conuerſio! Latro credit, & Iudæa fremit. Fecit latro de cruce impetum, & intrauit in Paradiſum romphæa flammea circumdatum. O violentum latronem! O artificioſæ effractionis vim! Ipſum clauicularium tenuit, per ipſum ad Paradiſi interiora peruenit. Vidiſti quando neque in cruce artis ſuæ obliuiſcitur; ſed ipſa confeſſione prædatur regnum.* De eodem enim Chryſoſt. ait: *Latro de ligno mercatur ſalutem; hic latro furatur cœleſte imperium. Vim facit maieſtati non virtute propria, ſed fide vincens. Ipſius Domini vox eſt: Regnum cœlorum vim patitur, & violenti diripiunt illud.* S. Athan. exclamat: *O beatum latronem, rapuiſti in mundo latrocinando; rapuiſti item regnum cœlorum.* Similiter Nyſſenus: *Non ſponte ſua latro ad crucem acceſſit; ſed poſtquam prope ſalutem fuit, animaduertit acutus, & ingenioſus fur theſaurum; & nactus occaſionem vitam rapuit, arte*

Violenti qui ſint cœlum rapientes.

Ad Hebr. c. 11. 33.

Chryſoſt. hò. 3. de reſurr.

Chryſoſtom. hom. in Paraſceue. de cruce, & latrone.

Mat. 11. 12.

Athanaſ. ſer. contra hæreſes.

Nyſſenus orat. de § 5. 40. Martyribus.

A *furandi pulchrè, & ſolerter abuſus.* Encherius Hom. de latrone: *Beatus latro non iam iuxta viam inſidias tendens; ſed viam ipſam in Chriſto tenens, ac vsitepradam ſubito rapiens, in miniato genere, & noua ſpolia de morte propria reportans.*

§ 3. Martyr hoc eſt teſtis dicitur, quod ad teſtandam, tuendamque Chriſtianam veritatem mortem ſubeat. S. Latro non ſolùm veritatis, Chriſtique innocentiæ teſtis eſſe voluit; ſed inſuper ipſius Chriſti aduocatus. Quare Chryſoſt. cum de cæco nato, qui Chriſti cauſam contra aduerſarios Phariſæos egregiè defendit Ioan. 9. locutus eſſet, addidit: *Admirati eſtis* B *cæcum, qui beneficio affectus, patronus effectus eſt veritatis: latronem, qui ante beneficium acceptum Chriſti aduocatum egit, admiramini.* Præmium, quod ob victoriam defenſa cauſa reportatam, aduocato à cliente datur, Palmarium Iuriſtæ vocant: quod quidem Palmarium aduocati victoriæ, & clientis nobilitati reſpondere debet. Meritò ergo, quòd S. Latro pro cœleſti Rege aduocati munere functus eſſet; cœleſtis regni ingreſſus ei Palmarium fuit. Ad aperiendas cœli portas bis ſancti Angeli claris vocibus geminarunt: *Attollite portas, Principes, veſtras, & eleuamini portæ æternales.* Eaſdem cœli portas paucis vocibus, & ex propinqua morte C languidis ſibi S. Latro reſerauit, cum Chriſti Domini innocentia defendit. *O latro verbo puſillo cœlum aperis! O latro cœleſtis regni mercator*, exclamat Athan. Iudas mercator peſſimus triginta argenteis inferni ſibi carcerē emit. Latro mercator optimus Paradiſi regnum ſibi tribus verbis emit, de Domino dicens, *Nihil mali geſſit.* Incantationibus implorata Dæmonum ope abditos theſauros reperire plures impii ſunt conati: Bonus latro tribus prolatis verbis cœleſtem theſaurum piiſſimè reperit. *O latro, mirum incantamentum tibi ad mirum theſaurum acquirendum excogitas*, ait idem Athanaſius. Verè latronis vox benefici, non *venefici incantantis ſapienter* vox fuit. Præmium actoribus datum, quòd D in ſcena bene ſuas partes obiiſſent, corollarium dicebatur. In Chriſti paſſionis tragœdia cum latro Chriſti defenſoris partes in cruce verè, non fictè peregiſſet, in præmium cœleſte regnum conſecutus eſt; hinc bene ei ibidem S. Athanaſius ait: *O latro, iuſtitiæ patronus, crucis veluti corollarium tibi cœlum efficis.*

Chryſoſt. orat. de cæco nato t. 6. recens impreſſ.

S. Latro Chriſti aduocatus.

Pſ. 23.

S. Latro cœli mercator, Iudas proditor inferni mercator.

Athanaſius ſer. in Paraſceue.

Athanaſ. ſupra.

Pſ. 57.

Corollariū Actorum in ſcena præmium.

§ 4. Inter plures, & egregios titulos, quos pio latroni SS. Patres meritò tribuunt, præcipuus prædicatoris inſignis titulus eſſe debet. *O potentiam Ieſu! Latro iam Propheta eſt*, nempe diuinæ veritatis interpres; *& è cruce prædicat*, ait Chryſoſt. *Latro prædicat vbi effugiunt: & tremunt Apoſtoli. Concionator illuſtris impoſito* E *latroni blaſphemantis ſilentio, victoriæ ſuæ palmam à Iudice exigit*, ait Arnoldus Abbas. Et quia Euangelicus prædicator ore & opere prædicare debet; S. Latro ore, & opere; confeſſione, & conuerſione prædicauit: ore quidem, & confeſſione Chriſti Domini innocentiam, & regnum; opere autem, & conuerſione Dei magnalia manifeſtauit.

Chryſoſt. ſer. 2. in Paraſceue.

S. Latro côcionator illuſtris.

Arnoldus de ſecundo Chriſti verbo.

815. Primò inter diuina magnalia latronis conuerſione manifeſtata, Dei expectantis peccatorem ad pœnitentiam eximia longanimitas fuit, de qua Petrus Apoſtolus ait: *Domini noſtri longanimitatem ſalutem arbitremini.* Quare quòd de Paulo, & Matthæo Chryſoſtomus ait, idem de conuerſo latrone ex Dei longanimitate dici

Epiſt. 2. Pet. c. 3. 15.

Chryſoſt. hom. 5. de pœnitentia.

S. Latro manifestat Dei maximam longanimitatē erga peccatores: hic, & sequent.

bene potest: *Si velox ad pœnam fuisset Deus, Paulum Ecclesia non possedisset, si primò talem tamquam noxium necasset. Propterea distulit blasphemantem, vt pœnitentem ostenderet Dei longanimitas. Lupum in pastorem transtulit Dei longanimitas. Publicanum fecit Euangelistam Dei longanimitas. Omnium nostrûm miseratæ omnes conuertit, reduxit omnes. Si videris olim ebrium ieiunare; si olim blasphemum, nunc Theologum: si eum, qui quandoque turpibus cantilenis os inquinauerit suum, diuinis nunc hymnis animam purgare; mirare Dei longanimitatem, pœnitentiamque collauda; & conuersionem illius suspiciens dic: Hæc mutatio dexteræ Excelsi.*

Psal 76 11.

816. Ibidem Chrysostomus ait: *Esau nonne fornicator, nonne profanus erat? nonne odibilis Deo, sicut Scriptura testatur: Iacob dilexi, Esau autem odio habui? Si ergo fornicator, & parricida, & profanus, & odibilis, quare protinus meritam non suscepit animaduersionem? Si excisus fuisset, maximum fortassis iustitiæ fructum mundus amisisset. Audi: Esau genuit Raguel, Raguel Zaram, Zara Iob. Cernis quantus elanguisset patientiæ flos, si præueniens Deus à radice pœnam exegisset.* Debitas erga Esau pœnas Deus diu distulit, vt ex eius stirpe Iob nasceretur; qui quamuis valde cruciatus, mira patientia in sterquilinio Deum benediceret. Similiter latronis Deus supplicium diu distulit, vt is in cruce tandem Christi Domini innocentiam prædicaret.

Malach. 1. 2. 3.

817. Secundò latronis conuersio miram Redemptoris potentiam prædicauit. Ideo Chrysostomus sic alloquitur Christum Dominum latroni dicentem: *Hodie mecum eris in Paradiso. Quid dicis? cruci clauis affixus es, & Paradisum promittis? Quomodo hæc talia largieris? Propterea in cruce polliceor, vt & per hanc meam discas potentiam. Cum sit crux res iniucunda, & molesta, ne vultum deiicias ad crucis naturam attendens; sed vt lætus, & alacer efficiaris, ad Crucifixi potentiam respiciens, ea de causa illic suam tibi virtutem ostendit. Non enim mortuum excitans, non mari imperans, non dæmones increpans; sed crucifixus, iniuria affectus, sputis oblitus, conuicijs impetitus, irrisus, & ludibrio habitus potuit ad se malam latronis mentem attrahere. Vide vtrinque potentiam illius effulgentem. Creaturam concussit; petras disrupit, animam latronis petra duriorem, cera molliorem effecit. In sanctam suam patriam ingressus, latronem secum introducit non inhonorans Paradisum* [absit] *pedibus latronis: sed hoc ipso magis honorans. Honor enim Paradisi est habere talem Dominum, tam potentem, & humanum, vt & latronem possit efficere dignum Paradisi delicijs. Sicut Medicum tunc admiramur, cum intuemur eum homines incurabilibus morbis laborantes depulsa infirmitate pristina, & pura sanitati restituere: ita Christum admirare, & obstupesce; quia homines immedicabilibus morbis obstrictos potuit, & à malo liberare; & regno cœlorum dignos reddere eos, qui ad supremum improbitatis culmen ascenderant.*

Chrys orat. 1 de Parasc. S. Latro Redemptoris potentiā ostendit: hic, & sequ.

818. Similiter S. Leo ser. 4. de passione ait: *Cum tam velox esset fidei effectus, vt de crucifixis cum Christo latronibus, qui in Christum filium Dei credidit, Paradisum iustificatus inuenerit; quis tanti muneris explicet Sacramentum? Quis potentiam eam miræ commutationis enarret? Exiguo temporis puncto longorum scelerum reatus aboletur: inter luctantis animæ dura tormenta hærens patibulo transit ad Christum: &* A *cui propria impietas intulit pœnam, Christi gratia dat coronam.*

819. S. Maximus hom. in quartum articulum Symboli de Domino ait: *Supplicium crucis elegit, vt sublimiorem victoriam pareret pœna deterior; & qui Vniuersitatis bono patiebatur, quasi in conspectu mundi in altum subleuatus occumberet; simul, vt qui crucifixum videbant, mirabilia cernerent crucifixi: Nam satis, abundéque gloriam patientis ostendunt repentina solis obscuritas, tremor terrarum, saxorum diuisio, resurrectio mortuorum. Illud autem quanti est testimonij, quòd etiam pariter crucifixus latro memoriam sui in cœlesti regno fieri à consorte supplicij precabatur!*

B

820. Sanctus Augustinus lib. 2. de symbolo cap. 6. ait: *Christus statim latronem fecit confessorem; vt per eum impiorum restauraret ruinam. Videte redemptum, quem diabolus possederat homicidam. Videte Dominum virtutum & in ipsa morte miracula facientem. Tunc latro confitebatur, quando Petrus turbabatur. Tunc iste agnouit, quando ille negauit.*

821. Diabolum suæ versutiæ vim contra Dei potentiam iactare non posse præcipuè mira latronis conuersio manifestauit. Quare de S. crucis ligno Chrysost. ait: *Plura lignum inuexit bona, quàm à Principio fuerint inuecta.* Subdit deinde Chrysostomus: *E paradiso diabolus Adamum eiecit, latronem Christus introduxit. Ille hominem nullo infectum peccato; sed sola inobedientiæ macula eiecit; Christus latronem innumera peccatorum onera gestantem in paradisum introduxit. Non solùm introduxit latronem; sed ante mundum vniuersum, & ante Apostolos; ne quis posterorum se ingredi posse desperet; neque spem omnem suæ salutis abiiciat; cum innumeris scatentem malis in regio versari palatio videat. Latro nudo verbo prolato, sola fide exhibita in Paradisum ante Apostolos insilijt: vt intelligas non eius probitatem tantùm valuisse; sed Domini benignitatem tantùm negotium peregisse. Quid enim latro dixit? Quid fecit? Num ieiunauit? Num fleuit? Num se afflixit? Num longo tempore pœnitentiam exhibuit? Nequaquam: sed in ipsa cruce post sententiam salutem obtinuit. Vide celeritatem à cruce in cœlum, à supplicio in salutem.*

Chrysostom. hom 7. ad dit. in Gen

C

D

822. Tertiò quantum Dei filii sub humana carne aduentus, eiusque passio profuerit, conuersus latro in paradisum introductus ostēdit. Ante Christum Abraham *apud inferos, post Christum latro in Paradiso,* ait Hieronymus in epitaphio Nepotiani.

823. Quartò pœnitens latro salutem consecutus ostendit verissimam esse Dauidis sententiam Psal. 93. *Cogitationes hominum vanæ sunt:* & propterea Apostolus homini de aliis iudicare præsumenti ait: *Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? Domino suo stat aut cadit:* hoc est apud Deum vniuscuiusque Dominum causa cadet, & condemnabitur; vel stabit, & absoluetur. Propterea Anastasius Sinaita nos monet: *Fratres, ne iudicemus, rogo, vt venia digni existimemur. Tu enim fratrem tuum fortè peccantem vides; nescis autem quis sit eius vitæ futurus exitus. Latro ille, qui vnà cum Iesu crucifixus est, siccarius erat, & homicida: Iudas autem erat Apostolus, & discipulus Christi, & ex veris, & germanis discipulis. In exiguo autem tempore non parua rerum commutatio facta est: & latro quidem in regnum, discipulus verò in perniciem factus est.*

S. Latro de proximo malè iudicandum nō esse docuit. Ad Rom. 14.

E

Anastasius fragmento de communione.

814. Quintò

Iacob c. 2. 13. Gregor. hō. 13 in Euāg. S. Latro Deum velocem ad miſerendū, tardum ad puniendum oſtendit: hic & ſequ. *Chryſoſt. hom. de pœnitentia.*

814. Quintò latro ſua couerſione tam citò A Paradiſum conſecutus veriſſimamdemonſtrauit Iacobi ſententiam de Dei miſericordia iuxta Gregor. *Superexaltat miſericordia iudicium*; hoc eſt, Dei miſericordia ſuperexaltat ſe ſupra iuſtitiam, rigidumque Dei iudicium: ideo Pſal. 144. 9. dicitur: *Miſerationes eius ſuper omnia opera eius.* Idem enim Deus, qui pœnitenti latroni Paradiſi præmium nihil diſtulit; pœnas peccatori debitas diu diſſert. Quod bene perpendit Chryſoſt. dicens: *Cernis quod Deus ſit ad ſalutem velox, tardus ad demolitionem, ad reparationem properans. Nos homines multo in tempore ædificamus domum, & ipſius ſtructuræ multum temporis impēdimus, parum verò deſtructioni. E conuerſo autem fit B à Deo: cum ſtruit, velociter ſtruit; cum deſtruit, tardè deſtruit. Sex in diebus Deus cœlum, terramque fecit: magnitudines, lateraque montium, campeſtria, flumina, Paradiſum viſibilem, omnem cultum, & virtutem. mare hoc magnum, & ſpatioſum, inſulas, maritima loca; omnem hunc viſibilem mundum, & qui in eo eſt ornatum, ſex diebus conſummauit: quæ in eo ſunt animalia rationalia, & irrationalia, omnemque viſibilem cultum ſex diebus fecit. Hic igitur tam velox in conſtruendo, cum cepit vnius demoliendæ vrbis conſilium, inuentus eſt bonitate tardus. Vult Iericho demoliri, & dicit ad Iſrael: Circuite eam ſeptem diebus, & octaua die cadet murus. Mundum vniuerſum ſex in diebus conſtruis, & C vnam vrbem ſeptem diebus ſoluis? Quid tuæ potentiæ impedimento accedit? Quare repente non deſtruis? Numquid de te Propheta non clamat: Si aperueris cœlum, tremor montes occupabit; liqueſcent ſicut cera à facie ignis? Numquid non opera virtutis tuæ narrans dixit: Non timebimus dum turbabitur terra; & transferentur montes in cor maris: Montes transferre in mare potes, atque vrbem vnam non vis deſtruere repugnantem; ſed dies ſeptē tribuis excidio. Quare? Nùm potentia imbecillior? Sed clementia diutius tolerat.* In hac Ierichuntinæ vrbis demolitione præcepit Deus: *Sacerdotes clangent buccinis.* Quare Sacerdotes, & non conſueti in exercitu tubicines? Quia buccinarum ille ſonitus non erat ad prouocandum hoſtem in pugnam; ſed ad diuinæ clementiæ ſerò punientis bonitatem promulgandam. Thr. 2. à Ieremia dicitur: *Cogitauit Dominus diſſipare murum filiæ Sion; tetendit funiculum ſuum. Qui tamē non ſolet tendi, niſi in conſtructione murorum*, ait Hugo. Sed ad deſtruendum Deus funiculum, ſeu vt eſt in Hebræo regulam adhibet, vt non præceps, ſed per menſuram ſera deſtructio fiat.

Ioſue c. 6. ſic legitur: Circuite vrbem cūcti bellatores ſemel per diem, ſic facietis ſex diebus. Septimo autē die, & c. muri funditus corruent ci uitatis ci. Ioſ. 6.

Pſal. 96.

Pſal. 45.

Ioſue c. 6.

815. Præterea diuinæ clementiæ ſerò punientis bonitas circa Niniuen peccatricem ciuitatem enituit; de qua Ionas dixit: *Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur.* Cum paradiſus promittitur, à Domino dicitur: *Hodie mecum eris in paradiſo.* Cum Niniue ſubuertenda prædicitur, quadraginta dierum ſpatium interponitur. Similiter cum Deus, vt homines à peccatis auerteret, Noæ vocibus per inundantes aquas diſſipandam terram comminatus eſſet; aquarum diluuium vſque ad centum annos diſtulit; tot enim annos arcæ fabrica perdurauit iuxta Origenem, Auguſtinum, Gregorium, & Rupertum; qui de præuaricantibus eo tempore ait: *Circiter annos centum increduli fuerunt prædicante illis publica arcæ fabricatura; & tanto tempore expectauit eos Dei patientia.* Quot igitur erant mallei ictus, quot ſe-

Ionas c. 3.

Quando expectabāt Dei patientia in diebus Noe, cum fabricaretur arca

curis, aſciæ, ſerræque ſtrepitus; tot benignæ Dei voces erant, quibus patientiſſimè peccatores ad pœnitentiam excitabat.

ep. 1. Petr. c. 3. 20. Origenes lib. 4. contra Celſum. Auguſt. lib. 15. de ciuit. cap. vltimo. & lib. 12. contra Fauſtum c. 18. & lib. Q. in Geneſ. Q. 5. Rupertus lib. 4. in Gen. c. 19.

816. Sextò ſua conuerſione pius latro oſtendit aptiſſima comparatione Dei Iudicia profundiſſimæ abyſſo à Dauide comparari Pſal. 35. 7. *Iudicia tua abyſſus multa*: ex hac abyſſo incolumis bonus latro in paradiſum emerſit; impœnitens vero latro in inferni incendium eſt demerſus. Hinc Chryſoſt. ait: *Crucifixi ſunt cum eo duo latrones, vnus à dextris, alter à ſiniſtris; erat medius Saluator tamquam ſtatera veritatis, vnum eleuans confitentem, & alterum blaſphemantem condemnans.* Similiter Auguſt. ſer. de Sanctis ait: *Ibi erat Chriſtus, vbi & latrones. Similis pœna, & diſſimilis cauſa. Vnus latro credidit, alius blaſphemauit. Dominus tamquam de tribunali inter ambos iudicauit; illum, qui blaſphemauit, in tartarum damnauit; alium in paradiſo ſecū conſtituit. Quare hoc? Quia etſi æqualis pœna; ſed impar erat cauſa. Eligite ergo martyrum cauſas, ſi vultis peruenire ad martyrum palmas.*

Greg. hom. 15. in Ezech. S. Latro Dei iudicia, vt abyſſum multam oſtendit. *Chryſ. orat. de cæco nato tomo 6. Græco-latino.*

817. Septimò pœnitens latro patienter cum Chriſto in cruce pendens, & hinc in paradiſum admiſſus oſtendit veriſſimam eſſe Apoſtoli ſententiam: *Sicut ſocij paſſionum eſtis, ſic eritis & conſolationis. Si commortui ſumus, & conuiuemus, ſi ſuſtinebimus, & conregnabimus: ſi complantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius; ſimul & reſurrectionis erimus. Heri cum Chriſto in cruce agebar, hodie ſimul cum illo glorificor. Heri commoriebar; hodie ſimul viuificor. Heri conſepeliebar; hodie ſimul reſurgo*, cum Nazianz. bonus latro dicere potuit. Sapiens Idiota in contemplatione de vera patientia c. 4. ait: *Tribulatio reddit hominem ſecurum Iudicij, quia non conſurget duplex tribulatio. Oſtendit præterea ſalutem æternam; quia ſi compatimur, & conregnabimus. Quia tu Domine Ieſu Chriſte, latronem te in cruce confitentem audiſti, & eidem dixiſti: Hodie mecum eris in Paradiſo; ſocium tribulationis à communione tua non patieris repelli*: Similiter ſanctus Maximus: *Qui conſortio paſſionis vtitur, conſortio paradiſi condonatur. Beatus enim latro cum ſupplicium patitur, regnum cœleſte conſequitur. Non enim perueniſſet ad gloriam, ſi non contraditus eſſet ad pœnam.* Similiter ſanctus Bernardus: *Ieſus nunquam ſocium tribulationis à communione gloriæ patietur arceri: Vſque adeo non dedignatur paſſionis ſuæ conſortem in regnum mittere ſecum; vt in cruce confixus latro eodem die cum eo fuerit in Paradiſo. Hinc eſt, quòd ait etiam ad Apoſtolos: Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in tribulationibus meis; & ego diſpono vobis regnum. Quia ergo ſi compatimur, & conregnabimus, ſit interim meditatio noſtra Chriſtus, & hic crucifixus: ipſum ponamus ſignaculum ſuper cor, ſignaculum ſuper brachium noſtrum: ipſum amplectamur brachijs quibuſdam vicariæ dilectionis; ipſum ſequamur ſtudio piæ conuerſationis.* Brachia quæ in beata patria Chriſti amplexu dignanda ſunt, cruci prius ſunt affigenda.

Aug. ſer. 50. 2. ad Cor. c. 1. 7. 2. ad Tim. c. 2. Ad Rom. c. 6. S. Latro paſſione glorificationem acquiri docuit. *Nazianz. orat. 1. in Paſcha.*

S. Maximus hom. 1. de latrone.

Bernardus ſer. 1. de verbis Iſaiæ.

Lucæ c. 22. 28.

Cantic. 8. 6.

818. Octauò ſanctus latro ex arido crucis ligno immarceſcibilem cœleſtis gloriæ palmam conſecutus, docuit nulli vnquam quamuis ſceleſtiſſimo peccatori ſalutis ſpem areſcere debere; certiſſimamque eſſe Dei ſententiam: *Impietas impij non nocebit ei in quacunque die conuerſus fuerit ab impietate ſua.* Hinc Gregorius de Magdalenæ conuerſione locutus

S. Latro ſalutis ſpem nemini areſcere debere docuit: ibi, & ſequ. *Ezechiel. c. 33. 12. Gregor. hom. 25. in Euāg.*

scilidit: *Quid fratres, quid in hac re debemus aspicere; nisi immensam misericordiam Conditoris nostri? Qui nobis velut in signo ad exemplum pœnitentiæ posuit eos, quos per pœnitentiam viuere post lapsum fecit? Perpendo enim Petrum, considero latronem, aspicio Zachæum, intueor Mariam, & nihil aliud in his video, nisi ante oculos nostros posita spes, & pœnitentiæ exempla. Fortasse in fide lapsus est aliquis; aspiciat Petrum, qui amarè fleuit, quòd timide negauerat. Alius contra proximum suum in malitia crudelitatis exarsit; aspiciat latronem, qui in ipso mortis articulo ad vitæ præmia pœnitendo peruenit. Alius auaritiæ æstibus anhelans aliena* Lucæ 19. *diripuit; aspiciat Zachæum, qui si quid alicui abstulit, quadruplum reddidit. Alius libidinis igne succensus carnis munditiam perdidit; aspiciat Mariam, quæ in se amorem carnis igne diuini amoris excoxit. Ecce Omnipotens Deus vbique oculis nostris, quæ imitari debeamus, obijcit: vbique exempla sua misericordiæ opponit.* Chrys. hom. Similiter Chrysostomus peccatori cuilibet ne in Psal. 50 desperet ait: *Si impius es, cogita Publicanum: si immundus es, attende meretricem: si homicida es, perspice latronem: si iniquus es, cogita blasphemum.* Quibus vltimis verbis blasphemasse antea latronem Chrysostomus indicat. Vel blasphemi nomine intelligit Apostolum Paulum, qui de se ait 1. ad Tim. cap. 1. 13. *Prius blasphemus fui*; & hoc ex sequenti Chrysostomi loco colligitur.

819. Idem hom. de Chananæa ait: *Nemo de salute sua desperet. Publicanus es? Potes fieri Euangelista. Blasphemus es? Potes Apostolus fieri. Latro es? Potes deprædari Paradisum. Magus es? Potes Dominum adorare. Non est vitium vllum, quòd non pœnitentia soluatur. Idcirco Dominus nequitiæ delegit fastigia; vt nullus ad funem confugere debeat. Noli mihi dicere: Perij: quid mihi restat? Noli dicere: Peccaui; quid faciam? Medicum habes, qui morbum potest vincere: Medicum habes, qui sanat omnem languorem: Medicum habet, qui nutu suo curat: Medicum habes, qui voluntate corrigit; qui potest, & vult sanare. Cum non esses, te produxit; cum iam sis, & peruersus sis, multò magis corripere poterit. Non audisti quomodo quondam puluerem de terra sumpserit, & hominem finxerit; quomodo terram conuertit in carnem.* Sed quoniam Deuteron. 4. 24. ad retrahendos ab Idololatria Hebræos dicitur: *Caue, ne facias tibi sculptam similitudinem; quia Dominus Deus tuus ignis consumens est:* hoc est, Deus iniuriæ sibi illatæ est vindex, eamque acerrimè punit, velut ignis omnia consumens: eadem verba ad excitandos in salutis spem peccatores intelligi posse Chry- Chrys. supr. sostomus docet: *Si incidens in spinas ignis, eas absumit; multò magis voluntas diuina delicta nostra consumit, radicitus euellit; & peccatorem ei qui non peccauit, similem reddit. Quia scriptum est: Deus noster ignis consumens est. Sicut qui ignem accendere volunt, prius fumantur, & ignis molestia lacrymantur: ita oportet nos diuinum ignem cum lacrymis in nobis accendere*, ait Syncletica apud Rosweidum in vitis Patrum lib. 5. tract. 3. c. 16.

830. Sermone 69. Chrysologus ait: *Nisi me solaretur beati Pauli subita, & inopinata conuersio, vix crederem tam facile vos de terrena labe in cœlestem posse gloriam commutari. Illum namque de persecutore mox Apostolum præstitit repentina confessio, & Ecclesiæ dedit insignem Magistrum, quem furentem Christiani nominis inuenerat vastatorem.* Addit deinde Chrysologus ex Actis Apostolorum capit 8. Exemplum Æthiopis eunuchi Reginæ Candacis, qui curru vectus in patriam, & à sancto Philippo Diacono in fide instructus, & baptizatus est. Quo exemplo docet per conuersionem ad Deum faciliorem esse transitum ab infidelitate ad gratiam; quàm à propinquis nobis regionibus in remotam Indiam: *Nec minus, inquit, animat me illius spadonis exemplum, quem fides ante rapuit ad gratiam, quàm currus ad Indiam, domumque reuocaret. Accedit etiam illius latronis mirabile documentum, qui tunc rapuit Paradisum, quando latrocinij sui pœnas, est appensus, vt solueret.*

831. Canticorum 1. Domino dicitur: *Oleum effusum nomen tuum. Trahe me: post te curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Dei nomen velut odoratissimi liquoris fragrantiam habens, ob quam ad eum currimus, illud est, de quo dicitur Esdræ 4. cap. 8. 31. *Tu propter nos peccatores misericors vocaberis.* Hinc Bernardus ait: *Omnino propter mansuetudinem, quæ in te prædicatur, currimus post te, Domine Iesu, audientes, quòd non spernat pauperem; peccatorem non horreas. Non horruisti confitentem latronem, non lacrymantem peccatricem; non Chananæam supplicantem; non deprehensam in adulterio; non sedentem in telonio; non supplicantem Publicanum; non negantem discipulum; non persecutorem discipulorum; non ipsos crucifixores tuos. In odorem tuum currimus.* Hic autem ad Deum per pœnitentiam cursus, cum Deus prope sit; vt ad eius paternum amplexum peccator perueniat, longum tempus non exigit.

Lacrymis diuinus ignis accendendus. Misericordia diuina erga peccatores: hic, & sequent. Bernard. ser. 25. in Cant.

832. Genesis 7. 13. dicitur: *In articulo diei illius ingressus est Noe, & filij eius, vxor illius, & tres vxores filiorum eius in arcam.* Sicut in articulo, hoc est in puncto decimiseptimi diei mensis, cum diluuij aquæ inundarent, Noe sua cum familia in arcam à diluuio se saluum recepit. Similiter peccator in ipso vltimo vitæ articulo, antequam diuinæ vltionis, pœnarumque diluuium in eum inundet, in salutis arcam se saluum, si eum peccatorum pœniteat, recipere potest. Ideo apud Cyprianum sermon. de cœna Domini dicitur: *In eodem articulo temporis, cum iam anima festinet ad exitum; & egrediens ad labia expirantis emerserit, pœnitentiam clementissimi Dei benignitas non aspernatur; nec serum est, quod verum; nec irremissibile, quod voluntarium. Et quæcunque necessitas cogat ad pœnitudinem; nec quantitas criminis, nec breuitas temporis; nec hora extremitas, nec vitæ enormitas [si vera contritio, si pura fuerit voluntatis mutatio] excludit à venia. Sed in amplitudine sinus sui mater Charitas prodigos suscipit reuertentes. Et velit, nolit Nouatus hæreticus, omni tempore Dei gratia recipit pœnitentes. Ipse Dominus noster derelictorum personam gerens in cruce, se queritur derelictum: & ne desperarent in vltimis constituti, festinans in adiutorium illicò adest; & re in arcto posita non differt beneficium; sed repente indulgentia celeris documentum,*

eiusdem statuit, & exemplum, latroni inquiens: Hodie mecum eris in Paradiso.

833. Diaboli pessima metamorphosis est illa, de qua conqueritur, & miratur Ierem. Thr. 4. *Filij Sion incljti, & amicti auro primo*; seu ex Chaldæo, *similes auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea*, hoc est lutea? Hi filii Sion incliti iuxta S. Thomam sunt viri religiosi, & pii; qui in peccatum incidentes, in vasa lutea commutantur. Sicut pessima hæc mutatio ex Dei gratia, & amicitia in peccati labem momento temporis diabolo instigante fit; ita temporis momento alia optima à Deo fit; per quam peccatores ex luteis aurei fiunt. Hinc Chrysost. ait: *Quid latrone, & homicida scelestius? Nonne hoc summum malitiæ genus est? Sed ad ipsum virtutis apicem quamprimùm euasit, & in ipsum assumptus est Paradisum: nec dierum, nec dimidia quidem horæ, sed breuis tantùm momenti indiguit. Eadem & nos ratione repente mutari possumus, & ex luteis aurei fieri.*

Chrysost. in proleg. in Ioan.

Metamorphosis spiritualis.

834. Valde quidem liberalis fuit illa Dei promissio Israelitico populo facta. Leuit. 26. 5. *Dabo vobis pluuias temporibus suis. Apprehendet messium tritura vindemiam; & vindemia occupabit sementem.* Sed quantò maior Dei liberalitas est circa spiritualium illustrationum in animo sationem, & vberem cœlestium gratiarum messem? Nam vt Chrys. ait *In agro mentis non secus, quàm in terreno agro, missis spiritus serenis & culturæ adiungitur, & eodem momento quauis anni tempestate seri, ac meti pro voluntate potest.* Nec tantùm statis temporibus, sed omni tempore Deus ad animam spiritualiter fœcundandam cœlestium gratiarum pluuias elargitur.

Dei liberalitas maxima.

Chrysost. hō de paradiso, t. 2. Græco-latino.

835. Ad formandum ex rudi, duroque metallo Idolum Isa. 44. 12. dicitur: *Faber ferrarius lima operatus est: in prunis, & in malleis formauit illud, & operatus est in brachio fortitudinis*, idest summo brachiorum labore, & repetitis mallei ictibus. At Dei potentia, cum ex obdurato peccatore per pœnitentiam, & gratiam iustum format, longo tempore, & repetitis ictibus non indiget. Ideo de iustificato latrone Arnoldus Abbas loquens ait. *Multa antiquaque peccata illico abolet gratia: nec processu, moráque temporis indulgentia limat, corroditque culpæ rubiginem. Sed vbi repente facto cœlitus sono Spiritus Sanctus illabitur, quidquid immaduerat peccati tabe, siccatur: nec superest vllum fœcunditatis vestigium vulneri, quod misericordiæ abluit lauacrū.* Bene enim Ambros. ait: *Nescit tarda molimina S. Spiritus gratia.*

Dei in peccatoris iustificatione celeritas.

Arnoldus supra.

Ambros. 2. in Luc. c. 1. Augustin. 9. confes. c. 4.

836. Sed quoniam peccatores, vt loquitur Aug. *Insani sunt aduersus antidotum, quo sani esse potuissent*: & eorum iniquitas *de remedijs creat morbos, conficit de medicina languorem, sanctitatem vertit in crimen, placationem facit reatū, generat de propitiatione discrimen*, vt ait Chrysol. ideo ex latronis pœnitentia sera & celerrima salutis consecutione peccatores ansam arripiunt differendi in vltimum vitæ tempus pœnitentiam; & hinc antecedente vitæ tempore mundanis voluptatibus citra damnationis periculum frui se posse credunt. Ne tam fragilem, fallacemque ex latronis exemplo peccatores ansam arripiant; damnationis periculum ipsis imminere cogitent ex alio furis exemplo; illius scilicet furis, de quo Apostolus ait: *Dies Domini sicut fur in nocte ita veniet. Cum enim dixerint: Pax, & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus.* Ideo Chrysost. Theodorum monachum in peccatum lapsum ex veniæ desperatione reuocans ait: *Erige, obsecro,*

Chrysologus ser. 7.

S. Latronis exemplo conuersio nō est procrastinanda: hic, & sequ.

1. ad Thess. c. 5. Chrys. epi. 6.

A *mentem Euangelici latronis exemplo iustificati in cruce, & in ipsa morte saluati. Ante oculos collocabo eos etiam, qui vndecima hora aggressi sunt opus; sed ad totius diei mercedem peruenire meruerunt. Vt igitur satis durū videtur, & barbarum his, qui deuoluti fuerint ad profundum imi gurgitis cœnum, si casus prioris crimina emendens, salutare correctis remedium denegare: ita rursus haud tutum est hac spe hominem ad vitia nutriri, vt dicat: Emendatio post ista succurrit; nunc interim voluptatibus vitæ istius fruar, postea autem per exigui temporis castitatem mercedes quoque transactorum adipiscar annorum. Memini sæpe dixisse: Si in isto etiam breui temporis spatio bonum terminum vitæ minimè fueris consecutus, quomodo ad illum ibis, qui dixit: Nolo differas conuerti ad Deum: neque diem ex die protrahas; nescis enim quid pariat superuentura dies. Huius consilij recipe, & recordare obsecrationē; & constringe vinculis furem. Hoc enim nomine excessum de hoc seculo nostrum Christus appellat; quòd ignorantibus veniat, & nescientibus nobis repentinus adsistat.* Matth. 20. Eccli. c. 5. 8. Prouerb. 17.

837. Idem ser. 38. ex paruis S. Bern. inculcat: *Quid dissimulant homines in vita sua agere pœnitentiam, & extrema de confessione præsumūt? Quomodo sub vnius horæ articulo reuocari posse existimant omnia animæ membra, cuius concupiscentia, & desideria per totum mundum sparsa sunt; & vbique terrarum velut quodam visco tenentur? Si bene memini in tota canone Scripturarū vnū latronem inuenio sic saluū. Noli ergo tā periculosæ expectationi credere temetipsum. Spiritus non modò vbi vult, sed quando vult spirat: nec ei difficile est subitò perfectā dare contritionem cordis, quam vix multo tempore alij consequuntur. Sed vnde scis, quòd Deus tibi ita subuenire velit, quē tu interim sic repellis? Benignus quidem est Spiritus sapientiæ; sed non liberabit maledictum à labijs suis. Audis quis ille sit; Maledictus qui peccat in spe.* In Indica historia legimus audacissimum quemdam modico nauigio ex India in Lusitaniam superatis immanibus Oceani fluctibus incolumem peruenisse: nemo est tamē, qui huius damnata audacia naues magnis turritis arcibus similes ad oceanum nauigandū ascendere non contendat. Similiter nemo esse debet, qui reiecta valde periculosa, & dubia vltima vitæ pœnitentia, toto vitæ tempore sanctis operibus tutum iter ad cœlestem patriam sibi potius nolit eligere. Contra pœnitentiæ procrastinationem plura diximus ser. 5. Dom. pass. in illud de Magdalena: *Vt cognouit.* Sap. c. 1. 6.

Stabant autem iuxta crucem Iesu mater eius, & soror matris eius Maria Cleophæ, & Maria Magdalene. Ioan. 19.

838. Sanctus Matth. c. 15. 40. ait: *Erant mulieres de longè aspicientes, inter quas erat Maria Magd. & Maria Iacobi minoris, & Ioseph mater, & Salome.* Quomodo ergo eædem longè, & iuxta crucem stetisse dicuntur? Resp. ex regula Aug. ser. 16. de verbis Domini: *Distribue tempora, & concordabit Scriptura.* Iuxta hanc regulā dicendum videtur Magdalenam, aliasque socias Marias, & ipsam Deiparam prius à militum turba, ne propius accederent, impeditas, postea ingruentibus obscurato sole tenebris iuxta crucem propius accessisse.

Distribue tempora, & cōcordabit scriptura.

839. In Christi Domini passione *petræ scissæ sunt; & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.* Maiori tamē admiratione esse debet, quod B. Virgo in sanctissimi filii passione magna

constantia iuxta crucem steterit: cum alioquin dicere benè potuerit: *Nec fortitudo lapidum fortitudo mea.* Mortui quidem, in Domini passione, vna tamen superata morte surrexerunt: at beata Virgo cum toties mori debuisset, quoties Christi Domini opprobria, & cruciatus geminabantur; quoties pendentem è cruce filium aspiciebat; hinc est, vt mortibus pluribus superatis constanter iuxta crucem stans mirabilius sanè spectaculum exhibuerit. Quantus Beatæ Virginis in filii-passione fuerit dolor, & hinc quòd martyrii aureolam sit consecuta, diximus Dom. 3. Quadrag. sub finem.

Iob. 6 12.

B. Virginis mira in sanctissimi filii sui passione constantia.

B. Virginis in sanctissimi filii passione ingēs dolor: hîc, & seq.

840. Cum Dominus, non solum ob reuerentiam erga æternum Patrem ad quem orabat; sed etiam ob virium defectum, quem voluntariè subiit ex propinquæ acerbissimæ mortis vehementi apprehensione in Gethsemani horto in terram procidisset; cumque in itinere ad Caluariæ montem ter ex virium etiam defectu cecidisset, vt Adrichomius refert; hinc B. Virgo, vt in omnibus Christi passionis particeps esset, ex vehementi dolore sub filii crucifixionis initium in terram cecidit: diuinitus tamen suffectis viribus inde surgens iuxta crucem stetit, vt ipsa Deipara sanctæ Brigittæ reuelauit lib. 1. cap. 10. *Cum primus clauus infigeretur ei, ego ad primum ictum conturbata cecidi quasi mortua, oculis obscuratis, manibus trementibus, pedibus nutantibus; & non respexi præ amaritudine, antequam ex toto affixus erat. Surgens verò vidi filium meum miserabiliter pendentem; & ego mater eius mœstissima vndique consternata vix stare potui.* Quamuis enim animo miram constantiam semper B. Virgo seruauerit; in ea tamen corporis ex vehementi dolore lassitudo perdurauit; ideoque dixit: *Consternata vix stare potui.* Ad indicandum B. Virginis præ aliis dolorem fuisse maiorem, ei tribuuntur illa apud Ierem verba: *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor sicut dolor meus.* Quare cum plures aliàs dolore affectos veluti exanimes vis doloris in terram prostrauerit; hinc profectò talis doloris vim Beatam Virginem passam esse dicendum est: idque sanè decebat ad testandum, quàm acerba, quam ex parte crucifixorum iniqua Domini passio foret; cum propter eam afflicta mater sanctissimi filii innocentiæ, ac dignitatis bene conscia penè exanimis in terram ceciderit.

Adrichomius inde scriptione Ierusalem n. 118.

B. Virgo præ dolore prius ad terram cōsternata, deinde ad crucē constāter stetit.

Ieremia Thr 1. 12.

841. Virium defectum, ex quo ad terram Deipara lapsa est, exstasim ipsamet nominauit, S. Brigittæ lib. 4. cap. 70. dicens: *Ad primum istum ferientis mallei ego ex dolore in exstasi fio*, hoc est in sensuum alienatione: *& euigilans filium meum confixum video.* Hoc B. Virginis deliquium, sensuumque alienationem plures negant, & apud Cornelium probant, *tum ex ratione conformitatis voluntatis eius cum diuina, per quam volebat filium suum pro humani generis redemptione mori: tum ratione constantiæ, & fortitudinis animi, qua ipsa prædita erat: tum ratione decentiæ, quam decuit Virginem seruare; non enim conueniebat Matrem Dei corporales quosdam defectus habere; aut aliquid dissonum, & indecorum in ratione esse: gratius enim erat, quòd compateretur secundùm rationem, quàm secundùm partem sensitiuam.* Addit Suarius: *Ioannes Euangelista refert eo tempore, quo Christus vehementius patiebatur, Virginem stantem permansisse, & nec animo, nec corpore concidisse. Vnde Ambrosius nec fleuisse illam affirmare audet. Stantem, inquit, lego, flentem non lego.*

B. Virgo an in filii passione deliquium passa sit: hîc, & sequent.

Suar. 3. p. t. 2. disp. 4. sec. 3.

Ambros. de obitu Valētiniani.

842. Sed contra est primò; quia cum vehemens dolor semianimem aliquo temporis spatio B. Virginem redderet; non ei proinde in sanctissimi filii passione diuinæ voluntati conformitatem abstulit: immo, quòd ad talem conformitatem seruandam contra naturalem matris affectum sibi vim inferret, maius doloris augmentum voluntariè est perpessa: ideo ad modicum tempus præ dolore, sensuum vsu caruit. Secundò B. Virginis constantiæ, animique fortitudini corporalium virium defectus nihil detraxit: sicut quod Christus Dominus in Gethsemani horto *cœpirit pauere, tedere, & mœstus esse*, nihil contra eius animi constantiam, & fortitudinem deducitur; cum in eo spiritus quidem promptus esset, caro autem infirma. Tertiò cum dicitur gratius fuisse, quòd compateretur secundùm rationem, non secundùm partem sensitiuam; respondeo secundùm vtramque partem B. Virginem sanctissimi filii sui cruciatibus compassam esse; quis enim est qui Christum secundùm partem sensitiuam ingentem dolorem passum esse non asserat? Quartò ad id quod dicitur conueniens fuisse Deiparam corporalem defectum non habere; aut aliquid dissonum, & indecorum ei in ratione esse: respondetur in ea corporalem quidem virium defectum fuisse; nulla tamen cum indecentia, aut in ratione dissonantia. Quòd autem talis virium defectus sine vlla indecentia etiam corporali fuerit, B. Virginem spasmum subiisse, vt quidam dixerunt, est cum Caietano, & aliis omnino negandum. Spasmus enim à Græco verbo σπάω i. conuello, membrorum, neruorumque conuulsionem significat, quam certè conuulsionem in B. Virginis dolore non fuisse dicendum est. Quòd si spasmus non secundùm etymologiæ proprietatem, sed secundùm vulgarem acceptionem, vehementem dolorem significat; tali sensu spasmi nomen B. Virginis dolori ab aliquibus tribui bene potuisse concedimus. Sicut quamuis ex clauorum confixione spasmus in Christo esse debuisset, à neruorum incisione proueniens; nihilominus spasmus cum membrorum conuulsione non fuit; sed tantùm cum ingenti, qui ex spasmo prouenire solet, dolore. Secundò, Ad id, quòd à Ioanne dicatur tantùm: *Stabat iuxta crucem Iesu mater eius*, respondeo, matris ex dolore deliquium Ioannem omisisse, non negasse; quòd ex ipsis allatis Ambrosii verbis confirmari potest: licet enim vt Ambrosius ait, Deiparam iuxta crucem fleuisse non legamus; improbabile tamen omnino est, piissimam matrem tunc à lacrymis abstinuisse, cum in cruce ipsum Dominum lacrymasse idem Ambrosius asserat ex Apostoli verbis de Christo ad Hebr. 5. 7. *In diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad eum, qui possit illum saluum facere à morte cum clamore valido, & lacrymis offerens exauditus est.* De Deipara etiam Ecclesia canit: *Stabat mater dolorosa iuxta crucem lacrymosa, dum pendebat filius.* Fuit tamen Deiparæ fletus, sine vllo eiulatu, submisso gemitu, non editis alta voce suspiriis.

B. Virgo in filii passione spasmū non est passa.

Caietanus in Opuscul.

B. Virgo in filii passione lacrymas fudit.

843. Quàm ingens B. Virginis dolor fuerit ex Ethici sententia illa habetur. *Pulsus doloris est amor.* Sicut enim suo motu pulsus quan-

Pulsus doloris est amor.

ta febris æstuatio sit indicat: ita ex amoris affectuque animus cùm dolet in amantis corde dolor, æstuet, indicatur. Cum ergo maximus fuerit erga sanctissimum filium Virginis amor, maximum etiam eius dolorem fuisse dicendum est: & quia *fortis est vt mors dilectio*; mirum esse non debet, si Beata Virgo ex dolore dilectioni commensurato velut exanimis primò fuerit; quamuis postea pius erga matrem filii amor suffectis corpori viribus fortem eius animum constantemque seruauerit: ita vt ex deliquio surgens iuxta crucem constanter reliquo tempore stare potuerit. *Cum tanta dilectione, tanta exultatione Beata Genitrix ex præsentia illius, & conuersatione fuerit iucundata; perpendat qui potest, quibus doloribus; quibus gemitibus, quibus suspiriis cruciabatur; quando enim à se crudelium manibus auelli, quando ad subeundam mortem conspiceret sisti*, ait Sanctus Anselmus. Sanctus Bernardinus: *Quidquid crudelitatis inflictum est corporibus martyrum leue fuit, aut potius nihil comparatione tuæ passionis; quæ nimirum sua immanitate transfixit cuncta penetralia tua, tuique benignissimi cordis intima*. Gulielmus explicans de Beata Virgine verba illa Cantic. 7. 5. *Coma capitis tui sicut purpura Regis*, ait: *Dum sacra illa caro, quam sibi de Virgine propitia Veritas sumpserat, pro eliciendo pretio redemptionis humanæ, clauis, & lancea foderetur; iuxta veridici Simeonis Prophetiam, piæ matris animam pertransibat gladius. Quot vulnera filius accipiebat, tot pia mater accipiebat in corde; quod quatuor, vel tres claui; & vna lancea faciebant in carne filii: hoc vnus ille gladius faciebat in anima matris. Rubebat caro filii sanguine passionis; rubebant materna illæ cogitationes, vt ita dicam, sanguine compassionis. Bene ergo illi dicitur: Coma capitis tui sicut purpura Regis*. Comæ capitis mysticè capitis cogitationes significant.

B Virginis dolor in passione, erga filium amori commensuratus. Cant. 8. 6.

S. Ansel l. 3. de Virg. excellentia c. 3. S. Ber Dom. 1. ser. art. 12. S. Bern. ser. 61. in Cant.

Comæ capitis mysticè cogitationes significant.

844. *Et soror matris eius Maria Cleophæ*. Hieronymus contra Heluidium, ait: *Maria ista, quæ in Marco, & Matthæo Iacobi, & Ioseph mater dicitur, fuit vxor Alphæi, & soror Mariæ matris Domini; quam Mariam Cleophæ nunc Ioannes cognominat à patre, siue gentilitate familiæ, aut quacunque alia causa ei nomen imponens. Si autem inde tibi alia atque alia videtur, quòd alibi dicatur Maria Iacobi minoris mater, & hic Maria Cleophæ; disce Scripturæ consuetudinem, eundem hominem diuersis nominibus appellari*. Circa hoc vide plura dicta Fer. 3 post Dom. Pass. in illa verba: *Dixerunt ad eum fratres eius*.

Maria Cleophæ eadem Alphæi dicitur.

845. *Et Maria Magdalene*. Hæc, quæ antea fuerat *in ciuitate peccatrix*, relictis lasciuiæ pompis sub pœnitentis specie pulla veste contecta, præteritæque vitæ damnata, cruci adstans multo clarius Domini sanctitatem, cuius opera resipuerat, testabatur; quàm ipse sol obductus caligine testaretur. Mirabilius enim est peccatricem animam lasciuiæ sordes relinquere; quam suos solem radios deseruisse.

Luc. c. 7. 37. Magdalena ad crucem adstans Domini sanctitatem melius, quàm sol sub ducta luce testatur.

Cum vidisset ergo Iesus matrem, & discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier, ecce filius tuus. Ioan. 19.

846. QVomodo Dominus cruci affixus matrem viderit, ipsa Deipara sanctæ Brigitæ reuelauit dicens: *Corona spinea capitis eius arctissimè imposita fuit; quæ ad medium frontis descendebat, plurimis riuis sanguinis ex aculeis infixis decurrentibus per faciem eius; & crines, & oculos, & barbam replentibus, vt quasi mihi, nisi sanguis totus videretur, nec ipse me adstantem cruci videre poterat, nisi sanguine expresso per ciliorum compressionem*. Cum Christus Dominus ad matrem aspiciendam à defluente sanguine impediretur; ipsa piissima mater, ne in sanctissimum filium intentos semper oculos haberet; eam defluentes lacrymæ impediebant. Quare S. Bernardus de Beata Virgine ait: *Quoties ipsam ad illa immitia oculos putas eleuasse? Si tamen aliquando inde deflexit; vel si nimio fluxu lacrymarum potuit intueri*. Cum autem vel compresso sanguine, vel lacrymis sanctissimus filius, & piissima mater se inuicem intuebantur, mutuo aspectu alter alteri acerbissimum dolorem augebat. *Quodammodo crucifigebatur Maria, cum filium suum crucifigi videret, nouamque crucem Christo inferebat*, ait Lauspergius.

S. Brigitta lib. 4. c. 60.

Christus in cruce, vt matrē videret, cōpressis palpebris sanguinem expressit.

Bern. ser. de Pass.

B. Virgo ad crucē adstās Christi altera crux.

Lanspergius hom. 48 de Pass.

847. *Dicit matri suæ: Mulier, ecce filius tuus*. Ad perpendendum hoc Christi erga matrem officium, sequentia sancti Ambrosii verba affert S. Thomas in catena: *Maria mater Domini ante crucem stabat filii. Nullus me hoc docuit, nisi S. Ioannes Euangelista. Mundum alii concussum in Passione Domini conscripserunt; cœlum tenebris obductum; refugisse solem; in Paradisum Latronem; sed post confessionem, receptum. Ioannes docuit, quod alii non docuerunt; quemadmodum in cruce positus matrem appellauerit. Pluris putauit, quòd victor suppliciorum pietatis officia matri exhibebat; quàm quòd regnum cœleste donabatur vita æterna. Nam si religiosum est, quòd latroni donatur vita, multò vberioris, pietatis est, quod à filio mater tanto affectu honoratur. Ecce, inquit, filius tuus: ecce mater tua. Testabatur de cruce Christus, & inter matrem, atque discipulum diuidebat pietatis officia*.

848. Quæritur hîc, cur Dominus B. Virginem mulieris, & non matris nomine appellauit? Respondet primò Lyranus ita eam appellasse, ne commemoratio matris nomine ei dolorem augeret. Hæc responsio non satisfacit; plus enim doloris B. Virgini attulit, quòd communi mulieris nomine appellata, non amplius matris nomine dignaretur. Respondetur secundo iuxta Philosophos extinctis filiis, matris, patrisque relationem cessare: vt igitur Dominus se iam veluti exanimem indicaret; maternum nomen sanctissimæ matri non tribuit. Hinc de Beata Virgine ad crucem adstante, Sincerus cecinit: *At mater, iam non mater, sed flentis, & orba infelix simulacrum*, &c. Maternitatis enim relatio erat ad Christi humanitatem; quàm in Christi morte desiisse, ita vt toto triduo post eius mortem neque diuinum Verbum homo fuerit, bene probat cum sancto Thoma Suarius 3. p q. 50. art. 6. disp. 38.

B Virgo cur à sāctissimo filio in cruce mulier appellata.

Senatorius l. 1. de partu Virginis.

B Virgo plusquam martyr.
Bern. ser. de B.V. signum magnum.

849. Porrò allata Domini verba, licet alioquin officiosa, quantum doloris sanctissimæ matri attulerint, perpendit Bernardus ita B. Virginem alloquens: *Tuam pertransiit animam vis doloris; vt plusquam martyrem non immerito prædicemus; in qua nimirum corporeæ sensum passionis excesserit compassionis affectus. An non tibi plusquam gladius fuit sermo ille re vera pertransiens animam, & pertingens vsque ad diuisionem animæ, & spiritus: Mulier ecce filius tuus? O commutationem! Ioannes tibi pro Iesu traditur, seruus pro Domino, discipulus pro magistro, filius Zebedæi pro filio Dei, homo purus pro Deo vero. Non miremini, fratres, quod Maria martyr fuisse dicatur.*

Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua.

Ioanni B. Virgo cur in matrem data triplex ratio
Ambros. exhortatione ad Virgin.

850. CVr tanto munere, quale Domini mater erat, Ioannes dignatus fuerit, triplicem rationem affert sanctus Ambrosius. Primò, quòd à Domino vocatus statim patrem, matrem, consanguineosque reliquerit. Secundò, quòd virginitate seruata filios nesciuerit. Tertiò, quòd supra pectus Domini recubuerit: illi enim qui in B. Virginis filium destinabatur, meritò Domini pectus pro nouæ generationis cunis esse debuit. *Matrem Dominus de cruce discipulo suo dilectissimo tradidit S. Ioanni, qui dixit patri, & matri suæ: Non noui vos, & vocatus à Christo reliquit patrem Verbum secutus. Huic traditur Virgo, qui suos nesciat. Huic traditur Virgo, qui de pectore Christi hauriat sapientiam. Huic traditur Virgo, qui fratres suos non cognouit, & filios suos non sciuit.*

Deuter. 33.

Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua.

851. IN quæ sua Ioannes matrem Domini accepit? *Neque enim non ex eis erat, qui dixerunt ei. Ecce nos dimisimus omnia, & secuti sumus te. Sed ibi quoque audierat: Quicunque ista dimiserit propter me, accipiet in hoc seculo centies tantum*, ait Augustinus. Verè Ioannes naturali matre relicta centuplum, & eo amplius in hac ipsa vita accepit; cum Deiparam vt parentem habuit. Sed vrget propositam dubitationem Augustinus dicens. *Quomodo matrem magistri, & Domini sui discipulus, & famulus accepit in sua; vbi aliquid suum nemo dicebat? Sic debemus accipere quod dictum est: Ex illa hora suscepit eam discipulus in sua; vt ad eius curam quidquid ei esset necessarium pertineret. Suscepit ergo eam in sua, non prædia, quæ nulla propria possidebat; sed officia, quæ propria dispensatione exequenda curabat.* Sed sic etiam in sua prædia Deiparam Ioannes accepit, nempe in amantissimi sui cordis penetralia; quæ veluti fœcundissima prædia vberes, suauissimosque virtutum, sanctarumque operationum fructus quotidie proferebant. Vbi candidissima pudicitiæ lilia germinabant: vbi ardentissimæ charitatis rosæ purpurabant; vbi passionibus domitis pallentes violæ suauiter efflorebant. Secundò Deiparam Ioannes in sua suscepit; in sua scilicet quotidiana sanctissimæ Eucharistiæ conuiuia; cum Eucharistiæ sacramentum quotidie Ioannes Deiparæ ministrarit. Tertiò in sua etiam priuilegia, vt quid omnino præcipuum, & singulare Deiparæ sibi

Matth. 19. Marci 10.30. Luc 18.30. Aug. tract. 119 in Ioan.
Ioannes naturali matre relicta centuplum accipit.
Ioannes in quæ sua B. Virginem accepit?

A relictam maternitatem Ioannes accepit: hoc enim magis, quàm quod Apostolus, quod Euangelista, quòd Propheta, quod Martyr fuerit, meritò poterat Ioannes gloriari. Ad custodiendum Salomonis lectum sexaginta strenui viri ex Israelitis electi sunt. *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel*, dicitur Cant. 3. 7. At in B. Virginis obsequium, quæ in Dei filii thalamum est electa, instar plurium vnus Ioannes destinatus est. Hinc bene Cyprianus serm. de Passione, Christo Domino ait: *Considero te in cruce de matre sollicitum; cui volenti loqui tecum, cum Euangelizares, negaueras retroactis diebus colloquium. Nunc materno moueris affectu; & thalamum humanitatis tuæ cubiculario dilecto commendas; & prouides seriò benedicta inter mulieres Apostolorum clientelam, & obsequium Virginis virgini discipulo tradis.* B

Ioannes Christi thalami cubicularius.
Matt. 12. 47

A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super vniuersam terram vsque ad horam nonam.

852. QVæritur hîc, an tenebræ esse cœperint ante, an in ipsa, an post Domini crucifixionem? Respondetur tenebras cœpisse post aliquantum tempus, quo Dominus crucifixus est. C Scilicet post diuisas à militibus Domini vestes; post Iudæorum in Dominum exprobrationes, post latronum blasphemias; post pœnitentis latronis confessionem; eique à Domino promissum Paradisum: nam post hæc omnia tenebras factas esse Matthæus subdit. Quare ingruentibus tenebris tam prætereuntes, quàm Sacerdotes, Scribæ, & Seniores Domino impiè exprobrare desierunt; idque iuxta Annæ vaticinium primo Regum cap. 2. *Impij in tenebris conticescent.* Dices: Marcus cap. 15, vers. 33. Matthæo consonans cum dixisset: *Facta hora sexta tenebræ factæ sunt vsque in horam nonam*; idem versu 25. ait: D *Erat hora tertia, & crucifixerunt eum*: ergo tenebræ post tres horas à Domini crucifixione esse cœperunt; & consequenter Dominus expirans hora nona sex horas fuisset in cruce. Respondetur, Cum Marcus ait: *Erat hora tertia*, intelligi debet hora tertia iam completa: cum autem ait: *Facta hora sexta*, intelligi debet hora sexta per dimidiam ferè horam inchoata: & sic Matthæo Marcus non contradicit: & iuxta eum etiam tres circiter; non sex horas in cruce Dominus fuit. Porrò ad significandum tenebras, vt diximus, cœpisse post aliquantum temporis à sextæ horæ initio. Lucas dixit: *Erat ferè hora sexta, & tenebræ factæ sunt in vniuersam terram vsque in horam nonam.* Particula enim E *ferè* interdum ponitur propter excessum, interdum propter defectum illius numeri, de quo est sermo.

Tenebræ cœperunt aliquantum post crucifixum Dominum.
Euangelii textuum conciliatio.
Christus tres circiter horas in cruce pependit.
Luc. 23. 44.

853. Porrò cum Dominus crucifixus fuerit iuxta Marcum completa iam tertia hora, & consequenter sexta hora incipiente; idque in Missæ passionis oratione Ecclesia testetur dicens: *Domine Iesu Christe fili Dei viui, qui hora sexta pro redemptione mundi crucis patibulum ascendisti*, &c. hinc difficultas oritur ex Ioannis 19. 14. verbis, vbi de Pilato ait: *Erat parasceue Paschæ hora quasi sexta, & dixit Iudæis: Ecce Rex vester. Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum.* Sed si sexta hora Dominus ante Pilati tribunal erat, vtique non

potuit sexta hora in Caluariæ montem ductus crucifigi. *Cum, vt Maldonatus ait, tam multa inter damnationem, & crucem facta fuerint. Ductus à militibus in prætorium Christus, flagellatus, coronatus spinis, indutus purpura, multis modis illusus; deinde ad locum Caluariæ lentè, vt homo tantopere fatigatus, & crucem portans progredi poterat, ductus est; quæ omnia vix vna integra hora fieri potuerunt:* & consequenter eadem sexta hora Pilati sententia, & Domini crucifixio esse non potuit. Ad hanc difficultatem soluendam plures modos interpretandi sextam horam afferunt interpretes. Inter hos modos ille communior est; nempe per sextam horam intellexisse Ioannem horam non propriè sextam, sed ad sextam horam vergentem. At inter horam ad horam sextam inclinantem, & horam propriè sextam vix dimidiæ vnius horæ tempus intercedere potuit; quod quidem tempus ad tot illa, quæ modo diximus, satis fuisse non videtur. Vt igitur illatæ difficultati satisfiat, dicendum est alio modo accipi à Ioanne horam sextam, & alio modo à reliquis Euangelistis. Quod vt planius explicetur, dico diem dupliciter diuisum considerari posse.

Euangeliorum textuum conciliatio.

Diei duplex diuisio.

Primò, si diuidatur in quatuor horarum ternaria; quorum primum ternarium incipiens ab ortu solis dicatur hora prima: secundum ternarium vsque ad meridiem dicatur hora tertia: tertium ternarium incipiens post meridiem dicatur hora sexta; quartum denique ternarium vsque ad vesperam, dicatur hora nona. Secundò modo diuiditur dies in duodecim horas, iuxta quam diuisionem Dominus dixit Ioannis 11. *Nonne duodecim sunt horæ diei?* & Matthæi 20. operarii vocati dicuntur hora vndecima. Hoc posito, dico Ioannem dixisse horam quasi sextam, non iuxta priorem; sed iuxta posteriorem allatam diei diuisionem: & consequenter hora quasi sexta erat hora quinta, & dimidia post ortum solis. Alii verò Euangelistæ iuxta priorem diei diuisionem, eam horam sextam dixerunt, quæ septimæ ab ortu solis horæ respondet, quæque meridiana est. Hoc autem temporis spatio inter quintam horam iam inchoatam, & inter septimam incipientem Dominus ad Caluariæ montem est ductus. Nam alia illa, nempe Domini flagellatio, &c. quæ Maldonatus enumerat, fuerunt antequam Pilatus hora quasi sexta Iudæis diceret: *Ecce Rex vester*, &c. vt sine vllo dubio ex Ioannis narrandi ordine patet citato cap. 19. Quod autem Ioannes posteriori diei diuisione vsus sit, patet ex aliis eiusdem Ioannis locis; vbi iuxta talem diei diuisionem horæ accipiuntur; vt cap. primo 39. *Hora autem erat quasi decima*: & cap. 4. 52. *Heri hora septima reliquit eum febris.*

854. Circa tenebras in Domini passione obortas, alii obtenebratum fuisse solem asserunt ex solis eclipsi per lunæ interpositionem inter terram, & solem. Alii per solarium radiorum subtractionem. Ex quibus sententiis vna admissa alteram reiiciendam esse non censeo: puto enim vtramque simul conciliari posse, nec vnam alteram excludere. Primò de eclipsi S. Dionysius epist. 11. ad Apollophanem in Astronomiæ studio sibi ante conuersionem consocium sic scribit: *Heliopoli pariter morabamur, cum feria quadam sexta sol horribiliter est obscuratus luna se ei inijciente. Offenso orbe, vniformiter tenebrarum caligine tabescente, vt purgatum rediit solis diametrum*, id est globus; *regulam*, hoc est

Tenebræ in Domini passione orientur: hic, & seq.

A tabulam astronomicam, *Aridei assumpsimus. Cumque reperimus, quod & erat notissimum, tunc fatigatione eclipticâ solem pati molestias non debere; & lunam ab Oriente solarem fulgorem velis Æthiopicis*, hoc est nigris caliginibus, *obducentem solere in occidua ora captare perfugia*, id est ab Occidente ad Orientem moueri; cum secus tunc ab Oriente mota se soli supposuerit: *Tunc lucigenos thesauros*, hoc est solem, & lunam, *caligines, quas genuerunt, vsque ad Iliacos terminos proferentes, recondere occidentes*, suos scilicet lucis thesauros abscondere. Præsertim *cum luna deesset, nec conueniens appropinquaret tempus*, scilicet coniunctionis cum sole, à quo naturaliter in plenilunio tunc distabat. *Aio*
B *ad te peritiæ vastæ sacrarium, adhuc nesciens tantæ rei mysterium. Quid speculum doctrinæ Apollophane, his secretis adscribis? Atque tu mihi inquiens ore diuino, & non humani sensus sermone: Ista, ô bone Dionysi, diuinarum retributiones sunt rerum.* Quæ vltima verba sic explicat Carthusianus: *Ista contingunt ob iniuriam, & irreuerentiam illatam Deo, seu diuinis substantijs.* Idem Areopagita scribit epistol. 7. ad Polycarpum. In huiusmodi extraordinaria solis eclipsi quinque contigisse miracula docet S. Thomas tertia parte q. 44. art. 2. ad secundum, quæ ibi fusè explicata videri possunt. De hac
C eclipsi Augustinus epist. 80. ad Hesychium ait: *Quando vidimus solem sic obscuratum, quemadmodum obscuratus est, cum lumen mundi penderet in ligno?* Cumque lunam in sua plenitudine, solem verò in lunæ fine naturaliter eclipsim pati ibi dixisset Augustinus, subdidit: *non erat talis solis ille defectus, quando crucifixus est Christus; & ideo verè mirabilis erat, & prodigiosus. Pascha quippe fuerat Iudæorum, quod non nisi in plenitudine lunæ celebratur. Secundùm astrologorum autem numerum certum est solem, quando luna plena est, non posse deficere, sed quando finis est lunæ. Quid ergo tale vnquam quisquam meminit apparuisse de cælo?* Idem habet August. lib. 7. de Ciuit. cap. 15.
D 855. Præter solis ex interposita inter eum, & terram luna, obscuritatem, dicendum est etiam aliqua ex parte solares etiam radios fuisse subtractos; eo quòd luna multò minor sole ad eum omni ex parte obscurandum impar omnino sit; nisi terræ sit valde propinqua; quæ lunæ propinquitas, tunc non fuisse supponitur: alioquin superuacaneè sol radios substraxisset: quod tamen asserunt sancti Patres Hieronymus hîc, & Cyprianus serm. de bono patientiæ.

756. Dices, cum solarium radiorum subtractio ad omnimodam solis obscuritatem satis esse videatur; cur opus fuit, vt luna ad eundem obscurandum se ei supponeret? Respondet Suar. 3 p. t. 2
E bene Suarius 3. p. dist. 39. sect. 1. *Vt miraculum esset maius, & manifestius, voluit Deus vtroque modo fieri. Præterea voluit vtrumque luminare magnum Christo specialiter deseruire: & ad occultandam Christi nuditatem quantum in se erat quodammodo facere, alterum continendo radios suos, alterum retrogradiendo, vt se soli obijceret: in quo Christi morientis dignitas manifestata est, cui cælestes creaturæ seruiebant.* Cum scilicet sol in meridie, & luna in plenilunio perfecta, ambo tamen obscurati suis tenebris Christi patientis innocentiæ testes essent in cælo fideles. Tunc certè tenebris, & luci dici Psal 88 38.
potuit. *Benedicite lux, & tenebræ Domino.* Dei Daniel 3.

autem filius in sua gloria *amictus lumine sicut vestimento*, sua in passione tenebris operiri dignatus est. Et quamuis verissimè dictum sit: *Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ*: Dei tamen filius *candor lucis æternæ* inter tenebras pro humani generis redemptione è cruce pendere non abnuit.

Psal. 103. 2. Ioan. epist. 1. cap. 1. Sap. 7. 26.

857. Præter allatam rationem addi alia potest; scilicet, si sol omnino suos radios retraxisset, stellæ etiam obscuratæ essent; stellarum autem lumen deesse Dominus noluit, eo quòd in ea solis obscuritate matrem, & dilectum discipulum allocututus esset; in eosque obtutum vertens, eos designare vellet. Porrò stellas in ea solis eclipsi luxisse testatur Phlegom lib. 14. Olympiadum, relatus ab Eusebio in chronico anno Domini 33. similiter Orosius lib. 7. cap. 4. ait: *Stellas tunc diurnis horis, vel potius in illa horrenda nocte toto cælo fulsisse refertur.*

Stellæ in Domini passione fulserunt.

858. Quæritur hîc primò, an sol, & luna tribus tenebrarum horis sine motu constiterint: an verò sol suum motum peregerit, luna verò solem sequens se ei supposuerit? Respondet Suarius: *Potuit fieri, vt illis tribus horis vtrumque astrum sol, & luna quieta permanserint, vt Diuus Thomas 3. part. q. 44. art. 2. indicat: vel certè, quod facilius videtur, vt sol naturalem suum motum perageret, & illum luna præternaturaliter subsequeretur, seruans semper eandem proportionem, & interpositionem inter solem, & terram.* Hic secundus modus videtur probabilior. Si enim sol, & luna constitissent, longior ex ea mora dies fuisset: sicut fuisse legitur Iosue 10. 13. cum *stetit sol, & luna in medio cæli*. Longior autem dies sicut Iosue fidei, & meritis concessus fuit, ita Iudæorum perfidiæ, & demeritis concedendus non erat. Secundo ex tali longiore die Christi resurrectio, & ex ea Deiparæ consolatio dilata esset; hanc autem dilationem Deum noluisse probabilius dicendum est. Præterea tres lucis horas à tenebris diei ablatas non die eodem, sed resurrectionis die restituendas Dominus reseruauit. Ideo Chrysologus serm. 61. ait: *Ab hora sexta vsque ad horam nonam tenebræ factæ sunt. Ergo sol, qui præter horam, vt Domino compateretur abscesserat; claritate, cum surgeret Dominus, ante tempus occurrit: & qui, vt suo commoreretur authori, ipsam meridianam suam mortificauerat claritatem; vt consurgeret authori suo, euictis tenebris antelucanus erupit. Quia tunc sol, vt mane faceret, manicauit; & qui ante noctem fugerat, tunc ipse noctem praeuenit fugaturus: vt reddat luci nox horas, quas terra Dominicæ Passionis inuaserat.*

Suar. supra.

Sol in Domini passione obtenebrans consueti motu retinuit, nec tunc longior ex solis mora dies fuit.

856. Quæritur secundo, an eodem tempore totus sol obscuratus fuerit, an successiuè. Ratio autem dubitandi est, quia cum lunæ ingressus sub sole successiuus fuerit, successiua etiam solis obscuratio esse debuit. Sed quia præter lunæ sub sole ingressum, diximus etiam solem suos radios retraxisse; ad id si respiciatur, solis obtenebratio simul facta esse potuit. Respondet Suarius: *ingressum, egressumque lunæ sub sole successiuè factum esse, & non oportuisse perfectas tenebras vnico instanti fieri, aut expelli; sed paulatim prout luna ingrediebatur, & egrediebatur sub sole; atque ita factum esse ex Dionysii obseruatione non obscure colligitur. Immo B. Thomas existimat probabile, non esse necessarium vt perfectæ tenebræ tribus horis durarint; sed illas*

Sol in Domini passione an totus simul obscuratus fuerit, an successiuè.

Suar. supra.

A *horas computari ex eo tempore, quo cœpit remitti lumen solis vsque ad illud instans, in quo ad naturalem statum restitutum est. Quòd est quidem verisimile: quanquam existimo tempus illud, quo immorata luna est ingrediendo & egrediendo sub sole fuisse perexiguum. Quia licet tanta mora intercesserit, vt obseruari sensibus potuerit; tamen non est necesse tantam fuisse, vt per horam integram durauerit; atque ita perfectæ tenebræ vltra duas horas durarunt; & ideo simpliciter tribus, aut ferè tribus horis durasse dici possunt.*

860. Circa hoc vlterius quæritur, quando sol suos radios subtraxerit? Dico primo solem ex opposita parte radios non subtraxisse, cum sub eo ingredi luna cœpit; idque vt præternaturalis illa solis eclipsis ex lunæ interpositione clarè obseruari posset: procedente autem lunæ sub vlterioribus solis partibus ingressu, solares partes sub quibus luna vlterius procedens esse desiit, adhuc obscuratas remansisse; sed ex radiorum subtractione: solisque similiter partes à regrediente luna relictas, subtractis solaribus radiis obscuratas vsque ad nonam perdurasse. Ratio id dicendi est; quia hoc modo melius saluantur SS. Patrum sententiæ, quibus passionis Dominicæ tenebras præter lunæ oppositionem subtractis solis radiis tribuunt. Præterea magis propriè allatus modus consonat Euangelistis dicentibus *à sexta hora tenebras factas vsque ad horam nonam*: à quibus non tam consonanter, & propriè diceretur, si relictæ à lunæ transitu solares partes statim reluxissent. Dico secundo, cum dicitur sol radios subtraxisse; intelligendum esse de subtractione ad terram illuminandam: non autem ex superiori parte ad lumen stellis communicandum, quas eo tempore visas esse supradiximus. Dico tertiò, lunæ ingressum sub sole fuisse celerem, egressum vero tardiorem; quòd ingressus celer fuerit indicant verba, quibus dicuntur tenebræ factæ à sexta hora; quibus non solum obtenebratio inchoata; sed etiam perfecta significatur: ex tali autem celeri, & repentina solis obscuritate prodigium magis mirabile redditum est. E contrario lunæ egressus tardior fuit; cum fuerit post horam nonam, vt patet ex verbis Dionysii epist. ad Polycarpum, vbi de luna ait: *Rursus vidimus ipsam à nona hora vsque ad vesperam ad solis diametrum super naturaliter restitutam*: hoc est, *recollocatam in Occidente ex opposito solis per lineam rectam*, vt explicat Carthusianus.

861. Quæritur tertiò, an hæ tenebræ vniuersales fuerint; an tantùm in Palęstina, & propinquis regionibus? Respondeo fuisse vniuersales. Quam sententiam probant aliqui primo ex Matthæo dicente *tenebras factas esse super vniuersam terram*: sed oppositæ sententiæ authores respondent per vniuersam terram intelligi Palęstinam, eique propinquam regionem. Nam ex expressa sancti Hieronymi regula: *Idioma est sanctæ Scripturæ, vt omnem terram illius significet prouinciam, de qua est sermo.* Iuxta quam regulam, cum Isaias 13. ait: *A summitate cæli Dominus, & vasa furoris eius, vt disperdat omnem terram*: intelligit omnem terram Babylonis, de qua est sermo, vt idem Hieronymus ibi explicat. Quare hęc vniuersalium tenebrarum sententia neque ex verbis Hieronymi in Matthęum 27. probari bene potest, vt aliqui probant; ibi enim de huiusmodi tenebris Hieronymus ait: *Hoc factum reor, vt compleatur prophetia*

Tenebræ in Domini passione an in toto orbe vniuersales fuerint: hic, & seq.

Hieron. in Isa. c. 13.

Amos c. 8. 9. iuxta Septuaginta. propheti a dicens: recumbet sol meridie, & contenebrabitur super terram in die lux. Super terram, de qua est sermo, inquiunt aduersarii. Quare id dictum esse non omnibus terræ incolis, sed tantùm Israëlitis; quibus verè non sol occidit; sed captiuitatis tempore præ tristitia tenebrosus dies fuit, vt communiter ibi interpretes explicant. Idemque Hieronymus ait: *Dies illa diem captiuitatis significat; quando vterque populus ducetur in Assyrios, atque Chaldæos; quibus præ tristitiæ magnitudine occidet sol meridie; & clara omnibus luce, tenebræ cuncta complebunt.* Dices cum Suario: *In Scriptura hac solis defectio occasus solis appellatur; occasus autem solis significat generalem lucis absentiam.* Sed iam vidimus occasum, quem Amos prædixit, ad solos Israëlitas pertinuisse.

Suar. supra.

862. Probant aliqui secundo ex verbis Athanasii serm. de passione Domini dicentis: *Rerum natura suo sole destituta fuit.* Sed respondere possunt aduersarii Athanasium per rerum naturam non significare omnimodam vniuersalitatem; cum superiores cœli partes à solis illuminatione destitutæ non fuerint, vt supra vidimus.

863. Probant aliqui tertio vniuersales tenebras fuisse authoritate Sancti Thomæ 3. part. quæst. 44. art. 2. ad primum. Sed quod ibi Sanctus Thomas asserit, est tantùm, quòd ex S. Dionysii testimonio tenebræ vsque in Ægyptum se extenderint. Probatur idem quarto ex S. Chrysostomo hom. 79. in Matthæum, cuius profectò verba effugium nullum habent contra vniuersales tenebras; cum expresse de tali tenebrarum prodigio dicat: *Accidit, quod de cœlo factum est, quod Iudæi petebant, & in vniuerso terrarum orbe, quod nunquam prius acciderat, &c. Tu verò etiam animaduerte quando tenebræ fiant, in media videlicet die fiunt; vt vniuersi, qui terram habitant, videant.*

864. Probatur idem primo ex Tertulliano in Apologetico cap. 21. vbi Romanos de Christi passione alloquens ait: *Eodem momento dies, medium orbem signante sole, subducta est. Deliquium vtique putauerunt, qui id quoque super Christo prædicatum non scierunt. Et tamen eum mundi casum in archiuiis vestris habetis.* Hæc Tertulliani verba pro allata sententia citans Suarius vim facit in eo, quòd Tertullianus Romanis dicat talem eclipsim in eorum archiuiis scriptam reperiri: ex quo indicari videtur talem solis defectum etiam Romæ fuisse obseruatum. Sed cum ibi Tertullianus subdat: *Ea omnia super Christo Pilatus Cæsari tunc Tiberio nunciauit:* dicere aliquis potest Romanos eam solis eclipsim non vidisse; sed à Pilati relatione accepisse: indeque in archiuiis asseruasse. Quare vniuersales tunc tenebras fuisse potius indicat Tertullianus appellans illum solis defectum *Mundi casum.*

Suar. supra.

865. Probari idem sexto potest à pari: debuit enim talis solis defectus vniuersalis esse, & ad longinquas etiam regiones extendi; sicut alia in Domini passione prodigia, non intra Palæstinam tantùm, sed in longinquis etiam regionibus fuerunt. Cum enim in Domini passione petræ scissæ sint; & per petras, sicut alibi in Scriptura, lapidei montes, & rupes intelligantur; talis rupium, montiumque scissio facta est etiam in Italiæ montibus, scilicet in Hetruria in Aluerniæ monte; & in Campania in Caïetæ promontorio, vt refert Baronius anno Domini 34. Præterea cum in Domini passione ex Matthæo *terra mota* dicatur; talis terræ motus vniuersalis fuit, vt Orosius refert lib. 7. cap. 4. dicens: *Cum Dominus Iesus Christus voluntariè se tradidit passioni, maximo terræ motu per orbem facto, saxa in montibus scissa sunt; maximarumque vrbium plures partes plus solita concussione ceciderunt.* Et Eusebius 18. Tiberii anno ait: *Bithinia terræ motu concussa, & in vrbe Nyssena ædes plurimæ corruerunt: quæ omnia his congruunt, quæ in passione Saluatoris acciderunt.* Didymus explicans Iob verba de Deo cap. 9. 6. *Qui commouet terram de loco suo, & columnæ eius concutiuntur,* ait; *Terræ motus sæpe fiunt in terris, verùm, qui ante, vel post Christum extiterunt, partem quamdam terræ occuparunt. At i autem Christi tempore non priuatus fuit aliquis terræ motus; sed tota ipsa terra conquassata est è centro conuulsa.*

866. Probatur tertio vniuersaliter fuisse in toto orbe tenebras in Domini passione, ex eo quòd, vt diximus, cum obscuratus sit sol tum ex lunæ interpositione, tum ex solarium radiorum subtractione; nulla erat ratio cur huiusmodi obtenebratio in toto orbe non foret: in toto, inquam, orbe, vbi antea sol apparebat; nam apud Antipodes iam ex nocte tenebræ erant. Quod si in toto hemisphærio tenebræ non fuissent, dicendum esset per miraculum solem etiam ab interposita luna impeditum in terras aliquas radios transfudisse; quòd certè miraculum gratis omnino assereretur. Quamuis autem concedi verè debeat non in omnibus regionibus ex eclipsi æqualiter solem fuisse obscuratum; nihilominus, cum præter eclipsim, solarium radiorum subtractio fuerit, eam vniuersalem in omnibus aliis regionibus non fuisse, nulla est ratio cur dicatur: cumque extra Palæstinam solis omnimoda obtenebratio etiam in Ægypto fuerit, cur non etiam in remotis aliis regionibus fuisse dicendum est?

867. Dices: Exodi 10. 22. quamuis dicatur: *Facta sunt tenebræ horribiles in vniuersa terra Ægypti tribus diebus. Nemo vidit fratrem suum; nec mouit se de loco, in quo erat:* ibidem tamen dicitur: *Vbicunque habitabant filij Israel lux erat.* Ergo similis obtenebratio non vniuersalis in Domini passione fuit. Respondetur tenebras illas non fuisse ex solis defectu, vt Philo ait; sed vt ipsemet veluti se corrigens subdit: *Ex continuis, densisque nubibus cœlum subtexentibus, & nimia constipatione interclusis radiis.* Quòd patet, eo quòd ob constipati aëris crassitiem tenebræ illæ palpabiles ibi dicantur: & ob talem etiam obtenebrationis crassitiem neque tunc stellæ ab Ægyptiis videbantur. Dicitur enim Sap. 7. *Nec siderum limpida flammæ illuminare poterant noctem illam horrendam.* Talis autem densissimi aëris obnubilatio cum in ea Ægypti parte, quam Israëlitæ incolebant, non esset, ibi consequenter solaris lux non impediebatur. Quare congruenter satis, quamuis non verè Origenes putans tenebras in Domini passione non fuisse vniuersales, eam solis obscuritatem nubibus tribuit; sed falsò: quia iam supra ex Eusebio, & Orosio stellas in Domini passione visas esse diximus; quæ certè si aër nubilus fuisset, oculis latuissent: præterea ea aëris obnu-

Tenebrarum in Ægypto per Mosem, & in Domini passione tenebrarum discrimen: hîc, & sequ.

bilatio non miraculo, sed naturali hyemalis temporis dispositioni tribui potuisset. Quare non quidem Augustinus, sed auctor alius, qui apud Augustinum tomo tertio habetur, ait lib. 3. cap. 12. de mirabilibus sacræ Scripturæ: In Domini passione *solis defectio, non vt solet, facta erat quando luna accenditur*, scilicet in nouilunio, *sed in plena luna; ne casu putaretur fuisse quod euenerat: & tantum lucem solis media die tenebræ obscurauerunt, vt per tres illas horas defectionis, stellæ in cælo visæ sint.*

868. Porrò in Ægypto alibi tenebræ, alibi lux fuit; quia tenebræ obortæ erant ad puniendos Ægyptios; lux verò Israelitarum populum talem plagam non mereri, & sub Dei protectione esse indicabat. Quod tenebrarum, & lucis discrimen erga Iudæos, & à Iudæa remotos Gentiles non erat cur in Domini passione fieret; cum tam Iudæis, quàm Gentilibus solis obscuritate Christi Domini mortem in cruce subeuntis innocentia, & sanctitas esset manifestanda.

869. De his tenebris Maldonatus ait: *Arbitror non tam densas, tamque obscuras fuisse tenebras, quàm media nocte, neque sole, neque luna lucente esse solent. Nam milites & cæteri, qui aderant, non discesserunt. Mirum enim profectò fuisset, si per tres horas tam densas, quàm noctu vidissent tenebras, non discessissent.* Respondetur positis tam densis tenebris potius deduci adstantes non discessisse: sicut ob densas tenebras de Ægyptiis dicitur: *Nemo mouit se de loco, in quo erat.* Existimo tamen sole in Domini passione omnino obscurato plures territos discessisse; quibus ad discedendum lucentium tunc stellarum lumen satis fuit: quamuis alii vel obstinatione obcæcati, vel quod ad eos Domini custodia pertineret, remanserint.

870. Addit secundo Maldonatus fieri non potuisse vt per totum penitus terrarum orbem hora sexta tenebræ fierent; cum in media orbis terrarum parte nox tunc fuerit, & in plerisque aliis partibus, vbi dies erat, hora sexta idest meridiana esse non potuerit; cum diuersis in locis diuerso tempore meridies sit. Et manifestum est Euangelistas non solùm miraculum narrare voluisse, quòd tenebræ factæ fuerint; sed ita narrare voluisse, vt hora sexta, idest meridiana, cum maius miraculum erat, factum fuisse declararent. In his ergo locis, vbi meridies non erat, miraculum illud factum non est. Respondetur cum à Matthæo dicuntur *tenebræ factæ super vniuersam terram*, sine dubio eum intelligere de locis, vbi sol apparebat, vbi enim sol non erat, ibi cum iam noctis tenebræ essent, tenebræ denuo fieri non poterant; tenebræ enim sunt lucis priuatio; vbi autem lux non est, eius noua priuatio esse non potest. Præterea concedendum est non in locis omnibus sexta hora meridiana tenebras illas factas esse; sed tantùm in tali Iudææ parte. Per hoc tamen non tollitur, quin in aliis locis diuerso tamen diei tempore, tenebræ illæ fuerint. Alioquin contra Dionysii testimonium neque in Ægypto tenebræ fuissent; vbi eadem, quæ in Iudæa hora sexta non erat. Quare quamuis à creationis initio vtrique mundi hemisphærio idem temporis spatiũ commune sit, nihilominus vbi in vno hemisphærio vesper, vel mane est, in hemisphærio altero eodem tempore vesper, vel mane non est: & tamen Gen. 1. Moses absolutè dixit: *Fa-* *ctum est vespere, & mane dies vnus; dies secundus dies tertius*, &c. quia dicendo *vespere, & mane* respexit ad hemisphærium, vbi Adami creatio fuit. Similiter Euangelistæ dicendo *hora sexta* factas esse tenebras, ad locum vbi Domini passio erat, respexerunt; quamuis tenebræ factæ toti terræ orbi, vbi sol antea erat, communes fuerint.

871. Vltimam contra hoc tenebrarum prodigium oppositionem affert Origenes tract. 35. in Matthæum dicens: *Quia extra consuetudinem facta est illa defectio solis in tempore non antiquo sub principatu Romanorum; quomodo hoc factum tam mirabile nemo Græcorum, nemo Barbarorũ factum conscripsit, in tempore illo maximè qui Chronica conscripserunt?* Respondet Origenes: *Phlegon in Chronicis suis scripsit in principatu Tiberij Cæsaris.* Secundo de eodem solis defectu Paulus Orosius lib 7. cap. 4. ait: *Quod non solum Sanctorum Euangeliorũ fides, sed etiam aliquot Græcorum libri attestantur.* Tertio Lucianus martyr relatus à Ruffino in historia Ecclesiastica Eusebii lib. 9. cap. 6. Gentilibus dixit: *Perquirite in annalibus vestris, & inuenietis temporibus Pilati fugato sole interruptum tenebris diem*: fugato sole, idest solis radiis. Quæ verba S. Martyr non protulisset, si id in Gentilium auctorum annalibus scriptum non reperiebatur, & mendacii argui potuisset. Quòd si nunc tales auctorum Gentilium annales non extant, dicendum profectò est temporis iniuria periisse. Quartò Lactantius lib. 4. de vera Sapientia cap. 19. Sibyllæ de eodem solis defectu vaticinium refert. Denique in Apologia pro operibus Areopagitæ, quæ habetur in fine commentarii à Carthusiano scripti, rectè dicitur: *Quis Lazari triduum sepulti, & ad vitam reuocati, præter Ioannem scripto commeminit, miraculi super omnem admirationem? Iam multa alia in veteri testamento præter naturæ ordinem euenta à nemine Gentilium scriptorum sunt adnotata. Apparet quædam tanquam nota nimis esse præterita: quædam etiam apud posteros, quòd à prioribus non erant libris tradita, paulatim in obliuionem venerunt.* Præterea, quia vt Hieron. notat in Matth. 27. *Qui scripserunt contra Euangelia, suspicantur deliquium solis, quod certis, statutisque temporibus accidere solet, discipulos Christi ob imperitiam interpretatos.* Hinc factum est, vt Gentiles scriptores, talis prodigii non meminerint; cum consuetos solis defectus posterorum memoriæ mandandos non esse iudicarent. Adde etiam Ethnicos aliquos solis obscuritatem illam, rei ignaros densissimis in aëre nubibus tribuere facilè potuisse; & hinc vt non omnino insuetum prodigium in historias referre omisisse.

Tenebras in Christi testimonia etiam apud Gentiles: & cur nõ apud plurimos scriptores.

872. A Christo Domino *in conflictu pro nobis inito magno, & mirabili æquitatis iure certatum est*, ait S. Leo. Nam æqui certaminis lex est, vt paribus armis à certantibus dimicetur. Ad Dominum tanquam reum morte dignum comprehendendum nocturnis tenebris impii Iudæi vsi erant: propterea contra eorum impietatem, vt suam innocentiam sanctitatem que Dominus ostenderet, diurnas trium horarum repentinas tenebras opponere voluit. Cumque instigante diabolo tenebrarum principe impiis linguis Iudæi in Dominum opprobria scelerata proferrent; vt eorum sacrilegas linguas tandem Dominus cohiberet, prodigiosas tenebras opposuit: idque iuxta primo Regum cap. 2. vaticinium. *Impij in tenebris conticescent.* Hinc bene idem S. Leo ait:

S. Leo ser. 1. de Natiuit. Domini.

Tenebras cur contrà Iudæos Dominus adhibuerit: hic, & seq.

S. Leo ser. 10. de Paſſ. *Vos Principes Iudæorum, legiſque doctores, nec conſcientia impietate compuncti; nec effectu ſceleris mitigati, fixuris clauorum addebatis tela linguarum, dicentes: Alios ſaluos fecit ſeipſum non poteſt ſaluum facere. Si Rex Iſrael eſt, deſcendat de cruce, & credimus ei. Sed his vocibus veſtris ſtultis, atque blaſphemis reddunt omnia elementa reſponſum, & vnam in vos ſententiam ferunt; cœlum, terra, ſol, ſideraque indignos vos ſuo miniſterio proteſtantes, terribili motu, inſolitoque defectu, tenebras mundo veſtra cæcitatis oſtendunt.*

873. Numerorum 25. 4. de populi primoribus periuris, & idololatris Dominus dixit ad Moyſen: *Tolle cunctos principes populi, & ſuſpende eos contra ſolem in patibulis*, ſeu coram ſole ex Hebræo. Cur contra ſolem, ſeu coram ſole? Reſpondent Abulenſis, vt merita eorum ignominia clarè foret omnibus manifeſta. E contrario, vt non meritam Domini ignominiam ſol tegeret, ſubtractis ſolaribus radiis vndique aërem tenebræ contexerunt.

Barcephas p. 1. Operis Paradiſi ſub finem. 874. Harum tenebrarum aliam rationem affert Barcephas Syrus Epiſcopus, ſcilicet tunc obortas eſſe tenebras, non ſolùm ob Domini Paſſionem; ſed etiam ob Adami præuaricationem, & generis humani perniciem; quæ poſt octiduum ab ipſius Adami creatione etiam Feria ſexta hora ſexta contigit. Iuxta ſententiam ergo Philoxemi, & ſancti Ephremi, Barcephas ait: *Sexto die creatus eſt Adam; eodem excruciatus eſt Dominus noſter in eius diei initio: ille ex luto compoſitus; hic item ad tribunal raptus. Hora illius diei tertia inductus eſt Adam in Paradiſum: & Seruator noſter tertia hora extractus eſt ab vrbe Ieruſalem humeris crucem ſuam baiulans. Et quo tempore Adam manus protendit ad decerpendos fructus negates; eodem Chriſtus ſuas diſtendit ſuper lignum. Rurſus à ſexta ad horam nonam exutus eſt Adam ſua gloria, noxæque deditus. Itaque & ob crucem Chriſti ſol à ſexta hora ad nonam amiſſo ſplendore obſcuratus eſt; atque vniuerſa creatura luctu cooperta; quaſi refricata priſtinæ Adæ caſus memoria. Elapſa deinde hora nona, diſſipatæ, atque abactæ ſunt tenebræ: qua re ſignificabatur ſoluta iam tum eſſe ea mala, quæ genus humanum circumdederant, atque occuparant propter legem Dei ab Adam violatam. Inſuper quo tempore confoſſus eſt Dominus noſter lanceâ; eodem à Cherubin cuſtode paradiſi, & arboris vitæ, ablata eſt lancea. Denique qua hora pulſus eſt à Paradiſo Adamus à Deo, eadem prorſus à Chriſto immiſſa eſt in Paradiſum anima latronis. Proinde quo tempore dæmon videns eiectum à Paradiſo Adamum gauiſus eſt; eodem doluit cernens latronis animam in Paradiſum reductam*: non quidem eadem hora; ſed aliquantò poſt, vt infra videbimus.

Nazianz. Orat. 21. Apologetica fuga. 875. Denique earumdem tenebrarum rationem aliam affert Nazianzenus; ſcilicet voluiſſe Dominum inter tenebras tribus horis è cruce pendere, vt nobis Euangelicæ fidei, ſanctarumque inſpirationum lumen impertiri mereretur: ſicut mortem ſubiit, vt vitam daret; ſuoſque erueiatus omnes in humani generis bonum direxit. Ait ergo Nazianzenus: *Oppoſuit Dominus lignum aduerſus lignum, & manus aduerſus manum; illa; in-* A *quam fortiter extenſa aduerſus incontinenter extenſam.* Oppoſuit ſcilicet lignum crucis aduerſus lignum, hoc eſt arborem Adam interdictam: manus fortiter in cruce extenſas aduerſus Adami præuaricantis manum incontinenter ad vetitum pomum guſtandum extenſam. Illæ, nempe Domini manus, *clauis confixæ, atque conſtrictæ aduerſus remiſſam, ſolutamque* Adami manum pomum apprehendentis. *Illa orbis fines coniungentes aduerſus eam manum, quæ Adamum è Paradiſo exturbauit. Idcirco ſublimitas aduerſus lapſum; & fel aduerſus guſtum, & ſpinea corona aduerſus perniciosum imperium*, ſcilicet diaboli; *& mors ad-* B *uerſus mortem; & tenebra propter lumen fuſa; & ſepultura aduerſus illum in terram reditum; & reſurrectio propter reſurrectionem. Hæc omnia infirmitatis meæ velut quædam medicina erant.* Nazianzenus Domini manus in cruce extenſas orbis fines coniunxiſſe dixit; quia ſuperiori, & inferiori, dextera, & ſiniſtra crucis extremitate quatuor mundi plagas videtur amplexus; quod explicans Hieronymus ait: *Ipſa ſpecies crucis quid eſt, niſi forma quadrata mundi? Oriens de vertice fulget; Arcton dextra tenet; Auſter in læua conſiſtit; Occidens ſub plantis formatur.* Hieron. in Matt. c. 27

C *Et circa horam nonam clamauit Ieſus voce magna dicens: Eli, Eli, lammaſabathani: hoc eſt: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me?*

876. HÆc in cruce à Chriſto prolata verba iam antea prophetice ex Chriſti perſona dixerat David Pſalm. 21. initio vbi ait: *Deus, Deus meus, reſpice in me. Quare me dereliquiſti?* Cum Septuaginta addiderint illa verba, *Reſpice in me*: & in Hebræo textu non ſint; dicendum eſt Dominum *Reſpice in me* non dixiſſe: ideoque neque talia verba à Domino prolata apud Matthæum habemus. D Circa Domini verba duo quærenda ſunt; primò, quo ſenſu ſe à Patre Chriſtus derelictum dixerit: ſecundò cur voce magna per interrogationem dixerit: *Vt quid dereliquiſti me?* Primò Chriſtus ſecundùm diuinam perſonam naturalis æterni Patris filius ab eo derelictus dici non poteſt; quandoquidem cum Patre in eadem natura diuina identitatem habet. Chriſtus quo ſenſu ſe ab æterno Patre in paſſione derelictũ dixerit: hic, & ſeq. Luca cap. 23. 46.

877. Secundò neque derelictus dici potuit ex diſſolutione vnionis hypoſtaticæ, per quam Chriſti humanitas cum diuina Verbi perſona, & per diuinam perſonam cum diuina Patris natura vniebatur. Hæc enim vnio nunquam neque in paſſione, neque in morte diſſoluta E eſt: idque iuxta communem Theologicum pronunciatum de diuino Verbo: *Quod ſemel aſſumpſit nunquam dimiſit.* Idem præterea probatur, nam in cruce Chriſtus moriturus dixit: *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum.* Patrem autem Deum vocauit; eo quòd diuina Verbi perſona Chriſti humanitati vnita Deum patrem haberet. Quod ſi in paſſione Chriſti humanitas diuinæ perſonæ vnita non fuiſſet, Chriſti paſſio infinitum valorem ad humanam redemptionem neceſſarium non habuiſſet. Præterea in Apoſtolico ſymbolo dici-

tur: *Iesus Christus filius Dei conceptus de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine, crucifixus, mortuus, & sepultus, descendit ad inferos.* Ergo Christus non tantùm, vt homo sed vt Dei filius, adeoque retenta hypostatica cum Verbo vnione, passus, mortuus, & sepultus ad inferos descendit: sicut, non vt homo tantùm; sed vt Dei filius conceptus de Spiritu sancto, & ex Maria Virgine natus dicitur. Quare bene Athanasius de incarnatione ait: *Christi expirationem non fuisse Deitatis transmigrationem sed animæ discessum.* Similiter Nyssenus orat. prima de resurrectione ait: *Dona Dei huiusmodi sunt, vt eorum illum pœnitere non possit. Sed animam quidem Deitas à Christi corpore sponte sua disiunxit; se autem in vtrisque manere ostendit.* Contra hanc veram, communemque Catholicorum sententiam esse videntur Ambrosii verba lib. 10. in Lucam cap. 23. *Clamauit homo Diuinitatis separatione moriturus. Nam cum Diuinitas mortis libera sit; vtique mors esse non poterat, nisi vita discederet; quia vita Diuinitas est.* Non dissimiliter loquitur Hilarius hîc in Matthæum 27. & Eusebius lib 4. de demonstratione cap. 12. vbi ait: *Tanquam homo corpus de more sepeliendum reliquit, ab eodem tamen corpore tanquam Deus discessit.* Respondetur, cùm Ambrosius ait: *Vita Diuinitas est*, debere intelligi Diuinitatem vitam esse in sensu effectiuo, & conseruatiuo; non autem in sensu formali. Nam Arianorum hæresis fuit asserens Verbi personam fuisse Christi corpori vnitam, vt formam viuificantem. A quâ sententia Ambrosius alienus existimandus est; quare cum ipse de Christi morte ait: *Vtique mors esse non poterat, nisi vita discederet, quia vita Diuinitas est*; discessionem intelligere debemus non per vnionis hypostaticæ dissolutionem, sed per cessationem influxus conseruatiui vnionis naturalis inter animam, & corpus Christi.

Christo æterni Verbi persona vt forma viuificás vnita, Arianorum hæresis.

878. Tertiò vnita Christi Domini humanitas cum Deo semper fuit per sanctificantem, substantialem, & accidentalem gratiam, & amorem; secundùm quam vnionem eum semper Christus sanctus, Deique amicus fuerit, à Dei amore numquam derelictus dici potest. Quarto Christi humanitas per beatificam visionem à suæ conceptionis initio habitam semper Deo tanquam suo benefico obiecto coniunctissima fuit; & consequenter eum nunquam à Dei visione Christus separatus sit, secundùm hanc, sua in passione neque à Deo derelictus dici potuit: Quare Sanctus Thomas tertia part. quæst. 48. art. 8. cùm sibi obiecisset: *Videtur quòd anima Christi non tota frueretur fruitione beata. Impossibile est enim simul gaudere, & dolere.* Respondet: *Dum Christus erat viator, non fiebat redundatio gloriæ à superiori parte in inferiorem; nec ab anima in corpus. Sed quia nec è conuerso superior pars animæ impediebatur circa id, quod est sibi proprium, per inferiorem; consequens est quòd superior pars animæ perfectè fruebatur, Christo patiente.*

879. His derelinquendi quatuor modis exclusis, quintus verè est admittendus; ad quem intelligendum dicendum est ante passionem verè Christum æterno Patri dicere potuisse: *Protexisti me Deus à conuentu malignantium, à multitudine operantium iniquitatem.* Hæc enim erga Christum Dei protectio a-

Psal. 63.

A pertè patuit Lucæ 4. 29. vbi de Nazarenis Christo infensis dicitur: *Duxerunt illum vsque ad supercilium montis, vt præcipitarent eum, ipse autem transiens per medium illorum ibat.* Et Ioannis 8. 20. *Nemo apprehendit eum; quia nec dum venerat hora eius:* ibidem vers. 9. *Tulerunt lapides, vt iacerent in eum; Iesus autem abscondit se, & exiuit de templo.* Quæ omnia ante statutum Passionis tempus contigerunt. Sed postea, cum ad perficiendam humanam redemptionem Deus à tali filii sui protectione cessare decreuisset, *pro nobis omnibus tradendo illum*, vt Apostolus ait; verè Pilato Christus dixit: *Non haberes* B *potestatem aduersus me vllam; nisi tibi data esset desuper*, scilicet à Deo; qui quam habes Præsidis potestatem eum tollere possit, pro generis humani redemptione non tollit; ideoque me tuæ potestati, & Iudæorum sæuitiæ subiectum reliquit. De hac igitur derelictione Christus Dominus toties antea à Iudæorum sæuitia ereptus dixit: *Deus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?*

Ad Rom. 8.
Ioann. c. 19. 11.

880. Quæritur hîc secundò, cur Christus Dominus sponte mortem, & passionem subiens, eamque pro humani generis redemptione subire se bene noscens; magna tamen voce clamans, tanquam quærens suæ C mortis causam interrogando dixerit: *Deus, Deus meus vt quid dereliquisti me?* Respondetur Lucæ. 18. 42. Dominum omnia clarè cognoscentem adhuc cæcum interrogasse: *Quid tibi vis faciam?* Vbi bene Ambrosius ait *interrogasse Dominum, qui omnia nouerat, non vt ipse, sed vt nos sciremus.* Similiter hîc, à Deo Christus quærit, cur eum dereliquerit; vt nos scilicet huius derelictionis causam nosceremus; adeoque sciremus quam erga nos misericors Deus fuerit; *qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: commendans charitatem suam in nobis; quoniam, cum adhuc peccatores essemus,* D *secundùm tempus pro nobis Christus mortuus est.* Præterea, quia Dominus suæ passionis initio, & progressu iuxta Isaiæ vaticinium *quasi agnus coram tondente se obmutuit, & non aperuit os suum*; ne crederetur in acerbissimis cruciatibus doloris sensu caruisse; quàm ingenti dolore afficeretur, magna voce clamans manifestare omnibus voluit.

Christus cur clamãdo, & interrogando æternum Patrem in passione cõpellauerit?
Ad Rom. c. 8. 32.
Ad Rom. c. 5. 8.
Isaiae 53. 7.

881. Tertiò, cum Dominus circa horam nonam clamauerit, quæritur post sextam horam obortis tenebris, post matrem Ioanni commendatam, quomodo & cur toto illo interiecto tenebrarum tempore siluerit? Respondetur totum illud tempus quiescentibus ob repentinas tenebras impiorum ministrorum vocibus, Do- E minum pro nobis orando, & lacrymando peregisse. De qua Domini in cruce oratione Apostolus dixit: *In diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad eum, qui possit illum saluum facere à morte, cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia. Beatus Paulus hic dicit preces eum, & supplicationes fudisse, non timore mortis, sed nostra causa salutis, cum clamore valido. Sancta enim sanguinis eius effusio clamor validus fuit, in quo exauditus est*, ait Ambrosius. *Exauditus est pro sua reuerentia:* reuerenter enim; & obedienter erga æternum Patrem se gerens, *Exauditus est*, non vt mor-

Christus tres tenebrarũ horas orando, & lacrymãdo peregit.
Ad Hebr. c. 5. 7.

tem non subiret; sed vt citò à morte resurgeret; & humanum genus à peccati seruitute sua morte redimeret. De Christi Domini clamore vide eumdem Ambrosium epist. 48. ad Irenæum.

Quidam autem illic stantes, & audientes dicebant: Eliam vocat iste.

882. EST valde dubium, qui fuerint isti, qui decepti, à Domino Eliam vocatum esse crediderint. Ratio dubitandi est, quia allata verba vel tribuenda sunt Iudæis, vel Gentilibus. Non tribuenda esse Iudæis suadet, quòd verba illa Hebræo idiomate prolata non intellexerint; cumque apud Hebræos Eli Deum significet, probabile non videtur pro Eli bis repetito Eliam intellexisse. Rursus neque Gentilibus ea verba tribuenda videntur, ex qua enim notitia rudes milites Heliam tam sanctum virum fuisse putabant; vt eum post mortem, vel adhuc post tot annos viuentem crederent ad hominem tres horas confixis clauis è cruce pendentem à morte liberandum aduocari potuisse?

Christum Eliam vocasse putantes an Iudæi an Gentiles fuerint: hic, & seq.

883. Respondent aliqui Iudæorum Sacerdotes, vel Scribas, & Pharisæos è nominis similitudine captantes occasionem irridendi causa dixisse: *Eliam vocat iste.* Sed contra est primò, quia probabile non videtur superbos, vel Sacerdotes, vel Scribas, & Pharisæos falsa illorum verborum intelligentia se planè rudes ostendere voluisse. Secundò probabile valde est Sacerdotes, Scribas, & Pharisæos cruci adstantes trium horarum tenebris valde perterritos fuisse; adeoque ad irridendum tunc minimè fuisse propensos.

884. Respondet secundò Hieronym. *Arbitror fuisse milites Romanos non intelligentes sermonis Hebraici proprietatem: sed ex eo quod dixit: Eli, Eli, putantes Eliam ab eo inuocatum.* Quæ sententia confirmari videtur ex sequentibus Matthæi verbis dicentis continuò vnum ex eis, ex eis scilicet, qui dixerant: *Eliam vocat iste;* spongiam aceto plenam Domino obtulisse. At Romanos milites non Iudæos acetum Domino porrexisse patet ex Luca c. 23. v. 36. Sed contra est, quia, vt supra dixi, improbabile omnino videtur Eliæ notitiam, tanquam in auxilium aduocaretur, rudes milites habuisse. Respondet Cornelius Romanos milites Eliam rediturum in aduentu Messiæ à Iudæis inaudiisse. Quod probabile non censeo: quamuis enim verissimum sit Eliam venturum ante secundum Domini in mundi fine aduentum; nihilominus cum ex Christianis ipsis nunc plures id ignorent; Eliam similiter in Messiæ aduentu rediturum ignorasse rude, & imperitum Iudæorum vulgus credendum est. Scribas autem, & Sacerdotes legis peritos non facilè crediderim eam curam sollicitasse, vt de rebus sacris cum Gentilibus militibus collocuti fuerint, & ethnicos de futuro Eliæ aduentu docuerint. Porrò ad allatam confirmationem respondetur iuxta Domini crucem Iudæos, & Gentiles milites stetisse. Ex Matthæo autem non omnes, sed *quidam illic stantes dicebant: Eliam vocat iste.* Quare cum Matthæus subdit: *Continuò currens vnus ex eis acceptam spongiam impleuit aceto, &c.* vnus debet intelligi ex omni eorum nu-

A mero, qui cruci adstabant: in eo autem numero cum milites essent, ex his vnus spongiam aceto plenam Domino obtulit: id enim non Iudæis, sed militi ex Luca est tribuendum.

885. Respondet tertiò Theophylactus allata verba protulisse aliquos ex imperita, & agresti Iudæorum turba. Cui sententiæ, vt probabiliori subscribo; non tamen propter rationem quam Theophylactus reddit; quia scilicet *turba imperita propheticorum dictorum erat: non enim omnes Iudæi prophetica sciebant; sicut neque nunc Christiani omnes forte ea, quæ in Euangelijs.* Hæc enim allata à Theophylacto ratio, ob quam ex Iudæorum turba circa Domini verba aliqui decepti fuerint, non satisfacit. Nam
B ad Domini verba illa intelligenda propheticarum rerum scientia non requirebatur; quandoquidem ad intelligendum à Christo non Eliam; sed Deum aduocati, satis erat intelligere per vocem Eli Deum non Eliam significari. Qui significatus cum esset iuxta patrium commune idioma, à turba ignorari non poterat. Quare dicendum potius est non ob intelligendi, sed ob audiendi defectum quosdam ex Iudæorum turba deceptos esse; cum verborum sonum non bene audientes, non Eli, sed Eliam dixisse Dominum putauerint. Dices hunc audiendi defectum probabiliter contingere non
C potuisse cum Dominus magna voce clamauerit. Respondeo etiam Ioannis cap. 12. 27. cum Dominus dixit: *Pater, saluifica me ex hac hora;* cumque *venit vox de cælo*, vtique magno sono dicens: *Et clarificaui, & iterum clarificabo; Turba quæ stabat, & audierat, dicebat tonitruum factum esse: Alij dicebant: Angelus ei locutus est.* Vbi Chrysostomus ait: *Aperta quidem, & significatiua erat vox; sed crassis, & carnalibus citò euolauit.* Quamuis alii vt articulata eadem vocis verba audierint, & propterea dixerint: *Angelus ei locutus est.* Iudæi ergo plurimi moraliter, & spiritualiter, & physicè malè audierunt. Bene autem S. Stephanus Iudæis dixit: *Dura ceruice, & incircumcisis cordibus, & auribus vos semper Spiritui sancto resistitis.* Vbi incir- Act. c. 7. 51.
D cumcisas aures Iudæi habere dicuntur; quòd ad rerum spiritualium, & Euangelicam fidei veritatem audiendam obturatas aures haberent; ex quibus, quia impediementum spirituali circumcisione non remouebant, cœlestia mysteria intelligere non poterant. Quare cum Malcho à Petro auris est amputata, hoc in figuram Iudaici populi factum esse ait Ambrosius dicens: Ambros. lib.
Tollit aurem malè audientis: tollit gladio spirituali 10. in Luca
aurem interiorem malè intelligentis. Præterea cum c. 22.
Iudæi spirituales aures ad fidei veritatem audiendam incircumcisas, & obturatas haberent: cumque non solùm à Deo; sed etiam à Romano Imperatore defecissent; meritò in eam pœnam
E incurrerunt, vt eis corporales aures præcisæ fuerint: de quo supplicio Chrysostomus tom. 5. orat. 2. contra Iudæos ait: *Constantinus amputatis eorum auriculis, ac rebellionis signo impresso corpori illorum, per omnia loca circumferebat illos, ceu fugitiua mancipia, ac verberones; corporibus mutilatis conspicuos illos faciens omnibus.*

Iudæis in supplicium aures præciduntur.

Et continuò currens vnus ex eis acceptam spongiam impleuit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere.

886. Postea sciens Iesus, quia omnia consummata sunt, vt consummaretur Scriptura dixit: Sitio. Vas ergo erat positum aceto plenum: illi autem spongiam plenam aceto hyssopo circumponentes obtulerunt ori eius. Cum ergo accepisset Iesus acetum, dixit: Consummatum est, ait Ioan. c. 19. v. 29. Causa cur Dominus *sitio* dixerit, fuit vera vehemens sitis, qua angebatur ob magnā sanguinis effusionem; ex qua naturali consecutione ardentissi in exangui corpore prouenit. Cum autem ab Euangelista additur dixisse Dominum *sitio*, *vt consummaretur Scriptura*; non causam, cur Dominus se sitire dixerit, indicauit; sed effectus consecutionem; quod hinc Scriptura, quæ Domini sitim prædixerat impleta fuerit. Non enim ideo Dominus sitiit; quia id Scriptura prædixerat, sed quia verè futurum erat, vt ex sanguinis effusione Dominus sitiret, ideo hoc est in Scriptura prædictum, scriptura autem, vbi suam Dominus sitim prædixit, est Psalmus 68. v. 22. *In siti mea potauerunt me aceto.* Porrò in cruce expressa voce se sitire Dominus dixit; non quòd id dicens suam sitim grato poto restringendam sciret, cum secus factum sit: sed cum ardens sitis acerbissima pœna sit, suos inter cruciatus pœnam hanc non defuisse indicare voluit. Idque, vt suis in Euangelica lege imitatoribus exemplo præluceret; qui postea in persecutionibus, huiusque vitæ ærumnis dicturi erant; *Esurimus, & sitimus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus; maledicimur, & benedicimus; blasphemamur, & obsecramus.* Legat Euangelicam historiam, qui in his omnibus Dominum exemplo præluxisse videre cupit. *Instabiles sumus*, ait Apostolus; certum scilicet domicilium non habemus: & Christus verè de se dixit: *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos; filius autem hominis non habet vbi caput reclinet*: caput quidem vix natus in præsepii paleis reclinauit; moriens verò in spinis.

Christus in cruce verè corporalem sitim sensit.

1. ad Cor. 4. 11. Christus suis seruis in ærumnis omnibus præluxit.

Matt. 8. 20.

887. Perpendamus hîc quis in cruce dixerit *sitio*; scilicet Christus Dominus verus Dei filius, *qui pluit super iustos, & iniustos, qui dat pluuiam terræ nostræ temporaneam, & serotinam, vt colligamus frumentum vinum & oleum. Qui est pluuiæ pater, & qui genuit stillas roris. Qui emittit fontes in conuallibus: qui operit cœlum nubibus, & parat terræ pluuiam*: qui cum voluerit, *flabit spiritus eius, & fluent aquæ.* Ille sitiit, qui vt cœlestium gaudiorum *fluminis lætificat ciuitatem Dei.* Qui ad humani generis redemptionem *quasi trames aquæ immensæ de fluuio; & quasi fluuij diorix, & quasi aquæ ductus exiuit de paradiso, & dixit: Rigabo hortum meum*; nempe fidelium cœtum. *Qui sicut pluuia in vellus descendit, vt saluum faceret genus humanum.* Qui vniuersè omnes liberaliter inuitans ait: *Omnes sitientes venite ad aquas; & qui non habetis argentum properate. Si quis sitit veniat ad me, & bibat: ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis.* Ipse autem Dominus tam liberalis corporalium, & spiritualium aquarum largitor, in cruce ardentissimè sitiens, qui ei *calicem aquæ frigidæ* daret, non habuit. Quantò libentius tunc Iordanis, seu potius Iordanis fluuii præses Angelus aquas ad Domini restringendam sitim subministrasset; quàm cum Baptistæ manibus eiusdem Iordanis aquæ supra Domini caput effusæ sunt? Ipse Siloe, *cuius aquæ vadunt cum silentio*, ni sensu caruisset, rupto silentio exclamasset, suæ vt aquæ ad Domini expellendam sitim citissimè deferrentur. Interim sanctissima mater quàm cruciabatur, quòd illi potum sitienti filio subministrare non daretur; dum pro aquis vbertim lacrymas sufficere cogebatur. Sed quoniam Christus, vt bene Chrysologus ait: *sitit lacrymas peccatorum*, Neque hunc ab eo vehementer expetitum lacrymarum potum subministrare innocētissima mater potuit: subministrauit tamen Petrus, qui foras in semotum locum egressus suam negationem flebat amarè: subministrauit Ioannes, qui paulò ante in Gethsemani horto relicto Domino fugerat: subministrauit Magdalena præteritæ vitæ noxas, ob quas Dominus in cruce pendebat, largè deflendo.

Matt. c. 5. Deuter. c. 11. 14. Iob. 38. 28. Ps. 103. 10. Ps. 146. 8. Ps. 147. 7. Ps. 45. 4. Eccl. 24. 40. In officio circumcisionis. Isaia 55. Ioan. c. 7. Apoc. 21. 7. Matt. 10. 43.

Isaia 8. 6.

Chrysologus ser. 93. Christus sitit lacrymas peccatorū.

888. Quæ præcipuè Redemptoris nostri sit sitis docet Nazianzenus orat. 40. dicens: *Dominus sitit sitiri.* Ad hanc Domini sitim sedandam contritio corde cœlestes eius gratiarum latices sitiendo ei dicamus: *Anima mea sicut terra sine aqua tibi. Sitiuit in te anima mea.* Sed, vt nostram Dominus extinguat sitim, nosque mutuò Domini sitim extinguamus, dicamus cum Dauide: *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus*: deinde verè subdamus: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte.*

Christus sitit sitiri.

Ps. 142. 6. Psal. 62. 2. Ps. 41. Ps. 41.

889. Sed quoniam sitio desiderium significat, quis ex hominibus est, qui sitiens non sit, nihilque expetat? Omnes igitur sitientes sumus: væ tamen illis, quibus Dominus ait: *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas*, hoc est scissas, *quæ continere non valent aquas.* Quanta amentia eius est, qui cum sine labore è perenni fonte aquas habere possit, in cisternis effodiendis laborat, à quibus non nisi turbidas aquas hauriat, nec perennes; cum huiusmodi cisternæ facilè abscindantur, rimisque fatiscant. Quàm multas per rimas quotidie suas opes effluere diuites vident! Sensualibus voluptatibus dediti corporis, animique ægritudine, temporis fugacitate, priorum voluptatum fastidio, nouarumque cupiditate veluti rimis in dies suas etiam diffluere delicias experiuntur. Quàm deflectibiles sint terrenæ opes, & voluptates; quàm perennes sint cœlestes deliciæ diximus fer. 6. post Dominicam 3. Quadr. in illa Domini verba: *Omnis, qui biberit ex aqua hac, sitiet iterum, &c.*

Ier. c. 2. 13. Sitis mundani hominis quàm stulta.

890. Caueant, qui terrenarum diuitiarum, & deliciarum potui nimia auiditate, & ingluuiæ inhiant; ne in illud exitium incurrant, in quod Alexandri Milites valde sitientes præ nimia bibendi ingluuie incurrerunt. Hi enim cum diu antea sitiissent, tandem ex flumine Oxo aquam habentes, quòd eam *intemperantius hauserant, intercluso spiritu extincti sunt. Multoque maior horum numerus fuit, quàm vllo Alexander amiserat prælio*, vt Curtius lib. 7. refert. Ibidem Curtius miram valde sitientis Alexandri temperantiam celebrat dicens: *Milites duo occurrunt vtribus aquam gestantes; qui cum in Regem incidissent, alter ex ijs vtre resoluto vas, quod simul ferebat, implet, porrigens Regi. Ille percontatus quibus portarent, filijs ferre cognoscit. Tunc poculo pleno, sicut oblatum est, reddito. Vos currite, inquit, & liberis vestris, quod propter*

Sitientes Alexandri milites reperta aqua mortem incurrunt.

Alexandri temperantia Christianis imitanda.

illos attulistis, date. Hanc Alexandri temperantiam spiritualiter imitari Dei amicus debet. Cũ enim ei ex mundanis voluptatibus potus offertur; eas gustare renuens, offerenti mundo, & diabolo dicat, vt noxias huiusmodi voluptates suis mundanis alumnis, & sectatoribus largiantur.

891. *Vnus ex eis acceptam spongiam impleuit aceto, & dabat ei bibere.* Quomodo hæc Matthæi verba concilianda sunt cum Luca, & Ioanne dicentibus, non vnum sed plures obtulisse Domino spongiam aceto plenam, diximus in illa de latronibus verba: *Idipsum & latrones improperabant ei.*

Euangelii textuum conciliatio.

892. Quæritur hic cur à crucifixoribus allatum fuerit cum spongia vas aceto plenum? circa hoc quæsitum sunt duæ oppositæ sententiæ. Alii enim asserunt aceti potum crucifixis dari solitum ad mortem accelerandam. Quod indicare videtur Chrysostomus dicens: *Acetum in spongia porrigunt, vt bibat tamquam reus; propter hoc hyssopus additur; quo gustato mortuus est.* Theophylactus enim hyssopum cum aceto, vt lethale quid reis dari solitum asserit. Alii contra ad sanguinem sistendum, mortemque differendam, vt crucifixi diutius cruciarentur, aceti potum adhibitum fuisse contendunt. Oppositas has sententias cum suis auctoribus refert & discutit Suarius 3. p. tom. 2. disput. 37. sect. 3. & Lorinus in Psalm. 68. v. 22.

Acetum cũ spongia cur in Domini passione allatum, hic. & sequ. Chrysost. hom. 84. in Ioan.

893. Contra vtramque sententiam negandum mihi videtur talem propinandi reis acetum consuetudinem, siue ad mortem accelerandam, siue ad eamdem differendam apud veteres fuisse. Primò quia damnatis ante crucifixionem vinum myrrhatum dabatur, vt habetur ex Marco cap. 15. v. 23. quod non nisi ad roborandas vires dari solitum communiter interpretes docent. Quare si post crucifixionem etiam ad vires roborandas potus eisdem crucifixis dandus fuisset, idem myrrhatum vinum, non autem acetum ministri adhibuissent. Dices, post crucifixionem præ myrhato vino aptius fuisse acetum ad sistendum profluentem è vulneribus sanguinem: quam vim sistendi sanguinem aceto tribuit Plinius. Sed contra est, quia si ob allatam consuetudinem militibus Domini defluentem sanguinem aceti potu sistendi cura fuisset; iam antea acetum adhibuissent; nec expectassent vltimum illud tempus cum Dominus *sitio* dixit; cuius verbi occasione, non autem ad sanguinem sistendum acetum in potum obtulisse videntur. Porrò cum in aceto sistendi sanguinem vis sit; hinc neque altera opposita sententia probabilis redditur; quòd aceti potus ad accelerandam mortem adhibitus fuerit: mortis enim acceleratio ex sanguinis emissione, non ex retentione prouenit. Præterea, quamuis ad sistendum in vulneribus sanguinem foris admota cum aceto spongia satis sit; ad sanguinem tamen intra corpus sistendum paucæ guttæ è spongia labiis expressæ satis non videntur; sed largior aceti potus, vt apertè Plinius ait citato l. 23. c. 1. acetum adhibendum esse docens: *In sanguinis fluxione post excisos calculos foris in spongia impositum; intus cyathis binis quàm acerrimum.*

Plinius l. 23. c. 1. & l. 31. c. 11.

894. Cum igitur ex dictis, aceti potum reis dari solitum, sit negandum, quæritur cur à ministris vas aceto plenum cum spongia fuerit allatum? Respondetur tale vas cum spongia à crucifixoribus afferri solitum, tum vt à seipsis

A aspersum è reorum vulneribus sanguinem abstergerent: tum etiam, vt per longam arundinem cum aceto spongiam reorum vulneribus admouerent, indeque sanguinem defluentem sisterent, antequam ad clauos refigendos ascenderent. Cum ergo ad talem vsum vas illud aceto plenum allatum esset, nefarii milites ex Domini siti capta occasione ad illius ludibrium aceti potum Domino obtulerunt. *Illudebant ei & milites accedentes, & acetum offerentes ei,* ait Lucas c. 23. v. 36. *Irrident, acetumque in spongia porrigunt,* ait Chrysostomus. Dominus autem ludibriũ illud, & aceti amaritiem expressis spongia aliquibus guttis non recusauit: *Cum accepisset acetum,* ait Ioannes. Quod si messores ad B æstum leuandum acetum potare solent; Christus Dominus sua in passione aceti potum tamquam messor admittere voluit: ibi enim amaros cruciatuum fasces vndique colligebat: ideo iuxta Cyrillum Ierosolym. Rupertum, & Philonem Carpathium de se sua in passione mysticè Dominus dixit: *Messui myrrham meam.* Cantic. 5.

Chrys. hom. 84. in Ioan. Ioan. c. 19. 30.

Christus vt myrrhæ messor acetum accepit.

895. Alia difficultas soluenda remanet. Matthæus enim spongiam aceto plenam fuisse arundini impositam; Marcus similiter calamo circumpositam dicunt. Ioannes verò non arundini ait, sed *Spongiam plenam aceto hyssopo circumponentes obtulerunt ori eius,* Circa hanc diffi- C cultatem prima sententia est Cyrilli Alex. qui ait: *Alij calamo, alij ligno hyssopi potum Iesu offerebant.* Improbat hanc solutionem Suarius: *Nam si lignum hyssopi satis esse poterat ad sustinendam spongiam, non est difficile intelligere ipsammet vocari potuisse arundinem, vel calamum iuxta Theophylactum, & Euthymium. Est tamen per se difficile credere lignum, seu culmum hyssopi fuisse aptum ad hoc munus; cum hyssopus herba sit humilis, & mollis; quæ non emittit longum, neque durum calamum, vt videre est in Plinio l. 26. c. 4. & Dioscoride l. 3. c. 28. Vnde 3. Regum 4. de Salomone dicitur: Disputauit super lignis à cedro, quæ est in Libano, vsque ad hyssopum; quæ egreditur de pariete.* D Cornelius tamen cum Theophylacto, Euthymio, & aliis putans pro arundine, vt est apud Matthæum, & pro calamo, vt est apud Marcum, intelligi debere longum hyssopi culmum, ait in Palæstina hyssopum altius, quàm in Europa excrescere; citatque Dodoneum l. 4. de stirpibus c. 19. in Pemptade 1. dicentem: *Hyssopus caules erigit dodrantales, aut altiores, duros, ac lignosos.* Sed si sistamus in voce dodrantili, stirps dodrantilis est tantùm trium palmorum, seu digitorum duodecim; de qua scribit Columella l. 11. c. 3. Citat præterea Cornelius Clusium asserentem hyssopos reperiri sesquipedales: *Harum,* inquit, *summitas in brachijs hominis extensis attingere potest os cru-* E *cifixi.* Contra tamen est, quia improbabile videtur, cum longam arundinem in promptu milites haberent, breuiori hyssopo vsos esse; ita vt opus fuerit valde prope ad crucem accedere, brachiumque longius extendere: improbabile etiam est tot hortenses hyssopos ibi reperiri potuisse; vt plures per hyssopum Domino acetum obtulerint, vt censet Cyrillus. Præterea si bene possumus per solam arundinem Domino oblatam fuisse cum aceto spongiam intelligere, vt infra videbimus; non est cur arundinis, seu calami nomen ad hyssopi lignum, quod durum citati auctores asserunt, distorqueamus.

Marc. c. 15. 36. Ioan. 19. 29. Cyrillus lib. 12. in Ioan. c. 35. Suarius 3. p. t. 2. Disp. 37. sect. 3.

Spongia aceto plena quomodo arundini, & hyssopo imposita: hic, & sequ.

896. Secunda sententia est quorumdam, qui veluti in Gordianum nodum incidentes, propositæ ex Ioannis verbis difficultati non soluendo, sed præcidendo satisfacere conantur. Hi, vt hyssopum breuiorem in se, reddant longiorem; ex hyssopi nomine vltimam syllabam detrahunt; putantque in Græco textu apud Ioannem pro ὑσσώπῳ legendum esse ὕσσῳ, ὕσσος enim Græcè pilum significat: pilum autem pro arũdinea hasta posuisse Ioannem autumant. Sed cum Scriptura, ne secundùm pilum quidem sit immutanda; cumque ex vulgata lectione hyssopus non pilum habeatur; ea omnino lectio est retinenda.

897. Tertia sententia indicata à Theophylacto est Baronii dicentis spongiam non fuisse impositam hyssopo; sed ex aceto, & ex hyssopi succo imbutam spongiam per arundinem Domino fuisse oblatam. Hæc interpretatio, vt bene Suarius ait, *repugnat verbis Ioannis; cum apertè dicat spongiam aceto plenam hyssopo fuisse circumpositam; & non è contra acetum fuisse hyssopo conditum.*

Suarius supra.

898. Quarta sententia est Caietani asserentis spongiam fuisse impositam calamo, seu arundini, hyssopi nexu spongiam circumligante. Sed contra est primò: quia Ioannes spongiã fuisse hyssopo circumpositam; non autem spongiæ circumpositam fuisse hyssopum ait. Nisi velit quis dicere Euangelistam casus mutando hypallage figura vsum esse; itavt, sicut per hypallagen Poeta dixit: *Onerantque canistris dona laborata Cereris*, idest laboratæ Cereris donis canistra onerant: ita etiam dixerit Ioannes spongiam hyssopo circumponentes, idest circumponentes hyssopum spongiæ. Sed poeticus hic loquendi modus ab Euangelista omnino alienus videtur. Secundò contra Caietani sententiam est, quia secta aliquantulum in summitate arundo bene spongiam sustinere poterat; adeoque hyssopi vinculo illam alligare opus non erat: præterquàm quod, si solùm ad spongiam arundini alligandam hyssopus adhibita dicitur, alia vincula hyssopo aptiora facilius adhiberi poterant.

Æneid. 8.

899. Quinta sententia est Suarii asserentis *in summitate arundinis factum esse ex herba hyssopi receptaculum quoddam, & veluti canistrum, in quo facilè posset immitti, & sustineri spongia. Atq; hoc modo propriissime intelligitur simul fuisse spongiam impositam, & calamo, & hyssopo. Qui modus fit etiam verisimilis ex eo quòd accomodatior erat, vt facilè posset spongia poni in summitate calami absque alio vinculo & nexu.* Sed contra est primò, quia non videtur tantùm curæ, & industriæ fuisse militibus, vt receptaculum illud seu canistellum ex hyssopo tam bene componerent; vt sine vllo nexu spongiam firmiter tenere potuerit: præsertim cum Matth. dicat, *Continuò*, idest statim, *vnus ex eis acceptam spongiam impleuit aceto; & imposuit arundini, & dabat ei bibere.* Talis autem festinatio cum canistello in arundine sub spongia composito concordare non videtur. Secundò ex tali dicendi modo hyssopi receptaculum illud spongiam circumdedisset; & tamen Ioannes ait hyssopo spongiam fuisse circumpositam.

Suarius supra.

900. Sexta sententia, quam sequimur, est Augustini asserentis aceti spongiam impositam hyssopo, & vtramque impositam fuisse arundini: Qui modus, vt melius intelligatur, dicendum est hyssopi culmum per mediam spongiam intra arundinem fuisse infixum; & sic iuxta Ioannem spongia hyssopo circumposita fuit. Remanet vltimò reddenda ratio, cur spongiam aceto plenam addita hyssopo milites Christo obtulerint. Respondet Cornelius, quoniam hyssopus, & acetum vires roborandi facultatem habent, *milites spongia circumligasse hyssopum; vt Christus tam hyssopi, quàm aceti succum è spongia exugeret; itaque animum, viresque reciperet.* Sed ad hunc finem illa exhibita non fuisse iam supra ostendimus. Dico igitur spongiam cum aceto, & hyssopo vulneribus, seu vlceribus applicatam vim habere medicam, & sanguinis exsiccatiuam, vt habetur ex Dioscoride l. 5. c. 17. & Plinio l. 23. c. 1. vbi docet *acetum in spongia appositum adiecto hyssopi fasciculo mederi sedis vitijs*; hoc est corporis partis, qua sedetur, vlceribus. Cum ergo tam in aceto, quàm in hyssopo vis sanguinis exsiccatiua sit; ad reorum vulnera exsiccanda, antequam ii de cruce refigerentur, adhibebantur, vt supra etiam dixi. Quamuis postea vtrumque milites ad ludibrium sitienti Domino obtulerint. Præterea si iuxta Albertum magnum vas aceto plenum à ministris allatum est, non solùm in reorum vulnerum vsum, sed etiam, vt admista aceto aqua sibi sitim restinguerent: similiter dici potest eosdem ministros hyssopum attulisse, vt in fœtido ex cadaueribus Caluariæ loco eam naribus admouerent; admota enim naribus hyssopus valde recreat, lassitudinemque reparat; ideoque eam ad deliquii medelam medici adhibendam docent.

August. lib. de consensu Euang.

Hyssopus cur in Domini passione allata.

901. *Cum ergo accepisset Iesus acetum, dixit: Consummatum est.* Ioannis 17. æterno Patri cum Christus dixerit: *opus consummaui, quod dedisti mihi, vt facerem*; si iam tunc iniunctum ab æterno Patre sibi opus Dominus consummauerat, & perfecerat; quæritur de quo insuper opere hic dixerit: *Consummatum est?* Respondetur cum Mutius Scæuola dixerit: *Et facere, & pati fortia Romanum est*: multò magis si æterni Verbi sub mortali carne aduentum consideremus, dicere possumus: *Et facere, & pati fortia Diuinum est.* Fortia enim, & mirabilia Christus Dominus fecit; & passus est; quæ facere, & pati æternus Pater ei mandauerat. De iis ergo, quæ promulgando Euangelicam legem, eamque miraculis confirmando egit, æterno Patri dixit: *Opus consummaui, quod dedisti mihi, vt facerem.* De iis autem, quę etiam ex ęterni patris decreto, & Prophetarum oraculis passus est, in cruce dixit: *Consummatum est*; meę scilicet passionis humanæque redemptionis opus. Quod opus Ierosolymę perficiendum suam propè passionem iam antea prędixerat, cum discipulis Lucę 18. dixit: *Ecce ascendimus Ierosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis.*

Ioan. 19. 30.

Consummatum est. Christus dixit sub quintuplici sensu: hic, & seq.

Consummatio duplex à Christo absoluta, prædicationis, & redemptionis.

Liuius lib. 2. 1. Decadis.

902. Secundò vt ex Chrysostomo Bellarminus ait: Cum Dominus dixit: *Consummatum est*, significauit sua in morte consummatam fuisse potestatem hominibus, & Dæmonibus permissam in ipsius vitam; de qua Iudæis dixerat: *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.* Ad quem infernalium tenebrarum finem indicandum, cum Dominus expirasset, euanescentibus ex aere tenebris, sol iterum refulsit.

Bellarminus lib. 2. c. 12. de 7. verbis Dom.

903. Tertiò, *Consummatum est*, Dominus ait, scilicet iter laboriosæ meæ in mortali vita peregrinationis, & in terra incolatus. De qua sua sub mortali vita peregrinatione, & incolatu, veluti

veluti conquerens ingratis, incredulisque Iudæis dixit: *O generatio incredula, quamdiu apud vos ero? Quamdiu vos patiar?* Propterea etiam iuxta Chrysostomum dolens Dominus dicere potuit: *Habitaui cum habitantibus Cedar; multùm incola fuit anima mea: cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus. Cedar tenebræ sunt, & mundus iste sunt tenebræ*, ait Hieronymus. Conqueritur ergo Dominus quòd tamdiu versatus fuerit apud homines incredulitatis, & voluntariæ ignorationis obscuratum habentes intellectum.

Marci 9. 19. Chrysost. hõ. quòd Christus sit Deus. Ps. 119. Hieron. epist. 25. ad Paulum c. 2.

904. Quartò, *Consummatum est*, vox est gaudentis & exultantis. Si enim Paulus morti proximus consummato, perfectoque Euangelicæ prædicationis cursu exultans dixit: *Bonum certamen certaui, cursum consummaui: in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ:* multò magis Christus Dominus iam moriturus ob consummatum humanæ redemptionis opus, ex quo maxima Dei gloria prouentura erat, exultans dicere potuit: *Consummatum est: in reliquo* pro spineo serto, immortalitatis, cœlestisque gloriæ corona me manet. Cumque Dominus sub crucis torculari sanguinem largissimè effudisset, Isaiæ verbis dicere bene potuit: *Consummata est vindemia.*

2. ad Tim. 6. 4. Isa. 32. 10.

905. Denique Christus Dominus in cruce inuicta constantia ad mortem vsque ita perseuerans, vt verè dicere potuerit: *Consummatum est*; nobis contra diaboli prauas suggestiones, mundique illecebras nostra in cruce & Christianæ mortificationis exercitio vsque ad vitæ finem perseuerandi exemplum reliquit. Quare cum Domino cruci affixo diceretur: *Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere. Si Rex Israel est, descendat nunc de cruce*; bene Iudæo id dicenti respondet Bernardus: *Immo si descenderit, neminem saluum faciet. Cum enim saluus esse non possit, nisi qui perseuerauerit vsque in finem; quantò minus poterit esse Saluator? Nouit, inquit, quid cogites. Non tibi dabit occasionem surripiendæ nobis perseuerantiæ, quæ sola coronatur. Non faciet obmutescere Prædicatorum linguas consolantium pusillanimes, & dicentium singulis: Tu locum tuum ne deseras. Quod sine dubio sequeretur, si respondere possent, quia Christus suum deseruit.*

Matt. 27. 42. Bernard. ser. 1. de Resurrect.

Ceteri verò dicebant: Sine, videamus, an veniat Elias liberans eum.

Matthæi 27. 49.

906. Videtur Matthæus significare allata verba dicta fuisse à cæteris circumstantibus, non ab eo milite, qui cum aceto spongiam offerebat. Contra verò Marcus ab eo milite qui acetum offerebat, dicta fuisse significat, cum ait: *Currens vnus, & implens spongiam aceto, potum dabat ei dicens: Sinite, videamus, si veniat Elias ad deponendum eum.* Vt cum Matthæi verbis Marci verba concilientur, respondet primò Barradius militi offerenti acetum cæteros milites dixisse: *Sine*, hoc est, à potu offerendo absiste; vt videamus, an veniat Elias ad liberandum eum. Putabant enim Eliam venturum ad Iesum si solus esset; cum Elias se cæteris hominibus miscere, & manifestare nollet. Quibus miles acetum offerens respondit: Sinite vos clamare, ne vestro strepitu Eliam arceatis. Sed ita de Elia putasse milites omnino improbabile videtur. Si enim Eliam visibilem venturum existimassent, etiam desistentibus ab aceto offerendo, & tamen iuxta crucem, stantibus, Elias liberando, & refigendo Christum à cruce se vtique manifestasset. Præterea si Eliam post tot annorum spatium adhuc miraculosè viuentem credebant: eique tantum animi robur esse existimabant, vt stantibus circa crucem militibus, ad Christum liberandum accessurus esset; profectò eumdem Eliam vocum strepitu terrendum fuisse existimare non poterant.

Marc. 15. 36. Euangelii textuum conciliatio: hic, & seq.

907. Respondet secundò Franciscus Lucas militem acetum Domino offerentem, id prohibentibus aliis militibus respondisse: *Sinite me aceti potu Iesu illudere; quò enim magis Iesus vexatur, eò celerius illi opitulaturus Elias occurret.* Sed probabile non est voluisse milites Eliæ viri diuinitus adhuc viuentis; adeoque diuina virtute opem Christo ferre potentis aduentum accelerare: quare militis illius responsio ad rem minimè fuisset.

908. Respondent tertiò alii, militem acetum Domino offerentem aliis id nolentibus dixisse: *Permittite me Iesu acetum præbere; sic enim ei mortem accelerabo; & videbimus num Elias eum sit liberaturus: aceti enim mortem accelerantis potu efficiam, vt Elias frustra ad auxilium ferendum fuerit aduocatus.* Sed contra est, quia paucæ illæ aceti guttæ è spongia expressæ mortem accelerare non poterant: neque aliter existimasse milites credi potest.

909. Respondet quartò Augustinus lib. 3. de consensu Euangelistarum, quem sequimur; tam militem acetum offerentem iuxta Marcum, quam cæteros iuxta Matthæum dixisse: *Sine*, seu *sinite*, hoc est intenti expectemus, an iste Elias, quem vocat, veniat.

Iesus autem iterum clamans voce magna emisit spiritum.

910. Ex allatis verbis fundamentum desumpsit Gabrielis, aliorumque sententia asserentium Christi mortem non fuisse naturalem; sed per miraculum, quo Christus moriens anteuertit naturale mortis tempus, idque vt euidentius ostenderet sua sponte, & voluntate mori, vt Gabriel ait lect. 28. in Cantica lit. D. Ideo ipse Dominus Ioannis 15. dixit: *Ego pono animam meam: nemo tollit eam à me.* Quare sanctus Thomas tert. part. q. 47. artic. primo ad secund. ait: *Dicendum quod, vt Christus ostenderet, quòd passio illata per violentiam, eius animam non eripiebat, naturam corporalem in sua fortitudine conseruauit; vt etiam in extremis positus voce magna clamaret; quod inter alia miracula meritis eius computatur. Vnde dicitur Marci 15. Videns Centurio, quia sic clamans expirasset, ait: Verè hic homo filius Dei erat. Et ibidem dicitur, quòd Pilatus mirabatur, si iam obijsset. Sicut enim eius voluntate natura corporalis conseruata est in suo vigore neque vsque ad extremum; sic etiam quando voluit, subitò cessit nocumento illato.* Similiter sanctus Cyprianus de Christo ait: *Crucifixus præuento crucifixoris officio spiritum sponte dimisit.* Origenes etiam lib. 2. contra Celsum

Christi mors an naturalis, an miraculosa fuerit: hic. & sequ.

Cyprianus lib. de Idolorum vanitate.

significat animam Christi sponte cessisse è corpore, quando adhuc naturaliter posset viuere.

911. Opposita tamen sententia vera videtur, scilicet Christi mortem fuisse naturalem, ex vi, & actione naturalium causarum necessario, & naturali ordine subsecutam: cum scilicet tanta fuerit Christi cruciatuum acerbitas; tam larga sanguinis, & vitalium, animaliumque spirituum effusio; & ex confixis clauis, quibus è cruce tres horas pependit; tam intentus dolor, neruorumque distensio; vt naturaliter inde mors prouenerit: & alioquin miraculum fuisset, si tot cruciatibus, vulneribusque positis, inde mors subsecuta non esset. Quare cum Christus Dominus antequam ad Caluariæ montem perueniret, ter ceciderit, vt supra ex Adrichomio diximus; id certè virium defectui omnino tribuendum fuit: Dominum enim cadendi necessitatem tunc simulasse impiè diceretur. Præterea de Christo Domino Iudæis Petrus Apostolus dixit Actorum cap. 3. 15. *Auctorem vitæ interfecistis*: interfectus autem Dominus à Iudæis non esset, si ex se tantùm, non ex vi vulnerum mortuus esset. Respondet citatus Gabriel à Iudæis Dominum interfectum fuisse; eo quòd ex inflictis vulneribus tandem in cruce mortuus esset; nisi antea ipse sponte mortem necessariò subsecuturam præuenisset. Sed contra est, quia si Christi mors iuxta Gabrielem actu ex inflictis vulneribus subsecuta non est, sed tantùm subsecuta fuisset; Christum actu ex vi infligentium vulnera mortuum esse dici non posset; sed tantùm, quòd mortuus fuisset. Sicut, quamuis Absalomus diu è quercu pendens tandem mortuus esset: immo, & mortuus citò esset ex lanceis in eum à Ioab infixis; interfectus tamen dicitur à decem, qui superuenerunt iuuenibus. Nam secundo Regum 18. 14. *Ioab tulit tres lanceas, & infixit eas in corde Absalom: cumque adhuc palpitaret hærens in quercu, cucurrerunt decem iuuenes armigeri Ioab, & percutientes interfecerunt eum.* Goliath etiam, quamuis ex lapide tanto impetu iacto, vt in eius fronte permanserit, mortuus tandem esset; nihilominus non à lapide; sed à subsecuto gladii vulnere interfectus dicitur, vt habetur primo Regum 17. 50. *Præualuit Dauid aduersus Philistæum, percussumque interfecit.* Explicans autem sacer textus quomodo interfecerit, subdit: *Cum gladium non haberet in manu Dauid, cucurrit, & stetit super Philistæum, & tulit gladium eius, & interfecit eum.* Obiter circa citatum textum secundo Regum 18. sequens notandum est. Cum dicitur Ioab fixisse tres lanceas in corde Absalomi; licet Chrysostomus cor ibi propriè intelligat; nihilominus cum celebre sit pronunciatum: *Scissio cordis lethalis*: & multò magis tribus lanceis cordis scissio triplex: cumque ex sacro textu post trium lancearum ictus adhuc Absalom palpitaret, adeoque viueret, vt ait Abulensis: & propterea à decem postea accurrentibus iuuenibus interfectus dicitur: ideo dicendum videtur in citato textu non propriè cor significari, sed partem aliquam corporis mediam. Cor enim pro medio apud Hebræos dicitur. Qua-

Ioab tribus lanceis in corde confixus, quomodo non statim mortuus est.

A re eodem citato loco vbi habetur: *Cum adhuc palpitaret hærens quercui*; ex Hebræo legitur: *Cum adhuc palpitaret in corde quercus*, idest inter medios quercus ramos. Eodem significatu dicitur Matthæi 12. *In corde terræ*, idest intra terram: & Psalmo 45. *In cor maris*, hoc est in medium mare. Præterea cordis nomine etiam iecur cordi adiacens intelligi potest. Nam Tobiæ cap. 6. vers. 8. cum Angelus de pisce quodam dixisset: *Cordis eius particulam si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus dæmoniorum*: deinde versu 19. dicitur: *Ipsa nocte incenso iecore piscis fugabitur dæmonium*: & capit. 8. B dicitur: *Recordatus Tobias sermonum Angeli, protulit de cassidili suo partem iecoris; posuitque eam super carbones viuos.* Et quamuis in Græco textu citatis locis & cor, & iecur ponatur; in vulgato tamen textu alterum ex his tantùm ponere satis fuit. Denique citato 2. Regum loco, cum tres lanceæ, seu ex Hebræo tria iacula, vel spicula à Ioab tetracta non fuerint, sed in Absalomo fixa remanserint, indeque pependerint; hinc improbabile omnino videtur iacula in corde ita infixa fuisse, vt ex iis pendentibus vnum aliud non impedierit, ne in cor collinearet.

Cordis nomine medium, vel iecur cordi adiacens significatur.

912. Secundò contra allatam Gabrielis C sententiam sunt Augustini verba, qui rectè docet: *Vide, ne tibi subrepat, vt teipsum velis interimere, sic intelligendo, quod debes odisse in hoc mundo animam tuam. Hoc Christus non docuit: immo etiam diabolo præcipitium suggerenti respondit: Vade retro Satana, scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum. Petro autem dixit significans qua morte glorificaturus erat Deum: Cum esses iunior cingebas te, & ambulabas, quò volebas; cum autem senueris, alter te cinget, & feret quò tu non vis. Vbi satis expressit non à seipso, sed ab alio debere occidi, qui sequitur vestigia Christi.* Contra hanc verissimam Augustini doctri-D nam ex Gabrielis sententia sequeretur Christum seipsum interfecisse; in eo enim instanti, quo mortuus est, iuxta Gabrielem naturalis causa extrinseca mortem inferens non erat, quamuis postea futura esset. Sicut 1. Reg. c. 1. Amalicita verè Saülem interfecit; quamuis postea lethalibus vulneribus etiam fuisset Saül moriturus.

August. tract. 51. in Ioan.

Matth 4.7.

Ioan. 21.18.

913. Quare sanctus Thomas quolibet. 1. articul. 3. sic disserit: *Videtur quòd Christus in cruce mortuus non fuerit. Aut enim hoc fuit, quia ipse animam à corpore separauit; aut propter vulnera. Non primo modo; sequeretur enim quod Iudæi Christum non occidissent: sed ipse* E *sui ipsius fuisset homicida, quod est inconueniens. Nec secundo modo; quia mors, quæ occidit propter vulnera, prouenit homini ex summa debilitate; quod in Christo non fuit, quia clamans expirauit.* Respondet sanctus Doctor: *Erat subiectum voluntati Christi, quando natura resisteret nocumento illato, & quando cederet. Vnde eo volente natura restitit nociuo illato vsque ad finem: ita quòd in finem post multam sanguinis effusionem, quasi integer viribus clamauit voce magna; & statim eo volente natura cessit, & tradidit spiritum: vt se Dominum naturæ, & vitæ, & mortis ostenderet. Nec tamen culpandus est quasi sui homicida.*

Nam ſi Anima in ſua poteſtate haberet recedere à corpore quando vellet, & iterum aduenire; num maioris eſſet culpæ, ſi corpus desereret; quam quòd habitator desereret domum? Quòd ſcilicet nullius eſſet culpæ. Talis autem poteſtas fuit in Chriſto Domino. Adde aliud eſſe ſeparare animam à corpore poſitiuè, inferendo corpori aliquid lethale; & aliud eſt à corpore animam ſeparare negatiuè; ceſſando à miraculo animæ in corpore conſeruatiuo. Primum eſſet culpabile, non autem ſecundum; quo ſecundo modo Chriſtus per animæ ſeparationem à corpore mortem ſubiit. Iuxta quem modum dixit: *Ego pono animam meam: nemo tollit eam à me:* nemo ſcilicet tollere poteſt, niſi cum voluntariè nocumento inferenti mortem reſiſtere noB
Ioan. 10.
luero. Iuxta quem ſenſum explicādi ſunt Athanaſius Q. 76. ad Antiochum, & Euſebius l. de demonſtratione c. 12. cum dicunt Chriſtum inclinato capite, & clamando, mortem appropinquare metuentem, & veluti ceſſantem, & fugientem aduocaſſe. Aduocaſſe enim Dominus dicitur mortem, cum ſuo voluntatis actu, tali determinato tempore morti reſiſtere nolle decreuit. Sine quo voluntatis actu Domini mors non contigiſſet: quod citati auctores per mortem accedere metuentem, & fugitantem metaphoricè explicarunt. Porrò bene S. Thomas de Domino ſupra non dixit: Integer viribus C
clamauit voce magna; ſed *quaſi integer viribus*: quia ſolummodo ad clamandum ita ſuppleuit diuinitus vigorem, vt quaſi integer viribus videri poſſet, non tamen quoad omnia eſſet. Exhibendo autem ſibi ad clamandum vigorem; eundem ad repellendam mortem exhibere ſe poſſe oſtendit. Ideo bene Hieronymus ait: *Diuinæ poteſtatis fuit indicium ſpiritum ſic emittere.* Idem ait Athanaſ. ſupra.

Hieron. in Matth. 27.
914. Dices Marci 15. 44. nunciata Chriſti morte *Pilatus mirabatur ſi iam obiiſſet:* videbatur enim tantùm ex vi cruciatuum tam cito naturaliter mori non debuiſſe: cum tam citò latrones ſimul cruci affixi, mortui non eſſent. Reſpondetur Pilatum vel plenè conſcium non D
fuiſſe præcedentium ante crucifixionem Chriſti cruciatuum: præcipuè ignoraſſe tam ingentem verberum numerum in flagellatione: ignoraſſe etiam ſpineam coronam ingenti cum dolore ex renouatis, & multiplicatis vulneribus iterum in Domini capite fuiſſe confixam: nec eum perpendiſſe, quàm delicata Domini corporis temperies foret. Vel, vt cenſet Suarius, Pilatus non tam mirabatur de velocitate mortis Chriſti, *Quòd exiſtimaret tormenta non fuiſſe ſufficientia ad illum interficiendum; quàm quòd aliquid Diuinum, ſeu pluſquam humanum de Chriſto ſuſpicatus fuerat; & ideo vel ſperaret, vel formidaret illum non tam citò, aut certè neque omnino moriturum fuiſſe.* E

Pilatus cur de celeriore morte Chriſti miratus ſit.

Suarius 3. p. t. 2. diſp. 38 ſect. 1.

915. Ex dictis patet Chriſti mortem fuiſſe naturalem, prout à miraculoſa diſtinguitur; cum à naturalibus cauſis prouenerit; non tamen naturalem fuiſſe, hoc eſt neceſſariam, prout à libera morte diſtinguitur: liberè enim mortuus eſt; mortem enim ſubiit, cum eam ſubire placuit; cumque extrinſecis cauſis mortem inferentibus reſiſtere noluit. Secundò, cum dicitur Chriſti mors naturalis fuiſſe, non contra diſtingui debet à violenta. Nam licet extrinſecæ cauſæ, quæ Chriſto mortem intulerunt, naturales fuerint, eædem tamen naturalem Domini corporis diſpoſitionem, quā

Chriſti mors naturalis fuit, nō tamen prout à morte libera, & à violenta morte contradiſtincta

Chriſtus violenter mortuus

A viuere poterat, violenter abſtulerunt: violenter quidem, non coactè, cum eis Dominus reſiſtere, vel etiam procul expellere potuerit. eſt, non tamen coactè.

916. *Emiſit ſpiritum.* Anima tum in ſenſu formali, tum in ſenſu effectiuo ſpiritus dicitur: in ſenſu formali, quia indiuiſibiles, & immortales ſubſtantiæ, materiæ, & corporeitatis expertes ſpiritus dicuntur; ideoque Dominus Apoſtolis dixit: *Palpate, & videte; quia ſpiritus carnem & oſſa non habet.* Rurſus in ſenſu effectiuo anima ſpiritus dicitur; ex anima enim in corpore prouenit vitalis ſpiritus, ſeu habitus; hinc anima ſpiraculum vitæ dicitur Geneſ. 2. 7. vbi de Deo cum in Adami corpus animam immiſit, dicitur: *Inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ.* Quia ergo anima ſpiritus dicitur; ideo hîc de Chriſto Domino dicitur, *Emiſit ſpiritum*, & Lucæ 23. 40. Dominus animam efflaturus æterno Patri dixit: *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum. Hoc eſt, In poteſtatem tuam commendo animam meam*, ait Hieronymus, & ſubdit. *Hoc exemplum accepit Eccleſia à Chriſto: hoc & ſanctus Stephanus fecit. Hoc & Sancti orant, quando exeunt à corpore; vt illud: Fideli creatori commendant animas ſuas in benefactis. Hoc in cruce poſitus Dominus dixit, quod in Patris manus ſpiritum commendaret, citò eum ipſo reſuſcitante ſumpturus* De hoc Bellarminus ait: *Si per ſpiritum hoc loco intelligamus animam Chriſti, cauendum ne quis exiſtimet, periculum aliquod fuiſſe illi animæ de corpore exeunti: in quem modum aliis hominibus morientibus commendari ſolent animæ. Tali commendatione non eguit anima Chriſti, tum quia beata erat ab initio creationis; tum quia filio Dei in perſona coniuncta erat, & anima Dei dici poterat: tum quia victrix, & triumphatrix de corpore exibat, & terrori erat dæmonibus omnibus, non ipſa terreri à dæmonibus poterat.* Dicendum enim eſt, aliquid non ſemper dici propter rei conſequendæ indigentiam; ſed ad id, quod certum eſt comprobandum, & declarandum. Quare Daniel 3. 58. dicitur: *Benedicite Angeli Domini Domino:* ſimiliter Pſal. 148. *Laudate Dominum omnes Angeli eius.* Vbi bene idem Bellarminus ait: *Vox illa,* LAVDATE, *non eſt exhortantis, quaſi Angeli deſint officio ſuo; ſed eſt inuitantis per affectum complacentiæ. Quaſi dicat Propheta Dei amore vehementer accenſus: Vos Angeli, qui primi eſtis in ordine rerum creatarum, pergite, vt facitis; laudate Dominum.* Similiter Chriſtus Dominus certus de ſuæ animæ beatitudine; cui æterni Patris amor, & protectio nunquam deeſſe poterit, per affectum complacentiæ, & vt id aliis manifeſtaret dixit: *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum.*

Spiritus anima dicitur, tum in ſenſu formali tum in ſenſu effectiuo.

Luc. 24. 39.

Hieron. in Pſ. 30. v. 6.

Act. 7.

Epiſt. 1. Petr. c. 4. 19.

Bellarm lib. 2. c. 19. de 7 Domini verbis.

917. Secundò, quia corporalis vitæ ſignum, & effectus eſt ſpirare, & è contrario expirare mori ſignificat; hinc à ſuo effectu & ſigno nomen accipiens corporalis vita ſpiritus dicitur: Eſther cap. 16. *Vt regno priuare nos nitetur, & ſpiritu.* Iob. 17. *Spiritus meus attenuabitur:* Pſal. 103. *Auferes ſpiritum eorum, & deficient.* Ierem. 51. *Nec eſt ſpiritus in eis.* Hoc etiam ſignificatu Dominus dixit: *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum*: hoc eſt vitam tibi commendo meam; quam moriendo tibi pro humani generis redemptione nunc offero; vt citò eam mihi per reſurrectionem reſtituas. Allatam de corporali vita interpretationem probat Bellarminus ex Apoſtoli verbis ad He-

Spiritus, vt eius ſignū, corporalis vita dicitur.

bræos 5. *Qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad eum, qui possit illum saluum facere à morte cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia.* Vbi Paulo dicenti *cum clamore valido* consonat Lucas dicens: *Clamans voce magna Iesus ait: Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Rursus cum Paulus dicat: *Exauditus est*, intelligi non potest exauditus ne moreretur; cum verè mortem subierit; sed exauditus est, vt citò ei vita restitueretur.

1. ad Corin. c. 6. 17.

Christus æterno Patri suũ spiritum cõmendans sanctissimam suam matrẽ commendauit.

918. Tertiò dicens Dominus: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*, suam æterno Patri sanctissimam matrem, quam mœstissimam relinquebat commendauit: nam teste Apostolo, *Qui adhæret Domino vnus spiritus est cum eo.* Quis autem Domino amanter magis adhæsit, quam eius sanctissima mater? Per eximium ergo amoris vinculum vnus spiritus cum sanctissimo filio Deipara fuit: commendando ergo æterno Patri suum spiritum Dominus, suam ipsam matrem commendauit. Hinc expirante Christo Domino, quòd simul præ dolore suum Beata Virgo spiritum non emiserit, speciali æterni Patris auxilio est tribuendum.

Christum cõmendantem æterno Patri suum spiritum quomodo fideles imitari debeant: hîc, & sequ.

Ecclesiastes c. 12. v. 1. & 7.

919. Cum Dominus moriturus æterno Patri dixerit: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*; studeat vnusquisque fidelium in hac mortali vita ita Christum imitari, vt magna fiducia sub vitæ finem Deo dicere possit: *In manus tuas commendo spiritum meum.* Sed dicet aliquis: Quid hac precatione opus est, cum certum sit post mortem spiritum ad Deum redire iuxta Ecclesiastem dicentem: *Memento Creatoris tui antequam reuertatur puluis in terram suam, vnde erat; & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum?* Respondetur ibi Dei nomen ex Hebræo dici Elohim, hoc est Iudicem. Cum ergo ad Deum bonorum, malorumque operum Iudicem spiritus, hoc est anima reuersura sit; studeamus, vt vt bonis operibus ita Deo animam commendemus; vt sicut *Iustorum animæ in manu Dei sunt*; ita in eius manu nostra etiam anima esse mereatur: & ab eo tanquam benignissimo Patre anteactæ vitæ præmia consequamur; non autem vt ab irato Iudice ob praua opera damnationis sententiam audiamus.

Sap. 3.

Epist. 1. Pet. c. 4. 19.

920. Secundò Christum Dominum imitantes, animas nostras Deo non ore tantùm, sed opere commendemus iuxta Apostoli monitum: *Fideli creatori commendent animas suas in benefactis*; in operibus non solùm ex se bonis, sed benefactis; nempe diligenter, amanter, & ex recta Deo placendi intentione.

Spiritus nomine cogitationes, animique affectus significãtur.

921. Tertiò, quia spiritus nomine nostræ cogitationes, animique affectus significantur; hinc Prou. 16. dicitur; *Spirituum ponderator est Deus*; nostras omnes cogitationes, & affectus Deo commendare debemus, vt ab eo ad suam tantùm gloriam, obsequiumque dirigantur: ideoque tales sint, vt apud Deum spirituum ponderatorem non inueniamur ob inanem gloriam, aliosquè defectus minus habentes. Cumque indecens omnino foret in Regis manus aliquid immundum offerre; si noster spiritus in æterni Regis manus est commendandus; omnino mundus, nullas terrenæ labis, culpæque sordes habere debet. Ideo monet nos Isaias: *Lauamini, mundi estote; auferte malum cogitationum vestrarum.*

Isa. c. 1. 16.

Spiritus nomine curã, & sollicitudo significatur.

922. Quartò spiritus nomine cura, & sollicitudo significantur. Ideo cum leuare Dominus vellet sollicita gubernandi cura Mosem, eique adiutores sufficere, dixit Numer. 11. *Auferam de spiritu tuo, tradamque eis.* Hoc etiam sensu Deo dicamus: *In manus tuas commendo spiritum meum. Omnem sollicitudinem proijcientes in eum, quoniam ipsi est cura de nobis*, vt Petrus Apostolus monet epist. 1. c. 5. v. 7. *Si apud Deum deposueris iniuriam, ipse est vltor. Si damnum, est restitutor: si dolorem, medicus est: si mortem, resuscitator*, ait Tertullianus lib. de patientia.

Spiritus voluntatem significat.

923. Quintò spiritus voluntatem significat: vt Esther 15. *Conuertit Deus spiritum Regis*, hoc est voluntatem. Spiritum ergo nostrum, hoc est voluntatem Deo commendare debemus; vt ab eo directâ nihil aliud velimus, & expectemus, quàm quòd Deus à nobis fieri vult: idque vnusquisque sæpius feruida prece postulet dicens: *Voluntas mea in manu Dei dirigatur.*

Ex Isaia 53. 10.

924. Sextò denique salutare valde est Basilii monitum in regulis fusius explicatis Q. 37. *Primos se intendentibus tenebris, quoniam nocturnis horis facilè fieri potest, vt mors inopinata nos opprimat; commendemus animam nostram Domino; vt si forte subitanea mors nobis adueniat, non adueniat improuisa.* Commendemus autem cum clamore valido, & lacrymis, cum gemitu, & fletu ex contrito corde prouenientibus.

Ioan. 19.

Christus moriens caput inclinauerit, rationes hîc, & sequ.

925. Sed ad Christum in cruce pendentem redeamus. *Inclinato capite tradidit spiritum*, ait Ioannes. Præter litteralem rationem, quòd Dominus caput inclinauerit, vt se voluntariè, & obedienter mori significaret; multas alias morales, & mysticas causas interpretes afferunt. Quibus addo primò Dominum caput inclinasse, vt spinas, quibus pro nobis coronabatur, ostenderet; ne in posterum homines diuina lege neglecta, mundanisque deliciis dediti dicerent: *Coronemus nos rosis antequam marcescant: nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra.* Sed potius voluntariis carnis mortificationibus dicant: Coronemus nos spinis, ne in peccata prolapsi in iis marcescamus: ex huiusmodi enim spinis rosæ, quæ nunquam marcescunt, fœcundissimè germinant.

Sap. 2. 8.

926. Secundò caput Dominus inclinauit, vt nos ex superbia non erecta ceruice incedere disceremus: sed potius imminentis mortis semper memores terram versus, in quam reuersuri sumus, oculos deiiceremus. Ad superbiam enim damnandam dicitur Isaiæ 3. 16. *Pro eo, quòd eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo; decaluabit Dominus verticem filiarum Sion.* Hoc est veluti raso crine mancipia, si non hominum, certe diaboli reddet.

Psal 103. 32.

927. Tertiò de Deo dicitur. *Respicit terram, & facit eam tremere.* Christus Dominus moriens, vt verè se Dei filium ostenderet, inclinato capite terram aspexit; eamque subsecuto statim ingenti terræmotu tremere fecit.

928. Quartò caput Dominus inclinauit, vt ad nostras preces pronas se habere aures ostenderet; idque propter iteratas illas piarum animarum petitiones: *Domine Deus Israel, inclina aurem tuam & audi. Inclina aurem tuam mihi, & exaudi verba mea. Inclina, Deus meus, aurem tuam, & audi, & vide desolationem nostram.*

4. Reg. c. 19. 16. Psal. 16. 6. Daniel 9. 1.

Deut. 4. 35. 929. Secundò Israelitico populo Moses dixit: *Vt scires, quoniam Dominus ipse est Deus, & non est alius præter eum; de cælo fecit te audire vocem suam, vt doceret te; & in terra ostendit tibi ignem suum maximum.* Simili modo Christus Dominus iam moriturus, vt nos sciremus ipsum esse Deum nostrum, & Redemptorem, de cruce clamans voce magna fecit nos audire vocem suam; suumque versus cor caput inclinando, ibi conflagrare ignem maximum ardentissimi sui amoris ostendit. Ideo in reuelat. Sanctæ Brigittæ lib. 1. cap. 11. Christus Dominus fidelem animam sit allocutus dicitur: *Nimis ingrata es, si me pro tanta charitate non dilexeris. Si caput meum punctum est, & inclinatum in cruce pro te, caput tuum debet inclinari ad humilitatem. Et quia oculi mei erant sanguinolenti, & pleni lacrymis; ideo oculi tui debent abstinere à delectabili visu. Quia aures meæ implebantur sanguine; & audiebant verba detractionis meæ; idcirco aures tuæ auertantur à scurrilibus, & ineptis locutionibus. Quia os meum potatum est amarissima potatione, & prohibitum est à bona; ideo os tuum obseratur à malis, & aperiatur ad bona. Quia manus meæ extensæ sunt clauis, propterea opera tua, quæ figurantur in manibus, extendantur ad pauperes, & ad præcepta mea. Pedes tui, idest affectus tui; quibus ad me ire debes, crucifigantur à voluptatibus; vt sicut in omnibus membris passus sum ego, sic omnia membra tua parata sint in obsequium meum.* Notantur Domini verba, quòd nos ab ineptis locutionibus auertere debemus. Proinde miror celebris ordinis Ecclesiasten concionantem in verbis istis *inclinato capite*: verbum *capite* pro *capite*, hoc est sumite, interpretatum esse; quasi Dominus suum nobis spiritum capiendum obtulerit; verè tam inepta interpretatio caput non habuit. Caueant Ecclesiastæ, qui tam ineptè sacræ Scripturæ verba distorquent, ne ipsi in meritum ineptiæ suppliciorum tortoribus cruciandi tradantur.

Scripturæ interpretationes ineptæ vitãdæ.

930. Tertiò. Hæc verba: *Inclinato capite*, in tota Scriptura non leguntur, nisi de Christo Domino hîc, & de Assyriorum exercitu Iudith cap. 15. 2. contrariâ tamen causâ. Nam de Assyriis illud dicitur, eo quòd deuicti, & perterriti ab Israelitis fugerent: *Inclinato capite relictis omnibus euadere festinabant Hebræos.* Contra vero Christus Dominus inclinato capite ex hac vita discessisse dicitur; eò quòd moriendo de inferno hoste diabolo victoriam reportaret. Valde enim dissimilis præliandi ratio est cum visibili & inuisibili hoste. In bello cum hoste visibili, qui ex timore caput inclinat, vincitur: secus verò in conflictu cum inuisibili hoste contingit. Qui enim Dei mandato ad ei obediendum caput inclinat, hic victoriam de diabolo deuicto reportat. Verissimè enim scriptum est: *Vir obediens loquetur victorias: sola obedientia tenet palmam*, ait Augustinus in Psal. 70.

Prouer. c. 21. 28.

Christi mortis annus mensis, dies, & hora.

931. Quæritur hic vltimò, Christi Domini mors, quo eius ætatis anno, quo mense, quo die, & qua hora contigerit? Probabilior sententia est Bedæ lib. 4. de ratione temporum qui ait Dominum mortem obiisse cum expleto trigesimo-tertio anno annum trigesimum-quartum ageret: Idem asserit Baronius anno Domini 34. Eandem sententiam probat, reliquasque de tempore Christi mortis sententias refellit Suarius tertia part. tom. 2. disp. 40.

Christus ex expleto trigesimo-tertio anno trigesimũ-quartũ agens mortuus est.

A sect. 1. Secundo contigisse Christi mortem octauo Kalendas Aprilis, hoc est vigesimo-quinto mensis Martii docet Augustinus 18. de Ciuit. cap. 54. & lib. 4. de Trinitate cap. 5. vbi ait: *Octauo Kalendas Aprilis conceptus creditur, quo & passus.* Ex quibus verbis colligitur incipiendo à natiuitate in vtero, hoc est à conceptione, Dominum complesse trigesimum-quartum annum. Si verò à natiuitate extra vterum sumatur initium, triginta tres annos, & menses tres tantùm peregisse colligitur. Quod Domini mors vigesimo-quinto Martii contigerit, satis confirmari videtur ex eo, B quòd eadem die in Romano Martyrologio legatur: *Ierosolymis commemoratio S. Latronis, qui in cruce Christum confessus, ab eo meruit audire: Hodie mecum eris in Paradiso.* Vbi Baronius addit: *Reperiuntur S. Dimæ Latronis nomini nonnulla sacella dicata; & memoriæ erecta eodem titulo.* Alij Auctores minus probabiliter asserunt Christum Dominum mortuum esse die septimo mensis Martii. Alii eiusdem mensis die decimo-octauo, alii vigesimo-primo, alii vigesimo-tertio, alii vigesimo quarto, alii vigesimo-sexto, alii denique trigesimo. Hos refert Suarius supracitatus sect. 5.

Christus 25. Martii mortuus est.

932. Auctores alii docent Christum Dominum mortuum esse mense Aprili; & ex his C alii die secundo, alii die tertio, alii die decimo-sexto; vt videre est apud Marcellum Francolinum lib. de horis Can. cap. 74. Hi tamen auctores, quia respexerunt non ad solarem; sed ad lunarem mensem complectentem dies aliquot Martii, & aliquot Aprilis, & ex alterutro mense dies interdum plures, interdum pauciores; hinc est, vt ex eorum sententia diuersis Aprilis diebus Christi mors tribuatur. Porrò dies vigesimus-quintus Martii, quo iuxta probabiliorem sententiam Dominus mortuus est, eo anno hebdomadæ Feria sexta fuit, vt præcipue patet ex Marco cap. 15. 34. vbi cum dixisset: *Iesus emissa voce magna expira-* D *uit*; subdit postea vers. 42. *Erat Parasceue, quod est ante Sabbatum. Nulli Catholicorum dubitare licet Christum Feria sexta fuisse occisum*, ait Beda supracitatus. cap. 45. Domini mortis horam fuisse circa horam nonam habetur ex Matthæo, qui ait circa horam nonam clamasse Iesum, Eli, Eli; & paulo post emisisse spiritum. Similiter Marcus cap. 15. vers. 34. Lucas cap. 23. vers. 44. cum dixisset tenebras factas esse ab hora sexta vsque ad horam nonam; statim subdidit: *Clamans voce magna Iesus expirauit.* Porrò cum Matthæus ait circa horam nonam, circa eius initium debet intelligi, incipiendo autem ab ortu solis hora nona iuxta nostrum vsum horæ diei decimæ respondebat. Cumque iuxta Hebræorum consuetudinem horæ hye- E males essent breuiores, complectentes scilicet ferè tres tantùm nostræ horæ quadrantes; hinc patet ab initio horæ nonæ vsque ad solis occasum nouem tantùm quadrantes superfuisse; quo temporis spatio, non autem breuiori Christus è cruce deponi, & sepeliri potuit: quod certè ante solis occasum factum est; si enim in parte aliqua diurna Feriæ sextæ Dominus sepultus non esset: non fuisset secundùm corpus *in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus*, de quo fusè dictum est Fer. 4. post Dom. 1. Quadrag.

933. Cum Christi mortis annum, mensem, diem, & horam nouerimus: cumque hæc om-

nia de nostra morte nobis incerta esse sciamus; juxta Domini monitum: *Vigilemus, quia nescimus diem, neque horam.* Secundò cum Domini mors sub passibili carne eo tempore, quo dictum est, contigerit; studeamus, ne alia eidem Domino mors adhuc in immortali eius vita contingat: de qua morte conqueritur Dominus Psalm. 30. 13. dicens: *Oblivioni datus sum tanquam mortuus à corde.* Cum pro hominibus mortuus sim [dicere Dominus videtur] vivere in eorum corde per amorem, perpetuamque mei memoriam certè debebam. Cur ergo *oblivioni datus sum tamquam mortuus à corde*; ita vt eorum, quæ pro humana salute feci, & perpessus sum, homines obliviscantur? De Christi Domini morte iuxta Hieronymum Isaias conqueritur: *Iustus perit, & non est qui recogitet in corde suo. Iustus perit de quo vxor Pilati dixit: Nihil tibi sit, & iusto illi. Qui lotis manibus: Innocens sum ego, inquit, à sanguine iusti huius*, ait Hieronymus. *Oblitus es Domini creatoris tui*, peccatori exprobrauit Moses; sed cum maius Dei beneficium fuerit redemptio, quam creatio; multò magis ingrato homini exprobrari potest: Oblitus es Domini redemptoris tui. *Numquid obliviscitur sponsa fasciæ pectoralis sui*, ait Ieremias. Fidelis anima Christi sponsa non ornatæ pectoris fasciæ, sed rudium funium, quibus pro humana salute vndique Dominus est alligatus, oblivisci non debet.

Matth. 25. — Christi passionis sæpe memores esse debemus. — Isaia 57. — Deut. 32. 18. — Ier. c. 2. 32.

Et ecce velum templi scissum est in duas partes, à summo vsque deorsum.

934. Particula, *Ecce*, à Matthæo posita significat statim post Christi mortem vel scissuram, aliaque, quæ subduntur, prodigia euenisse. Marcus etiam post Christi mortem templi velum scissum refert. Lucas autem prolepsi, hoc est anticipatione figura vsus idem velum ante Christi mortem scissum narrat. Anticipatione autem vti Lucas voluit; vt duo opposita prodigia simul referret: scilicet solem repentinis tenebris velatum, & templi arcana scisso velo detecta. Sicut enim iuxta Chrysostomum in Domini passione tenebris velatus est sol, vt mysticè significaretur Iudæis fidei lumen tenebrescere; Gentilibus autem Christianam legem amplexuris incredulitatis noctem in fidei meridiem esse mutandam: ita cum scisso templi velo Sanctuarium patuit, significatum est diuinæ legis arcana prius Gentilibus occulta, iisdem post Christi mortem esse manifestanda. *Velum templi scissum est; & omnia legis sacramenta, quæ prius tegebantur, prodita sunt; atque ad Gentium populum transierunt*, ait Hieronymus. *Cum scinditur velum vetus, Synagogæ velamen aufertur; vt religionis interna mysteria reuelato mentis cernamus intuitu*, ait Ambrosius. Quare cum sub Tito templum euersum est à Romanis, in Sancto sanctorum arcam, aliaque cum ea reperta non fuisse, habetur ex Iosepho lib. 6. de bello cap. 6. vbi ait: *Intima templi pars viginti cubitorum erat, discernebatur similiter velo ab exteriore; nihilque prorsus in ea erat positum.* Vide Abulensem q. 14. in cap. 25. Exodi.

Prolepsis, seu Anticipatio figura apud Lucā. — Chrys. hom. de cruce & latrone. — Veli in templo scissio quid significauerit. — Ambros. lib. 10. in Lucā.

935. Ad intelligendum, quod templi velum scissum sit, nosse debemus totam Ierosolymitani templi fabricam in tres partes fuisse diuisam: scilicet in partem extimam, partem mediam, & partem intimam. Pars extima Orientem respiciens, Porticus, seu Vestibulum dicebatur; quò etiam laici ingredi poterant. Pars templi media propriè dicebatur, Templum, vt patet ex 3. Reg. cap. 6. vbi dicitur: *Porticus erat ante templum viginti cubitorum longitudinis.* Dicebatur etiam exterior domus, eòque Sacerdotibus quotidie ingredi licebat. Pars intima dicebatur Oraculum, quòd inde diuina responsa reddebantur. Dicebatur etiam Sanctum sanctorum, vel Sancta sanctorum; vel absolutè, & antonomasticè Sancta; vt Psalmo 133. *In noctibus extollite manus vestras in Sancta, & benedicite Dominum*; & ad Hebræos 9. *Introiuit semel in Sancta, æterna redemptione inuenta.* In hac intima templi parte omnium Sanctissima erat arca, & inter Cherubim Propitiatorium; & in ea semel tantùm singulis annis Pontifex, seu, quod idem est, summus Sacerdos ingrediebatur; nempe die decimo mensis septimi, qui Expiationis dies festus erat. *In priori quidem tabernaculo semper introibant Sacerdotes sacrificiorum officia consummantes: in secundo autem semel in anno solus Pontifex*, ait Apostolus ad Hebræos 9. His explicatis extima templi pars, seu porticus erat omnino patens, nec fores vllas habebat, vt colligitur ex Iosepho 8. antiquit. cap. 2. Sancta sanctorum, seu Oraculum, quod erat intima templi pars, velo tegebatur. Exterior etiam seu media pars templi suum aperiens velum habebat: vt apertè habetur ex Iosepho lib. 6. de bello cap. 6. ex Origene tract. 35. in Matth. ex Cyrillo lib. 12. in Ioannem cap. 57. & ex Hieronymo epist. 150. q. 8. Quamuis autem Iansenius Concor. cap. 143. post porticum neget templi aditum habuisse exterius velum; quia pro tali velo erant ostia, & portæ templi. Contra tamen est; quia in portis, & ostiis vela ponuntur; quæ propterea ostiaria seu ianuaria vela appellari apud plures auctores reperies. Secundo ante Sancta sanctorum fores erant cedrinæ, vt Iosephus infra citandus ait; & tamen in his foribus velum fuisse nemo negat.

Templi Ierosolymitani partes tres. — Quāuis Dauidis tēpore templū non esset; locus tamen, vbi erat Arca, atque adeo locus, vbi post templi fabricam, posita fuit, Sancta appellabatur.

936. Cum ergo duo vela in templo fuerint alterum exterius operiens templi ostium post porticum, interius alterum operiens Sancta sanctorum; quæritur quod velum in Christi morte sit scissum? Exterius velum scissum fuisse asserunt Origenes, & Hieronymus supracitati: contra verò S. Leo interius esse scissum putat serm. 10. de Pass. dicens: *Velum, cuius obiectu includebantur Sancta sanctorum, à summo vsque ad ima disruptum est; & sacrum illud & mysticum secretum, quod solus summus Pontifex iussus fuerat intrare, reseratum est; vt nihil tam esset discretionis, vbi nihil resederat sanctitatis.* S. Leoni subscribunt S. Isidorus in Exod. cap. 50. & Euthymius hoc cap. 27. in Matthæum.

Tēpli Ierosolymitani vela duo: ex his quodnā scissum sit? hîc, & seq.

937. Vtramque sententiam puto esse veram; scilicet, & exterius, & interius velum fuisse scissum. Si enim dicente Matthæo: *Idipsum latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei*, Hieronymus, Augustinus, & Ambrosius putant vnum tantum latronem Domino improperasse; vsum tamen esse Matthæum figura syllepsi, quia de vno, plurali numero loqui solemus; idque Ambrosius, & Augustinus multis sacræ Scripturæ probant exemplis: cur non etiam dicere possumus eundem

Hieron. in Matt. c. 27. Aug. lib. 3. de consensu Euang. c. 16. Ambros. in Lucā c. 23.

Synecdoches in ſacra Scriptura vſus. Matthæum Synecdoche vſum eſſe figura; ita vt cum velum dixit, vtrumque templi velum ſciſſum fuiſſe ſignificauerit: Eſt autem hæc figura in Scriptura non infrequens. Primo Chriſtus Dominus ſub Iobi figura cap. 16. cum dixiſſet: *Percuſſerunt maxillam meam*, ſubdidit: *concluſit me Deus apud iniquum*, hoc eſt apud iniquos, ſiue miniſtros intelligas, ſiue iudices; hi enim plures fuerunt. Quare in catena Græca ibi legitur: *tradidit me Dominus in manus iniuſtorum*. Quod ſi, vt aliqui interpretantur, ſuum dolorem, & morbum Iob iniquum appellauerit, etiam ad Synecdochen eſt recurrendum. Origenes enim de Satana erga Iob ait: *Nullum dereliquit ſupplicium, neque pœnam, neque dolorem; putredinem, vermes, oſſium diuiſionem, neruorum fatigationem, membrorum debilitationem; atque totius carnalis compaginis paſſionem, & dolorem: iacere non poterat, ſedere non valebat*, &c. Secundò Chriſtus Dominus Pſalmo 38. dixit: *Poſui ori meo cuſtodiam, cum conſiſteret peccator aduerſum me:* & tamen non vnus peccator aduerſus Dominum conſtitit; ſed vt ibi Auguſtinus ait: *Multi circumſtabant, & circumfremebant; quando ille velut ouis ad immolandum ductus eſt; & ſicut agnus coram tondente ſe ſine voce, ſic non aperuit os ſuum.* Tertio cum Dauid Pſalm. 13. ait: *Dixit inſipiens in corde ſuo: Non eſt Deus*, non vnum atheum, ſed plures ſignificauit. Quarto cum Ieremias ait: *Oculus meus depradatus eſt animam meam*; (Ierem. Thr. 3. 51.) nemo dubitat, an de dextero, an de ſiniſtro oculo id propheta dixerit; cum ſine dubio vtrumque oculum ſignificaſſe cenſendum ſit: Si ergo per ſyllepſim plures pro vno ponuntur; multò magis per ſynecdochen vnum pro pluribus poni poteſt. Nam multiplicitas ſingularitati opponitur: contra verò, qui vnum affirmat, aliud non negat. Hinc dici bene poteſt, cum Euangeliſta dixit velum templi ſciſſum eſſe, directè ſignificaſſe exterius templi velum; id enim nemo negare poterat; cum populo templi porticum ingredienti manifeſtum fuerit; non tamen propterea interius templi velum ſciſſum eſſe negauit; ſed expreſsè id ſignificare omiſit, eo quòd prodigium omnibus manifeſtum, qualia ipſe referebat, non fuerit.

Tēpli velū interius, & exterius in Domini paſſione ſciſſum.

938. Porrò vtrumque templi velum in Domini paſſione ſciſſum ſuadet ratio. Si enim ſciſſum eſt interius velum ante Sancta-ſanctorum, cur non potius ſciſſum eſt etiam exterius velum, quod poſt porticum templi oſtium operiebat? tale enim prodigium, vt alia, ad Chriſti Domini innocentiam ſignificandam populo innoteſcere debuit. Quòd ſi interiori velo ſciſſo exterius integrum remanſiſſet; quod interius velum ob Chriſti paſſionem ſciſſum eſſet, non tam facile credi debere videbatur. Sicut è contrario ſi integro remanente interiori velo, exterius tantum ſciſſum eſſet, hoc etiam fidei derogaſſet, quòd ad Domini innocentiam ſignificandam id eueniſſet. Præterea exterius velum etiam ſciſſum eſſe ex mox dicendis confirmatur.

Cur Tēpli velū in Domini paſſione ſciſſum ſit, rationes octo.

939. De hoc interiori velo dicitur 2. Paralip. cap. 3. *Fecit quoque velum ex hyacintho, purpura, cocco, & byſſo.* Similiter Ioſephus lib. 6. Antiquit. cap. 2. ait: *In pariete adytum à reliquo corpore ſeparante fores appoſuit cedrinas; has quoque cœlatas, & inauratas; eas prætexit velis picturatiſſimis, hyacintho, purpura, cocco, byſſoque ſplendidiſſima, ac molliſſima diſtinctis.* Debuit certè tale velum partim puniceum, & coccineum, partim byſſinum lacerari; cum ad Domini ludibrium, & ignominiam purpurea, ſeu coccinea, & candida veſtis fuerit adhibita. Secundo cum etiam ad ludibrium Domini faciem impii miniſtri velaſſent; ex oppoſita pœna Iudæorum arcana adyta erant ſciſſo velo reuelanda. Tertio Iudæorum Sancta-ſanctorum ſciſſo velo erant denudanda; cum ſanctiſſimus Dei filius ab impiis miniſtris fuiſſet propriis veſtibus denudatus. Quarto cum impius Pontifex Caïphas ad Chriſtum, vt blaſphemum indicandum, ſibi veſtes conſcidiſſet; è contrario ad Chriſti ſanctitatem indicandam Dei Oraculum intra Sancta-ſanctorum ſibi; quo tegebatur, velum ſcindere voluit. Quinto familiaribus amicis ad Principis colloquium accedentibus oſtiarium velum remouetur: ideo Dominus ad ſignificandum ſe in Euangelica lege ſuos fideles, vt valde familiares, & domeſticos habiturum, ſuo ex oraculo cortinam, velumque remonet. Sexto ad tragædiam agendam è proſcenio ſiparium remouetur. Ideo cum non fictè, ſed verè Iudæorum tragædia, præcipuè circa ſpiritualium iacturam ob eorum peccata, eſſet peragenda; templi velum, veluti ſiparium non modo remotum; ſed ſciſſum eſt. Septimo in Moſaïca lege tantùm die decima menſis ſeptimi in Sancta-ſanctorum ſummo Sacerdoti ingredi licebat, vt ſupra diximus, & habetur ex Leuitico cap. 16. vbi ſubditur: *In hac die expiatio erit veſtri; atque mundatio ab omnibus peccatis veſtris.* Sed in Euangelica lege, cum ſemper, non ſemel in anno expiatio, & à peccatis mundatio per pœnitentiæ ſacramentum extra Sancta-ſanctorum eſſe deberet, ad hoc myſticè indicandum Sancta-ſanctorum velum tegens ſciſſum eſt. Octauo, inſtituto iam ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento, vbi ſub viſibilibus ſpeciebus eſſe voluit; ſuiſque Dominus fidelibus communicari; & præcipuè Sacerdotibus panis potuſque fieri quotidianus; non erat cur manna tale ſacramentum præfigurans intra Sancta-ſanctorum ſemel in anno ſoli Sacerdoti conſpicuum delitereret.

Et terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt.

940. Non ſolùm Iudææ terram, ſed vniuerſum terræ orbem poſt Chriſti mortem terræmotu contremuiſſe probabilius cenſetur. Idque iuxta Dauidis vaticinium Pſalmo 17. vbi abſolutè dicitur: *Commota eſt & contremuit terra, & fundamenta montium conturbata ſunt. Cardinem mundi [ſic enim dixerim centrum] habet tellus*, ait Apuleius in Coſmographia: ſupra cardinem autem, ſeu centrum terra fundatur. Hinc primo Reg. cap. 2. 8. dicitur: *Domini ſunt cardines terræ, & poſuit ſuper eos orbem.* Terræ ergo fundamenta ſunt circa centrum: ideo cum pluraliter fundamenta montium conturbata, & commota dicuntur, tota terra, non eius pars è ſuo centro contremuiſſe dicenda eſt. Quare Dionyſius Carthuſianus explicans citata Pſalmi verba: *Commota eſt, & contremuit terra*, ait: *Hoc ad literam in Chriſto in cruce ſuſpenſo impletum eſt;*

Origenes Tract. 35. in Matth.

Terræmotus in Domini paſſione vniuerſalis in toto terræ orbe.

quia tunc terra mota est. Fundamenta montium conturbata sunt, & commota sunt; quoniam tempore passionis Terra sancta, quæ fertur esse montuosa tam valde mota est, vt etiam petræ scinderentur. Per petras intellige non è terra erutos, seu sectos lapides, sed saxeos montes, & rupes; saxeas autem rupes, & montes ex prædicto terræmotu non solùm in Iudæa, sed extra Iudæam etiam in Italia scissos esse iam supra diximus, cum de tenebrarum prodigio egimus. Petras autem hoc est lapideas rupes scissas, non vt distinctum prodigium, sed vt quid ad terræ motus prodigium consequens Euangelista narrat. Nam particula, *Et*, ex phrasi Hebræa sæpe adhibetur ad significandum effectum consequentem ex causa antea narrata. Sic Lucæ 1. 13. Zachariæ Gabriel Angelus cum dixisset. *Exaudita est deprecatio tua*; vt effectum ab exaudita oratione consequentem significaret, subdidit: *Et vxor tua pariet tibi filium*, &c. Similiter Lucæ 7. cum de Centurione Iudæi dixissent: *Diligit gentem nostram*; vt dilectionis effectum significarent, subdiderunt: *Et Synagogam ipse ædificauit nobis.* Similiter hoc 27. cap. cum Matthæus dixisset: *Monumenta aperta sunt*; quid inde consecutum fuerit addens subdidit: *Et multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.* Simili ergo modo cum dicitur: *Terra mota est, & petræ scissæ sunt*; hoc secundum vt quid ad primum consequens additur. Quare cum montes longè extra Palæstinam tunc disrupti sint; extra Palæstinam etiam in reliquas terræ partes terræ motum se extendisse dicendum est: quamuis non vbique tam violentus fuerit, vt montes disruperit, aut ædificia strauerit: sicut in Nyssena vrbe plures ædes euertit, vt Eusebius in Chro. ad annum Christi 33. refert.

Et particula interdū ponitur ad significandū effectum ex aliqua prædicta causa consequentem.

941. Prima huius terræ motus causa fuit, vt quàm immane Iudæorum scelus in Christi morte fuerit indicaretur, quo scilicet Dei vindicis iram maximè prouocarunt. Idque apertè citato Psalmo dicitur: *Commota est, & contremuit terra; fundamenta montium conturbata sunt, & commota sunt; quoniam iratus est eis:* ita tamen iratus, vt suæ misericordiæ non oblitus perfidos parricidas immisso terrore resipiscere vellet. Ideo Deo dicitur Psalmo 59. *Commouisti terram, & conturbasti eam: dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus*; arcus scilicet diuinæ vltionis. *Dominus*, ait Dionysius, *iram suam, qua hominibus filium suum dilectum occidentibus irascebatur, ostendit in elementis; turbando, atque mouendo inanimata, vt vel sic rationales creaturæ errorem suum aduerterent, dum inanimata suspenso in cruce sic condolere conspicerent.*

Terræmotus in Domini passione ob rationes quatuor.

942. Secundo terra mota est, eo quòd Christus inclinato capite eam respexisset; idque, vt diximus supra, ad Christi Domini diuinitatem testandam. De Deo enim dicitur Psalmo 103. 32. *Respicit terram, & facit eam tremere*: & Psalmo 113. 7. *A facie Domini mota est terra.* Bene enim Chrysostomus: *Tunc omnis terra commota est, vt vbique agnosceretur crucifixi virtus; & quod Deus esset, qui patiebatur, non simpliciter homo.*

Chrys. in c. 4. Act. Apost.

943. Tertiò cum Euangelica lex promulganda iam foret, terra contremuit, vt debita Christo Domino legislatori veneratio terræ motu significaretur. Simili modo antequam per Mosem Deus Israelitis suam legem promulgaret, *cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulmina, & nubes densissima operire montem, clangorque buccinæ vehementius perstrepebat.* Horum autem rationem Israelitico populo Moses reddidit dicens: *Vt terror Dei esset in vobis, & non peccaretis.* Similiter Christus Dominus legis Euangelicæ legislator adhuc in cruce pendens cum terram concutere posse nosceretur; Euangelicæ legis fideles ne sanctissimam eius legem transgrederentur, terræ motu ad timorem excitari debuerunt.

Exodi c. 19. 16.

944. Quartò commota est terra, vt sanctorum Patrum animabus, quæ in limbo detinebantur petentibus inde liberari, terræ motus indicio se eorum precibus annuere Dominus significaret. Sic Actorum 4. 31. de Domini discipulis dicitur: *Cum orassent, motus est locus, in quo erant congregati.* Vbi Chrysostomus ait: *Annuit eorum petitioni; & manifestum hoc fecit eis, commoto loco; quod adesset ipsorum precibus. Motus est locus, & illos magis consolidauit.* Hoc autem aliquando *iræ est indicium, aliquando visitationis*, hoc est consolationis.

945. *Petræ scissæ sunt.* Primo Reg. cap. 13. ad exprobrandam impii Ieroboami obstinationem, lapideum altare in quo Idolis thus offerebat, scissum est; & ipsius Ieroboami manus contra Dei Prophetam extenta exaruit. Cum etiam ob Domini passionem ad Iudæorum obstinatam duritiem exprobrandam lapides scissi sint; cur non etiam manus impiorum contra Dominum extensæ non exaruerunt? Voluit misericors Dominus liberas eis manus relinquere, vt percutientes pectus suum ad patrati sceleris pœnitentiam resipiscerent. Sicut de adstantibus ad crucem dicitur Lucæ 23. 48. *Omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum illud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua reuertebantur.*

946. Inter petrarum scissiones numeratur templi superliminaris scissio, de quo Hieronymus ait: *In Euangelio, quod Hebraicis literis scriptum est, legimus non velum templi scissum, sed superliminare templi miræ magnitudinis corruisse.* Idem refert in Matthæum cap. 27. Et quamuis Iosephus lib. 7. de bello cap. 12. tale superliminaris prodigium contigisse in Ierosolymæ excidio referat; Hieronymus tamen non Iosephi, sed Nazaræorum Euangelii testimonio nititur; quos in ea quæstione tantum citat, & nullo pacto Iosephum: quod si Iosepho etiam habenda est fides, id iterum quando Iosephus ait, contigisse dicendum est. Ex superliminaris autem scissione velum, quo ostium tegebatur, etiam scissum esse facilè censeri potest. De lapideo templi superliminari scisso intelligi potest Habacuc vaticinium cap. 2. 11. *Lapis de pariete clamabit*, ad exprobrandam scilicet Iudæorum duritiem, obstinatamque perfidiam. In Iudaici etiam sacrilegi sceleris supplicium est vaticinium illud: *Sion quasi ager arabitur, & Ierusalem quasi aceruus lapidum erit; & mons templi quasi excelsa syluarum*: idque scissæ petræ portendere videbantur.

Hier. epist. 150. q. 8.

Superliminare Tépli in Domini passione scissum.

Michææ c. 3. 12.

Ierem. c. 26. 18.

Et

Et monumenta aperta sunt; & multa corpora Sanctorum, qui dormierant surrexerunt: & exeuntes de monumentis post resurrectionem eius, venerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis.

947. QVamuis monumenta statim post Christi mortem aperta sint, fortasse quòd ex terræ motus impetu lapides ea tegentes inde corruerint: nihilominus mortuorum resurrectio per prolepsim, seu anticipationem à Matthæo hîc refertur: quandoquidem non nisi post Christi resurrectionem Sanctorum resurrectio contigit: ad quod indicandum Matthæus subdidit: *Et exeuntes de monumentis post resurrectionem eius, venerunt in sanctam ciuitatem.* Sed cur sancta ciuitas Ierosolyma dicitur, quæ tot impiorum Iudæorum sceleribus, & immanissima contra Dominum sæuitie profanata, & conspurcata iam erat? Respondetur eo modo Ierosolymam hîc dici sanctam ciuitatem; quo modo vorax, & venenatus coluber appellatur virga, Exodi 7. *Deuorauit virga Aaron virgas eorum:* eo quòd antequam in colubrum verteretur, Aaronis virga fuerit. Similiter quamuis Ierosolyma ob sceleratos Pharisæos usque similes ciues *habitaculum draconum* esset iuxta Ieremiæ vaticinium cap. 10. 22. nihilominus quia antea præcipuè sub Dauide Rege ob sanctissimum Dei cultum sanctificata erat, sancta ciuitas dicitur. Hieronymus Epist. 150. quæst. 8. ait: *Nulli violentum esse videatur, mortuo Saluatore appellari Ierusalem sanctam ciuitatem; cum usque ad destructionem eius semper Apostoli templum ingressi sint; & ob scandalum eorum, qui ex Iudæis crediderant, legis exercuerunt cæremonias. Usque ad quadragesimum secundum annum datum est eis tempus pœnitentiæ: Post quos perseuerantibus illis in malitia, egressi sunt duo ursi de syluis gentium Romanarum Vespasianus, & Titus; & blasphemantes* Iudæos scilicet in Christi nomen blasphemos *interfecerunt, atque lacerauerunt. Ex eo tempore Jerusalem non appellatur ciuitas sancta; sed sanctitatem, & pristinum nomen amittens, spiritualiter vocatur Sodoma, & Ægyptus: ut ædificetur pro ea ciuitas noua, quam fluminis impetus lætificat; & de cuius medio egreditur fons, qui totius orbis amaritudinem mitigauit: ut miserabilis Israel ruinas templi nudatis plangat lacertis; & in Christo turba credentium, noua quotidie videat Ecclesiæ tecta consurgere.*

Ierosolyma cur sancta ciuitas dicta, etiam post Domini passioné.

An Sancti cum Christo resurgentes ad vitam immortalem resurrexerint; an verò ad mortalem vitam iterum mortui.

948. REspondeo surrexisse ad vitam immortalem, non ulterius morituros. Pro hac probabiliore sententia citatur, primo Clemens Alex. lib. 6 Stromatum dicens: *corpora eorum, qui cum Christo surrexerunt, in meliorem ordinem esse translata.* Sed ad hoc, ut in meliorem ordinem translata fuerint, satis est si fuerint viuificata; an, tamen in tali viuificatione semper permanserint, Clemens ibi non explicat. Talis autem viuificatio rectè dicitur in meliorem ordinem translatio; nam vel pro eo tempore, quo vixerunt, impassibilem vitam habuerunt, qualis nunc tribuitur Eliæ. & tunc procul dubio melioris vitæ ordo fuit: vel in vitam passibilem resurrexisse dicuntur; & tunc talem vitam meritoriam fuisse dicendum est; & consequenter ex hoc capite etiam melioris ordinis vita fuit.

949. Secundò pro eadē sententia citatur Athanasius hom. de semente dicens: *Iesus inter mortuos incedens non solùm liber, sed liberator mortuorum erat. Atque, ut discas eum esse mortuorum liberatorem, audi Euangelij verba: Multa corpora Sanctorum, qui dormierant surrexerunt.* Sed ad hoc, ut Dominus verè mortuorum liberator dictus sit, necesse non est, ut tunc mortuos ad immortalem vitam reuocauerit; cum ad mortalem vitam eos reuocando, adhuc eos à morte pro statuto tempore liberasset. Sic Esther 15. 3. cum Mardochæus dixit: *Inuoca Dominum, & loquere Regi pro nobis, & libera nos a morte;* id de morte tunc imminente, non de omnimoda morte dixit.

950. Tertio teste Sophronio ser. de Assumptione B. Virginis nonnulli Doctores de Sanctis, qui cum Domino surrexerunt, senserunt, *quòd iam in illis perpetua sit completa resurrectio. Fatentur enim quod veri testes non essent, nisi & vera eorum esset resurrectio. Unde & Diuus Petrus dixisse legitur, cum de Dauid loqueretur in testimonium: & sepulchrum, inquit, eius apud nos est: quasi non sit ausus dicere, quod ipse, aut corpus eius apud nos est; sed tantùm sepulchrum quo conditus fuerat: hinc aiunt resurrexisse eum cum cæteris Sanctis; & ideo vacuum remansisse Mausoleum.* Horum auctorum utraque probatio est inefficax. Nam etiam si hi Sancti iterum morituri resurrexissent, adhuc eorum vera fuisset, non falsa resurrectio; atque adeo veri testes Domini ad vitam immortalem resurrectionis fuissent. Si enim poterat Dominus diuina potentia, ad vitæ tempus, pro ut illi libuerat, alios reuocare; utique poterat etiam seipsum è morte ad vitam excitare perpetuam. Contra secundam eorundem rationem, quòd ad probandum de Christo, non de Dauide dictum esse Psalmo 15. *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem,* Petrus Apostolus dixit: *Sepulchrum eius apud nos est;* noluitque dicere, corpus eius apud nos est; eo quòd iam cum Domino resurrexisset; bene sic arguit August. *Quod adiunxit de Dauid apud eos esse monumentũ eius, illos utique non conuincebat; si corpus eius ibi non erat. Quia si ante in recenti sua morte resurrexisset, nec caro eius vidisset corruptionem; posset nihilominus monumentum illud manere.* Præterea Apost. ratio talis esse debuit, ut si ad experientiam detegendo sepulchrum Iudæi venissent, adhuc eius ratio efficax inueniretur. At detecto sepulchro, Dauidis corpus iam rediuiuum si supponatur; inuentum non esset; & consequenter Petri probationem contra ipsum Apost. Iudæi retorsissent. Quare bene Lorinus ait: *Mihi videtur Petrus solùm intellexisse Dauidem corruptionem vidisse: quod ex sepulchro quidem solo non sequitur: sed tamen posito tam longo spatio temporum, sepulchrum in quo mortuus conditus fuerat rem omnino certam reddit.* Præcipuè cum in eodem Dauidis sepulchro sepultus etiam post multos annos fuerit Salomon, ut habetur ex Iosepho: cum ergo eò Salomonis corpus illatum est, si Dauid corruptionem non vidisset, & resurrexisset; id inferentes Salomonis corpus facilè aduertere potuissent.

Sophronius apud Hier. tomo 9.

Act. 2. 29.

Act. 2. 29.

Aug ep 99.

Ioseph. l. 16. Antiquit. c. 11.

951. Quarto Ruffinus in symbolo Apostolico post allata Oseæ verba c. 6. *Viuificabit nos,*

seu, vt ipse legit, *sanabit nos post duos dies: in die tertia suscitabit nos, & viuemus in conspectu eius*, subdit: *Hoc ex persona eorum dici, qui cum ipso die tertia resurgentes de morte reuocantur ad vitam; & ipsi sunt qui dicunt: Die tertia resurgemus, & viuemus in conspectu eius.* Idem antea explicans eadem Oseæ verba Nyssenus docuerat. Sed illa Oseæ verba: *Viuificabit*, seu, *sanabit nos*, &c. dicta esse sub persona omnium fidelium, communiter asserunt SS. PP. Hieronymus in Oseam, Cyprianus lib. 2. contra Iudæos cap. 25. Origenes hom. 5. in Exodum, Tertullianus lib. 4. contra Marcionem, & alii. Nam post Christi resurrectionem promulgata est Euangelica lex, per cuius obseruantiam, & per eius sacramenta homines spiritualiter viuificantur. *Si Christus non resurrexit, inanis est fides nostra*, ex qua salus nostra dependet: quare ipsa Christi resurrectio nostra resurrectio fuit: ex eius enim resurrectione tam certam habemus corporaliter resurgendi spem, ac si cum ipso resurrexissemus: *Redemptoris nostri resurrectio & nostra festiuitas est, quia nos ad immortalitatem reduxit*, ait Gregorius. Hinc Apostolus ad Ephes. cap. 2. 4. ait: *Deus, cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo [cuius gratia estis saluati] & conresuscitauit; & consedere fecit in cælestibus in Christo Iesu.* scilicet nunc per certam spem, contemplationem, & affectum, & cæleste viuendi genus; postea per actualem cælestis beatitudinis fruitionem. *Sanabit nos post biduum, & in die tertia resurgemus: secundum hoc nobis dicit Apostolus: Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite*, ait Augustinus. Ex dictis Ruffini & Nysseni testimonium prout citatis Oseæ verbis nititur, non est efficax.

Nyssenus l. de cognit. Dei cap. de Christi resurrect.

1. ad Cor. c. 15.

Greg. hom. 21 in Euāg.

Aug. 18. de Ciuit. c. 28. Ad Coloss cap. 3.

952. Quinto idem Ruffinus ibidem ait: *Monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum dormientium resurrexerunt & apparuerunt multis; & ingressi sunt sanctam ciuitatem illam, de qua Apostolus dicit: Quæ sursum est Ierusalem libera est, quæ est mater omnium nostrûm. Sicut ad Hebræos dicit: Decebat enim propter quem omnia, & per quem omnia multos filios in gloriam adducentem auctorem salutis eorum per passionem consummari.* Nomine etiam sanctæ ciuitatis hîc intelligi posse cælestem Ierosolymam docet Hieronymus, Anselmus, & Beda. Sed ad literam nomine sanctæ ciuitatis terrenam Ierosolymam hîc à Matthæo significari patet, cum dicat: *Et exeuntes de monumentis venerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis.* In cælestem autem Ierosolymam non statim è monumentis exeuntes venerunt; sed post quadraginta dies, cum Dominus in cœlum ascendit. Quare melius hîc Hieronymus ait: *Sancta appellatur ciuitas Ierusalem propter templum, & Sancta sanctorum & ob distinctionem aliarum vrbium, in quibus Idola colebantur.* Præterea à citato Ruffino loco ad Hebræos cap. 2. vers. 10. cum de Christo Apostolus ait: *Multos filios ad gloriam adduxerat*, id intelligi debet non actu, & reipsa, sed in suo decreto, & prædestinatione, vt bene ibi Cornelius notat.

Ad Galatas c. 4.
Ad Hebr. c. 2.

953. Sexto S. Anselmus de Sanctis cum Domino resurgentibus ait: *Nec vlla ratione illorum temeritati fides accommodanda est, qui postea illos reuersos in cinerem dicunt.* Ex quibus verbis præter Anselmi auctoritatem, colligitur etiam pro allata sententia ratio valde congrua; scilicet non debuisse beatas animas quæ les resurgentium Sanctorum erant, corruptibilibus corporibus iungi. Quæ quidem ratio efficax est: non autem illa, quæ apud S. Thomam affertur; scilicet, quòd maius Sanctis illis fuisset tormentum, si iterum mortui essent, quàm si non resurrexissent. Contra enim est, quòd Sanctorum animæ ob separationem à corpore dolorem nullum sensissent: tum quia beatæ erant; tum ob omnimodam cum diuina voluntate conformitatem. Immo beatis illis animabus potius displicuisset mortalia corpora retinere, quàm deponere. Dices: Christi anima quamuis clarè Deum videret, adeoque beata foret, mortali tamen corpori est vnita: ergo similiter illæ resurgentium Sanctorum Animæ. Respondeo quamuis Christi anima adhuc in mortali vita secundùm partem superiorem beata foret, inde tamen in partem inferiorem beatitudo non redundabat; ideoque secundùm inferiorem partem tristabatur, dolebat, eratque in mortali corpore omnino passibilis. Quod in resurgentium Sanctorum animabus non est admittendum, quandoquidem non in via, sicut Christus, sed iam in termino erant. Dicendum est ergo Sanctos illos vnà cum Domino ad immortalem vitam resurrexisse: quam sententiam præter citatos sequuntur Origenes in ep. ad Rom. cap. 1. S. Sophronius Episcopus Ierosolymitanus in epist. Synodali relata, & approbata à sexta Synodo Act. 11. Eusebius lib. 4. Demonstrat. cap. 12. Remigius hîc in Matthæum cap. 27. vbi ait: *Incunctanter credere debemus, quia qui resurgente à mortuis Domino resurrexerunt, ascendente eo ad cœlos, & ipsi pariter ascenderunt.* Idem docet S. Thomas in Matth. 27. & in 4. dist. 43. quæst. 1. art. 3. quæstiuncula prima ad tertiam. Citatur S. Thomas pro opposita sententia tertia part. quæst. 53. art. 3. Sed ibi directè tantùm docet Christi resurrectionem tempore aliorum resurrectionem præcessisse. Quæ temporis præcessio non necessariò multum temporis spatium inferre debet.

S. Th. 3. p. q. 53. art. 3.

954. Probatur secundo eadem sententia ex S. Hieronymo dicente: *Apparuerunt multis, vt hi viderent, qui cernere merebantur.* Et ex S. Thoma similiter dicente: *Apparuerunt multis: sicut enim Christus potestatem habet manifestandi se quibus vult; ita est intelligendum de corporibus glorificatis.* Cum ergo Sancti illi glorificata corpora habuerint, eos ad immortalem vitam resurrexisse est dicendum. Contra tamen est, quòd licet Moses, & Elias in monte Thabor tribus Apostolis apparuerint, non inde deducitur eos corpora glorificata habuisse. Quòd autem resurgentes Sancti quibusdam apparuerint, & aliis se occultauerint; id non ex eorum corporum glorificatione, sed ex diuina voluntate, & potentia prouenisse opposita sententia contendere potest.

S. Thom. in Matt. c. 27.

Matth. 17.

955. Probatur tertio quia Sancti illi vt resurrectionis gloriosæ, & immortalis testes essent omni exceptione maiores, decuit eos ad immortalem vitam resurgere. *Hæc ratio valde est infirma*, inquit Suarius; *quia isti Sancti non ostendebant iis, quibus apparebant, suorum corporum gloriam, & immortalitatem; ita vt eæ proprietates sensibus perciperentur; quia neque Christus Dominus post resurrectionem ita apparebat; quia potius, vt probaret veritatem suæ resurrectio-*

Suar. 3. p. q. 53. art. 3.

nis exercebat ea, quæ communia sunt corpori mortali, in cibo nempe, potu, & contactu. Si ergo gloria; & immortalitas corporum non erat sensibus obÿcienda, nihil interesse poterat ad veritatem testimonÿ. Contra tamen est, quia licet Sancti illi plenitudinem suæ gloriæ iis, quibus apparuerunt, non ostenderint; iisdem tamen gloriæ partem aliquam ostendisse censendum est. e. g. corporis pulchritudinem; & ex eo attemperatum aliquem splendorem. Plures enim in Sanctorum vitis legimus sanctas animas in splendidis assumptis corporibus apparuisse. Certè de Christo Domino, cum discipulis apparuit, negari non debet, quòd vndique splendore circumdatus apparuerit: si enim tali modo adhuc sub mortali vita in monte Thabor apparuit; multo magis eodem modo cum ad immortalem vitam resurrexit, videri voluit. Præterea sicut Dominus ingrediens ad Apostolos ianuis clausis subtilitatis dotem gloriosi corporis propriam ostendit; ita etiam Sanctos Dominicæ resurrectionis socios, cum aliquibus apparuerunt, subtilitatis dote vsos esse valde probabiliter dici potest.

956. Probatur quarto, quia sicut ante extremum iudicium ad ostendendam diuinam iustitiam damnati aliqui, & anima, & corpore in inferno sunt; vt Dathan, & Abyron, de quibus dicitur Num 16. 31. *Dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum deuorauit illos, descenderuntque viui in infernum operti humo*: ita ad ostensionem diuinæ misericordiæ, & copiosæ redemptionis Christi spectabat, vt aliqui etiam, & anima, & corpore ante mundi finem essent beati. Sed contra est, quia ex citato Num. textu non certò colligitur Dathan, & Abyron anima, & corpore in infernum fuisse demissos: nam Abulensis in citatum cap. 16. Num. quæst. 20. Lyranus, Hugo Card. Dionysius, & Ribera docent eos non peruenisse viuos ad locum damnatorum; sed mortuos esse in via, atque ibi corpora remansisse, animas verò descendisse in gehennam. Cum autem dicuntur viui descendisse in infernum, sensus est, quòd non antequam absorberentur à terra, obierint; sed quòd cum intra terræ hiatum mortui sint, infernum versus viui descendisse cœperint. Sic enim melius saluatur vniuersalis lex, qua *statutum est omnibus hominibus semel mori*, iuxta Apostolum ad Heb. 9. 27. Neque insuetum est in Scriptura verba interdum non actum consummatum, sed inchoatum significare, vt alibi diximus; & patet ex Danielis cap. 6. vbi cum de Danielis accusatoribus dicitur: *In lacum leonum missi sunt ipsi, & filÿ, & vxores eorum*: istorum demissio ad leonum foueam tantùm secundum actum inchoatum intelligitur; subditur enim: *Non peruenerunt vsque ad pauimentum laci donec arriperent eos leones.* Ex allatis ergo rationibus, illa supra allata ex Anselmo est eligenda, ad probandum Sanctos ad immortalem vitam cum Domino resurrexisse.

Ribera in c. 19. Apoc.

957. Oppositam sententiam, scilicet ad mortalem tantùm vitam Sanctos illos resurrexisse, postea iterum morituros asserunt Augustinus Epist. 99. ad Euodium; Hieronymus in hoc Matthæi cap. 27. dicens: *Quomodo Lazarus mortuus resurrexit, sic & multa corpora Sanctorum resurrexerunt.* Lazarum autem ad mortalem vitam resurrexisse certum est. Similiter Sanctorum illorum resurrectionem Lazari resurrectioni comparat Chrysost. homil. 89. in Matth. Præterea post Domini clamorem cum Matthæus subdidit: *Monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant surrexerunt*; censet Chrysostomus id Euangelistam non per anticipationem dixisse; sed tunc verè post Domini clamorem Sanctos illos resurrexisse; ait enim citata homilia: *Resurrectio mortuorum secuta omnipotentiam Domini ostendit: corpore in patibulo pendente vox sola mortuos excitauit.* Quare si iuxta Chrysostomum tunc mortui suscitati sunt, vtique non nisi ad mortalem vitam resurrexerunt: resurrectio enim ad immortalem vitam nemini ante Christi resurrectionem est concedenda. Idem sensisse videtur Prosper 3. p. de promissionibus, & prædictionibus Dei cap. 29. eidem sententiæ apertè subscribunt Theophylactus, & Euthymius in hoc Matthæi cap. 27. & Scotus in 4. dist. 43. q. 2. art. 1.

958. Obiicit pro sua sententia contra priorem, & probabiliorem sententiam allatam Augustinus verba Actorum 2. vbi Petrus Apostolus, vt probaret Psalmi 15. verba: *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*, intelligenda esse de Christo, non de Dauide subdidit: *Quoniam Dauid defunctus est, & sepultus, & sepulchrum eius est apud nos vsque in hodiernum diem*: ex quo patet Apostolum locutum esse de sepulchro tunc corpus Dauidis corruptum continente: si enim corpus illud non continuisset, non poterat inde probari Dauidis corpus corruptum non fuisse. Quare cum Dauid, ex cuius stirpe natus est Dominus, ad vitam immortalem cum Domino non resurrexerit, neque Sancti alii resurrexerunt. Contra hanc Augustini rationem iam supra diximus, quamuis Dauid immortalis cum Domino resurrexisset, quomodo ex eius sepulchro vsque ad illud tempus permanente Apostolus Dauidis mortem, & corruptionem arguerit. Secundo dici potest inter Sanctos, qui cum Domino resurrexerunt, Dauidem non fuisse: quamuis enim ex Dauidis stirpe Dominus natus sit, magis propinquè natus est ex aliis iustis Dauidis posteris; quos omnes cum Domino resurrexisse necessitas nulla dicere cogit. Quòd autem Dauid non resurrexerit coniectura desumi potest ex Iosepho lib. 7. Antiquit. cap. 12. vbi de Dauide ait: *Sepeliuit eum filius Salomon Ierosolymis magnificè, illatis in monumentum eius maximis diuitiis; quarum magnitudinem facile sit coniectare ex hoc, quòd post annos mille trecentos Hyrcanus Pontifex aperta cella monumenti, & prolatis inde tribus talentorum millibus, eorumque parte Antiocho numerata, oppugnationis periculo se exemit. Rursus post multos annos elapsos Herodes alia cella aperta magnam pecuniam sustulit. Ad loculos autem, qui Regum cineres continent, neuter peruenit.* Idem Ioseph lib. 16. Antiquit. cap. 11. de eodem Dauidis sepulchro ait: *Herodes noctu apertum sepulchrum ingreditur, depositas tamen pecunias non inuenit; sed mundi pretiosi, & aureorum ornamentorum vim magnam inde sustulit. His inuitatus ad diligentius scrutandum, interius processit vsque ad conditoria corporum Salomonis, & Dauidis. Vbi duos satellites amisit, erumpente, vt fertur, ex adytis flamma contra progressos temere. Quo casu territus exiuit, & tactus religione ad expiandum se, in aditu sepulchri monumentum è candido marmore condidit sumptuosissimis impendÿs.* Cum ergo tam magnificum,

Dauid cum Domino nõ resurrexit.

Dauidis monumentũ maximis diuitiis à Salomone refertum.

A & celebre apud Iudæos fuerit Dauidis sepulchrum, si illud cum monumentis aliis, quæ post Christi mortem aperta fuisse Matthæus refert, similiter reseratum esset, id vtique Iudæi cognouissent, & consequenter, si reserato monumento Dauid resurrexisset, Apostolus Petrus Dauidis sepulchrum ad eius corruptionem probandam non citasset. Notetur obiter citatis Iosephi locis ipsum sibi contradicere, cum lib. 7 dicat è Dauidis sepulchro Herodem pecuniam sustulisse; libro verò 16. id neget.

959. Obiicit secundo Augustinus: Apostolus ad Hebræos 11. 39. de antiquis sub lege Mosaïca Sanctis ait: *Hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid prouidente; vt non sine nobis consummarentur.* Sed si ex his Sanctis aliqui ad vitam immortalem cum Domino surrexissent; adæquatam repromissionem circa animæ, & corporis beatitudinem accepissent; & consequenter sine nobis essent consummati; hoc est vtriusque substantiæ perfectionem consecuti essent. Respondetur allatæ sententiæ verum sensum accipiendum esse ex eo, quod Apostolus dixit: *Deo pro nobis melius aliquid prouidente*: quibus verbis non significauit corporum glorificationem præstantiorem nobis esse reseruatam. Hæc enim quoad substantiam communis est Sanctis omnibus: & quoad intensionem aliquibus ex priscis Sanctis maior est, & aliquibus ex posterioribus minor iuxta diuersam meritorum mensuram. Significauit igitur Apostolus cœli aditum ad beatitudinem animæ, quæ proprie perfectè, & essentialis beatitudo est, consequendam, non nisi post Christi aduentum, & humani generis redemptionem esse reseratum: cum antiquorum Patrum tempore ad cœlum ingressus non patuerit: ideoque ad beatitudinis consecutionem antiqui Patres Mosaïcæ legis finem, & Euangelicæ legis à Christo promulgationem expectare debuerunt. Quare cum ab Apostolo dicitur: *Non acceperunt repromissionem, vt non sine nobis consummarentur*: sensus est, quòd Dei visionem, quæ est essentialis, & consummata beatitudo, antea consecuti non sint. Dices: hanc perfectam animæ beatitudinem antiqui Sancti cum Christo resurgentes etiam ante nos, adeoque sine nobis acceperunt. Respondeo cum Apostolus dixit: *Sine nobis*, intellexisse sine fidelibus post Christi aduentum. Plures autem fideles post Christi aduentum vnà cum antiquis Patribus Christo resurgente beatitudinem consecuti sunt; vt S. Ioseph, Simeon iustus, S. Ioannes Baptista, bonus Latro, &c. Confirmat quæ diximus S. Thomas dicens: *Hæc consummatio, de qua loquitur Apostolus, potest referri ad præmium essentiale, scilicet ad beatitudinem, quæ habetur per Christum: de quo Michæas prædixit: Ascendet pandens iter ante eos: quam non habuerunt Sancti veteris Testamenti*; scilicet ante Christum. Addit S. Thomas: *Ista consummatio vel potest referri ad stolam corporis, quæ non dabitur vniuersaliter vsque post resurrectionem vniuersalem: licet iam fortè aliqui iam habeant ipsam ex speciali priuilegio.* Quare Sanctis cum Christo resurgentibus ex S. Thoma hoc speciale priuilegium tribui potest.

Aug supra.

S. Th. in ep. ad Hebr. c. 11.

Michæas 2. c. 13.

960. Obiicitur tertio Chrysostomus, qui explicans citata Apostoli verba de veteris Testamenti Sanctis ait: *Ne aliquid pro nobis plus habere viderentur, si primi ante nos coronarentur; vnum Deus definiuit tempus omnium coronarum: vt qui ante tot annos vicit, tecum accipiat coronam. Præuenerunt nos in certaminibus; sed non præuenerunt in coronis. Non iniuriam illis intulit; sed nos honorauit. Nam & ipsi fratres libenter nos expectant: si enim corpus vnum omnes sumus; maior ex hoc efficitur corpori iucunditas; cum simul & communiter honoratur, & non per partes. Etenim iusti etiam in hoc sunt mirabiles; quia sicut de propriis bonis, sic gaudent & de bonis fratrum. Proinde etiam in illis hoc iuxta votum procedit, vt cum fratribus coronentur: simul enim glorificari magna iucunditas est.* Quibus verbis Chrysostomus B aperte de corporum glorificatione loquitur, non autem de animæ beatitudine: non enim Chrysostomus vnquam censuit, Sanctorum animas Deũ non videre, nec beatas esse ante extremi iudicii diem: est.n. hæc sententia planè erronea, & vt hæretica damnata à Benedicto 11. in Extrauag. Benedictus Deus: vt videre est apud Bellarminum t. 1. Controu. 7. quamuis eam antea docuerit Tertul. l. de anima c. vlt. Lanctantius l. 7. c. 21. & Victorinus in caput sex. Apoc. Respondeo verissimum esse Chrysostomum cum Augustino consentientem censuisse ante iudicii diem veteres illos Sanctos, de quibus citato loco Apostolus loquitur, ad vitam immortalem non surrexisse. Dico tamen rationes, quas Chrysostomus C affert, probare tantùm iudicii diem fore vniuersalem mortuorum resurrectionem: nihilominus ex hac vniuersali defunctorum resurrectione eos excipi debere, qui cum ex speciali priuilegio, vt S. Thomas supra dixit, antea resurrexerint, inter mortuos non numerantur. Ad communem autem singulorum resurgentium iudicii die lætitiam, sufficit ingens resurgentium numerus, paucis exceptis: qui pauci excepti etiam electorum gaudium antea auxerunt, cum ex iis certam suæ resurrectionis arrham habuerint.

Sanctorum animas ante iudicii diẽ Deum non videre, hæresis dãnata.

961. Obiicitur quarto Ecclesiæ verba dicentis: *Sub throno Dei omnes Sancti clamant: Vindica, Domine, sanguinem Sanctorum tuorum, qui* D *effusus est.* Quæ verba desumuntur ex Apoc. 6. 10. ibique pro responsione ad Sanctorũ clamorem subditur: *Dictũ est illis, vt requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conserui eorũ. Quid est*, ait Gregorius, *animas vindictæ petitionem dicere, nisi diem extremum iudicij, & resurrectionem extinctorum corporum desiderare?* Hinc Bernardus serm. 3. in festo omnium Sanctorum ait: *Vnde tibi, ô misera caro, ô fœda, & fœtida, vnde tibi hoc? Animæ sanctæ, quas propria Deus insigniuit imagine, te desiderant; quas redemit proprio sanguine, te expectant: & ipsorum sine te lætitia compleri, perfici gloria, consummari beatitudo non potest.* Ex his igitur Apocalipsis verbis colligi- E tur corporum resurrectionem vsque ad extremi iudicii diem, cœlestisque Iudicis aduentum differri: *Ad cuius aduentum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis*, vt in S. Athanasij symbolo dicitur: idque iuxta Apost. 1. ad Cor. 15. 51. dicentem: *Omnes resurgemus* Notandũ est autem à S. Athanasio non dici indefinitè homines; sed omnes homines: sicut etiam supra dicitur: *Omnes Sancti clamant*: Ex hac igitur generali resurrectionis regula aliquos excipiendo videtur allatis Scripturæ Patrũ, & Ecclesiæ testimoniis contradici. Respondetur in citatis Apocalip. & ex ea Eccl. verbis sermonem tantùm esse de martyribus post Christi aduentum, & Euangelicæ

In Officio S. Innocentiũ.

Greg. 7 Moral. c. 4.

legis promulgationem. Dicitur. n. ibi: *Cum aperuisset sigillum quintum, vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, & clamabant: Vsquequo,* &c. In primo autem sigillo significatum est equo albo lætum faustumque Christi in Ecclesia regnum. Cum autem ab Athanasio dicitur: *Ad Christi aduentum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis,* significauit omnes resumptis corporibus rediuiuos ad Christi iudicis tribunal sistere se debere; siue antea corpora desumpserint, siue tunc. Subdit enim Athanasius: *Et reddituri sunt de factis propriis rationem:* quam rationem, quamuis multò antea particulari iudicio reddidissent; tunc manifestè reddituri sunt; similiter quamuis aliqui antea resurrexerint, tunc manifestè se rediuiuos in propriis corporibus ostensuri sunt: quod infra melius explicabitur, cum de Iobi resurrectione agemus. Cum autem Apostolus ait: *Omnes resurgemus,* id affirmat de mortuis, non autem de Sanctis iis, qui tunc non mortui, sed multò antea rediuiui fuerunt. Ratio autem cur Sancti aliqui ex generali resurrectione iudicii die expectanda excipiendi sint, iam supra allata est. Vltimò cum Bernardus ait electorum beatitudinem consummari, & compleri sine reassumpta carne non posse, necessariò explicari debet de beatitudinis complemento accidentali; cum perfecta, & consummata beatitudo in clara Dei visione consistat, ad quam caro non exigitur.

962. Obiicitur 5. Iob cum Domino ad immortalem vitam non resurrexit: ergo neque alii Sancti; quibus non videtur magis, quā Iobo tale ante iudicii diem resurrectionis priuilegiū concedendū. Quòd Iob cum Domino nō resurrexerit, patet ex eius verbis, quibus de Domini resurrectione tanquā præsenti cum propheticè locutus esset; de sua resurrectione, vt in nouissimo die futura loquitur dicens: *Scio quòd Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum; & rursum circūdabor pelle mea.* Respondetur huius obiectionis negari posse tam antecedens, quàm consequentiā. Nam responderi posset ex sententia relata à Chrys. quā sequitur Eugubinus ibi, Iob se de terra surrectu rū dixisse, idest è sterquilinio, in quo iacebat, erigendum; & à malis, quibus cruciabatur, liberandum. Addidit Iob: *Rursum circumdabor pelle mea,* hoc est, postquam me Deus morbo exoluerit, & liberauerit, iterum pellem sanie corruptam innouabit. Sed quoniam iuxta communem Patrum sententiam ibi de resurrectione à morte Iob loquitur,

Iob.19.26.

963. Dico 1. Iob cum Domino resurrexisse; legitur. n. Iob c. vlt. iuxta Septuag. & Theodotionem: *Mortuus est Iob senior, & plenus dierum. Scriptum est autē ipsum rursus resurrecturū,* cum quibus se resuscitat Dominus. Idem confirmat S. Clemens Rom. constit. l. 5. c. 8. dicens: *Iob minissimus, & patientissimus Iob, de quo Scriptura ait, quòd scriptum est eum resurrecturum cum iis, quos Dominus suscitabit,* &c. Quibus verbis Turrianus Iobi cū Domino resurgente resurrectionem significari docet. Dices Iob se surrecturum in nouissimo die dixit: ergo vltimo iudicii die. Respōderi posset in Hebræo textu non legi diem, sed tantùm nouissimū. Quare Vatablus, Eugubinus, & Caïetanus legunt *Scio, quòd ego nouissimus surrecturus sum.* Qua posita lectione non quando, sed quomodo surrecturus sit, omnino scilicet innouatus, Iob ait. Sed melius, & conformius vulgatæ lectioni ex Hebræo legitur: *Scio, quòd nouissimum*

Iob cum Domino resurrexit.

A *surrecturus sum;* vbi nouissimum vel accipitur aduerbialiter pro nouissimè, sicut dicitur æternum pro æternè; vel subintelligitur tēpus. Hac autem posita meliori lectione dico nouissimum diem, hoc est nouissimum tempus ibi non significare mundi finem, & nouissimum iudicii diem; sed significare Mosaïcæ legis finē, & Euangelicæ legis tempus; humanæq; redemptionis, & salutis per Christi mortem, & resurrectionem vltimum complementum. Quare optimè Pineda explicans citatum Iobi locum ait: *Nouissimum tempus aut nouissimus dies, non semper est dies extremi iudicij; sed finis nouissimus alicuius status, & temporis; quo nomine sæpe significatur tempus Legis*

B *gratiæ, & Christi Iesu patientis, qui fuit finis præcedentis status, & quasi complementum temporis, quod Paulus ad Galat. 4. vocat plenitudinem temporis; & 1. ad Cor. 10. Fines sæculorum; & Ioann. epist. 7. c. 2. v. 18. Horam nouissimam: & Paulus iterum ad Hebræos c. 1. Nouissimè: videlicet extremus mundi status, post quem non alius status, non alia lex expectatur: nam lex gratiæ, & Euangelij est vltima.* Præterea, ait Suarius, *etiam si demus loqui Iob de die iudicij [vt videtur magis consentaneum contextui] tamen directè solùm dicere intendit in nouissimo die se esse victurum, & habiturum corpus; quia hoc erat illi certum, ac firma fide credendum. An verò tunc primo esset suscitandus, vel forC tasse prius & aliquo priuilegio, hoc non videtur voluisse affirmare, vel negare. Quia neque ad rem, quam tractabat, pertinebat: neque videtur necessarium, vt de hac re specialem reuelationem habuerit, sine qua nihil de tali priuilegio dicere potuisset.* Sed contra est, quia ille modus dicendi: *In nouissimo die de terra surrecturus sum,* non solùm significat se in nouissimo die in corpore victurum; sed tunc primo surrecturum: surgere. n. è terra initium viuendi in corpore prius in terra iacente significat. Melius dicamus ex Scripturæ regula tradita à Thoma prima part. quæst. 24. art. 3. & tertia part. quæst. 13. art. 2. ad primum, & q. 24 art. 1. ad tertium, vsitatum esse in Scriptura res tunc fieri dicatur, cum hominibus ... verbis

Suar. 3. p. q. 53 art. 3.

D cit. Quod S. Thomas probat ex D... *potestas in* Matthæi vltimo: *Data est mihi* ... data potestas *cælo, & in terra:* quia talis C... ximè innotuit; cum post eius resurrectione ... potestatem habuerit: tamen etiam antea ... omino Ioannis 13. *Sciens,* dicitur enim de ... *Pater in manus.* Ex eadem *quòd omnia d...* Apoc. 5. *Dignus est Agnus, qui* regula di... *accipere diuinitatem.* Similiter Iob *occisi* ... nis antea resurrexisset, dicere potuit: *In nouissimo,* scilicet iudicii *die de terra surrecturus sum;* quia tunc eius resurrectio omnibus innotescet. Simili modo explicari possunt supra citata Athanasij verba: *Ad cuius aduentum omnes homines resurgere habent cum corpo-*

Fieri aliquid interdum dicitur, cum primò innotescit.

E *ribus suis:* & illa Apostoli: *Omnes resurgemus;* scilicet vel tunc primò, vel tunc manifestatiuè.

964. Rursus contra Iobi, cum Domino resurrectionem etiam videtur esse, quòd Iobi monumentum prope Ierosolymam non fuerit; monumenta autem prope Ierosolymam aperta fuisse videntur, & ... Sanctorum resurgentium corpora prodiisse; & in san... ciuitatem Ierosolymam venisse ... obiectioni bene ibidem Pineda ... ... *Ab Euangelista dici monumenta ... fuisse multorum Sanctorum ... erant; neque signasse eos, qui ... talem fuissent tumulati: nam sicut Di* *pro*

uinitatis Christi patientis idonei fuerunt testes, nòn solùm petræ, quæ scissæ sunt Ierosolymis, sed etiam apud regiones alias; vt terræmotus Bythiniæ, &c. Sicut quoque Iesum patientem testata sunt tenebræ non solùm Iudææ; sed vt obscurato sole fieri oportebat, etiam vniuerso terrarum orbi offusæ: ita sanè ex aliis terræ partibus, & regionibus etiam longè dissitis, adesse oportuit testes diuinæ resurrectionis, vt perfidia Ierosolymitanorum multis testibus reuinceretur. Tandem illud scrupulum facit, quòd resurgentes cum Christo venerunt in sanctam ciuitatem; Videlicet, quòd sepulchra erant extra, sed prope vrbem. Sed nunquid lassitudine via deterrerentur, & fatigarentur, qui immortali vita potiebantur, & venire etiam ex regione longinqua opportunè non possent? Neque enim dici potest animas iam beatas passibilibus corporibus fuisse vnitas, vt supra ostendimus. Præter quam quod etiam in tali statu beatæ animæ agilitatis ope in assumptis corporibus è longinquo Ierosolymam transferre se facilè poterant.

665. Dico secundò etiam si Iob cum Domino non resurrexerit, non proinde sequi Sanctos aliquos cum Domino non surrexisse: nam hæc extraordinaria priuilegia non semper dantur propter maiorem sanctitatem; sed vel tantùm iuxta beneplacitum diuinæ voluntatis; vel etiam propter speciales aliquas rationes Deo notas. Quare neque Domini præcursor, quamuis sanctissimus fuerit, cum Domino resurrexit: cum eius caput in templo sancti Sylnestri Romæ asseruetur: *Dicta est ea Ecclesia [vt habet Martinus Polonus] S. Sylnester ad caput, ob reconditum in ea caput Præcursoris Domini*, ait Baronius in martyrologio 31. decemb. De reuelatione capitis S. Ioan. Baptistæ legitur tractatus, S. Cypriani operibus insertus.

S. Ioannes Baptista cũ Domino nõ resurrexit.

966. Obiicitur sextò. Si Sancti cum Domino resurgentes ad immortalem vitam resurrexissent; cum Domino etiam in cœlum ascendissent: idque sanctus Lucas narrasset, tum ad Christi triumphalis ascensus gloriam ostendendam; tum ad nostram fidem, spemque firmandam. Huic obiectioni bene respondet Suarius *Lucam narrasse solùm sensibilem ascensum Domini, & eas circumstantias, quæ oculis cerni poterant: de aliis autem cum Domino ascendentibus narrare omisisse; eo quòd eorum ascensus à discipulis visus non fuerit; sicut quia neque eisdem discipulis sanctarum animarum, Angelorumque comitatus apparuit, de illis etiam Lucas non meminit.*

Suarius 3. p. q. 53. art. 3.

967. Obiicitur septimò: in reuelationibus S. Brigittæ lib. 6. cap. 94. legitur B. Virgo dixisse: *Multi in Ierusalem sancti mortui resurrexerunt, quos vidimus; quorum animæ ascenderunt cum filio meo; sed corpora expectant cum aliis iudicium, & resurrectionem.* Respondetur propter rationem, & Patrum auctoritates supra allatas, Sanctorum illorum animas expectare cum aliis iudicium, & resurrectionem, non vt corpora assumant; sed vt suorum corporum gloriam vnà cum electis aliis in iudicio resurgentibus manifestent. Dices: Hoc sensu non solùm corpora, sed etiam Beatorum animæ dici possent expectare iudicii diem. Respondeo essentialem animarum gloriam non fortè omnibus etiam præscitis intuitiuè manifestam: cum è contrario Sanctorum corporum pulchritudo, & claritas ab ipsis præscitis videnda sit ad eorum cruciatum augendum.

968. Obiicitur octauò, In iisdem reuelationibus S. Brigittæ l. 7. cap. 26. dixisse B. Virgo legitur: *Scias, quòd nullum corpus humanum in cœlo; nisi corpus gloriosum filii mei, & corpus meum.* Respondeo eodem capite Beata Virgo duo alia, quæ sequuntur, dixisse legitur: *Ego postquam filius meus ascendit ad cœlos, vixi in mundo per quindecim annos: & mortua iacui in sepulchro per quindecim dies.* Vbi, sicut hæc duo non sunt admittenda; ita neque illud primum. In sepulchro enim Beata Virgo triduum tantùm iacuit, vt habetur ex Damasceno orat. 2. de dormitione Deiparæ, vbi ait: *Eius corpus, quod Deum ineffabili quadam ratione suscepit, cum Angelica, & Apostolica hymnodia elatum in loculo fuit depositum Gethsemani. Quo in loco Angelorum cantus mansit tres dies continuos. Post tres autem dies Angelorum cantu cessante, qui aderant Apostoli tumulum aperuerunt; sed omni ex parte sacrum eius corpus nequaquam inuenire potuerunt.* Idem confirmatur ex Nicephoro lib. 2. hist. cap. 23. apud quem Iuuenalis Ierosolymorum Episcopus dixit, *totum triduum Apostolos ad monumentum diuinorum hymnorum carmina audientes perseuerasse. Accidit autem rursum, vt Thomas ab eis abesset; videlicet, vt nota, perspectaque Diuæ genitricis fieret assumptio; iidem, vt antea filii eius, pro eo atque decebat post diem tertium resurrectio. Ingenti afficiebatur dolore, neque quieto animo esse poterat Thomas, quippe qui tanti boni non fuisset particeps. Sacer autem ille chorus iniquum esse iudicans, si ille quoque diuinum Virginis matris corpus non spectaret, atque complecteretur, aperiri monumentum iubet. Quod quidem vbi ita est factum, desideratum illud corpus non comparuit: sepulchralia tantùm lintea rite composita loco suo manebant.* Præterea quod citato reuelationum S. Brigittæ loco dicebatur, post Christi mortem quindecim tantùm annos B. Virginem superuixisse, neque est admittendum, cum B. Virgo ætatis anno septuagesimo secundo ex hac vita discesserit, vt plurium auctoritate probat Suarius 3. p. tomo 2. disp. 21. sect. 1. Præterea vt colligitur ex Actis Apostolorum post decimum octauum annum à Christi morte S. Paulus Athenas venit, ibique ad fidem S. Dionysium conuertit: & consequenter si quinto decimo anno à Christi morte B. Virgo obiisset, S. Dionysius ipsius Virginis funeri non adfuisset: cum tamen Deiparæ morti cum Apostolis se præsentem fuisse testetur cap. 3. de diuinis nominibus. Ex dictis suspicari possumus citatum locum S. Brigittæ reuelationum fuisse deprauatum.

B. Virgo tertio post mortem die resurrexit.

B. Virgo septuagesimo secundo suæ ætatis anno mortua est.

969. Obiectio vltima sic proponitur à S. Thoma 3. p. q. 53. art. 3. Inter alia miracula, quæ in passione Christi acciderunt, numeratur quòd monumenta aperta sint, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerint. Non ergo Christus fuit primus resurgentium: contra id quod dicitur 1. ad Corinth. c. 15. 20. *Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientium*: quia, vt Glossa ait, *prius tempore, & dignitate surrexit.* Respondetur Christum dici *primitias dormientium*, & Apoc. 1. 5. *Primogenitum mortuorum*; quia nemo ante Christum ad vitam immortalem resurrexit: & ii ipsi Sancti, qui cum Christo resurrexerunt dependenter à Christo, tanquam à meritoria, & exemplari causa resurrectionem consecuti sunt; ideoque prior naturâ Christi tanquam causæ resurrectio fuit. Dices frugum, fructuumque primitiæ esse di-

Christi ante resurrectionem nemo ad vitam immortalem resurrexit.

cuntur, quæ prius tempore naſcuntur: & primogenitus dicitur, qui prius tempore naſcitur. Ergo ſimiliter Chriſtus, quòd prius tempore reſurrexerit, *Primitia dormientium, & Primogenitus mortuorum* dicitur. Reſpondeo fruges, fructuſque dici primitias; & inter fratres dici primogenitum non aliunde, quàm temporis prioritate: cum in his prioritas cauſalitatis, & naturæ reſpectu aliorum non ſit: quæ ſi foret, poſſent vtique ex tali capite etiam Primatus titulum, & prærogatiuam habere. Quare quãuis iuxta probabilem Philoſophorum opinionem potuiſſet eſſe creatura ab æterno, adhuc ea data Chriſtus ab Apoſtolo ad Coloſ. 1. 15. Chriſtus dici potuit *Primogenitus omnis creaturæ*; idque propter rationem ibi additam: *Quoniam in ipſo*, hoc eſt per ipſum, *condita ſunt vniuerſa*. Propterea, quia de Chriſto ibidem dicitur: *Ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt Principium*; bene deinde ſubditur: *Primogenitus ex mortuis*.

Qui fuerint hi Sancti, qui cum Chriſto reſurrexerunt.

970. INter hos Sanctos fuiſſe Adam dicitur docere Auguſt. quæſt. 161. in Geneſim. Sed id ibi non habetur. Idem Auguſtinus de Adæ anima tantùm epiſt. 99. ad Euodium ait: *De illo primo homine patre generis humani, quòd Chriſtus cum deſcendit ad inferos, inde eum liberauit, Eccleſia fere tota conſentit: quod eam non inaniter credidiſſe credendum eſt, vndecunque hoc traditum ſit; etiam ſi canonicarum Scripturarum hic expreſſa non proferatur auctoritas.* Adamum tamen cum corpore reſurrexiſſe docent Origenes tract. 35. in Matthæum, S. Athanaſius orat. de paſſione, & S. Macarius hom. 11. Quare temerarium eſt negare Adamum peccati pœnitentia ſalutem conſecutum non eſſe; quamuis contrarium ſenſerit Rupertus in Gen. cap. 31. cui ſententiæ ſubſcripſerunt Tacianus, Saturninus, Seuerus, Marcion, Valentinus hæretici, vt refert Epiphanius hæreſi 46. Contra quorum errorem præter communem Patrum ſententiam, quos citat Pererius l. 7. in Geneſ. ſunt Sapientiæ verba c. 10. *Hæc*, ſcilicet diuina ſapientia *illum, qui primus formatus eſt à Deo pater orbis terrarum, cum ſolus eſſet creatus, cuſtodiuit, & eduxit illum de delicto ſuo.* Sic enim legendum eſt; & reiicienda alia lectio: *Et eduxit illum de limo terræ.* Vide quæ diximus Fer. 5. poſt Domin. 4. Quadrag. in illa verba: *Tibi dico, Surge.*

Adam cum Chriſto reſurrexit.

971. Cùm Adamo ſurrexiſſe etiam Euam affirmat Brugẽſis, negat Lorinus in Acta Apoſt. cap. 2. Neque Euam, neque fœminam vllam cum Domino ſurrexiſſe probari poſſet primò, quia ab Euangeliſta dicuntur multa corpora Sanctorum, non autem Sanctarum ſurrexiſſe. Sed hæc ratio eſt inefficax. Nam quamuis Apoc. 14. 4. dicatur: *Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati: virgines enim ſunt. Hi ſequuntur Agnum quocunque ierit*; S. Cyprianus ait: *Neque tantùm maſculis continentiæ gratiam Dominus repromittit, & fœminas præterit. Sed quoniam fœmina viri portio eſt, atque ex eo ſumpta, atque formata eſt, in Scripturis ferè omnibus ad Protoplaſtum Deus loquitur; & in maſculo ſimul ſignificatur & fœmina.* Quæ Cypriani regula niſi admitteretur poſſet aliquis contendere neque ſaluari, neque damnari fœminas; cum cœleſtis

S. Cyprian. de diſciplina, & habitu virginũ. Viris quod dicitur, fœminis etiam dictum intelligi interdum debet.

A iudex Iudicii die dicturus ſit: *Venite benedicti, &c. Diſcedite à me maledicti, &c.* Probat ſecundò Lorinus neque Euam, neque fœminam vllam cum Domino reſurrexiſſe: quia *fœmineus ſexus minus teſtificando idoneus eſt*: *reſurgentes autem eſſe Domino eius reſurrectionis teſtes eſſe debebant.* Sed contra eſt, quia cum *veniſſet Maria Magdalene, & altera Maria videre ſepulchrum*, eas Angelus ad nunciandam diſcipulis Domini reſurrectionem miſit dicens: *Citò euntes dicite Diſcipulis eius, quia ſurrexit.* Idemque eis ipſe Dominus dixit: *Ite, nunciate fratribus meis, vt eant in Galilæam, ibi me videbunt.* Probat tertiò ſuam ſententiam Lorinus, *quia non*

Matth. 25. Nec Eua, nec vlla alia fœmina cũ Domino reſurrexit. Matth. 28

B *decebat fœminam aliam primogenitam eſſe ex mortuis ante Deiparam; ſicut fuit Chriſtus inter viros.* Quæ ratio confirmari poteſt ex Auguſtino de ſymbolo ad Catechumenos l. 3. c. 4. vbi ait, *Per fœminam mors, per fœminam vita: per Euam, interitus, per Mariam ſalus. Hæc gratiâ cœleſti deſuper infuſa vitam protulit, per quam caro mortua poſſit reſuſcitari.* Cùm ergo Deipara vitam protulerit ex qua caro mortua reſuſcitari poteſt; ipſius Deiparæ virginea caro mortua, ante fœminas alias ad immortalem vitam reſuſcitari debuit.

972. Sanctos alios cum Domino reſurgentes, ex Patrum, quos citat ſententia, refert Pineda ſupra citatus: & inter eos numerat Iacob, additque rationem: *Nam propterea tantopere videtur curaſſe ſuorum oſſium tranſlationem ex Ægypto ad terram promiſſam; vt Chriſto olim reſurgentis comes, & anteambulo opportunè adeſſet.* Sed contra hanc rationem ſunt ipſius Pinedæ verba, qui reprobans ſententiam dicentium Sanctos tantùm, quorum monumenta prope Ieroſolymam erant, ſurrexiſſe, & Ieroſolymam veniſſe, ait: *Numquid laſſitudine viæ deterrerentur, & fatigarentur, qui immortali vita potiebantur, & venire etiam ex regione longinqua opportunè non poſſent?*

C Sancti, qui cum Domino reſurrexerunt, qui nam fuerint hic, & ſeq. Gen. 47.

973. Sanctos, qui cum Domino ſurrexerunt, fuiſſe eos, qui non multò ante obierant, ideoque teſtes magis noti eſſe poterant, cenſet Epiphanius in Ancorato. Sed quicunque hi Sancti fuerint, ex his aliquos Principibus Sacerdotum apparuiſſe cenſet Dionyſius. Quibus verbis eorum perfidiam, impietatem, ſæuitiemque incuſauerint explicare quis ſatis poteſt? Quia Dominus iniquis Sacerdotibus, & Phariſæis dixerat: *Similes eſtis ſepulchris dealbatis, quæ intus plena ſunt oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitia*: quia de eiſdem Dauid dixerat: *Sepulchrum patens eſt guttur eorum; linguis ſuis doloſè agebant*: vt huiuſmodi animata fœda, & fœtida ſepulchra reſipiſcerent, ad ea Dominus rediuiuos mortuos miſit. Cum ex animatis ſepulchris peccatores, vt ad ſupernaturalem gratiæ vitam reuiuiſcant,

D Sancti alii qui, qui cũ Domino reſurrexerũt, Principibus Sacerdotũ apparuerũt. Matt. 23. 27 Pſ. 5. 11. Pſ. 13. 4.

E Deus vocat, iique Deo dicunt: *Iniquitates noſtræ, & peccata noſtra ſuper nos ſunt; & in ipſis nos tabeſcimus. Quomodo ergo viuere poterimus?* Miſericors Deus reſpondet: *Nolo mortem impij. Conuertimini, conuertimini à vijs peſſimis: quare moriemini? Ecce ego aperiam tumulos veſtros, & educam vos de ſepulchris veſtris.*

Ezech. 33. 10. & 37. 1

nia de nostra morte nobis incerta esse sciamus; iuxta Domini monitum: *Vigilemus, quia nescimus diem, neque horam.* Secundò cum Domini mors sub passibili carne eo tempore, quo dictum est, contigerit; studeamus, ne alia eidem Domino mors adhuc in immortali eius vita contingat: de qua morte conqueritur Dominus Psalm. 30. 13. dicens: *Obliuioni datus sum tanquam mortuus à corde.* Cum pro hominibus mortuus sim [dicere Dominus videtur] viuere in eorum corde per amorem, perpetuamque mei memoriam certè debebam. Cur ergo *obliuioni datus sum tamquam mortuus à corde*; ita vt eorum, quæ pro humana salute feci, & perpessus sum, homines obliuiscantur? De Christi Domini morte iuxta Hieronymum Isaias conqueritur: *Iustus perit, & non est qui recogitet in corde suo. Iustus perit de quo vxor Pilati dixit: Nihil tibi sit, & iusto illi. Qui lotis manibus: Innocens sum ego, inquit, à sanguine iusti huius*, ait Hieronymus. *Oblitus es Domini creatoris tui*, peccatori exprobrauit Moses; sed cum maius Dei beneficium fuerit redemptio, quam creatio; multò magis ingrato homini exprobrari potest: Oblitus es Domini redemptoris tui. *Numquid obliuiscitur sponsa fasciæ pectoralis sui*, ait Ieremias Fidelis anima Christi sponsa non ornatæ pectoris fasciæ, sed rudium funium, quibus pro humana salute vndique Dominus est alligatus, obliuisci non debet.

Matth. 25. | Christi passionis sæpe memores esse debemus. | Isaiæ 57. | Deut. 32. 18. | Ier. c. 2. 32.

Et ecce velum templi scissum est in duas partes, à summo vsque deorsum.

934. Particula, *Ecce*, à Matthæo posita significat statim post Christi mortem vel scissuram, aliaque, quæ subduntur, prodigia euenisse. Marcus etiam post Christi mortem templi velum scissum refert. Lucas autem prolepsi, hoc est anticipatione figura vsus idem velum ante Christi mortem scissum narrat. Anticipatione autem vti Lucas voluit; vt duo opposita prodigia simul referret: scilicet solem repentinis tenebris velatum, & templi arcana scisso velo detecta. Sicut enim iuxta Chrysostomum in Domini passione tenebris velatus est sol, vt mysticè significaretur Iudæis fidei lumen tenebrescere; Gentilibus autem Christianam legem amplexuris incredulitatis noctem in fidei meridiem esse mutandam: ita cum scisso templi velo Sanctuarium patuit, significatum est diuinæ legis arcana prius Gentilibus occulta, iisdem post Christi mortem esse manifestanda. *Velum templi scissum est; & omnia legis sacramenta, quæ prius tegebantur, prodita sunt; atque ad Gentium populum transierunt*, ait Hieronymus. *Cum scinditur velum vetus, Synagogæ velamen aufertur; vt religionis internæ mysteria reuelato mentis cernamus intuitu*, ait Ambrosius. Quare cum sub Tito templum euersum est à Romanis, in Sancto sanctorum arcam, aliaque cum ea reperta non fuisse, habetur ex Iosepho lib. 6. de bello cap. 6. vbi ait: *Intima templi pars viginti cubitorum erat, discernebatur similiter velo ab exteriore; nihilque prorsus in ea erat positum.* Vide Abulensem q. 14. in cap. 25. Exodi.

Prolepsis, seu Anticipatio figura apud Lucā. | Chrys. hom. de cruce & latrone. | Veli in templo scissio quid significauerit. | Ambros. lib. 10. in Lucā.

935. Ad intelligendum, quod templi velum scissum sit, nosse debemus totam Ierosolymitani templi fabricam in tres partes fuisse diuisam: scilicet in partem extimam, partem mediam, & partem intimam. Pars extima Orientem respiciens, Porticus, seu Vestibulum dicebatur; quò etiam laici ingredi poterant. Pars templi media propriè dicebatur, Templum, vt patet ex 3. Reg. cap. 6. vbi dicitur: *Porticus erat ante templum viginti cubitorum longitudinis.* Dicebatur etiam exterior domus, eóque Sacerdotibus quotidie ingredi licebat. Pars intima dicebatur Oraculum, quòd inde diuina responsa reddebantur. Dicebatur etiam Sanctum sanctorum, vel Sancta sanctorum; vel absolutè, & antonomasticè Sancta; vt Psalmo 133. *In noctibus extollite manus vestras in Sancta, & benedicite Dominum*; & ad Hebræos 9. *Introiuit semel in Sancta, æterna redemptione inuenta.* In hac intima templi parte omnium Sanctissima erat arca, & inter Cherubim Propitiatorium; & in ea semel tantùm singulis annis Pontifex, seu, quod idem est, summus Sacerdos ingrediebatur; nempe die decimo mensis septimi, qui Expiationis dies festus erat. *In priori quidem tabernaculo semper introibant Sacerdotes sacrificiorum officia consummantes: in secundo autem semel in anno solus Pontifex*, ait Apostolus ad Hebræos 9. His explicatis extima templi pars, seu porticus erat omnino patens, nec fores vllas habebat, vt colligitur ex Iosepho 8. antiquit. cap. 2. Sancta sanctorum, seu Oraculum, quod erat intima templi pars, velo tegebatur. Exterior etiam seu media pars templi suum aperiens velum habebat: vt apertè habetur ex Iosepho lib. 6. de bello cap. 6. ex Origene tract. 35. in Matth. ex Cyrillo lib. 12. in Ioannem cap. 37. & ex Hieronymo epist. 150. q. 8. Quamuis autem Iansenius Concor. cap. 143. post porticum neget templi aditum habuisse exterius velum; quia pro tali velo erant ostia, & portæ templi. Contra tamen est; quia in portis, & ostiis vela ponuntur; quæ proptetea ostiaria seu ianuaria vela appellari apud plures auctores reperies. Secundo ante Sancta sanctorum fores erant cedrinæ, vt Iosephus infra citandus ait; & tamen in his foribus velum fuisse nemo negat.

Templi Ierosolymitani partes tres. | Quãuis Dauidis tẽpore templũ non esset; locus tamen, vbi erat Arca, atque adeo locus, vbi post templi fabricam, posita fuit, Sancta appellabatur.

936. Cum ergo duo vela in templo fuerint alterum exterius operiens templi ostium post porticum, interius alterum operiens Sancta sanctorum; quæritur quod velum in Christi morte sit scissum? Exterius velum scissum fuisse asserunt Origenes, & Hieronymus supracitati: contra verò S. Leo interius esse scissum putat serm. 10. de Pass. dicens: *Velum, cuius obiectu includebantur Sancta sanctorum, à summo vsque ad ima disruptum est; & sacrum illud & mysticum secretum, quod solus summus Pontifex iussus fuerat introire, reseratum est; vt nihil tam esset discretionis, vbi nihil resederat sanctitatis.* S. Leoni subscribunt S. Isidorus in Exod. cap. 50. & Euthymius hoc cap. 27. in Matthæum.

Tẽpli Ierosolymitani vela duo: ex his quodnã scissum sit? hic, & seq.

937. Vtramque sententiam puto esse veram; scilicet, & exterius, & interius velum fuisse scissum. Si enim dicente Matthæo: *Idipsum latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei*, Hieronymus, Augustinus, & Ambrosius putant vnum tantum latronem Domino improperasse; vsum tamen esse Matthæum figura syllepsi, quia de vno, plurali numero loqui solemus; idque Ambrosius, & Augustinus multis sacræ Scripturæ probant exemplis: cur non etiam dicere possumus eundem

Hieron. in Matt. c. 27. | Aug. lib. 3. de consensu Euang. c. 16. | Ambros. in Lucã c. 23.

Synecdoches in sacra Scriptura vsus.

MatthæumSynecdoche vsum esse figura; ita vt cum velum dicit, virumque templi velum scissum fuisse significauerit? Est autem hæc figura in Scriptura non infrequens. Primo Christus Dominus sub Iobi figura cap. 16. cum dixisset: *Percusserunt maxillam meam*, subdidit: *conclusit me Deus apud iniquum*, hoc est apud iniquos, siue ministros intelligas, siue iudices; hi enim plures fuerunt. Quare in catena Græca ibi legitur: *tradidit me Dominus in manus iniquorum*. Quod si, vt aliqui interpretantur, suum dolorem, & morbum Iob iniquum appellauerit, etiam ad Synecdochen est recurrendum. Origenes enim de Satana erga Iob ait: *Nullum dereliquit supplicium, neque pœnam, neque dolorem; putredinem, vermes, ossium diuisionem, neruorum fatigationem, membrorum debilitationem; atque totius carnalis compaginis passionem, & dolorem: iacere non poterat, sedere non valebat*, &c. Secundò Christus Dominus Psalmo 38. dixit: *Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator aduersum me*: & tamen non vnus peccator aduersus Dominum constitit; sed vt ibi Augustinus ait: *Multi circumstabant, & circumfremebant; quando ille velut ouis ad immolandum ductus est; & sicut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum*. Tertio cum Dauid Psalm. 13. ait: *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus*, non vnum atheum, sed plures significauit. Quarto cum Ieremias ait: *Oculus meus deprædatus est animam meam*; nemo dubitat, an de dextero, an de sinistro oculo id propheta dixerit; cum sine dubio vtrumque oculum significasse censendum sit: Si ergo per syllepsim plures pro vno ponuntur; multò magis per synecdochen vnum pro pluribus poni potest. Nam multiplicitas singularitati opponitur: contra verò, qui vnum affirmat, aliud non negat. Hinc dici bene potest, cum Euangelista dixit velum templi scissum esse, directè significasse exterius templi velum; id enim nemo negare poterat; cum populo templi porticum ingredienti manifestum fuerit; non tamen propterea interius templi velum scissum esse negauit; sed expressè id significare omisit, eo quòd prodigium omnibus manifestum, qualia ipse referebat, non fuerit.

Ierem. Thr. 3. 51.

Tépli velú interius, & exterius in Domini passione scissum.

938. Portò vtrumque templi velum in Domini passione scissum suadet ratio. Si enim scissum est interius velum ante Sancta-sanctorum, cur non potius scissum est etiam exterius velum, quod post porticum templi ostium operiebat? tale enim prodigium, vt alia, ad Christi Domini innocentiam significandam populo innotescere debuit. Quòd si interiori velo scisso exterius integrum remansisset; quod interius velum ob Christi passionem scissum esset, non tam facile credi debere videbatur. Sicut è contrario si integro remanente interiori velo, exterius tantum scissum esset, hoc etiam fidei derogasset, quòd ad Domini innocentiam significandam id euenisset. Præterea exterius velum etiam scissum esse ex mox dicendis confirmatur.

Cur Tépli velú in Domini passione scissum sit, rationes octo.

939. De hoc interiori velo dicitur 2. Paralip. cap. 3. *Fecit quoque velum ex hyacintho, purpura, cocco, & bysso*. Similiter Iosephus lib. 6. Antiquit. cap. 2. ait: *In pariete adytum à reliquo corpore separante fores apposuit cedrinas; has quoque cælatas, & inauratas; eas prætexit velis picturatissimis, hyacintho, purpura, cocco, byssoque splendidissima, ac mollissima distinctis*. Debuit certè tale velum partim purpureum, & coccineum, partim byssinum lacerari; cum ad Domini ludibrium, & ignominiam purpurea, seu coccinea, & candida vestis fuerit adhibita. Secundo cum etiam ad ludibrium Domini faciem impii ministri velassent; ex opposita pœna Iudæorum arcana adyta erant scisso velo reuelanda. Tertio Iudæorum Sancta sanctorum scisso velo erant denudanda; cum sanctissimus Dei filius ab impiis ministris fuisset propriis vestibus denudatus. Quarto cum impius Pontifex Caïphas ad Christum, vt blasphemum iudicandum, sibi vestes conscidisset; è contrario ad Christi sanctitatem indicandam Dei Oraculum intra Sancta-sanctorum sibi; quo tegebatur, velum scindere voluit. Quinto familiaribus amicis ad Principis colloquium accedentibus ostiarium velum remouetur: ideo Dominus ad significandum se in Euangelica lege suos fideles, vt valde familiares, & domesticos habiturum, suo ex oraculo cortinam, velumque remouet. Sexto ad tragædiam agendam è proscenio siparium remouetur. Ideo cum non fictè, sed verè Iudæorum tragædia, præcipuè circa spiritualium iacturam ob eorum peccata, esset peragenda; templi velum, veluti siparium non modo remotum; sed scissum est. Septimo in Mosaïca lege tantùm die decima mensis septimi in Sancta-sanctorum summo Sacerdoti ingredi licebat, vt supra diximus, & habetur ex Leuitico cap. 16. vbi subditur: *In hac die expiatio erit vestri; atque mundatio ab omnibus peccatis vestris*. Sed in Euangelica lege, cum semper, non semel in anno expiatio, & à peccatis mundatio per pœnitentiæ sacramentum extra Sancta-sanctorum esse deberet, ad hoc mysticè indicandum Sancta-sanctorum velum tegens scissum est. Octauo, instituto iam sanctissimo Eucharistiæ sacramento, vbi sub visibilibus speciebus esse voluit; suisque Dominus fidelibus communicari; & præcipuè Sacerdotibus panis potusque fieri quotidianus; non erat cur manna tale sacramentum præfigurans intra Sancta-sanctorum semel in anno soli Sacerdoti conspicuum delitesceret.

Et terra mota est, & petræ scissæ sunt.

940. Non solùm Iudææ terram, sed vniuersum terræ orbem post Christi mortem terræmotu contremuisse probabilius censetur. Idque iuxta Dauidis vaticinium Psalmo 17. vbi absolutè dicitur: *Commota est & contremuit terra, & fundamenta montium conturbata sunt. Cardinem mundi* [*sic enim dixerim centrum*] *habet tellus*, ait Apuleius in Cosmographia: supra cardinem autem, seu centrum terra fundatur. Hinc primo Reg. cap. 2. 8. dicitur: *Domini sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem*. Terræ ergo fundamenta sunt circa centrum: ideo cum pluraliter fundamenta montium conturbata, & commota dicuntur, tota terra, non eius pars è suo centro contremuisse dicenda est. Quare Dionysius Carthusianus explicans citata Psalmi verba: *Commota est, & contremuit terra*, ait: *Hoc ad literam in Christo in cruce suspenso impletum est*;

Origenes Tract. 35. in Matth.

Terræmotus in Domini passione vniuersalis in toto terræ orbe.

A *quia tunc terra mota est. Fundamenta montium conturbata sunt, & commota sunt; quoniam tempore passionis Terra sancta, quæ fertur esse montuosa tam valde mota est, vt etiam petræ scinderentur.* Per petras intellige non è terra erutos, seu sectos lapides, sed saxeos montes, & rupes; saxeas autem rupes, & montes ex prædicto terræmotu non solùm in Iudæa, sed extra Iudæam etiam in Italia scissos esse iam supra diximus, cum de tenebrarum prodigio egimus. Petras autem hoc est lapideas rupes scissas, non vt distinctum prodigium, sed vt quid ad terræ motus prodigium consequens Euangelista narrat. Nam particula, *Et*, ex phrasi Hebræa sæpe adhibetur ad significandum effectum consequentem ex causa antea narrata. B Sic Lucæ 1. 13. Zachariæ Gabriel Angelus cum dixisset. *Exaudita est deprecatio tua*; vt effectum ab exaudita oratione consequentem significaret, subdidit: *Et vxor tua pariet tibi filium*, &c. Similiter Lucæ 7. cum de Centurione Iudæi dixissent: *Diligit gentem nostram*; vt dilectionis effectum significarent, subdiderunt: *Et Synagogam ipse ædificauit nobis.* Similiter hoc 27. cap. cum Matthæus dixisset: *Monumenta aperta sunt*; quid inde consecutum fuerit addens subdidit: *Et multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.* Simili C ergo modo cum dicitur: *Terra mota est, & petræ scissæ sunt*; hoc secundum vt quid ad primum consequens additur. Quare cum montes longè extra Palæstinam tunc disrupti sint; extra Palæstinam etiam in reliquas terræ partes terræ motum se extendisse dicendum est: quamuis non vbique tam violentus fuerit, vt montes disruperit, aut ædificia strauerit: sicut in Nyssena vrbe plures ædes euertit, vt Eusebius in Chro. ad annum Christi 33. refert.

Et particula interdū ponitur ad significandū effectum ex aliqua prædicta causa consequentem.

941. Prima huius terræ motus causa fuit, vt quàm immane Iudæorum scelus in Christi morte fuerit indicaretur, quo scilicet Dei vindicis iram maximè prouocarunt. Idque apertè citato Psalmo dicitur: *Commota est, & contre-* D *muit terra; fundamenta montium conturbata sunt, & commota sunt; quoniam iratus est eis:* ita tamen iratus, vt suæ misericordiæ non oblitus perfidos parricidas immisso terrore resipiscere vellet. Ideo Deo dicitur Psalmo 59. *Commouisti terram, & conturbasti eam: dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus*; arcus scilicet diuinæ vltionis. *Dominus*, ait Dionysius, *iram suam, qua hominibus filium suum dilectum occidentibus irascebatur, ostendit in elementis; turbando, atque mouendo inanimata, vt vel sic rationales creaturæ errorem suum aduerterent, dum inanimata suspenso in cruce sic condolere conspicerent.*

Terræmotus in Domini passione ob rationes quatuor.

942. Secundo terra mota est, eo quòd E Christus inclinato capite eam respexisset; idque, vt diximus supra, ad Christi Domini diuinitatem testandam. De Deo enim dicitur Psalmo 103. 32. *Respicit terram, & facit eam tremere*: & Psalmo 113. 7. *A facie Domini mota est terra.* Bene enim Chrysostomus: *Tunc omnis terra commota est, vt vbique agnosceretur crucifixi virtus; & quod Deus esset, qui patiebatur, non simpliciter homo.*

Chrys. in c. 4. Act. Apost.

943. Tertiò cum Euangelica lex promulganda iam foret, terra contremuit, vt debita Christo Domino legislatori veneratio terræ motu significaretur. Simili modo antequam A per Mosem Deus Israelitis suam legem promulgaret, *cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulmina, & nubes densissima operire montem, clangorque buccinæ vehementius perstrepebat.* Horum autem rationem Israelitico populo Moses reddidit dicens: *Vt terror Dei esset in vobis, & non peccaretis.* Similiter Christus Dominus legis Euangelicæ legislator adhuc in cruce pendens cum terram concutere posse nosceretur; Euangelicæ legis fideles ne sanctissimam eius legem transgrederentur, terræ motu ad timorem excitari debuerunt.

Exodi c. 19. 16.

944. Quartò commota est terra, vt sanctorum Patrum animabus, quæ in limbo deti- B nebantur petentibus inde liberari, terræ motus indicio se eorum precibus annuere Dominus significaret. Sic Actorum 4. 31. de Domini discipulis dicitur: *Cum orassent, motus est locus, in quo erant congregati.* Vbi Chrysostomus ait: *Annuit eorum petitioni; & manifestum hoc fecit eis, commoto loco; quod adesset ipsorum precibus. Motus est locus, & illos magis consolidauit. Hoc autem aliquando iræ est indicium, aliquando visitationis*, hoc est consolationis.

945. *Petræ scissæ sunt.* Primo Reg. cap. 13. ad exprobrandam impii Ieroboami obstinationem, lapideum altare in quo Idolis thus of- C ferebat, scissum est; & ipsius Ieroboami manus contra Dei Prophetam extenta exaruit. Cum etiam ob Domini passionem ad Iudæorum obstinatam duritiem exprobrandam lapides scissi sint; cur non etiam manus impiorum contra Dominum extensæ non exaruerunt? Voluit misericors Dominus liberas eis manus relinquere, vt percutientes pectus suum ad patrati sceleris pœnitentiam resipiscerent. Sicut de adstantibus ad crucem dicitur Lucæ 23. 48. *Omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum illud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua reuertebantur.*

946. Inter petrarum scissiones numeratur templi superliminaris scissio, de quo Hiero- D nymus ait: *In Euangelio, quod Hebraicis literis scriptum est, legimus non velum templi scissum, sed superliminare templi miræ magnitudinis corruisse.* Idem refert in Matthæum cap. 27. Et quamuis Iosephus lib. 7. de bello cap. 12. tale superliminaris prodigium contigisse in Ierosolymæ excidio referat; Hieronymus tamen non Iosephi, sed Nazaræorum Euangelii testimonio nititur; quos in ea quæstione tantum citat, & nullo pacto Iosephum: quod si Iosepho etiam habenda est fides, id iterum quando Iosephus ait, contigisse dicendum est. Ex superliminaris autem scissione velum, quo ostium tegebatur, etiam scissum esse facilè censeri potest. De lapideo templi superliminari scisso intelligi potest E Habacuc vaticinium cap. 2. 11. *Lapis de pariete clamabit*, ad exprobrandam scilicet Iudæorum duritiem, obstinatamque perfidiam. In Iudaici etiam sacrilegi sceleris supplicium est vaticinium illud: *Sion quasi ager arabitur, & Ierusalem quasi aceruus lapidum erit; & mons templi quasi excelsa syluarum*: idque scissæ petræ portendere videbantur.

Hier. epist. 150. q. 8.

Superliminare Tēpli in Domini passione scissum.

Michææ 3. 12. *Ierem. c. 26. 18.*

Et

Et monumenta aperta ſunt; & multa corpora Sanctorum, qui dormierant ſurrexerunt: & exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem eius, venerunt in ſanctam ciuitatem, & apparuerunt multis.

947. QVamuis monumenta ſtatim poſt Chriſti mortem aperta ſint, fortaſſe quòd ex terræ motus impetu lapides ea tegentes inde corruerint: nihilominus mortuorum reſurrectio per prolepſim, ſeu anticipationem à Matthæo hic refertur: quandoquidem non niſi poſt Chriſti reſurrectionem Sanctorum reſurrectio contigit: ad quod indicandum Matthæus ſubdidit: *Et exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem eius, venerunt in ſanctam ciuitatem.* Sed cur ſancta ciuitas Ieroſolyma dicitur, quæ tot impiorum Iudæorum ſceleribus, & immaniſſima contra Dominum ſæuitie profanata, & conſpurcata iam erat? Reſpondetur eo modo Ieroſolymam hîc dici ſanctam ciuitatem; quo modo vorax, & venenatus coluber appellatur virga, Exodi 7. *Deuorauit virga Aaron virgas eorum:* eo quòd antequam in colubrum verteretur, Aaronis virga fuerit. Similiter quamuis Ieroſolyma ob ſceleratos Phariſæos uſque ſimiles ciues *habitaculum draconum* eſſet iuxta Ieremiæ vaticinium cap. 10. 22. nihilominus quia antea præcipuè ſub Dauide Rege ob ſanctiſſimum Dei cultum ſanctificata erat, ſancta ciuitas dicitur. Hieronymus Epiſt. 150. quæſt. 8. ait: *Nulli violentum eſſe videatur, mortuo Saluatore appellari Ieruſalem ſanctam ciuitatem; cum vſque ad deſtructionem eius ſemper Apoſtoli templum ingreſſi ſint; & ob ſcandalum eorum, qui ex Iudæis crediderant, legis exercuerunt caremonias. Vſque ad quadrageſimum ſecundum annum datum eſt eis tempus pœnitentiæ: Poſt quos perſeuerantibus illis in malitia, egreſſi ſunt duo vrſi de ſyluis gentium Romanarum Veſpaſianus, & Titus; & blaſphemantes* Iudæos ſcilicet in Chriſti nomen blaſphemos *interfecerunt, atque lacerauerunt. Ex eo tempore Jeruſalem non appellatur ciuitas ſancta; ſed ſanctitatem, & priſtinum nomen amittens, ſpiritualiter vocatur Sodoma, & Ægyptus: vt ædificetur pro ea ciuitas noua, quam fluminis impetus lætificat; & de cuius medio egreditur fons, qui totius orbis amaritudinem mitigauit: vt miſerabilis Iſrael ruinas templi nudatis plangat lacertis; & in Chriſto turba credentium, noua quotidie videat Eccleſia tecta conſurgere.*

Ieroſolyma cur ſancta ciuitas dicta, etiam poſt Domini paſſionē.

An Sancti cum Chriſto reſurgentes ad vitam immortalem reſurrexerint; an verò ad mortalem vitam iterum mortui.

948. REſpondeo ſurrexiſſe ad vitam immortalem, non vlterius morituros. Pro hac probabiliore ſententia citatur, primo Clemens Alex. lib. 6 Stromatum dicens: *corpora eorum, qui cum Chriſto ſurrexerunt, in meliorem ordinem eſſe tranſlata.* Sed ad hoc, vt in meliorem ordinem tranſlata fuerint, ſatis eſt ſi fuerint viuificata; an, tamen in tali viuificatione ſemper permanſerint, Clemens ibi non explicat. Talis autem viuificatio rectè dicitur in meliorem ordinem tranſlatio; nam vel pro eo tempore, quo vixerunt, impaſſibilem vitam habuerunt, qualis

A nunc tribuitur Eliæ, & tunc procul dubio melioris vitæ ordo fuit: vel in vitam paſſibilem reſurrexiſſe dicuntur; & tunc talem vitam meritoriam fuiſſe dicendum eſt; & conſequenter ex hoc capite etiam melioris ordinis vita fuit.

949. Secundò pro eadē ſentētia citatur Athanaſius hom. de ſemente dicens: *Ieſus inter mortuos incedens non ſolùm liber, ſed liberator mortuorum erat. Atque, vt diſcas eum eſſe mortuorum liberatorem, audi Euangelij verba: Multa corpora Sanctorum, qui dormierant ſurrexerunt.* Sed ad hoc, vt Dominus verè mortuorum liberator dictus ſit, neceſſe non eſt, vt tunc mortuos ad immortalem vitam reuocauerit; cum ad mortalem vitam eos

B reuocando, adhuc eos à morte pro ſtatuto tempore liberaſſet. Sic Eſther 15. 3. cum Mardochæus dixit: *Inuoca Dominum, & loquere Regi pro nobis, & libera nos à morte*; id de morte tunc imminente, non de omnimoda morte dixit.

950. Tertio teſte Sophronio ſer. de Aſſumptione B. Virginis nonnulli Doctores de Sanctis, qui cum Domino ſurrexerunt, ſenſerunt, *quòd iam in illis perpetua ſit completa reſurrectio. Fatentur enim quod veri teſtes non eſſent, niſi & vera eorum eſſet reſurrectio. Vnde & Diuus Petrus dixiſſe legitur, cum de Dauid loqueretur in teſtimonium: & ſepulchrum, inquit, eius apud nos eſt: quaſi*

Sophronius apud Hier. tomo 9.

Act. 2. 29.

C *non ſit auſus dicere, quod ipſe, aut corpus eius apud nos eſt, ſed tantùm ſepulchrum quo conditus fuerat: hinc aiunt reſurrexiſſe eum cum cæteris Sanctis; & ideo vacuum remanſiſſe Mauſoleum.* Horum auctorum vtraque probatio eſt inefficax. Nam etiam ſi hi Sancti iterum morituri reſurrexiſſent, adhuc eorum vera fuiſſet, non falſa reſurrectio; atque adeo veri teſtes Domini ad vitam immortalem reſurrectionis fuiſſent. Si enim poterat Dominus diuina potentia, ad vitæ tempus, pro vt illi libuerat, alios reuocare; vtique poterat etiam ſeipſum è morte ad vitam excitare perpetuam. Contra ſecundam eorundem ratio-

D nem, quòd ad probandum de Chriſto, non de Dauide dictum eſſe Pſalmo 15. *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem,* Petrus Apoſtolus dixit: *Sepulchrum eius apud nos eſt*; noluitque dicere, corpus eius apud nos eſt; eo quòd iam cum Domino reſurrexiſſet; bene ſic arguit Auguſt. *Quod adiunxit de Dauid apud eos eſſe monumentū eius, illos vtique non conuincebat; ſi corpus eius ibi non erat. Quia ſi ante in recenti ſua morte reſurrexiſſet, nec caro eius vidiſſet corruptionem; poſſet nihilominus monumentum illud manere.* Præterea Apoſt. ratio talis eſſe debuit, vt ſi ad experientiam detegendo ſepulchrum Iudæi veniſſent, adhuc eius ratio efficax inueniretur. At detecto ſepulchro, Dauidis corpus iam rediuiuum ſi ſupponatur; inuentum non eſſet; & conſequenter Petri probationem contra ipſum Apoſt. Iudæi

Act. 2. 29.

Aug ep 99.

E retorſiſſent. Quare bene Lorinus ait: *Mihi videtur Petrus ſolùm intellexiſſe Dauidem corruptionem vidiſſe: quod ex ſepulchro quidem ſolo non ſequitur: ſed tamen poſito tam longo ſpatio temporum, ſepulchrum in quo mortuus conditus fuerat rem omnino certam reddit.* Præcipuè cum in eodem Dauidis ſepulchro ſepultus etiam poſt multos annos fuerit Salomon, vt habetur ex Ioſepho: cum ergo eò Salomonis corpus illatum eſt, ſi Dauid corruptionem non vidiſſet, & reſurrexiſſet; id inferentes Salomonis corpus facilè aduertere potuiſſent.

Ioſeph. l. 16. Antiquit. c. 11.

951. Quarto Ruffinus in ſymbolo Apoſtolico poſt allata Oſeæ verba c. 6. *Viuificabit nos,*

Aa

seu, vt ipse legit, *sanabit nos post duos dies: in die tertia suscitabit nos, & viuemus in conspectu eius,* subdit: *Hoc ex persona eorum dici, qui cum ipso die tertia resurgentes de morte reuocantur ad vitam; & ipsi sunt qui dicunt: Die tertia resurgemus, & viuemus in conspectu eius.* Idem antea explicans eadem Oseæ verba Nyssenus docuerat. Sed illa Oseæ verba: *Viuificabit,* seu, *sanabit nos,* &c. dicta esse sub persona omnium fidelium, communiter asserunt SS. PP. Hieronymus in Oseam, Cyprianus lib. 2. contra Iudæos cap. 25. Origenes hom. 5. in Exodum, Tertullianus lib. 4. contra Marcionem, & alii. Nam post Christi resurrectionem promulgata est Euangelica lex, per cuius obseruantiam, & per eius sacramenta homines spiritualiter viuificantur. *Si Christus non resurrexit, inanis est fides nostra,* ex qua salus nostra dependet: quare ipsa Christi resurrectio nostra resurrectio fuit: ex eius enim resurrectione tam certam habemus corporaliter resurgendi spem, ac si cum ipso resurrexissemus: *Redemptoris nostri resurrectio & nostra festiuitas est, quia nos ad immortalitatem reduxit,* ait Gregorius. Hinc Apostolus ad Ephes. cap. 2. 4. ait: *Deus, cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo [cuius gratia estis saluati] & conresuscitauit; & consedere fecit in cœlestibus in Christo Iesu:* scilicet nunc per certam spem, contemplationem, & affectum, & cœleste viuendi genus; postea per actualem cœlestis beatitudinis fruitionem. *Sanabit nos post biduum, & in die tertia resurgemus: secundum hoc nobis dicit Apostolus: Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite,* ait Augustinus. Ex dictis Ruffini & Nysseni testimonium prout citatis Oseæ verbis nititur, non est efficax.

[Margin: Nyssenus l. de cognit. Dei cap. de Christi resurrect. — 1. ad Cor. c. 15. — Greg. hom. 21 in Euāg. — Aug. 18. de Ciuit. c. 28. Ad Coloss cap. 3.]

952. Quinto idem Ruffinus ibidem ait: *Monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum dormientium resurrexerunt & apparuerunt multis; & ingressi sunt sanctam ciuitatem illam, de qua Apostolus dicit: Quæ sursum est Ierusalem libera est, quæ est mater omnium nostrûm. Sicut ad Hebræos dicit: Decebat enim propter quem omnia, & per quem omnia multos filios in gloriam adducentem auctorem salutis eorum per passionem consummari.* Nomine etiam sanctæ ciuitatis hîc intelligi posse cœlestem Ierosolymam docet Hieronymus, Anselmus, & Beda. Sed ad literam nomine sanctæ ciuitatis terrenam Ierosolymam hîc à Matthæo significari patet, cum dicat: *Et exeuntes de monumentis venerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis.* In cœlestem autem Ierosolymam non statim è monumentis exeuntes venerunt; sed post quadraginta dies, cum Dominus in cœlum ascendit. Quare melius hîc Hieronymus ait: *Sancta appellatur ciuitas Ierusalem propter templum, & Sancta sanctorum & ob distinctionem aliarum vrbium, in quibus Idola colebantur.* Prætereà à citato Ruffino loco ad Hebræos cap. 2. vers. 10. cum de Christo Apostolus ait: *Multos filios ad gloriam adduxerat,* id intelligi debet non actu, & reipsa, sed in suo decreto, & prædestinatione, vt bene ibi Cornelius notat.

[Margin: Ad Galat. c. 4. — Ad Hebr. c. 2.]

953. Sexto S. Anselmus de Sanctis cum Domino resurgentibus ait: *Nec vlla ratione illorum temeritati fides accommodanda est, qui postea illos reuersos in cinerem dicunt.* Ex quibus verbis præter Anselmi auctoritatem, colligitur etiam pro allata sententia ratio valde congrua; scilicet non debuisse beatas animas quales resurgentium Sanctorum erant, corruptibilibus corporibus iungi. Quæ quidem ratio efficax est: non autem illa, quæ apud S. Thomam affertur; scilicet, quòd maius Sanctis illis fuisset tormentum, si iterum mortui essent, quàm si non resurrexissent. Contra enim est, quòd Sanctorum animæ ob separationem à corpore dolorem nullum sensissent: tum quia beatæ erant; tum ob omnimodam cum diuina voluntate conformitatem. Immo beatis illis animabus potius displicuisset mortalia corpora retinere, quàm deponere. Dices: Christi anima quamuis clarè Deum videret, adeoque beata foret, mortali tamen corpori est vnita: ergo similiter illæ resurgentium Sanctorum Animæ. Respondeo quamuis Christi anima adhuc in mortali vita secundùm partem superiorem beata foret, inde tamen in partem inferiorem beatitudo non redundabat; ideoque secundùm inferiorem partem tristabatur, dolebat, eratque in mortali corpore omnino passibilis. Quod in resurgentium Sanctorum animabus non est admittendum, quandoquidem non in via, sicut Christus, sed iam in termino erant. Dicendum est ergo Sanctos illos vnà cum Domino ad immortalem vitam resurrexisse: quam sententiam præter citatos sequuntur Origenes in ep. ad Rom. cap. 1. S. Sophronius Episcopus Ierosolymitanus in epist. Synodali relata, & approbata à sexta Synodo Act. 11. Eusebius lib. 4. Demonstrat. cap. 12. Remigius hîc in Matthæum cap. 27. vbi ait: *Incunctanter credere debemus, quia qui resurgente à mortuis Domino resurrexerunt, ascendente eo ad cœlos, & ipsi pariter ascenderunt.* Idem docet S. Thomas in Matth. 27. & in 4. dist. 43. quæst. 1. art. 3. quæstiuncula prima ad tertiam. Citatur S. Thomas pro opposita sententia tertia part. quæst. 53. art. 3. Sed ibi directè tantùm docet Christi resurrectionem tempore aliorum resurrectionem præcessisse. Quæ temporis præcessio non necessariò multum temporis spatium inferre debet.

[Margin: S. Th. 3. p. q. 53. art. 3.]

954. Probatur secundo eadem sententia ex S. Hieronymo dicente: *Apparuerunt multis, vt hi viderent, qui cernere merebantur.* Et ex S. Thoma similiter dicente: *Apparuerunt multis: sicut enim Christus potestatem habet manifestandi se quibus vult; ita est intelligendum de corporibus glorificatis.* Cum ergo Sancti illi glorificata corpora habuerint, eos ad immortalem vitam resurrexisse est dicendum. Contra tamen est, quòd licet Moses, & Elias in monte Thabor tribus Apostolis apparuerint, non inde deducitur eos corpora glorificata habuisse. Quòd autem resurgentes Sancti quibusdam apparuerint, & aliis se occultauerint; id non ex eorum corporum glorificatione, sed ex diuina voluntate, & potentia prouenisse opposita sententia contendere potest.

[Margin: S. Thom. in Matt. c. 27. — Matth. 17.]

955. Probatur tertio quia Sancti illi vt resurrectionis gloriosæ, & immortalis testes essent omni exceptione maiores, decuit eos ad immortalem vitam resurgere. *Hæc ratio valde est infirma,* inquit Suarius; *quia isti Sancti non ostendebant iis, quibus apparebant, suorum corporum gloriam, & immortalitatem; ita vt ea proprietates sensibus perciperentur; quia neque Christus Dominus post resurrectionem ita apparebat; quia potius, vt probaret veritatem suæ resurrectio-*

[Margin: Suar. 3. p. q. 53. art. 3.]

nis exercebat ea, quæ communia sunt corpori mortali, in cibo nempe, potu, & contactu. Si ergo gloria; & immortalitas corporum non erat sensibus objicienda, nihil interesse poterat ad veritatem testimonij. Contra tamen est, quia licet Sancti illi plenitudinem suæ gloriæ iis, quibus apparuerunt, non ostenderint; iisdem tamen gloriæ partem aliquam ostendisse censendum est. e. g. corporis pulchritudinem; & ex eo attemperatum aliquem splendorem. Plures enim in Sanctorum vitis legimus sanctas animas in splendidis assumptis corporibus apparuisse. Certè de Christo Domino, cum discipulis apparuit, negari non debet, quòd vndique splendore circumdatus apparuerit: si enim tali modo adhuc sub mortali vita in monte Thabor apparuit; multo magis eodem modo cum ad immortalem vitam resurrexit, videri voluit. Præterea sicut Dominus ingrediens ad Apostolos ianuis clausis subtilitatis dotem gloriosi corporis propriam ostendit; ita etiam Sanctos Dominicæ resurrectionis socios, cum aliquibus apparuerunt, subtilitatis dote vsos esse valde probabiliter dici potest.

956. Probatur quarto, quia sicut ante extremum iudicium ad ostendendam diuinam iustitiam damnati aliqui, & anima, & corpore in inferno sunt; vt Dathan, & Abyron, de quibus dicitur Num. 16. 31. *Dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum deuorauit illos, descenderuntque viui in infernum operti humo:* ita ad ostensionem diuinæ misericordiæ, & copiosæ redemptionis Christi spectabat, vt aliqui etiam, & anima, & corpore ante mundi finem essent beati. Sed contra est, quia ex citato Num. textu non certò colligitur Dathan, & Abyron anima, & corpore in infernum fuisse demissos: nam Abulensis in citatum cap. 16. Num. quæst. 20. Lyranus, Hugo Card. Dionysius, & Ribera docent eos non peruenisse viuos ad locum damnatorum; sed mortuos esse in via, atque ibi corpora remansisse, animas verò descendisse in gehennam. Cum autem dicuntur viui descendisse in infernum, sensus est, quòd non antequam absorberentur à terra, obierint; sed quòd cum intra terræ hiatum mortui sint, infernum versus viui descendisse cœperint. Sic enim melius saluatur vniuersalis lex, qua *statutum est omnibus hominibus semel mori*, iuxta Apostolum ad Hebr. 9. 27. Neque insuetum est in Scriptura verba interdum non actum consummatum, sed inchoatum significare, vt alibi diximus; & patet ex Danielis cap. 6. vbi cum de Danielis accusatoribus dicitur: *In lacum leonum missi sunt ipsi, & filij, & vxores eorum:* istorum demissio ad leonum foueam tantùm secundum actum inchoatum intelligitur; subditur enim: *Non peruenerunt vsque ad pauimentum laci donec arriperent eos leones.* Ex allatis ergo rationibus, illa supra allata ex Anselmo est eligenda, ad probandum Sanctos ad immortalem vitam cum Domino resurrexisse.

Ribera in c. 19. Apoc.

957. Oppositam sententiam, scilicet ad mortalem tantùm vitam Sanctos illos resurrexisse, postea iterum morituros asserunt Augustinus Epist. 99. ad Euodium; Hieronymus in hoc Matthæi cap. 27. dicens: *Quomodo Lazarus mortuus resurrexit, sic & multa corpora Sanctorum resurrexerunt.* Lazarum autem ad mortalem vitam resurrexisse certum est. Similiter Sanctorum illorum resurrectionem Lazari resurrectioni comparat Chrysost. homil. 89. in Matth. Præterea post Domini clamorem cum Matthæus subdidit: *Monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant surrexerunt;* censet Chrysostomus id Euangelistam non per anticipationem dixisse; sed tunc verè post Domini clamorem Sanctos illos resurrexisse; ait enim citata homilia: *Resurrectio mortuorum secuta omnipotentiam Domini ostendit: corpore in patibulo pendente vox sola mortuos excitauit.* Quare si iuxta Chrysostomum tunc mortui suscitati sunt, vtique non nisi ad mortalem vitam resurrexerunt: resurrectio enim ad immortalem vitam nemini ante Christi resurrectionem est concedenda. Idem sensisse videtur Prosper 3. p. de promissionibus, & prædictionibus Dei cap. 29. eidem sententiæ apertè subscribunt Theophylactus, & Euthymius in hoc Matthæi cap. 27. & Scotus in 4. dist. 43. q. 2. art. 1.

958. Obiicit pro sua sententia contra priorem, & probabiliorem sententiam allatam Augustinus verba Actorum 2. vbi Petrus Apostolus, vt probaret Psalmi 15. verba: *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*, intelligenda esse de Christo, non de Dauide subdidit: *Quoniam Dauid defunctus est, & sepultus, & sepulchrum eius est apud nos vsque in hodiernum diem:* ex quo patet Apostolum locutum esse de sepulchro tunc corpus Dauidis corruptum continente: si enim corpus illud non continuisset, non poterat inde probari Dauidis corpus corruptum non fuisse. Quare cum Dauid, ex cuius stirpe natus est Dominus, ad vitam immortalem cum Domino non resurrexerit, neque Sancti alii resurrexerunt. Contra hanc Augustini rationem iam supra diximus, quamuis Dauid immortalis cum Domino resurrexisset, quomodo ex eius sepulchro vsque ad illud tempus permanente Apostolus Dauidis mortem, & corruptionem argueret. Secundo dici potest inter Sanctos, qui cum Domino resurrexerunt, Dauidem non fuisse: quamuis enim ex Dauidis stirpe Dominus natus sit, magis propinquè natus est ex aliis iustis Dauidis posteris; quos omnes cum Domino resurrexisse necessitas nulla dicere cogit. Quòd autem Dauid non resurrexerit coniectura desumi potest ex Iosepho lib. 7. Antiquit. cap. 12. vbi de Dauide ait: *Sepeliuit eum filius Salomon Ierosolymis magnificè, illatis in monumentum eius maximis diuitiis; quarum magnitudinem facile sit coniectare ex hoc, quòd post annos mille trecentos Hyrcanus Pontifex aperta cella monumenti, & prolatis inde tribus talentorum millibus, eorumque parte Antiocho numerata, oppugnationis periculo se exemit. Rursus post multos annos elapsos Herodes alia cella aperta magnam pecuniam sustulit. Ad loculos autem, qui Regum cineres continent, neuter peruenit.* Idem Ioseph lib. 16. Antiquit. cap. 11. de eodem Dauidis sepulchro ait: *Herodes noctu apertum sepulchrum ingreditur, depositas tamen pecunias non inuenit; sed mundi pretiosi, & aureorum ornamentorum vim magnam inde sustulit. His inuitatus ad diligentius scrutandum, interius processit vsque ad conditoria corporum Salomonis, & Dauidis. Vbi duos satellites amisit, erumpente, vt fertur, ex adytis flamma contra progressos temere. Quo casu territus exiuit, & tactus religione ad expiandum se, in aditu sepulchri monumentum è candido marmore condidit sumptuosissimis impendijs.* Cum ergo tam magnificum,

Dauid cum Domino nō resurrexit.

Dauidis monumentū maximis diuitiis à Salomone refertum.

nia de nostra morte nobis incerta esse sciamus; iuxta Domini monitum: *Vigilemus, quia nescimus diem, neque horam.* Secundò cum Domini mors sub passibili carne eo tempore, quo dictum est, contigerit; studeamus, ne alia eidem Domino mors adhuc in immortali eius vita contingat: de qua morte conqueritur Dominus Psalm. 30. 13. dicens: *Obliuioni datus sum tanquam mortuus à corde.* Cum pro hominibus mortuus sim [dicere Dominus videtur] viuere in eorum corde per amorem, perpetuamque mei memoriam certè debebam. Cur ergo *obliuioni datus sum tamquam mortuus à corde*; ita vt eorum, quæ pro humana salute feci, & perpessus sum, homines obliuiscantur? De Christi Domini morte iuxta Hieronymum Isaias conqueritur: *Iustus perit, & non est qui recogitet in corde suo. Iustus perit de quo vxor Pilati dixit: Nihil tibi sit, & iusto illi. Qui lotis manibus: Innocens sum ego, inquit, à sanguine iusti huius*, ait Hieronymus. *Oblitus es Domini creatoris tui*, peccatori exprobrauit Moses; sed cum maius Dei beneficium fuerit redemptio, quam creatio; multò magis ingrato homini exprobrari potest: Oblitus es Domini redemptoris tui. *Numquid obliuiscitur sponsa fasciæ pectoralis suæ*, ait Ieremias. Fidelis anima Christi sponsa non ornatæ pectoris fasciæ, sed rudium funium, quibus pro humana salute vndique Dominus est alligatus, obliuisci non debet.

Matth. 25. — Christi passionis sẽper memores esse debemus. — Isaia 57. — Deut. 32. 18. — Ier. c. 2. 32.

Et ecce velum templi scissum est in duas partes, à summo vsque deorsum.

934. Particula, *Ecce*, à Matthæo posita significat statim post Christi mortem vel scissuram, aliaque, quæ subduntur, prodigia euenisse. Marcus etiam post Christi mortem templi velum scissum refert. Lucas autem prolepsi, hoc est anticipatione figura vsus idem velum ante Christi mortem scissum narrat. Anticipatione autem vti Lucas voluit; vt duo opposita prodigia simul referret: scilicet solem repentinis tenebris velatum, & templi arcana scisso velo detecta. Sicut enim iuxta Chrysostomum in Domini passione tenebris velatus est sol, vt mysticè significaretur Iudæis fidei lumen tenebrescere; Gentilibus autem Christianam legem amplexuris incredulitatis noctem in fidei meridiem esse mutandam: ita cum scisso templi velo Sanctuarium patuit, significatum est diuinæ legis arcana prius Gentibus occulta, iisdem post Christi mortem esse manifestanda. *Velum templi scissum est; & omnia legis sacramenta, quæ prius tegebantur, prodita sunt; atque ad Gentium populum transierunt*, ait Hieronymus. *Cum scinditur velum vetus, Synagogæ velamen aufertur; vt religionis internæ mysteria reuelato mentis cernamus intuitu*, ait Ambrosius. Quare cum sub Tito templum euersum est à Romanis, in Sancto sanctorum arcam, aliaque cum ea reperta non fuisse, habetur ex Iosepho lib. 6. de bello cap. 6. vbi ait: *Intima templi pars viginti cubitorum erat, discernebatur similiter velo ab exteriore; nihilque prorsus in ea erat positum.* Vide Abulensem q. 14. in cap. 25. Exodi.

Prolepsis, seu Anticipatio figura apud Lucã. — Chrys. hom. de cruce & latrone. — Veli in templo scissio quid significauerit. — Ambros. lib. 10. in Lucã.

935. Ad intelligendum, quod templi velum scissum sit, nosse debemus totam Ierosolymitani templi fabricam in tres partes fuisse diuisam: scilicet in partem extimam, partem mediam, & partem intimam. Pars extima Orientem respiciens, Porticus, seu Vestibulum dicebatur; quò etiam laïci ingredi poterant. Pars templi media propriè dicebatur, Templum, vt patet ex 3. Reg. cap. 6. vbi dicitur: *Porticus erat ante templum viginti cubitorum longitudinis.* Dicebatur etiam exterior domus, eòque Sacerdotibus quotidie ingredi licebat. Pars intima dicebatur Oraculum, quòd inde diuina responsa reddebantur. Dicebatur etiam Sanctum sanctorum, vel Sancta sanctorum; vel absolutè, & antonomasticè Sancta; vt Psalmo 133. *In noctibus extollite manus vestras in Sancta,* B *& benedicite Dominum*; & ad Hebræos 9. *Introiuit semel in Sancta, æterna redemptione inuenta.* In hac intima templi parte omnium Sanctissima erat arca, & inter Cherubim Propitiatorium; & in ea semel tantùm singulis annis Pontifex, seu, quod idem est, summus Sacerdos ingrediebatur; nempe die decimo mensis septimi, qui Expiationis dies festus erat. *In priori quidem tabernaculo semper introibant Sacerdotes sacrificiorum officia consummantes: in secundo autem semel in anno solus Pontifex*, ait Apostolus ad Hebræos 9. His explicatis extima templi pars, seu porticus erat omnino patens, nec fores vllas habebat, vt colligitur ex Iosepho 8. antiquit. cap. 2. Sancta sanctorum, C seu Oraculum, quod erat intima templi pars, velo tegebatur. Exterior etiam seu media pars templi suum aperiens velum habebat: vt apertè habetur ex Iosepho, lib. 6. de bello cap. 6. ex Origene tract. 35. in Matth. ex Cyrillo lib. 12. in Ioannem cap. 37. & ex Hieronymo epist. 150. q. 8. Quamuis autem Iansenius Concor. cap. 143. post porticum neget templi aditum habuisse exterius velum; quia pro tali velo erant ostia, & portæ templi. Contra tamen est; quia in portis, & ostiis vela ponuntur; quæ propterea ostiaria seu ianuaria vela appellari apud plures auctores reperies. Secundo ante Sancta-sanctorum fores erant cedrinæ, vt Iosephus infra citandus ait; & tamen in his foribus D velum fuisse nemo negat.

Templi Ierosolymitani partes tres. — Quãuis Dauidis tẽpore templũ non esset; locus tamen, vbi erat Arca, atque adeo locus, vbi post templi fabricam posita fuit, Sancta appellabatur.

936. Cum ergo duo vela in templo fuerint alterum exterius operiens templi ostium post porticum, interius alterum operiens Sancta-sanctorum; quæritur quod velum in Christi morte sit scissum? Exterius velum scissum fuisse asserunt Origenes, & Hieronymus supracitati: contra verò S. Leo interius esse scissum putat serm. 10. de Pass. dicens: *Velum, cuius obiectu includebantur Sancta-sanctorum, à summo vsque ad ima disruptum est; & sacrum illud & mysticum secretum, quod solus summus Pontifex iussus fuerat introire, reseratum est; vt nihil tam esset discretionis, vbi nihil resederat sanctitatis.* S. Leoni subscribunt S. Isidorus in Exod. E cap. 50. & Euthymius hoc cap. 27. in Matthæum.

Tẽpli Ierosolymitani vela duo: ex his quodnã scissum sit? hîc, & seq.

937. Vtramque sententiam puto esse veram; scilicet, & exterius, & interius velum fuisse scissum. Si enim dicente Matthæo: *Idipsum latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei*, Hieronymus, Augustinus, & Ambrosius putant vnum tantum latronem Domino improperasse; vsum tamen esse Matthæum figura syllepsi, quia de vno, plurali numero loqui solemus; idque Ambrosius, & Augustinus multis sacræ Scripturæ probant exemplis: cur non etiam dicere possumus eundem

Hieron. in Matt c. 27. — Aug. lib. 3. de consensu Euang. c. 16. — Ambros. in Lucã c. 23.

Synecdoches in sacra Scriptura vsus.

Matthæum Synecdoche vsum esse figura; ita vt cum velum dixit, vtrumque templi velum scissum fuisse significauerit? Est autem hæc figura in Scriptura non infrequens. Primo Christus Dominus sub Iobi figura cap. 16. cum dixisset: *Percusserunt maxillam meam*, subdidit: *conclusit me Deus apud iniquum*, hoc est apud iniquos, siue ministros intelligas, siue iudices; hi enim plures fuerunt. Quare in catena Græca ibi legitur: *tradidit me Dominus in manus iniustorum*. Quod si, vt aliqui interpretantur, suum dolorem, & morbum Iob iniquum appellauerit, etiam ad Synecdochen est recurrendum. Origenes enim de Satana erga Iob ait: *Nullum dereliquit supplicium, neque pœnam, neque dolorem; putredinem, vermes, ossium diuisionem, neruorum fatigationem, membrorum debilitationem; atque totius carnalis compaginis passionem, & dolorem: iacere non poterat, sedere non valebat*, &c. Secundò Christus Dominus Psalmo 38. dixit: *Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator aduersum me*: & tamen non vnus peccator aduersus Dominum constitit; sed vt ibi Augustinus ait: *Multi circumstabant, & circumfremebant; quando ille velut ouis ad immolandum ductus est; & sicut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum.* Tertio cum Dauid Psalm. 13. ait: *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus*, non vnum atheum, sed plures significauit. Quarto cum Ieremias ait: *Oculus meus deprædatus est animam meam*; nemo dubitat, an de dextero, an de sinistro oculo id propheta dixerit; cum sine dubio vtrumque oculum significasse censendum sit: Si ergo per syllepsim plures pro vno ponuntur; multò magis per synecdochen vnum pro pluribus poni potest. Nam multiplicitas singularitati opponitur: contra verò, qui vnum affirmat, aliud non negat. Hinc dici bene potest, cum Euangelista dixit velum templi scissum esse, directè significasse exterius templi velum; id enim nemo negare poterat; cum populo templi porticum ingredienti manifestum fuerit; non tamen propterea interius templi velum scissum esse negauit; sed expressè id significare omisit, eo quòd prodigium omnibus manifestum, qualia ipse referebat, non fuerit.

Ierem. Thr. 3. 51.

Templi velum interius, & exterius in Domini passione scissum.

938. Porrò vtrumque templi velum in Domini passione scissum suadet ratio. Si enim scissum est interius velum ante Sancta-sanctorum, cur non potius scissum est etiam exterius velum, quod post porticum templi ostium operiebat? tale enim prodigium, vt alia, ad Christi Domini innocentiam significandam populo innotescere debuit. Quòd si interiori velo scisso exterius integrum remansisset; quod interius velum ob Christi passionem scissum esset, non tam facile credi debere videbatur. Sicut è contrario si integro remanente interiori velo, exterius tantum scissum esset, hoc etiam fidei derogasset, quòd ad Domini innocentiam significandam id euenisset. Præterea exterius velum etiam scissum esse ex mox dicendis confirmatur.

Cur Templi velum in Domini passione scissum sit, rationes octo.

939. De hoc interiori velo dicitur 2. Paralip. cap. 3. *Fecit quoque velum ex hyacintho, purpura, cocco, & bysso.* Similiter Iosephus lib. 6. Antiquit. cap. 2. ait: *In pariete adytum à reliquo corpore separante fores apposuit cedrinas; has quoque cælatas, & inauratas; eas prætexit velis picturatissimis, hyacintho, purpura, cocco, byssoque splendidissima, ac mollissima distinctis.* Debuit certè tale velum partim purpureum, & coccineum, partim byssinum lacerari; cum ad Domini ludibrium, & ignominiam purpurea, seu coccinea, & candida vestis fuerit adhibita. Secundo cum etiam ad ludibrium Domini faciem impii ministri velassent; ex opposita pœna Iudæorum arcana adyta erant scisso velo reuelanda. Tertio Iudæorum Sancta-sanctorum scisso velo erant denudanda; cum sanctissimus Dei filius ab impiis ministris fuisset propriis vestibus denudatus. Quarto cum impius Pontifex Caïphas ad Christum, vt blasphemum indicandum, sibi vestes conscidisset; è contrario ad Christi sanctitatem indicandam Dei Oraculum intra Sancta-sanctorum sibi; quo tegebatur, velum scindere voluit. Quinto familiaribus amicis ad Principis colloquium accedentibus ostiarium velum remouetur: ideo Dominus ad significandum se in Euangelica lege suos fideles, vt valde familiares, & domesticos habiturum, suo ex oraculo cortinam, velumque remouet. Sexto ad tragædiam agendam è proscenio siparium remouetur. Ideo cum non fictè, sed verè Iudæorum tragædia, præcipuè circa spiritualium iacturam ob eorum peccata, esset peragenda, templi velum, veluti siparium non modo remotum; sed scissum est. Septimo in Mosaïca lege tantùm die decima mensis septimi in Sancta-sanctorum summo Sacerdoti ingredi licebat, vt supra diximus, & habetur ex Leuitico cap. 16. vbi subditur: *In hac die expiatio erit vestri; atque mundatio ab omnibus peccatis vestris.* Sed in Euangelica lege, cum semper, non semel in anno expiatio, & à peccatis mundatio per pœnitentiæ sacramentum extra Sancta-sanctorum esse deberet, ad hoc mysticè indicandum Sancta-sanctorum velum tegens scissum est. Octauo, instituto iam sanctissimo Eucharistiæ sacramento, vbi sub visibilibus speciebus esse voluit; suisque Dominus fidelibus communicari; & præcipuè Sacerdotibus panis potusque fieri quotidianus; non erat cur manna tale sacramentum præfigurans intra Sancta-sanctorum semel in anno soli Sacerdoti conspicuum delitesceret.

Et terra mota est, & petræ scissæ sunt.

940. Non solùm Iudææ terram, sed vniuersum terræ orbem post Christi mortem terræmotu contremuisse probabilius censetur. Idque iuxta Dauidis vaticinium Psalmo 17. vbi absolutè dicitur: *Commota est & contremuit terra, & fundamenta montium conturbata sunt. Cardinem mundi* [*sic enim dixerim centrum*] *habet tellus*, ait Apuleius in Cosmographia: supra cardinem autem, seu centrum terra fundatur. Hinc primo Reg. cap. 2. 8. dicitur: *Domini sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem.* Terræ ergo fundamenta sunt circa centrum: ideo cum pluraliter fundamenta montium conturbata, & commota dicuntur, tota terra, non eius pars è suo centro contremuisse dicenda est. Quare Dionysius Carthusianus explicans citata Psalmi verba: *Commota est, & contremuit terra*, ait: *Hoc ad literam in Christo in cruce suspenso impletum est;*

Origenes Tract. 35. in Matth.

Terræmotus in Domini passione vniuersalis in toto terræ orbe.

quia tunc terra mota est. Fundamenta montium conturbata sunt, & commota sunt; quoniam tempore passionis Terra sancta, quae fertur esse montuosa tam valde mota est, vt etiam petrae scinderentur. Per petras intellige non è terra erutos, seu sectos lapides, sed saxeos montes, & rupes; saxeas autem rupes, & montes ex praedicto terraemotu non solùm in Iudaea, sed extra Iudaeam etiam in Italia scissos esse iam supra diximus, cum de tenebrarum prodigio egimus. Petras autem hoc est lapideas rupes scissas, non vt distinctum prodigium, sed vt quid ad terrae motus prodigium consequens Euangelista narrat. Nam particula, *Et*, ex phrasi Hebraea saepe adhibetur ad significandum effectum consequentem ex causa antea narrata. Sic Lucae 1. 13. Zachariae Gabriel Angelus cum dixisset. *Exaudita est deprecatio tua*; vt effectum ab exaudita oratione consequentem significaret, subdidit: *Et vxor tua pariet tibi filium*, &c. Similiter Lucae 7. cum de Centurione Iudaei dixissent: *Diligit gentem nostram*; vt dilectionis effectum significarent, subdiderunt: *Et Synagogam ipse aedificauit nobis*. Similiter hoc 27. cap. cum Matthaeus dixisset: *Monumenta aperta sunt*; quid inde consecutum fuerit addens subdidit: *Et multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt*. Simili ergo modo cum dicitur: *Terra mota est, & petrae scissae sunt*; hoc secundum vt quid ad primum consequens additur. Quare cum montes longè extra Palaestinam tunc disrupti sint; extra Palaestinam etiam in reliquas terrae partes terrae motum se extendisse dicendum est: quamuis non vbique tam violentus fuerit, vt montes disruperit, aut aedificia strauerit: sicut in Nyssena vrbe plures aedes euertit, vt Eusebius in Chro. ad annum Christi 33. refert.

Et particula interdū ponitur ad significandū effectum ex aliqua praedicta causa consequentem.

941. Prima huius terrae motus causa fuit, vt quàm immane Iudaeorum scelus in Christi morte fuerit indicaretur, quo scilicet Dei vindicis iram maximè prouocarunt. Idque apertè citato Psalmo dicitur: *Commota est, & contremuit terra; fundamenta montium conturbata sunt, & commota sunt; quoniam iratus est eis*: ita tamen iratus, vt suae misericordiae non oblitus perfidos parricidas immisso terrore resipiscere vellet. Ideo Deo dicitur Psalmo 59. *Commouisti terram, & conturbasti eam: dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus*; arcus scilicet diuinae vltionis. *Dominus*, ait Dionysius, *iram suam, qua hominibus filium suum dilectum occidentibus irascebatur, ostendit in elementis; turbando, atque mouendo inanimata, vt vel sic rationales creaturae errorem suum aduerterent, dum inanimata suspenso in cruce sic condolere conspicerent.*

Terraemotus in Domini passione ob rationes quatuor.

942. Secundo terra mota est, eo quòd Christus inclinato capite eam respexisset; idque, vt diximus supra, ad Christi Domini diuinitatem testandam. De Deo enim dicitur Psalmo 103. 32. *Respicit terram, & facit eam tremere*: & Psalmo 113. 7. *A facie Domini mota est terra.* Bene enim Chrysostomus: *Tunc omnis terra commota est, vt vbique agnosceretur crucifixi virtus; & quod Deus esset, qui patiebatur, non simpliciter homo.*

Chrys. in c. 4. Act. Apost.

943. Tertiò cum Euangelica lex promulganda iam foret, terra contremuit, vt debita Christo Domino legislatori veneratio terrae motu significaretur. Simili modo antequam per Mosem Deus Israelitis suam legem promulgaret, *coeperunt audiri tonitrua, ac micare fulmina, & nubes densissima operire montem, clangorque buccinae vehementius perstrepebat.* Horum autem rationem Israelitico populo Moses reddidit dicens: *Vt terror Dei esset in vobis, & non peccaretis.* Similiter Christus Dominus legis Euangelicae legislator adhuc in cruce pendens cum terram concutere posse nosceretur; Euangelicae legis fideles ne sanctissimam eius legem transgrederentur, terrae motu ad timorem excitari debuerunt.

Exodi c. 19. 16.

944. Quartò commota est terra, vt sanctorum Patrum animabus, quae in limbo detinebantur petentibus inde liberari, terrae motus indicio se eorum precibus annuere Dominus significaret. Sic Actorum 4. 31. de Domini discipulis dicitur: *Cum orassent, motus est locus, in quo erant congregati.* Vbi Chrysostomus ait: *Annuit eorum petitioni; & manifestum hoc fecit eis, commoto loco; quod adesset ipsorum precibus. Motus est locus, & illos magis consolidauit.* Hoc *autem aliquando ira est indicium, aliquando visitationis*, hoc est consolationis.

945. *Petrae scissae sunt.* Primo Reg. cap. 13. ad exprobrandam impii Ieroboami obstinationem, lapideum altare in quo Idolis thus offerebat, scissum est; & ipsius Ieroboami manus contra Dei Prophetam extenta exaruit. Cum etiam ob Domini passionem ad Iudaeorum obstinatam duritiem exprobrandam lapides scissi sint; cur non etiam manus impiorum contra Dominum extensae non exaruerunt? Voluit misericors Dominus liberas eis manus relinquere, vt percutientes pectus suum ad patrati sceleris poenitentiam resipiscerent. Sicut de adstantibus ad crucem dicitur Lucae 23. 48. *Omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum illud, & videbant quae fiebant, percutientes pectora sua reuertebantur.*

946. Inter petrarum scissiones numeratur templi superliminaris scissio, de quo Hieronymus ait: *In Euangelio, quod Hebraicis literis scriptum est, legimus non velum templi scissum, sed superliminare templi mirae magnitudinis corruisse.* Idem refert in Matthaeum cap. 27. Et quamuis Iosephus lib. 7. de bello cap. 12. tale superliminaris prodigium contigisse in Ierosolymae excidio referat; Hieronymus tamen non Iosephi, sed Nazaraeorum Euangelii testimonio nititur; quos in ea quaestione tantum citat, & nullo pacto Iosephum: quod si Iosepho etiam habenda est fides, id iterum quando Iosephus ait, contigisse dicendum est. Ex superliminaris autem scissione velum, quo ostium tegebatur, etiam scissum esse facilè censeri potest. De lapideo templi superliminari scisso intelligi potest Habacuc vaticinium cap. 2. 11. *Lapis de pariete clamabit*, ad exprobrandam scilicet Iudaeorum duritiem, obstinatamque perfidiam. In Iudaici etiam sacrilegi sceleris supplicium est vaticinium illud: *Sion quasi ager arabitur, & Ierusalem quasi aceruus lapidum erit; & mons templi quasi excelsa syluarum*: idque scissae petrae portendere videbantur.

Hier. epist. 150. q. 8.

Superliminare Tépli in Domini passione scissum.

Michaeae 3. 12. Ierem. c. 26. 18.

Et

Et monumenta aperta ſunt; & multa corpora Sanctorum, qui dormierant ſurrexerunt: & exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem eius, venerunt in ſanctam ciuitatem, & apparuerunt multis.

947. QVamuis monumenta ſtatim poſt Chriſti mortem aperta ſint, fortaſſe quòd ex terræ motus impetu lapides ea tegentes inde corruerint: nihilominus mortuorum reſurrectio per proleplim, ſeu anticipationem à Matthæo hîc refertur: quandoquidem non niſi poſt Chriſti reſurrectionem Sanctorum reſurrectio contigit: ad quod indicandum Matthæus ſubdidit: *Et exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem eius, venerunt in ſanctam ciuitatem.* Sed cur ſancta ciuitas Ieroſolyma dicitur, quæ tot impiorum Iudæorum ſceleribus, & immaniſſima contra Dominum ſæuitie prophanata, & conſpurcata iam erat? Reſpondetur eo modo Ieroſolymam hîc dici ſanctam ciuitatem; quo modo vorax, & venenatus coluber appellatur virga, Exodi 7. *Deuorauit virga Aaron virgas eorum:* eo quòd antequam in colubrum verteretur, Aaronis virga fuerit. Similiter quamuis Ieroſolyma ob ſceleratos Phariſæos iiſque ſimiles ciues *habitaculum draconum* eſſet iuxta Ieremiæ vaticinium cap. 10. 22. nihilominus quia antea præcipuè ſub Dauide Rege ob ſanctiſſimum Dei cultum ſanctificata erat, ſancta ciuitas dicitur. Hieronymus Epiſt. 150. quæſt. 8. ait: *Nulli violentum eſſe videatur, mortuo Saluatore appellari Ieruſalem ſanctam ciuitatem; cum vſque ad deſtructionem eius ſemper Apoſtoli templum ingreſſi ſint; & ob ſcandalum eorum, qui ex Iudæis crediderant, legis exercuerunt cæremonias. Vſque ad quadrageſimum ſecundum annum datum eſt eis tempus pœnitentiæ: Poſt quos perſeuerantibus illis in malitia, egreſſi ſunt duo vrſi de ſyluis gentium Romanarum Veſpaſianus, & Titus; & blaſphemantes* Iudæos ſcilicet in Chriſti nomen blaſphemos *interfecerunt, atque lacerauerunt. Ex eo tempore Jeruſalem non appellatur ciuitas ſancta; ſed ſanctitatem, & priſtinum nomen amittens, ſpiritualiter vocatur Sodoma, & Ægyptus: vt ædificetur pro ea ciuitas noua, quam fluminis impetus lætificat; & de cuius medio egreditur fons, qui totius orbis amaritudinem mitigauit: vt miſerabilis Iſrael ruinas templi nudatis plangat lacertis; & in Chriſto turba credentium, noua quotidie videat Eccleſiæ tecta conſurgere.*

Ieroſolyma cur ſancta ciuitas dicta, etiam poſt Domini paſſionē.

An Sancti cum Chriſto reſurgentes ad vitam immortalem reſurrexerint; an verò ad mortalem vitam iterum mortui.

948. REſpondeo ſurrexiſſe ad vitam immortalem, non vlterius morituros. Pro hac probabiliore ſententia citatur, primo Clemens Alex. lib. 6 Stromatum dicens: *corpora eorum, qui cum Chriſto ſurrexerunt, in meliorem ordinem eſſe tranſlata.* Sed ad hoc, vt in meliorem ordinem tranſlata fuerint, ſatis eſt ſi fuerint viuificata; an, tamen in tali viuificatione ſemper permanſerint, Clemens ibi non explicat. Talis autem viuificatio rectè dicitur in meliorem ordinem tranſlatio; nam vel pro eo tempore, quo vixerunt, impaſſibilem vitam habuerunt, qualis

A nunc tribuitur Eliæ, & tunc procul dubio melioris vitæ ordo fuit: vel in vitam paſſibilem reſurrexiſſe dicuntur; & tunc talem vitam meritoriam fuiſſe dicendum eſt; & conſequenter ex hoc capite etiam melioris ordinis vita fuit.

949. Secundò pro eadē ſententia citatur Athanaſius hom. de ſemente dicens: *Ieſus inter mortuos incedens non ſolùm liber, ſed liberator mortuorum erat. Atque, vt diſcas eum eſſe mortuorum liberatorem, audi Euangelij verba: Multa corpora Sanctorum, qui dormierant ſurrexerunt.* Sed ad hoc, vt Dominus verè mortuorum liberator dictus ſit, neceſſe non eſt, vt tunc mortuos ad immortalem vitam reuocauerit; cum ad mortalem vitam eos
B reuocando, adhuc eos à morte pro ſtatuto tempore liberaſſet. Sic Eſther 15. 3. cum Mardochæus dixit: *Inuoca Dominum, & loquere Regi pro nobis, & libera nos à morte;* id de morte tunc imminente, non de omnimoda morte dixit.

950. Tertio teſte Sophronio ſer. de Aſſumptione B. Virginis nonnulli Doctores de Sanctis, qui cum Domino ſurrexerunt, ſenſerunt, *quòd iam in illis perpetua ſit completa reſurrectio. Fatentur enim quod veri teſtes non eſſent, niſi & vera eorum eſſet reſurrectio. Vnde & Diuus Petrus dixiſſe legitur, cum de Dauid loqueretur in teſtimonium: & ſepulchrum, inquit, eius apud nos eſt: quaſi*
C *non ſit auſus dicere, quod ipſe, aut corpus eius apud nos eſt; ſed tantùm ſepulchrum quo conditus fuerat: hinc aiunt reſurrexiſſe eum cum cæteris Sanctis; & ideo vacuum remanſiſſe Mauſoleum.* Horum auctorum vtraque probatio eſt inefficax. Nam etiam ſi hi Sancti iterum morituri reſurrexiſſent, adhuc eorum vera fuiſſet, non falſa reſurrectio; atque adeo veri teſtes Domini ad vitam immortalem reſurrectionis fuiſſent. Si enim poterat Dominus diuina potentia, ad vitæ tempus, pro vt illi libuerat, alios reuocare; vtique poterat etiam ſeipſum è morte ad vitam excitare perpetuam. Contra ſecundam eorumdem rationem, quòd ad probandum de Chriſto, non de
D Dauide dictum eſſe Pſalmo 15. *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem,* Petrus Apoſtolus dixit: *Sepulchrum eius apud nos eſt;* noluitque dicere, corpus eius apud nos eſt; eo quòd iam cum Domino reſurrexiſſet; bene ſic arguit Auguſt. *Quod adiunxit de Dauid apud eos eſſe monumentū eius, illos vtique non conuincebat; ſi corpus eius ibi non erat. Quia ſi ante in recenti ſua morte reſurrexiſſet, nec caro eius vidiſſet corruptionem; poſſet nihilominus monumentum illud manere.* Præterea Apoſt. ratio talis eſſe debuit, vt ſi ad experientiam detegendo ſepulchrum Iudæi veniſſent, adhuc eius ratio efficax inueniretur. At detecto ſepulchro, Dauidis corpus iam rediuiuum ſi ſupponatur; inuentum non eſſet; & conſequenter Petri probationem contra ipſum Apoſt. Iudæi
E retorſiſſent. Quare bene Lorinus ait: *Mihi videtur Petrus ſolùm intellexiſſe Dauidem corruptionem vidiſſe: quod ex ſepulchro quidem ſolo non ſequitur: ſed tamen poſito tam longo ſpatio temporum, ſepulchrum in quo mortuus conditus fuerat rem omnino certam reddit.* Præcipuè cum in eodem Dauidis ſepulchro ſepultus etiam poſt multos annos fuerit Salomon, vt habetur ex Ioſepho: cum ergo eò Salomonis corpus illatum eſt, ſi Dauid corruptionem non vidiſſet, & reſurrexiſſet; id inferentes Salomonis corpus facilè aduertere potuiſſent.

Sophronius apud Hier. tomo 9.

Act. 2. 29.

Act. 2. 29.

Aug ep. 99.

Ioſeph. l. 16. Antiquit. c. 11.

951. Quarto Ruffinus in ſymbolo Apoſtolico poſt allata Oſeæ verba c. 6. *Viuificabit nos,*

seu, vt ipse legit, *sanabit nos post duos dies: in die tertia suscitabit nos, & viuemus in conspectu eius*, subdit: *Hoc ex persona eorum dici, qui cum ipso die tertia resurgentes de morte reuocantur ad vitam; & ipsi sunt qui dicunt: Die tertia resurgemus, & viuemus in conspectu eius.* Idem antea explicans eadem Oseæ verba Nyssenus docuerat. Sed illa Oseæ verba: *Viuificabit*, seu, *sanabit nos*, &c. dicta esse sub persona omnium fidelium, communiter asserunt SS. PP. Hieronymus in Oseam, Cyprianus lib. 2. contra Iudæos cap. 25. Origenes hom. 5. in Exodum, Tertullianus lib. 4. contra Marcionem, & alii. Nam post Christi resurrectionem promulgata est Euangelica lex, per cuius obseruantiam, & per eius sacramenta homines spiritualiter viuificantur. *Si Christus non resurrexit, inanis est fides nostra*, ex qua salus nostra dependet: quare ipsa Christi resurrectio nostra resurrectio fuit: ex eius enim resurrectione tam certam habemus corporaliter resurgendi spem, ac si cum ipso resurrexissemus: *Redemptoris nostri resurrectio & nostra festiuitas est, quia nos ad immortalitatem reduxit*, ait Gregorius. Hinc Apostolus ad Ephes. cap. 2. 4. ait: *Deus, cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo [cuius gratia estis saluati] & consuscitauit; & consedere fecit in cœlestibus in Christo Iesu*: scilicet nunc per certam spem, contemplationem, & affectum, & cœleste viuendi genus; postea per actualem cœlestis beatitudinis fruitionem. *Sanabit nos post biduum, & in die tertia resurgemus: secundùm hoc nobis dicit Apostolus: Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite*, ait Augustinus. Ex dictis Ruffini & Nysseni testimonium prout citatis Oseæ verbis nititur, non est efficax.

Nyssenus l. de cognit. Dei cap. de Christi resurrect.

1. ad Cor. c. 15.

Greg. hom. 21 in Euàg.

Aug. 18. de Ciuit. c. 28.

Ad Coloss. cap. 3.

952. Quinto idem Ruffinus ibidem ait: *Monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum dormientium resurrexerunt & apparuerunt multis; & ingressi sunt sanctam ciuitatem illam, de qua Apostolus dicit: Quæ sursum est Ierusalem libera est, quæ est mater omnium nostrûm. Sicut ad Hebræos dicit: Decebat enim propter quem omnia, & per quem omnia multos filios in gloriam adducentem auctorem salutis eorum per passionem consummari.* Nomine etiam sanctæ ciuitatis hic intelligi posse cœlestem Ierosolymam docet Hieronymus, Anselmus, & Beda. Sed ad literam nomine sanctæ ciuitatis terrenam Ierosolymam hîc à Matthæo significari patet, cum dicat: *Et exeuntes de monumentis venerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis.* In cœlestem autem Ierosolymam non statim è monumentis exeuntes venerunt; sed post quadraginta dies, cum Dominus in cœlum ascendit. Quare melius hîc Hieronymus ait: *Sancta appellatur ciuitas Ierusalem propter templum, & Sancta sanctorum & ob distinctionem aliarum vrbium, in quibus Idola colebantur.* Præterea à citato Ruffino loco ad Hebræos cap. 2. vers. 10. cum de Christo Apostolus ait: *Multos filios ad gloriam adduxerat*, id intelligi debet non actu, & reipsa, sed in suo decreto, & prædestinatione, vt bene ibi Cornelius notat.

Ad Galat. c. 4.

Ad Hebr. c. 2.

953. Sexto S. Anselmus de Sanctis cum Domino resurgentibus ait: *Nec vlla ratione illorum temeritati fides accommodanda est, qui postea illos reuersos in cinerem dicunt.* Ex quibus verbis præter Anselmi auctoritatem, colligitur etiam pro allata sententia ratio valde congrua; scilicet non debuisse beatas animas quales resurgentium Sanctorum erant, corruptibilibus corporibus iungi. Quæ quidem ratio efficax est: non autem illa, quæ apud S. Thomam affertur; scilicet, quòd maius Sanctis illis fuisset tormentum, si iterum mortui essent, quàm si non resurrexissent. Contra enim est, quòd Sanctorum animæ ob separationem à corpore dolorem nullum sensissent: tum quia beatæ erant; tum ob omnimodam cum diuina voluntate conformitatem. Immo beatis illis animabus potius displicuisset mortalia corpora retinere, quàm deponere. Dices: Christi anima quamuis clarè Deum videret, adeoque beata foret, mortali tamen corpori est vnita: ergo similiter illæ resurgentium Sanctorum Animæ. Respondeo quamuis Christi anima adhuc in mortali vita secundùm partem superiorem beata foret, inde tamen in partem inferiorem beatitudo non redundabat; ideoque secundùm inferiorem partem tristabatur, dolebat, eratque in mortali corpore omnino passibilis. Quod in resurgentium Sanctorum animabus non est admittendum, quandoquidem non in via, sicut Christus, sed iam in termino erant. Dicendum est ergo Sanctos illos vnà cum Domino ad immortalem vitam resurrexisse: quam sententiam præter citatos sequuntur Origenes in ep. ad Rom. cap. 1. S. Sophronius Episcopus Ierosolymitanus in epist. Synodali relata, & approbata à sexta Synodo Act. 11. Eusebius lib. 4. Demonstrat. cap. 12. Remigius hîc in Matthæum cap. 27. vbi ait: *Incunctanter credere debemus, quia qui resurgente à mortuis Domino resurrexerunt, ascendente eo ad cœlos, & ipsi pariter ascenderunt.* Idem docet S. Thomas in Matth. 27. & in 4. dist. 45. quæst. 1. art. 3. quæstiuncula prima ad tertiam. Citatur S. Thomas pro opposita sententia tertia part. quæst. 53. art. 3. Sed ibi directè tantùm docet Christi resurrectionem tempore aliorum resurrectionem præcessisse. Quæ temporis præcessio non necessariò multum temporis spatium inferre debet.

S. Th. 3. p. q. 53. art. 3.

954. Probatur secundo eadem sententia ex S. Hieronymo dicente: *Apparuerunt multis, vt hi viderent, qui cernere merebantur.* Et ex S. Thoma similiter dicente: *Apparuerunt multis: sicut enim Christus potestatem habet manifestandi se quibus vult; ita est intelligendum de corporibus glorificatis.* Cum ergo Sancti illi glorificata corpora habuerint, eos ad immortalem vitam resurrexisse est dicendum. Contra tamen est, quòd licet Moses, & Elias in monte Thabor tribus Apostolis apparuerint, non inde deducitur eos corpora glorificata habuisse. Quòd autem resurgentes Sancti quibusdam apparuerint, & aliis se occultauerint; id non ex eorum corporum glorificatione; sed ex diuina voluntate, & potentia prouenisse opposita sententia contendere potest.

S. Thom. in Matt. c. 27.

Matth. 17.

955. Probatur tertio quia Sancti illi vt resurrectionis gloriosæ, & immortalis testes essent omni exceptione maiores, decuit eos ad immortalem vitam resurgere. *Hæc ratio valde est infirma*, inquit Suarius; *quia isti Sancti non ostendebant iis, quibus apparebant, suorum corporum gloriam, & immortalitatem; ita vt ea proprietates sensibus perciperentur; quia neque Christus Dominus post resurrectionem ita apparebat; quia potius, vt probaret veritatem suæ resurrectio-*

Suar. 3. p. q. 53. art. 3.

nis exercebat ea, quæ communia ſunt corpori mortali, in cibo nempe, potu, & contactu. Si ergo gloria; & immortalitas corporum non erat ſenſibus obycienda, nihil intereſſe poterat ad veritatem teſtimony. Contra tamen eſt, quia licet Sancti illi plenitudinem ſuæ gloriæ iis, quibus apparuerunt, non oſtenderint; iiſdem tamen gloriæ partem aliquam oſtendiſſe cenſendum eſt. e. g. corporis pulchritudinem; & ex eo attemperatum aliquem ſplendorem. Plures enim in Sanctorum vitis legimus ſanctas animas in ſplendidis aſſumptis corporibus apparuiſſe. Certè de Chriſto Domino, cum diſcipulis apparuit, negari non debet, quòd vndique ſplendore circumdatus apparuerit: ſi enim tali modo adhuc ſub mortali vita in monte Thabor apparuit; multo magis eodem modo cum ad immortalem vitam reſurrexit, videri voluit. Præterea ſicut Dominus ingrediens ad Apoſtolos ianuis clauſis ſubtilitatis dotem glorioſi corporis propriam oſtendit; ita etiam Sanctos Dominicæ reſurrectionis ſocios, cum aliquibus apparuerunt, ſubtilitatis dote vſos eſſe valde probabiliter dici poteſt.

956. Probatur quarto, quia ſicut ante extremum iudicium ad oſtendendam diuinam iuſtitiam damnati aliqui, & anima, & corpore in inferno ſunt; vt Dathan, & Abyron, de quibus dicitur Num 16. 31. *Dirupta eſt terra ſub pedibus eorum, & aperiens os ſuum deuorauit illos, deſcenderuntque viui in infernum operti humo:* ita ad oſtenſionem diuinæ miſericordiæ, & copioſæ redemptionis Chriſti ſpectabat, vt aliqui etiam, & anima, & corpore ante mundi finem eſſent beati. Sed contra eſt, quia ex citato Num. textu non certò colligitur Dathan, & Abyron anima, & corpore in infernum fuiſſe demiſſos: nam Abulenſis in citatum cap. 16. Num. quæſt. 20. Lyranus, Hugo Card. Dionyſius, & Ribera docent eos non perueniſſe viuos ad locum damnatorum; ſed mortuos eſſe in via, atque ibi corpora remanſiſſe, animas verò deſcendiſſe in gehennam. Cùm autem dicuntur viui deſcendiſſe in infernum, ſenſus eſt, quòd non antequam abſorberentur à terra, obierint; ſed quòd cum intra terræ hiatum mortui ſint, infernum verſus viui deſcendiſſe cœperint. Sic enim melius ſaluatur vniuerſalis lex, qua *ſtatutum eſt omnibus hominibus ſemel mori*, iuxta Apoſtolum ad Hebr. 9. 27. Neque inſuetum eſt in Scriptura verba interdum non actum conſummatum, ſed inchoatum ſignificare, vt alibi diximus; & patet ex Danielis cap. 6. vbi cum de Danielis accuſatoribus dicitur: *In lacum leonum miſſi ſunt ipſi, & filij, & vxores eorum:* iſtorum demiſſio ad leonum foueam tantùm ſecundum actum inchoatum intelligitur; ſubditur enim: *Non peruenerunt vſque ad pauimentum laci donec arriperent os leones.* Ex allatis ergo rationibus, illa ſupra allata ex Anſelmo eſt eligenda, ad probandum Sanctos ad immortalem vitam cum Domino reſurrexiſſe.

Ribera in c. 19. Apoc.

957. Oppoſitam ſententiam, ſcilicet ad mortalem tantùm vitam Sanctos illos reſurrexiſſe, poſtea iterum morituros aſſerunt Auguſtinus Epiſt. 99. ad Euodium; Hieronymus in hoc Matthæi cap. 27. dicens: *Quomodo Lazarus mortuus reſurrexit, ſic & multa corpora Sanctorum reſurrexerunt.* Lazarum autem ad mortalem vitam reſurrexiſſe certum eſt. Similiter Sanctorum illorum reſurrectionem Lazari reſurrectioni comparat Chryſoſt. homil. 89. in Matth. Præterea poſt Domini clamorem cum Matthæus ſubdidit: *Monumenta aperta ſunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant ſurrexerunt;* cenſet Chryſoſtomus id Euangeliſtam non per anticipationem dixiſſe; ſed tunc verè poſt Domini clamorem Sanctos illos reſurrexiſſe; ait enim citata homilia: *Reſurrectio mortuorum ſecuta omnipotentiam Domini oſtendit: corpore in patibulo pendente vox ſola mortuos excitauit.* Quare ſi iuxta Chryſoſtomum tunc mortui ſuſcitati ſunt, vtique non niſi ad mortalem vitam reſurrexerunt: reſurrectio enim ad immortalem vitam nemini ante Chriſti reſurrectionem eſt concedenda. Idem ſenſiſſe videtur Proſper 3. p. de promiſſionibus, & prædictionibus Dei cap. 29. eidem ſententiæ apertè ſubſcribunt Theophylactus, & Euthymius in hoc Matthæi cap. 27. & Scotus in 4. diſt. 43. q. 2. art. 1.

958. Obiicit pro ſua ſententia contra priorem, & probabiliorem ſententiam allatam Auguſtinus verba Actorum 2. vbi Petrus Apoſtolus, vt probaret Pſalmi 15. verba: *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*, intelligenda eſſe de Chriſto, non de Dauide ſubdidit: *Quoniam Dauid defunctus eſt, & ſepultus, & ſepulchrum eius eſt apud nos vſque in hodiernum diem:* ex quo patet Apoſtolum locutum eſſe de ſepulchro tunc corpus Dauidis corruptum continente: ſi enim corpus illud non continuiſſet, non poterat inde probari Dauidis corpus corruptum non fuiſſe. Quare cum Dauid, ex cuius ſtirpe natus eſt Dominus, ad vitam immortalem cum Domino non reſurrexerit, neque Sancti alii reſurrexerunt. Contra hanc Auguſtini rationem iam ſupra diximus, quamuis Dauid immortalis cum Domino reſurrexiſſet, quomodo ex eius ſepulchro vſque ad illud tempus permanente Apoſtolus Dauidis mortem, & corruptionem arguerit. Secundo dici poteſt inter Sanctos, qui cum Domino reſurrexerunt, Dauidem non fuiſſe: quamuis enim ex Dauidis ſtirpe Dominus natus ſit, magis propinquè natus eſt ex aliis iuſtis Dauidis poſteris; quos omnes cum Domino reſurrexiſſe neceſſitas nulla dicere cogit. Quòd autem Dauid non reſurrexerit coniectura deſumi poteſt ex Ioſepho lib. 7. Antiquit. cap. 12. vbi de Dauide ait: *Sepeliuit eum filius Salomon Ieroſolymis magnificè, illatis in monumentum eius maximis diuitiis; quarum magnitudinem facile ſit coniectare ex hoc, quòd poſt annos mille trecentos Hyrcanus Pontifex aperta cella monumenti, & prolatis inde tribus talentorum millibus, eorumque parte Antiocho numerata, oppugnationis periculo ſe exemit. Rurſus poſt multos annos elapſos Herodes alia cella aperta magnam pecuniam ſuſtulit. Ad loculos autem, qui Regum cineres continent, nemo peruenit.* Idem Ioſeph lib. 16. Antiquit. cap. 11. de eodem Dauidis ſepulchro ait: *Herodes noctu apertum ſepulchrum ingreditur, depoſitas tamen pecunias non inuenit; ſed mundi pretioſi, & aureorum ornamentorum vim magnam inde ſuſtulit. His inuitatus ad diligentius ſcrutandum, interius proceſſit vſque ad conditoria corporum Salomonis, & Dauidis. Vbi duos ſatellites amiſit, erumpente, vt fertur, ex adytis flamma contra progreſſos temere. Quo caſu territus exiuit, & tactus religione ad expiandum ſe, in aditu ſepulchri monumentum è candido marmore condidit ſumptuoſiſſimis impendiis.* Cum ergo tam magnificum,

Dauid cum Domino nō reſurrexit.

Dauidis monumentū maximis diuitiis à Salomone refertum.

& celebre apud Iudæos fuerit Dauidis sepulchrum, si illud cum monumentis aliis, quæ post Christi mortem aperta fuisse Matthæus refert, similiter reseratum esset, id vtique Iudæi cognouissent, & consequenter, si reserato monumento Dauid resurrexisset, Apostolus Petrus Dauidis sepulchrum ad eius corruptionem probandam non citasset. Notetur obiter citatis Iosephi locis ipsum sibi contradicere, cum lib. 7. dicat è Dauidis sepulchro Herodem pecuniam sustulisse; libro verò 16. id neget.

959. Obiicit secundo Augustinus: Apostolus ad Hebræos 11. 39. de antiquis sub lege Mosaïca Sanctis ait: *Hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid prouidente; vt non sine nobis consummarentur.* Sed si ex his Sanctis aliqui ad vitam immortalem cum Domino surrexissent; adæquatam repromissionem circa animæ, & corporis beatitudinem accepissent; & consequenter sine nobis essent consummati; hoc est vtriusque substantiæ perfectionem consecuti essent. Respondetur allatæ sententiæ verum sensum accipiendum esse ex eo, quod Apostolus dixit: *Deo pro nobis melius aliquid prouidente*: quibus verbis non significauit corporum glorificationem præstantiorem nobis esse reseruatam. Hæc enim quoad substantiam communis est Sanctis omnibus: & quoad intensionem aliquibus ex priscis Sanctis maior est, & aliquibus ex posterioribus minor iuxta diuersam meritorum mensuram. Significauit igitur Apostolus cœli aditum ad beatitudinem animæ, quæ proprie perfectè, & essentialis beatitudo est, consequendam, non nisi post Christi aduentum, & humani generis redemptionem esse reseratum: cum antiquorum Patrum tempore ad cœlum ingressus non patuerit: ideoque ad beatitudinis consecutionem antiqui Patres Mosaïcæ legis finem, & Euangelicæ legis à Christo promulgationem expectare debuerunt. Quare cum ab Apostolo dicitur: *Non acceperunt repromissionem, vt non sine nobis consummarentur*: sensus est, quòd Dei visionem, quæ est essentialis, & consummata beatitudo, antea consecuti non sint. Dices: hanc perfectam animæ beatitudinem antiqui Sancti cum Christo resurgentes etiam ante nos, adeoque sine nobis acceperunt. Respondeo cum Apostolus dixit: *Sine nobis*, intellexisse sine fidelibus post Christi aduentum. Plures autem fideles post Christi aduentum vnà cum antiquis Patribus Christo resurgente beatitudinem consecuti sunt; vt S. Ioseph, Simeon iustus, S. Ioannes Baptista, bonus Latro, &c. Confirmatque diximus S. Thomas dicens: *Hæc consummatio, de qua loquitur Apostolus, potest referri ad præmium essentiale, scilicet ad beatitudinem, quæ habetur per Christum: de quo Michæas prædixit: Ascendet pandens iter ante eos: quam non habuerunt Sancti veteris Testamenti*; scilicet ante Christum. Addit S. Thomas: *Ista consummatio vel potest referri ad stolam corporis, quæ non dabitur vniuersaliter vsque post resurrectionem vniuersalem: licet iam fortè aliqui iam habeant ipsam ex speciali priuilegio.* Quare Sanctis cum Christo resurgentibus ex S. Thoma hoc speciale priuilegium tribui potest.

Aug supra. S. Th in ep. ad Hebr. c. 11. Michaas 2. c. 13.

960. Obiicitur tertio Chrysostomus, qui explicans citata Apostoli verba de veteris Testamenti Sanctis ait: *Ne aliquid pra nobis plus habere viderentur, si primi ante nos coronarentur; vnum Deus definiuit tempus omnium coronarum: vt qui ante tot annos vicit, tecum accipiat coronam. Præuenerunt nos in certaminibus; sed non præuenerunt in coronis. Non iniuriam illis intulit; sed nos honorauit. Nam & ipsi fratres libenter nos expectant: si enim corpus vnum omnes sumus; maior ex hoc efficitur corpori iucunditas; cum simul & communiter honoratur, & non per partes. Etenim iusti etiam in hoc sunt mirabiles; quia sicut de propriis bonis, sic gaudent & de bonis fratrum. Proinde etiam in illis hoc iuxta votum procedit, vt cum fratribus coronentur: simul enim glorificari magna iucunditas est.* Quibus verbis Chrysostomus aperte de corporum glorificatione loquitur, non autem de animæ beatitudine: non enim Chrysostomus vnquam censuit, Sanctorum animas Deum non videre, nec beatas esse ante extremi iudicii diem: est.n. hæc sententia planè erronea, & vt hæretica damnata à Benedicto 11. in Extrauag. Benedictus Deus: vt videre est apud Bellarminum t. Controu. 7. quamuis eam antea docuerit Tertul. l. de anima c. vlt. Lanctantius l. 7. c. 21. & Victorinus in caput sex. Apoc. Respondeo verissimum esse Chrysostomum cum Augustino consentientem censuisse ante iudicii diem veteres illos Sanctos, de quibus citato loco Apostolus loquitur, ad vitam immortalem non surrexisse. Dico tamen rationes, quas Chrysostomus affert, probare tantùm iudicii diem fore vniuersalem mortuorum resurrectionem: nihilominus ex hac vniuersali defunctorum resurrectione eos excipi debere, qui cum ex speciali priuilegio, vt S. Thomas supra dixit, antea resurrexerint, inter mortuos non numerantur. Ad communem autem singulorum resurgentium iudicii die lætitiam, sufficit ingens resurgentium numerus, paucis exceptis: qui pauci excepti etiam electorum gaudium antea auxerunt, cum ex iis certam suæ resurrectionis arrham habuerint.

Sanctorum animas ante Iudiciu-diē Deum non videre, hæresis dānata.

961. Obiicimur quarto Ecclesiæ verba dicentis: *Sub throno Dei omnes Sancti clamant: Vindica, Domine, sanguinem Sanctorum tuorum, qui effusus est.* Quæ verba desumuntur ex Apoc. 6. 10. ibique pro responsione ad Sanctorū clamorem subditur: *Dictū est illis, vt requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conserui eorū.* *Quid est*, ait Gregorius, *animas vindictæ petitionem dicere, nisi diem extremum iudicij, & resurrectionem extinctorum corporum desiderare?* Hinc Bernardus serm. 3. in festo omnium Sanctorum ait: *Vnde tibi, ô misera caro, ô fœda, & fœtida, vnde tibi hoc? Anima sancta, quas propria Deus insigniuit imagine, te desiderant; quas redemit proprio sanguine, te expectant: & ipsorum sine te lætitia compleri, perfici gloria, consummari beatitudo non potest.* Ex his igitur Apocalipsis verbis colligitur corporum resurrectionem vsque ad extremi iudicii diem, cœlestisque Iudicis aduentum differri: *Ad cuius aduentum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis*, vt in S. Athanasij symbolo dicitur: idque iuxta Apost. 1. ad Cor. 15. 51. dicentem: *Omnes resurgemus*. Notandū est autem à S. Athanasio non dici indefinitè homines; sed omnes homines: sicut etiam supra dicitur: *Omnes Sancti clamant*: Ex hac igitur generali resurrectionis regula aliquos excipiendo videtur allatis Scripturæ Pattū, & Ecclesiæ testimoniis contradici. Respondetur in citatis Apocalip. & ex ea Eccl. verbis sermonem tantùm esse de martyribus post Christi aduentum, & Euangelicæ

In Officio SS. Innocentiū. Greg. 7 Moral. c. 4.

legis promulgationem, dicitur. n. ibi: *Cum aperuisset sigillum quintum, vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, & clamabant: Vsquequo,* &c. In primo autem sigillo significatum est equo albo lætum faustumque Christi in Ecclesia regnum. Cum autem ab Athanasio dicitur: *Ad Christi aduentum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis,* significauit omnes resumptis corporibus rediuiuos ad Christi iudicis tribunal sistere se debere; siue antea corpora desumpserint, siue tunc. Subdit enim Athanasius: *Et reddituri sunt de factis propriis rationem:* quam rationem, quamuis multò antea particulari iudicio reddidissent; tunc manifestè reddituri sunt; similiter quamuis aliqui antea resurrexerint, tunc manifestè se rediuiuos in propriis corporibus ostensuri sunt: quod infra melius explicabitur, cum de Iobi resurrectione agemus. Cum autem Apostolus ait: *Omnes resurgemus,* id affirmat de mortuis, non autem de Sanctis iis, qui tunc non mortui, sed multò antea rediuiui fuerunt. Ratio autem cur Sancti aliqui ex generali resurrectione iudicii die expectanda excipiendi sint, iam supra allata est. Vltimò cum Bernardus ait electorum beatitudinem consummari, & compleri sine reassumpta carne non posse, necessariò explicari debet de beatitudinis complemento accidentali; cum perfecta, & consummata beatitudo in clara Dei visione consistat, ad quam caro non exigitur.

962. Obiicitur 5. Iob cum Domino ad immortalem vitam non resurrexit: ergo neque alii Sancti; quibus non videtur magis, quã Iobo tale ante iudicii diem resurrectionis priuilegiũ concedendũ. Quòd Iob cum Domino nõ resurrexerit, patet ex eius verbis, quibus de Domini resurrectione tanquã præsenti cum propheticè locutus esset; de sua resurrectione, vt in nouissimo die futura loquitur dicens: *Scio quòd Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum; & rursum circũdabor pelle mea.* Respondetur huius obiectionis negari posse tam antecedens, quàm consequentiã. Nam responderi posset ex sententia relata à Chrys. quã sequitur Eugubinus ibi, Iob se de terra surrecturũ dixisse, id est è sterquilinio, in quo iacebat, erigendum; & à malis, quibus cruciabatur, liberandum. Addidit Iob: *Rursum circumdabor pelle mea,* hoc est, postquam me Deus morbo exoluerit, & liberauerit, iterum pellem sanie corruptam innouabit. Sed quoniam iuxta communem Patrum sententiam ibi de resurrectione à morte Iob loquitur,

Iob.19.26.

963. Dico 1. Iob cum Domino resurrexisse; legitur. n. Iob c. vlt. iuxta Septuag. & Theodotionem: *Mortuus est Iob senior, & plenus dierum: scriptum est autẽ ipsum rursus resurrecturũ cum quibus se resuscitat Dominus.* Idem confirmat S. Clemens Rom. constit. l. 5. c. 8. dicens: *Nouissimus, & patientissimus Iob. de quo Scriptura ait, quòd scriptum est eum resurrecturum cum iis, quos Dominus suscitabit,* &c. Quibus verbis Turrianus Iobi cũ Domino resurgente resurrectionem significari docet. Dices Iob se surrecturum in nouissimo die dixit: ergo vltimo iudicii die. Respõderi posset in Hebræo textu non legi diem, sed tantùm nouissimũ. Quare Vatablus, Eugubinus, & Caietanus legunt *Scio, quòd ego nouissimus surrecturus sum.* Qua posita lectione non quando, sed quomodo surrecturus sit, omnino scilicet innouatus, Iob ait. Sed melius, & conformius vulgatæ lectioni ex Hebræo legitur: *Scio, quòd nouissimum surrecturus sum;* vbi nouissimum vel accipitur aduerbialiter pro nouissimè, sicut dicitur æternum pro æternè; vel sub intelligitur tẽpus. Hac autem posita meliori lectione dico nouissimum diem, hoc est nouissimum tempus ibi non significare mundi finem, & nouissimum iudicii diem; sed significare Mosaïcæ legis finẽ, & Euangelicæ legis tempus; humanæq; redemptionis, & salutis per Christi mortem, & resurrectionem vltimum complementum. Quarę optimè Pineda explicans citatum Iobi locum ait: *Nouissimum tempus aut nouissimus dies, non semper est dies extremi iudicij; sed finis nouissimus alicuius status, & temporis; quo nomine sæpe significatur tempus Legis gratiæ, & Christi Iesu patientis, qui fuit finis præcedentis status, & quasi complementum temporis, quod Paulus ad Galat. 4. vocat plenitudinem temporis; & 1. ad Cor. 10. Fines sæculorum; & Ioann. epist. 1. c. 2. v. 18 Horam nouissimam: & Paulus iterum ad Hebræos c. 1. Nouissimè: videlicet extremus mundi status, post quem non alius status, non alia lex expectatur: nam lex gratiæ, & Euangelij est vltima.* Præterea, ait Suarius, *etiam si demus loqui Iob de die iudicij [vt videtur magis consentaneum contextui] tamen directè solùm dicere intendit in nouissimo die se esse victurum, & habiturum corpus; quia hoc erat illi certum, ac firma fide credendum. An verò tunc primo esset suscitandus, vel fortasse prius & aliquo priuilegio, hoc non videtur voluisse affirmare, vel negare. Quia neque ad rem, quam tractabat, pertinebat: neque videtur necessarium, vt de hac re specialem reuelationem habuerit, sine qua nihil de tali priuilegio dicere potuisset.* Sed contra est, quia ille modus dicendi: *In nouissimo die de terra surrecturus sum,* non solùm significat se in nouissimo die in corpore victurum; sed tunc primo surrecturum: surgere. n. è terra initium viuendi in corpore prius in terra iacente significat. Melius dicamus ex Scripturæ regula tradita à Thoma prima part. quæst. 14. art. 3. & tertia part. quæst. 13. art. 2. ad primum, & q. 14 art. 1. ad tertium, vsitatum esse in Scriptura, vt res tunc fieri dicatur, cum hominibus innotescit. Quod S. Thomas probat ex Domini verbis Matthæi vltimo: *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra:* quia talis Christo data potestas maximè innotuit; cum post eius resurrectionem potestatem habuerit: tamen etiam antea, Domino Ioannis 13. *Sciens,* dicitur enim de eo, *quòd omnia dedit ei Pater in manus.* Ex eadem regula dicitur Apoc. 5. *Dignus est Agnus, qui occisus est accipere diuinitatem.* Similiter Iob quamuis antea resurrexisset, dicere potuit: *In nouissimo,* scilicet iudicii *die de terra surrecturus sum;* quia tunc eius resurrectio omnibus innotescet. Simili modo explicari possunt supra citata Athanasij verba: *Ad cuius aduentum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis:* & illa Apostoli: *Omnes resurgemus;* scilicet vel tunc primò, vel tunc manifestatiuè.

Iob cum Domino resurrexit.

Suar. 3. p. q. 53 art. 3.

Fieri aliquid interdum dicitur, cum primò innotescit.

964. Rursus contra Iobi, cum Domino resurrectionem etiam videtur esse, quòd Iobi monumentum prope Ierosolymam non fuerit; monumenta autem prope Ierosolymam aperta fuisse videntur, & ex iis Sanctorum resurgentium corpora prodiisse; & in sanctam ciuitatem Ierosolymam venisse. Huic obiectioni bene ibidem Pineda respondet. *Ab Euangelista dici monumenta fuisse multorum Sanctorum, qui obierant; neque signasse eos, qui prope, saltem fuissent tumulati: nam sicut Di-*

uinitatis Christi patientis idonei fuerunt testes, non solùm petræ, quæ scissæ sunt Ierosolymis, sed etiam apud regiones alias, vt terræmotus Bythiniæ, &c. *Sicut quoque Iesum patientem testatæ sunt tenebræ non solùm Iudæa; sed vt obscurato sole fieri oportebat, etiam vniuerso terrarum orbi offusæ: ita sanè ex alijs terræ partibus, & regionibus etiam longè dissitis, adesse oportuit testes diuinæ resurrectionis, vt perfidia Ierosolymitanorum multis testibus reuinceretur. Tandem illud scrupulum facit, quòd resurgentes cum Christo venerunt in sanctam ciuitatem; Videlicet, quòd sepulchra erant extra, sed prope vrbem. Sed nunquid lassitudine viæ deterrerentur, & fatigarentur, qui immortali vita potiebantur, & venire etiam ex regione longinqua opportunè non possent?* Neque enim dici potest animas iam beatas passibilibus corporibus fuisse vnitas, vt supra ostendimus. Præter quam quod etiam in tali statu beatæ animæ agilitatis ope in assumptis corporibus è longinquo Ierosolymam transferre se facilè poterant.

965. Dico secundò etiam si Iob cum Domino non resurrexerit, non proinde sequi Sanctos aliquos cum Domino non surrexisse: nam hæc extraordinaria priuilegia non semper dantur propter maiorem sanctitatem; sed vel tantùm iuxta beneplacitum diuinæ voluntatis; vel etiam propter speciales aliquas rationes Deo notas. Quare neque Domini præcursor, quamuis sanctissimus fuerit, cum Domino resurrexit: cum eius caput in templo sancti Syluestri Romæ asseruetur: *Dicta est ea Ecclesia [vt habet Martinus Polonus] S. Syluester ad caput, ob reconditum in ea caput Præcursoris Domini*, ait Baronius in martyrologio 31. decemb. De reuelatione capitis S. Ioan. Baptistæ legitur tractatus, S. Cypriani operibus insertus.

S. Ioannes Baptista cū Domino nō resurrexit.

966. Obiicitur sextò. Si Sancti cum Domino resurgentes ad immortalem vitam resurrexissent; cum Domino etiam in cœlum ascendissent: idque sanctus Lucas narrasset, tum ad Christi triumphalis ascensus gloriam ostendendam; tum ad nostram fidem, spemque firmandam. Huic obiectioni bene respondet Suarius *Lucam narrasse solùm sensibilem ascensum Domini, & eas circumstantias, quæ oculis cerni poterant: de alijs autem cum Domino ascendentibus narrare omisisse; eo quòd eorum ascensus à discipulis visus non fuerit; sicut quia neque eisdem discipulis sanctarum animarum, Angelorumque comitatus apparuit, de illis etiam Lucas non meminit.*

Suarius 3. p. q. 53. art. 3.

967. Obiicitur septimò: in reuelationibus S. Brigittæ lib. 6. cap. 94. legitur B. Virgo dixisse: *Multi in Ierusalem sancti mortui resurrexerunt, quos vidimus; quorum animæ ascenderunt cum filio meo; sed corpora expectant cum alijs iudicium, & resurrectionem.* Respondetur propter rationem, & Patrum auctoritates supra allatas, Sanctorum illorum animas expectare cum aliis iudicium, & resurrectionem, non vt corpora assumant; sed vt suorum corporum gloriam vnà cum electis aliis in iudicio resurgentibus manifestent. Dices: Hoc sensu non solùm corpora, sed etiam Beatorum animæ dici possent expectare iudicii diem. Respondeo essentialem animarum gloriam non fortè omnibus etiam præscitis intuitiuè manifestam: cum è contrario Sanctorum corporum pulchritudo, & claritas ab ipsis præscitis videnda sit ad eorum cruciatum augendum.

968. Obiicitur octauò, In iisdem reuelationibus S. Brigittæ l. 7. cap. 26. dixisse B. Virgo legitur: *Scias, quòd nullum corpus humanum in cœlo; nisi corpus gloriosum filij mei, & corpus meum.* Respondeo eodem capite Beata Virgo duo alia, quæ sequuntur, dixisse legitur: *Ego postquam filius meus ascendit ad cœlos, vixi in mundo per quindecim annos: & mortua iacui in sepulchro per quindecim dies.* Vbi, sicut hæc duo non sunt admittenda; ita neque illud primum. In sepulchro enim Beata Virgo triduum tantùm iacuit, vt habetur ex Damasceno orat. 2. de dormitione Deiparæ, vbi ait: *Eius corpus, quod Deum ineffabili quadam ratione suscepit, cum Angelica, & Apostolica hymnodia elatum in loculo fuit depositum Gethsemani. Quo in loco Angelorum cantus mansit tres dies continuos. Post tres autem dies Angelorum cantu cessante, qui aderant Apostoli tumulum aperuerunt; sed omni ex parte sacrum eius corpus nequaquam inuenire potuerunt.* Idem confirmatur ex Nicephoro lib. 2. hist. cap. 23. apud quem Iuuenalis Ierosolymorum Episcopus dixit, *totum triduum Apostolos ad monumentum diuinorum hymnorum carmina audientes perseuerasse. Accidit autem rursum, vt Thomas ab eis abesset; videlicet, vt nota, perspectaque Diuæ genitricis fieret assumptio; itidem, vt antea filij eius, pro eo atque decebat post diem tertium resurrectio. Ingenti afficiebatur dolore, neque quieto animo esse poterat Thomas, quippe qui tanti boni non fuisset particeps. Sacer autem ille chorus iniquum esse iudicans, si ille quoque diuinum Virginis matris corpus non spectaret, atque complecteretur, aperiri monumentum iubet. Quod quidem vbi ita est factum, desideratum illud corpus non comparuit: sepulchralia tantùm lintea rite composita loco suo manebant.* Præterea quod citato reuelationum S. Brigittæ loco dicebatur, post Christi mortem quindecim tantùm annos B. Virginem superuixisse, neque est admittendum, cum B. Virgo ætatis anno septuagesimo secundo ex hac vita discesserit, vt plurium auctoritate probat Suarius 3. p. tomo 2. disp. 21. sect. 1. Præterea vt colligitur ex Actis Apostolorum post decimum octauum annum à Christi morte S. Paulus Athenas venit, ibique ad fidem S. Dionysium conuertit: & consequenter si quinto decimo anno à Christi morte B. Virgo obiisset, S. Dionysius ipsius Virginis funeri non adfuisset: cum tamen Deiparæ morti cum Apostolis se præsentem fuisse testetur cap. 3. de diuinis nominibus. Ex dictis suspicari possum, citatum locum S. Brigittæ reuelationum fuisse deprauatum.

B. Virgo tertio post mortem die resurrexit.

B. Virgo septuagesimo secundo suæ ætatis anno mortua est.

969. Obiectio vltima sic proponitur à S. Thoma 3. p. q. 53. art. 3. Inter alia miracula, quæ in passione Christi acciderunt, numeratur quòd monumenta aperta sint, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerint. Non ergo Christus fuit primus resurgentium: contra id quod dicitur 1. ad Corinth. c. 15. 20. *Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientium:* quia, vt Glossa ait, *prius tempore, & dignitate surrexit.* Respondetur Christum dici *primitias dormientium*, & Apoc. 1. 5. *Primogenitum mortuorum*; quia nemo ante Christum ad vitam immortalem resurrexit: & ii ipsi Sancti, qui cum Christo resurrexerunt dependenter à Christo, tanquam à meritoria, & exemplari causa resurrectionem consecuti sunt; ideoque prior naturâ Christi tanquam causæ resurrectio fuit. Dices frugum, fructuumque primitiæ esse di-

Christi ante resurrectionem nemo ad vitam immortalem resurrexit.

cuntur, quæ prius tempore nascuntur: & primogenitus dicitur, qui prius tempore nascitur. Ergo similiter Christus, quòd prius tempore resurrexerit, *Primitiæ dormientium, & Primogenitus mortuorum* dicitur. Respondeo fruges, fructusque dici primitias; & inter fratres dici primogenitum non aliunde, quàm temporis prioritate: cum in his prioritas causalitatis, & naturæ respectu aliorum non sit: quæ si foret, possent utique ex tali capite etiam Primatus titulum, & prærogatiuam habere. Quare quãuis iuxta probabilem Philosophorum opinionem potuisset esse creatura ab æterno, adhuc ea data Christus ab Apostolo ad Colos. 1. 15. Christus dici potuit *Primogenitus omnis creaturæ*; idque propter rationem ibi additam: *Quoniam in ipso*, hoc est per ipsum, *condita sunt uniuersa*. Propterea, quia de Christo ibidem dicitur: *Ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est Principium*; bene deinde subditur: *Primogenitus ex mortuis.*

Qui fuerint hi Sancti, qui cum Christo resurrexerunt.

970. INter hos Sanctos fuisse Adam dicitur docere August. quæst. 161. in Genesim. Sed id ibi non habetur. Idem Augustinus de Adæ anima tantùm epist. 99. ad Euodium ait: *De illo primo homine patre generis humani, quòd Christus cum descendit ad inferos, inde eum liberauit, Ecclesia fere tota consentit: quod eam non inaniter credidisse credendum est, undecunque hoc traditum sit; etiam si canonicarum Scripturarum hîc expressa non proferatur auctoritas.* Adamum tamen cum corpore resurrexisse docent Origenes tract. 35. in Matthæum, S. Athanasius orat. de passione, & S. Macarius hom. 11. Quare temerarium est negare Adamum peccati pœnitentia salutem consecutum non esse; quamuis contrarium senserit Rupertus in Gen. cap. 31. cui sententiæ subscripserunt Tacianus, Saturninus, Seuerus, Marcion, Valentinus hæretici, ut refert Epiphanius hæresi 46. Contra quorum errorem præter communem Patrum sententiam, quos citat Pererius l. 7. in Genes. sunt Sapientiæ verba c. 10. *Hæc*, scilicet diuina sapientia *illum, qui primus formatus est à Deo pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodiuit, & eduxit illum de delicto suo.* Sic enim legendum est; & reiicienda alia lectio: *Et eduxit illum de limo terræ.* Vide quæ diximus Fer. 5. post Domin. 4. Quadrag. in illa verba: *Tibi dico, Surge.*

Adam cum Christo resurrexit.

971. Cùm Adamo surrexisse etiam Euam affirmat Brugẽsis, negat Lorinus in Acta Apost. cap. 2. Neque Euam, neque fœminam ullam cum Domino surrexisse probari posset primò, quia ab Euangelista dicuntur multa corpora Sanctorum, non autem Sanctarum surrexisse. Sed hæc ratio est inefficax. Nam quamuis Apoc. 14. 4. dicatur: *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum quocunque ierit*; S. Cyprianus ait: *Neque tantùm masculis continentiæ gratiam Dominus repromittit, & fœminas præterit. Sed quoniam fœmina viri portio est, atque ex eo sumpta, atque formata est, in Scripturis ferè omnibus ad Protoplastum Deus loquitur; & in masculo simul significatur & fœmina.* Quæ Cypriani regula nisi admitteretur posset aliquis contendere neque saluari, neque damnari fœminas; cum cœlestis

S. Cyprian. de disciplina, & habitu virginũ.

Viris quod dicitur, fœminis etiam dictum intelligi interdum debet.

A iudex Iudicii die dicturus sit: *Venite benedicti, &c. Discedite à me maledicti, &c.* Probat secundò Lorinus neque Euam, neque fœminam ullam cum Domino resurrexisse: quia *fœmineus sexus minus testificando idoneus est*: resurgentes autem cũ Domino eius resurrectionis testes esse debebant. Sed contra est, quia cum *venisset Maria Magdalene, & altera Maria videre sepulchrum*, eas Angelus ad nunciandam Discipulis Domini resurrectionem misit dicens: *Citò euntes dicite Discipulis eius, quia surrexit.* Idemque eis ipse Dominus dixit: *Ite, nunciate fratribus meis, ut eant in Galilæam, ibi me videbunt.* Probat tertiò suam sententiam Lorinus, *quia non*
B *decebat fœminam aliam primogenitam esse ex mortuis ante Deiparam; sicut fuit Christus inter viros.* Quæ ratio confirmari potest ex Augustino de symbolo ad Catechumenos l. 3. c. 4. ubi ait, *Per fœminam mors, per fœminam vita, per Euam, interitus, per Mariam salus. Hæc gratiâ cœlesti desuper infusa vitam protulit, per quam caro mortua possit resuscitari.* Cùm ergo Deipara vitam protulerit ex qua caro mortua resuscitari potest; ipsius Deiparæ virginea caro mortua, ante fœminas alias ad immortalem vitam resuscitari debuit.

Matth. 25.

Nec Eua, nec ulla alia fœmina cũ Domino resurrexit.

Matth. 28

972. Sanctos alios cum Domino resurgentes, ex Patrum, quos citat sententia, refert Pineda supra citatus: & inter eos numerat Iacob, ad-
C ditque rationem: *Nam propterea tantopere videtur curasse suorum ossium translationem ex Ægypto ad terram promissam; ut Christo olim resurgenti comes, & anteambulo opportunè adesset.* Sed contra hanc rationem sunt ipsius Pinedæ verba, qui reprobans sententiam dicentium Sanctos tantùm, quorum monumenta prope Ierosolymam erant, surrexisse, & Ierosolymam venisse, ait: *Numquid lassitudine via deterrerentur, & fatigarentur, qui immortali vita potiebantur, & venire etiam ex regione longinqua opportunè non possent?*

Sancti, qui cum Domino resurrexerunt, quinam fuerint ibic, & seq.

Gen. 47.

973. Sanctos, qui cum Domino surrexerunt, fuisse eos, qui non multò ante obierant, ideoque testes magis noti esse poterant, censet Epipha-
D nius in Ancorato. Sed quicunque hi Sancti fuerint, ex his aliquos Principibus Sacerdotum apparuisse censet Dionysius. Quibus verbis eorum perfidiam, impietatem, sæuitiemque incusauerint explicare quis satis potest? Quia Dominus iniquis Sacerdotibus, & Pharisæis dixerat: *Similes estis sepulchris dealbatis, quæ intus plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia*: quia de eisdem David dixerat: *Sepulchrum patens est guttur eorum; linguis suis dolosè agebant*: ut huiusmodi animata fœda, & fœtida sepulchra resipiscerent, ad ea Dominus rediuiuos mortuos misit. Cum ex animatis sepulchris peccatores, ut ad supernaturalem gratiæ vitam reuiuiscant,
E Deus vocat, iique Deo dicunt: *Iniquitates nostræ, & peccata nostra super nos sunt; & in ipsis nos tabescimus. Quomodo ergo viuere poterimus?* Misericors Deus respondet: *Nolo mortem impii. Conuertimini, conuertimini à viis pessimis: quare moriemini? Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris.*

Sancti aliqui, qui cũ Domino resurrexerũt, Principibus Sacerdotũ apparuerũt.

Matt. 23. 27

Ps. 5. 11.
Ps. 13. 4.

Ezech. 33. 10. & 37. 1

Centurio autem, & qui cum eo erant custodientes Iesum, viso terræmotu, & his, quæ fiebant, timuerunt valde dicentes: vere filius Dei erat iste.

974. Contra sententiam Baronii, & aliorum asserentium Centurionem hunc fuisse Longinum, eique Christi custodiam à Pilato fuisse commissam, primò est, quia Longinus lancea Domini latus perforauit, vt infra dicetur; quam certe sæuitiam in exanimi Domini corpore Centurio non exercuisset; cum visis prodigiis de Domino dixisset, *Vere filius Dei erat iste.* De Domini autem latere inflicto vulnere Chrysostomus ait: *Ad conciliandam Iudæorum gratiam latus eius aperuerunt, & mortuo adhuc insultant. O pessimam & sceleratissimam voluntatem.*

Centurio Domini passioni præsens Longinus non fuit hic, & sequ.

975. Dices non ante, sed post inflictum Domino vulnus Centurionem resipuisse, & fide illuminatum exclamasse. *Vere filius Dei erat iste.* Sed contra est, quia hæc resipiscentia, & fidei illuminatio fuit in Centurione, vt refert Matthæus *viso terræ motu, & his, quæ fiebant,* scilicet solis obscuratione, lapidum scissione, & monumentorum reseratione: at inflictum Domino lanceæ vulnus fuit postea, transacto non modico temporis spatio; nempe postquam reuersi Ierosolymam Iudæi *rogauerunt Pilatum, vt frangerentur eorum, qui crucifixi erant, crura, & tollerentur;* & postquam *ad Iesum cum venissent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura,* vt refert Ioannes. Potuit autem Centurio videre reserata monumenta, saltem Adami sepulchrum; qui iuxta Origenem, Tertullianum, Athanasium, Epiphanium, Cyrillum, Augustinum, & alios in Caluariæ monte sepultus est, vt diximus ser. 5. Dom. 4. Quadrag. in illa verba: *Tibi dico surge.* Potuit etiam videre Centurio lapidum scissionem; nam teste Adrichomio *In petroso Caluariæ monte conspici etiamnum potest illa, quæ sub manu Christi læua, & à sinistris pendentis latronis in cruce, in morte Christi facta est scissura.* Secundò, quòd Centurio Longinus, qui Domini latus aperuit, non fuerit, patet, quia de Longino tanquam de gregario milite Ioannes ait: *Vnus militum lancea latus eius aperuit:* quo loquendi modo de Centurione militum duce Ioannes locutus non esset. Tertiò idem probatur, quia ex Nazianzeno de Christo patiente habetur Longinum cæcum fuisse, & post Christi lateri inflictum vulnus fuisse illuminatum. Ad Christi autem, ante, & post crucifixionem, custodiam cæcus, aut cæcutiens custos delectus fuisse probabiliter non videtur: sed si Argum habere potuisset, illum sollicita Iudæorum rabies ad Dominum custodiendum adhibuisset; cum populi tumultum, & Domini potentiam, qui eorum insidias sæpe euaserat, vehementer timerent. Hæc probatio, an valida sit, dependet ex sententia de Longini cæcitate, de qua infra.

Ioan. 19. 31.

Adam in Caluariæ monte sepultus.

Adrichom. in descript. Ierusalem n. 252.

Ioan. 19.

976. Alii Centurionem Christum, vt naturalem Dei filium cognouisse asserunt; alii verò tantùm virum iustum, & sanctum; & vt talem filium Dei appellasse, & credidisse censent. Hæc posterior sententia, quam sequitur Augustinus, est probabilior. Si enim prior sententia vera esset, apud Lucam Centurio non dixisset: *Vere hic homo iustus erat.* Præterea non solùm Centurio, sed alii, qui cum eo erant, dixerunt; *Vere filius Dei erat iste.* Si ergo hi omnes Christum naturalem Dei filium esse cognouissent, ex tam eximia illuminatione, præter oris confessionem, aliquis alius operis effectus prouenire debuisset. Cur enim in terram prostrati non eum supplices, veniamque precantes adorarunt? Cur non eum statim è cruce deposuerunt; vel saltem ad Pilatum non aduolarunt, vt sicut Iosepho; ita etiam ipsis Dominum è cruce deponere liceret. Præterea cognito Christo, vt naturali Dei filio, cur ad eius sanctissimam, mœstissimamque matrem solandam; & adorandam non illico festinarunt? *Nescit tarda molimina sancti Spiritus gratia,* ait Ambrosius. Denique si Christum, vt naturalem Dei filium Centurio, eiusque milites crediderunt, cur contra sacrilegum militem in Domini latus lanceam vibrantem vnanimi zelo, & impetu non irruerunt?

Centurio an Christū, vt naturalē Dei filium cognouerit. Augus. l. 3 de consensu Euang. Luca 23.

Ambros lib. 2. in Lucā.

977. Præter Centurionis, eiusque militum confessionem de Christi innocentia, & sanctitate, addit Lucas: *Omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum illud, & videbant, quæ fiebant, percutientes pectora sua reuertebantur.* Cum hæc turba ob illatam Christo Domino acerbissimam mortem doloris, pœnitentiæque sensu commoueretur, tunc non solùm terra mota est elementaris, sed etiam animata terra, i. e. nempe hominum turba, ait Dionysius. Paulus Palatius ex reuelatione S. Brigittæ refert, cum Christus expirauit, omnes homines, qui vbique terrarum erant, repentino quodam timore, & horrore fuisse perculsos, talis tamen effectus causam ignorantes. *Percutientes pectora sua.* Diuini diuinæ misericordiæ instinctus hominum pectora benignè ad salutem percutiebat; humana sæuities ad crudelitatem explendam Domini pectus lancea perforabat.

Luc. c. 23. 48

Dionysius in Psal. 17. Palatius in Matth. Christo expirante vbique terrarum homines repentinus horror fuit perculsi.

Iudæi ergo [quoniam Parasceue erat] vt non remanerent in cruce corpora Sabbato [erat enim magnus dies ille Sabbati] rogauerunt Pilatum, vt frangerentur eorum crura, & tollerentur. Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus est cum eo.

Ioannes c. 19. 31.

978. *Quoniam Parasceue erat.* Sexta hebdomadæ dies, appellabatur à Iudæis præparatio; hoc enim Parasceue Græcè significat. Tale autem nomen sextæ diei tribuebatur, quia ea die præparabantur necessaria ad sabbatum; cum de sabbati die præceptum esset Exodi 35. *Sex diebus facietis opus, septimus dies erit vobis sanctus, sabbatum, & requies Domini: qui fecerit opus in eo occidetur. Non succendetis ignem in omnibus habitaculis vestris per diem sabbati.*

Parasceue quid significet & quisnam dies esset.

979. *Vt non remanerent in cruce corpora sabbato, rogauerunt Pilatum, vt frangerentur eorum crura, & tollerentur.* Ad accelerandam corporum è cruce depositionem poterant Iudæi moueri ex obseruatione mandati, quod habetur Deuter. 21. 22. *Quando peccauerit homo quod morte plectendum est, & adiudicatus morti appensus fuerit in patibulo, non permanebit cadauer eius in ligno, sed in eodem die sepelietur.* Nihilominus huius mandati omissa mentione, peculiarem, & efficaciorem causam afferre Pilato Gentili Iudæi putarunt; ne scilicet sabbati, & Paschatis festiuitatem pendentium in cruce cadauerum spectaculum funestaret. *Erat enim magnus dies ille sabbati.* Reddit rationem Rupertus, quia

Paschale

Paschale sabbatum erat. Etenim cum octo diebus Pascha celebraretur, omnium dierum maximus, & maximè festiuus sabbati dies habebatur. Idcirco Iudæi petierunt, vt corpora tollerentur; ne tantus dies talis horrore spectaculi fœdaretur. Sed Iudæorum sabbatis, quæ ipsi pendente in cruce Christo funestati existimarunt, abolitis Christiana solemnia successerunt, quæ Domini in cruce affixi imagine piissimè cohonestantur. Cæterùm bonus latro nunquam ad feliciorem terminum velocius iter, quàm fractis cruribus, iniit.

Ad Iesum autem cum venissent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura.

Origenes l. 2. contra Celsum.

980. CRurum fractionem morte præueniens Dominus significauit se sponte animam à corpore separare; ait Origenes. Si enim Dominus in crurifragio mortuus esset, illius mors non liberè moriendi potestati, sed vltimo illi acerbissimo cruciatui tribui posse videbatur. Cumque iuxta Hieronymum, Chrysostomum, & alios, vt ostenderet Dominus se liberè mori, clamans voce magna emiserit spiritum: si clamor in crurifragio accidisset, similiter clamorem illum dolori, non moriendi libertati Iudæi tribuissent.

Crurifragiū cur Dominus subire noluerit: hîc, & seq.

Lactantius lib. 4. c. 26.

981. *Non fregerunt eius crura.* Reddit rationem Lactantius primò, quia *sic integrum corpus patibulo detractū est, & sepulchro diligenter inclusum; ne diminutum ad resurgendum inhabile redderetur.* Hæc ratio planè inanis est; adhuc enim confracta ossa resurgens Dominus statim integra consolidare diuinitus potuisset; sicut ab eo in carne lacera, & in transfixo latere factum est. Secundò melius Origenes id ad significatum refert dicens: *Integrum corpus manere voluit significans ciiò resurrecturum.* Tertiò crurifragium Dominus subire noluit, vt significaret alios cruciatus vitari etiam potuisse; sicut crurifragium vitauit: quod quidem se non subiturum multò antea sub paschalis agni figura indicauerat dicens: *Nec os illius confringetis,* Exodi 12. 46. Sed si Domini ossa integra seruata sunt, cur ipse Dominus Psalmo 21. 15. dixit: *Dispersa sunt omnia ossa mea?* Respondet Augustinus ossium nomine intelligi Apostolos: *Ossa sua firmos suos dicit: ossa enim firma sunt in corpore. Quando dispersit ossa sua? Quando dixit illis: Ecce ego mitto vos, velut agnos in medio luporum.* Similiter Euthymius ait: *Per Christi ossa Apostolos intelligimus, veluti firmantes, & continentes reliqua Ecclesiæ Christi membra. Omnes enim tunc eo relicto aufugerunt; vt per Zachariam Prophetam fuerat etiam prædictum: Percutiam pastorem, & dispergentur oues.* Sed Augustini, & Euthymii interpretatio mystica est. Si autem ad literam citata verba de ipsis Domini ossibus intelligamus, ea non confracta, & contrita, sed dispersa fuisse dicuntur, idest separata, vt ibi legit Hieronymus, & disiuncta. Quod quidem præcipue accidit, cum confixa Domini dextera sæui carnifices ad crucis foramen distans funibus tractantes eius sinistram confixerunt, vt supra ex reuelatione S. Brigittæ dictum est. Accessit præterea ad Domini ossa distrahenda pensilis corporis onus, & viscosi humoris ossa conglutinantis dissipatio, & effusio, vt propterea ibidem antea Dominus dixerit: *Aruit tanquam testa virtus mea.* Ex hac ossium

Origenes supra.

Christi ossa integra in passione seruata.

Ossa mysticè Apostolos significant.

Matt. c. 10.

Matth. 27. 31. & 56. Zachar. 13. 7

Reuelat. S. Brigittæ l. 7. c. 15.

A luxatione bene Dominus dicere potuit: *Diminuerunt omnia ossa mea,* scilicet *Nudum me crucifigentes, atque in cruce extendentes, ita vt ossium meorum compagines à quocunque numerari possent,* vt interpretatur Euthymius.

Sed vnus militum lancea latus eius aperuit.

982. HVnc militem non fuisse sub Centurionis regimine, & ex iis, qui cum Centurione Dominum Dei filium confessi erant, indicat S. Bonauentura dicens: *Ecce armati multi veniebant de ciuitate, qui mittebantur, vt crucifixis crura frangerent, & occiderent.* De hoc milite apud B Nazianzenum in carmine de Christo patiente Deipara sic dicens inducitur.

S. Bonauentura in meditationibus vitæ Christi c. 80.

Miles Christum lancea configens, sub Centurione, qui Christum, vt Dei filiū confessus est, nō erat.

Ipse sacrum, qui latus fixit, pauens,
Horrensque fato nescio quo, filium
Vere Dei istum mortuum voce edita
Clamauit: & iam cernere hunc licet gradum,
Vt celerat ipse; & ante lignum procidit;
Premitque terram victus hoc spectaculo;
Pectusque tundit, & solum ipsum amplectitur;
Vbi fixit hastam destuentis sanguinis
Tinctam liquore. Et ecce, vt vtraque è manu
Hausit, oculosque hoc vngit; hinc vt scilicet
Detergat oculum, noctē quem cæca obtegit.

Hinc orta est sententia dicentium hunc militem antea fuisse cæcum, & post inflictum vulnus C pœnitentem, Christi è latere defluente sanguine oculis adhibito visum recuperasse; & propterea de eo iam illuminato Ioannem dixisse: *Qui vidit, testimonium perhibuit.* Sed contra hanc sententiam bene arguit Suarius: *Non loquitur Ioannes illis verbis de alia persona à se distincta, vt videntur intellexisse, qui finxerunt eum, qui Christum percussit, fuisse cæcum, atque illo liquore, qui de latere Christi exiuit visum recuperasse; atque ita de illo scriptum esse: Vidit, & testimonium perhibuit: hoc enim apocryphum est. Neque vllo modo verisimile est militem illum, qui Christum percussit, fuisse cæcum. Qualis enim esse potest cæcus miles?* Præterea dato, quòd miles ille cæcus fuerit, visum recepisse dicitur D postquam sanguine, & aqua è Domini latere fluente oculos inunxit: ergo antea cum sanguis, & aqua è Domini latere manauit, non videbat; & consequenter de eo dici non poterit: *Qui vidit testimonium perhibuit.* Ad allatum ex Nazianzeno testimonium respondetur cū Bellarmino: *Tragœdia Christus patiens non videtur habere grauitatem solitam Nazianzeni; præsertim cum describitur eiulatus matris Christi, quæ prudentissima, & constantissima erat.* Præterea in allato carmine inducitur Beata Virgo de milite illo dicens: *Nescio quo fato filium Dei clamauit:* at B. Virgo fidei illuminatione illum credidisse dicere debuisset; non autem, *nescio quo fato.* E Addit de milite illo supra citatus Suarius. *Neque constat appellatum esse Longinum: sed potius fertur Centurionem, qui exclamauit: Verè filius Dei erat iste, fuisse Longinum, qui postea martyr fuit.* Sed hanc sententiam supra improbauimus, cum de Centurione egimus: & contra eamdem infra etiam dicetur in illa verba: *Exiuit sanguis, & aqua.*

Ioan 19. 35.

Miles, qui lancea Christi latus aperuit, cæcus non erat.

Suarius 3. p. Disp. 41. sect. 1.

Bellarmin. de scriptor. Ecclesiast.

Tragœdia Christi patientis Nazianzeno non est tribuenda.

983. Cum lancea Domini latus apertum dicatur, videtur lanceæ vulnus in sinistra Domini parte fuisse inflictum: latus enim pro sinistra ponitur, vt patet ex Psal. 90. vbi dicitur: *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis.* Sed contra est, quia licet ibi latus pro sinistra

Christus an in sinistro, an dextero latere transfixus lancea fuerit: hîc, & seq.

accipiendum sit, eo quòd dexteræ opponatur: alibi tamen sæpius latus dexteræ, & sinistræ cōmune non est. Hinc Exodi 25. vtrumque latus Propitiatorii dicitur, & cap. 26. vtrumque latus tabernaculi. Secundò aliqui apud Suarium probant sinistrum Christi latus lancea fuisse transfixum, quia in hoc mysterio impletum est, quod in Adamo, & Eua fuerat præfiguratum: quando Eua de latere Adæ dormientis formata est in figuram Christi, de cuius latere dormientis in cruce formanda erat Ecclesia; vt significauit Paulus ad Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est; Ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* Quare S. Ambrosius reddens rationem, cur in latere Christus vulnerari voluerit ait: *Quia unde culpa, inde gratia; culpa per fœminam; gratia per Dominum nostrum Iesum Christum.* Similiter Ruffinus: *Si quæris, cur non ex alio membro, sed ex latere potius produxisse dicatur aquam, & sanguinē? Videtur mihi in latere per costam mulier indicari: quia fons peccati, & mortis de muliere prima, quæ fuit primi Adæ costa, processit: fons redemptionis, ac vitæ de secundi Adæ costa producitur.* At cum Eua ex Adamo formata sit, *vt vir magis diligeret mulierem*, iuxta S. Thomam, debuit ex sinistro latere formari, in quam partem vergit cor, amoris sedes. Hinc ergo conicere possumus Christum in latere sinistro fuisse vulneratum, vt figuratū figuræ responderet. Sed contra est, quia dextra rectitudinem significat, sinistra verò peruersitatem; ideoque Prouer. 27. dicitur: *Auerte pedem tuum à malo. Vias enim, quæ à dextris sunt nouit Dominus; peruersa verò sunt, quæ à sinistris sunt.* Propterea esto Eua è sinistro Adæ latere prodierit; congruentius Ecclesiam è dextero Christi latere mysticè prodiisse dicendum est. Eua quidem, quia præuaricatrix, virumque ad præuaricandum induxit, peccatique origo fuit, è sinistro latere prodiit: Ecclesia verò, quia rectitudinis regula, & humano generi salutis mater est, è dextero Domini latere congruentius prodire debuit. Porrò necesse non est, vt in omnibus figurato figura respondeat. Æneus enim serpens Christi Domini figura fuit, cum ipse Dominus dixerit Ioan. 3. 14. *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto; ita exaltari oportet filium hominis.* Nihilominus serpens æneus non clauis in cruce confixus est, sed super hasta suspensus; & vbi Num. 21. 8. dicitur: *Fac tibi serpentem, & pone eū pro signo*: ex Hebræo dicitur: *Pone eum super vexillum.* Plus autem Dominus pati voluit, quàm de sua passione præfigurauit.

Suarius 3. p. Disp. 41. sect. 1.

Ambros. lib. 4. de Sacrā. c. 1.

Ruffinus in exposit. symboli.

S. Th. 1. p. q. 92. ar. 2.

984. Tertiò Suarius ait: *Vt indicaretur sūma Christi charitas erga sponsam Ecclesiam, cuius amore vulneratum erat cor eius, iuxta illud: Vulnerasti cor meum; eodem amore vulnerari voluit in ea potissimùm parte corporis, qua eius cor hominibus patere posset.* Confirmat hoc, quod Deipara S. Brigittæ reuelauit l. 4. c. 10. *Aperto latere, & extracta lancea, sanguis in cuspide quasi brunei coloris apparuit, vt ex hoc intelligeretur cor transfixum; quæ punctura cor meum penetrauit.* Responderi tamen potest, quamuis à dextra parte lancea adacta fuerit, eam tamen nō ad cor configendum peruenisse. Cumque vulnus tam latum fuerit, vt postea Thomas manum in illud iniicere potuerit; inde satis reseratus cordis aditus patuit. Præterea talis vulneris latitudo bene colligitur ex signo in sacra sindone relicto, & ex latitudine lanceæ, quæ Romæ in S. Petri templo videtur. Quartò addit Suarius *Si Miles Christum vulnerauit exploraturus, aut*

Suarius supra. Cantic. 4.

Ioan. 20. 27.

A *certè perfecturus mortem eius; verisimile est cor eius voluisse transfigere. Denique si diuina prouidentia hoc permisit, vt mors Christi esset magis testata, & euidens; conueniens etiam fuit, vt in sinistro latere percuteretur.* Huic etiam rationi respondetur sicut supra; scilicet militem tanto impetu lanceam vibrasse, vt ex magno, latoque vsque ad cor inflicto vulnere satis certè de Christi morte constare potuerit.

985. Dicendum ergo probabilius videtur, in dextero Domini latere lanceæ vulnus fuisse inflictum. Ita reuelatum fuit S. Brigittæ l. 7. c. 15. *Vnus accurrens infixit lanceam in latere eius dextero.* Idem colligitur ex sacra sindone. Idem B præterea probari potest ex eo, quòd à dextera Domini parte, vbi bonus latro erat, non autem à parte sinistra, vbi malus latro pendebat; & vbi, vt supra diximus, ex terræ motu, montisque scissura ingens terræ hiatus apertus est, Ioannem cum Deipara cruci adstitisse probabilius dicendum est. Quare ex eadem dextera parte lanceæ vulnus inflictum est, & ex vulnere sanguis, & aqua fluxit: quod Ioannes ex ea parte adstans cum vidisset, dicere bene potuit de se intelligens: *Qui vidit, testimonium perhibuit.* Quod si lanceæ vulnus subire Dominus voluit, vt cordis, amorisque sedis aditum reseraret; versus quos potissimùm reserandus cordis aditus erat, C quàm erga dilectum discipulum, dilectissimamque matrem; cuius tutelæ erat etiam Ecclesia è Dominico latere mysticè prodiens commendanda? Allatæ sententiæ afferuntur plures SS. Patres apud Paleotum de sacra sindone cap. 20. Præterea apud Greiserum lib. 1. de cruce c. 35. & Collium l. 4. de sanguine Christi disp. 6. c. 2. Idem expressè asserit S. Bernardus in Psal. *Qui habitat* ser. 7. & S. Bonauentur. infra citandus.

Christus in dextero latere lancea vulneratur.

986. Dico præterea in dexterū Domini latus lanceæ impetum non fuisse talē, vt eius cuspis ad sinistrum latus perforandū, sicut Prudentius indicat, transierit. Tali enim vtriusque lateri vulneri obstāt antiquæ Christi Domini in cruce affixi imagines, & frequens etiamnum eas pin- D gēdi vsus; in iis enim vnus tantùm vulneris hiatus videtur. Hic autē vsus ex antiqua traditione, & Ecclesiæ consensu prouenieus multum auctoritatis habere debet. Confirmari id posset, quia non quinque, sed sex Christi vulnera ex crucifixione numerarētur. Sed hæc ratio est inefficax: sicut enim ex manus, vel pedis cōfixione in oppositā partem transeunte, non duo, sed vnū vulnus numeratur; ita etiam de transeunte in aduersum latus vulnere dici posset. Dices: Ioannes citās Zachariæ verba de lateris vulnere, ait: *Videbunt, in quem transfixerunt*: transfixio autem significare videtur trans alterum latus lanceam transiisse. Respondeo apud Zachar. legi: *Aspi- E cient ad me, quem confixerunt*, seu ex Hebræo, *quē pupugerunt*, vt legit August. citandus infra. Quod autem Ioan. dicat transfixerunt, transfixio non de altero latere, sed de transfixo corde debet intelligi. Sic Prou. 7. 23. dicitur: *Donec transfigat sagitta iecur eius.* In reuelationib. S. Brigittæ. lib. 1. c. 10. Deipara dixisse legitur: *Vnus affixis lanceam in latus eius tam valide, vt pene per aliud latus transiret.* Non igitur ad transfigendū aliud latus transiit; sed parum abfuit, quin transiret.

Lanceæ impetus ad transfigendum sinistrum Domini latus non peruenit.

Zach. 12. 10

987. De Chananæis Deus Israelitis prædixit: *Qui remāserint, erūt vobis quasi lācea in lateribus.* Propterea Chananæos omnes vel iniiciendos, vel cęde delendos Deus præcepit. *Intrantes terrā Chanaan disperdite cunctos habitatores terræ illius.*

Chananæi Israelitis velut lanceæ in lateribus.

Num. 33. 55.

At Dei filius sub humana carne Iudææ terram ingressus, sibique apud Iudæos latus lancea configendum bene præcognoscens, eos tamen non delere, sed ad pœnitentiam expectans saluare misericorditer concupiuit. Enituit præcipuè diuina misericordia in milite, qui Domini latus transfixit; de eo enim S. Bonauentura ait: *Vnus Longinus nomine tunc impius, & superbus; sed post conuersus, & martyr, & sanctus porrigens lanceam de longe latus Domini dextrum vulnere grandi aperuit.* Miratur Iob, quòd cum homo tam vilis sit, Deus *dignum ducit aperire super huiuscemodi oculos suos.* Quàm multò magis diuina bonitas est admiranda, quòd erga homines non modo oculos, sed latus aperire voluerit. Quærit admirans à Deo Iob: *Quid est homo, quia magnificas eum; aut quid apponis erga eum cor tuum?* Si ingens beneficium est erga hominem cor apponere; quam longè maior beneficentia, & amor est, quod Dei filius erga hominem cor apponens, illudque pro homine transfigi voluerit.

S. Bonauentura in Meditat. vita Christi c. 80. Miles Longinus nomine, qui lancea Dominum vulnerauit, pro Domino martyrium subiit: hic, & num 991. Dei in homines mira benignitas *Iob. 14. 3. Iob. 7.*

988. *Nihil est tam sacrum, quod sacrilegum non inueniat*, Seneca pronunciauit. Cum tam clarè post Christi mortem eius latus lancea confixum esse Ioannes dixisset: *Vt viderunt eum iam mortuum, vnus militum lancea latus eius aperuit:* nihilominus Petrus Ioannes, seu potius Antiioannes hæreticus affirmare ausus est Domino adhuc viuenti fuisse lanceæ vulnus inflictum: propterea apud Ioannem non legendum asseruit: *Vnus militum lancea latus eius aperuit*; sed aperuerat: quasi rationem redderet Euangelista, cur mortuus antea Dominus fuerat: quia vnus militum lancea latus eius confixerat. Hanc Antiioannis hæresim damnauit Clemens quintus cum Concilio Viennensi in Clementina de sum. Trinit. & fide cathol. dicens: *Nos ad tam præclarum Euangelistæ testimonium, & SS. Patrum, ac Doctorum communem sententiam Apostolicæ considerationis faciem conuertentes, sacro approbante Concilio, declaramus prædictum Apostolum, & Euangelistam Ioannem rectum in præmissis factæ rei ordinem tenuisse, narrando, quòd Christo iam mortuo vnus militum lancea latus eius aperuit.* Dices, si Dominus iam mortuus erat, ex inflicto vulnere mereri pro nostra redemptione non poterat; & consequenter tale vulnus post mortem non erat ei infligendum; cum omnis eius passio ad nostram redemptionem directa fuerit. Respondetur Dominum ex præuisione vulneris infligendi, & doloris, quo ex eo sanctissima eius mater afficienda erat, vehementer animo doluisse: acceptando tamen post mortem infligendum vulnus, illudque æterno Patri pro nostra redemptione offerendo mereri omnino potuit. Primo Regum 18. 1. dicitur: *Tenebat Saül lanceam; & misit eam putans, quòd configere posset Dauid cum pariete; & declinauit Dauid à facie eius.* Vbi à Dauide præfiguratum fuisse Dominum, in quem miles lanceam vibrauit, docet Rupertus. Sed Dauid Saulis ictum declinauit; Christus verò lanceæ vulnus sibi infligendum præuidens cum prohibere posset; illud, vt nostra *copiosa foret apud eum redemptio*, voluntariè subiit. *Dauid in figura patiens non confixus euasit; Christus lancea confixus est*, ait Rupertus. Christus Dominus ex infligendo quidem lanceæ vulnere sensit dolorem; cum autem actu vulnus infligeretur, iam exanimis dolorem non sensit:

Christo adhuc viuenti lancea latus apertum fuisse, hæresis damnata

Christus an ex inflicto lanceæ vulnere meruerit.

Dauidis, in quem Saül lanceam coniecit, & Christi Domini comparatio. *Rupertus in lib. Reg. lib. 3. c. 7. Ps. 129.* B. Virgo ad lanceæ vulneris dolorem sentiendum pro Christo

A ad sentiendum tamen tunc etiam dolorem, veluti suæ passionis vicariam sanctissimam suam genitricem substituit; ita vt ea verè dicere potuerit: *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi.* Ideo Bernardus B. Virginem alloquens ait: *Posteaquam emisit spiritum tuus ille Iesus; omnium quidem, sed specialiter tuus, ipsius plane non attigit animam crudelis lancea, quæ ipsius [nec mortuo parcens, cui nocere non posset] aperuit latus; sed tuã vtique animam pertransiuit. Ipsius nimirum anima iam ibi nõ erat; sed tua planè inde nequibat auelli. Tuam ergo pertransiuit animam vis doloris; vt plusquam martyrem non immeritò prædicemus; in qua nimirum corporeæ sensum passionis excesserit compassionis affectus.* Quare vbi Luc. 2. 35. à Simeone B. Virgini dictum est: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*, Arabicus legit: *Tuam animam ipsius lancea pertransibit.* Vulnus etiam Domini lateri inflictum Ioannis ad crucem adstantis cor maximo dolore transfixit; cum sanctissimum illud pectus immaniter lancea transfigi videret; in quo ipse hesterna nocte suauissimè conquieuerat.

Domino substituta. *Ad Coloss. c. 1. 24. Bernardus ser. signum magnum.* B. Virgo plus quam martyr.

989. De lateris præcipue vulnere interpretatur Ioannes Zachariæ vaticinium: *Videbunt, in quem transfixerunt.* Crucifixores quidem impiis oculis transfixum Dominum viderunt: sed electi resurgentes piis oculis in cœlesti patria vulnera, quibus confixus est Dominus, cernent; & inde eximiæ lucis iubar emicare conspicient. De martyribus Augustinus ait: *Nescio quomodo sic afficimur amore martyrum beatorum, vt velimus in illo regno in eorum corporibus videre vulnerum cicatrices, quæ pro Christi nomine pertulerunt: & fortasse videbimus. Non enim deformitas in eis, sed dignitas erit: & quædam, quamuis in corpore, non corporis, sed virtutis pulchritudo fulgebit.* Quare id multò magis de Domini vulneribus dicendum est. Cum Ioannes Apocal. 2. in Domini transfixa manu septem stellas radiare viderit; ex eiusdem transfixi lateris latiore vulnere solaribus radiis multo maius lumen cœleste regnum irradiare bene credimus.

Christi è vulneribus in cœlo eximia lux. *August. 22. de Ciuitate c. 20.* Martyres in cœlo vulnerum signa retinebunt.

990. Præterea extremi iudicii die à Domino eadem sua vulnera reprobis ad eorum confusionem, & supplicium ostendenda probabiliter censet Augustinus dicens: *Fortasse sicut demonstrauit Thomæ non credenti, nisi tangeret, & videret; ita etiam inimicis suis vulnera sua demonstraturus est? Propter quod dictum est per Prophetam, Videbunt, in quem pupugerunt. Non vt eis dicat sicut Thomæ: Quia vidisti credidisti: sed, vt conuincens eos Veritas dicat: Ecce hominẽ, quem crucifixistis: ecce Deum, & hominem, in quem credere noluistis. Videtis vulnera, quæ inflixistis: agnoscitis latus, quod pupugistis; quoniam & per vos, & propter vos apertum est; nec tamen intrare voluistis.* Ideo Apocal. 1. 7. de Christo iudice dicitur: *Ecce venit cum nubibus; & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.* Quare cum Dominus in cœlum ascendens sanctissimas manuum, pedum, & lateris cicatrices retinuisset; cumque Angeli tunc Discipulis dixerint: *Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum*, Cyprianus ait: *Hoc & duo Angeli, Christo ascendente testati sunt; quia, qui iudicatus abibat, iudex esset terribilis rediturus: & videret collecta in vnum generalitas hominum, quas foderant manus, quod terebrauerant latus,*

August. 19. lib. 2 de symbol. c. 8. Christus iudicii die præsentis sua vulnera ostendet. *Zachar. c. 12. 10.* *Act. c. 1. 11.* *Cyprianus ser. de Ascens.*

faciem, quam conſpuerant: & prolata in medium inflexibili ſententia, occurrentibus Saluatori electis, remaneant impij infinitis deputati tormentis. Similiter Hieronymus de Chriſto in mundi fine iudice venturo ait: *Ecce crucifixus Deus meus. Ecce Iudex, qui obuolutus pannis in præſepio vagijt. Hic veſtitus coccino, hic ſentibus coronatus. Cerne manus, Iudae, quas fixeras: cerne latus, Romane, quod foderas. Videte corpus, an idem ſit, quod dicebatis clam nocte ſuſtuliſſe diſcipulos.*

Hieronym. epiſt. 1.

A

Et continuò exiuit ſanguis, & aqua.

Ioan. 19. 34.

B

991. QVod ex Chriſti latere vera aqua fluxerit; & myſterium, quod in aquæ, & ſanguinis effuſione continebatur, probat, & explicat Suarius 3. parte diſp. 41. ſect. 1. S. Ambroſius ob plura myſteria in aqua contenta, in aquæ laudes ſic digreditur: *Super aquam ante ipſos mundi natales S. Spiritus ferebatur. O aqua, quæ humano aſperſum ſanguine, vt præſentium lauacrorum figura præcederes, orbem terrarum lauiſti. O aqua, quæ ſacramentum Chriſti eſſe meruiſti; quæ lauas omnia, nec lauaris. Tu incipis prima, tu comples perfecta myſteria. A te principium, in te finis; vel potius tu facis, vt finem neſciamus. Per te fætor tabida carnis aboletur; & pereuntia ſitu viſcera, aſperſo ſale in multam ſeruantur ætatem. Per te arentibus æſtu corporibus dulcis ad gratiam, ſalutaris ad vitam, ſuauis ad voluptatem potus infunditur. Tu nomen Prophetis, & Apoſtolis; tu nomen Saluatori dediſti. Illi nubes cœli, illi ſal mundi, ille fons vitæ eſt. Quæ montibus preſſa non clauderis: quæ ſcopulis illiſa non frangeris; quæ terris infuſa non deficis; ſed intimis ſcaturiens venis aut ſpiritum incluſa vitalem inhalas; aut ſuccum diffuſa fertilem præſtas; aut rigatum ſuperfuſa ad commodum ſubminiſtras; ne ſiccatis ex anima vitalibus ſolemnes neget terra prouentus. Omnium elementorum ſubſtantia, cœlum, aer, mare, & terra te reddunt. Te prophetico percuſſa ictu, vt ſitientium rigares corda populorum, vomuit petra. Te, cum de latere Saluatoris erumperes, percuſſores viderunt, & crediderunt.* Quibus vltimis verbis indicat Ambroſius ob miraculum aquæ è Domini iam exanimis latere profluentis, ad crucem adſtantes aliquos crediđiſſe. Vere enim elementaris aqua, qualis illa fuit, ab exanimi, & ob cruciatus iam exſucco Chriſti corpore nonniſi per miraculum emanauit: ſimiliter etiam ſupra naturæ vires ex eodem Domini latere ſanguis effluxit. *Nam vtique poſt mortem ſanguis in noſtris corporibus congelaſcit*, vt idem Ambroſius ait. Ex hoc miraculo inter alios ipſe Domini lateris percuſſor Longinus nomine Chriſto Domino credidit: & de eo in Romano martyrologio decimo quinto Martii legitur: *Ceſarea in Cappodocia paſſio S. Longini militis, qui latus Chriſti lancea perforaſſe perhibetur.* Græci in Monologio S. Longini memoriam celebrant 16. Octobris; adduntque natalem diem duorum militum, qui cum eo pro Chriſti nomine paſſi ſunt. Eodem die S. Longini res geſtas ſcribit Metaphraſtes, & ex eo Lippomanus tom. 6. & Surius tomo 2. & Petrus in catalogo lib. 3. c. 202. S. Longini venerandum corpus Romæ aſſeruari in Eccleſia S. Auguſtini refert Baronius.

Aqua vera è Chriſti latere exiit.

Ambroſ. l. 10. in Lucã c. 22.

Aquæ Encomium.

Matth. 3. 13.

C

D

Chriſti è latere per miraculum ſanguis effluxit.

Ambroſ. l. 10. in Lucã c. 23.

S. Longinus Chriſti martyr.

E

992. Quæritur hîc quomodo è Chriſti latere diſcretè fluere, nec inuicem permiſceri ſanguis, & aqua videri potuerint? Qui lanceam ad transfigendum oppoſitum Chriſti latus pertranſiſſe aſſerunt, reſpondere poſſent ex vno latere ſanguinem fluxiſſe, ex altero verò aquam: ſed quoniam hanc vtriuſque lateris transfixionem iam ſupra improbauimus, reſpondetur ex eodem vulnere prius ſanguinem, deinde aquam emanaſſe; quod indicare videntur citata Ambroſii verba illa de aqua: *Tu incipis prima, tu comples perfecta myſteria.* Præterea iuxta Cyprianum, & alios in memoriam, quòd è Chriſti latere ſanguis, & aqua profluxerint, ante conſecrationem vinum aqua miſcetur. Sicut ergo in calice Sacerdos prius vinum, deinde aquam infundit; ita Chriſtus Dominus è latere prius ſanguinem, deinde aquam effudit. Dices iuxta SS. Patres: dicitur Eccleſia è Chriſti latere prodiiſſe; eo quòd è Chriſti latere, ſanguis, & aqua profluxerit; ſanguis ſignificans Euchariſtiæ Sacramentum, aqua ſignificans baptiſmum: per baptiſmum autem Eccleſia in ſuis fidelibus naſcitur, & per Euchariſtiam nutritur. Ergo ſicut prius eſt naſci, quàm cibari; ita prius eſt baptiſmi ſacramentum, quàm Euchariſtia: & conſequenter prius quàm ſanguis, aqua baptiſmum ſignificans è Chriſti latere fluere debuit. Reſpondeo licet vt fidelium natiuitas, & Eccleſiæ ianua Baptiſmus Euchariſtiam præcedat; nihilominus quia idem Chriſti Domini ſanguis in Euchariſtia contentus, eſt ſimul pretium, & fons, ex quo Baptiſmus, & ſacramenta reliqua ſuam efficaciam habent; ideo Chriſti ſanguis tanquam cœleſtium donorum principium prius ex eius latere prodire debuit.

Sanguis, & aqua quomodo non permiſtè è Domini latere fluxerint?

Cyprianus de paſſione.

Eccleſia quomodo è Chriſti latere prodiiſſe dicitur.

993. Ad ſignificandam rigoroſam iuſtitiam debitori ob debitum in carcerem coniiciendo dicitur Matthæi 5. 26. *Non exies inde, donec reddas nouiſſimum quadrantem*, hoc eſt vltimum. Similiter, quia pro eo, quod humanum genus peccando diuinæ iuſtitiæ debebat, ſatisfaciendi vnus in ſe Chriſtus Dominus ſuſceperat, ideoque in humanæ paſſibilis carnis carcerem coniectus erat; vt inde ad immortalem vitam prodiret, vltimam ſanguinis guttam, veluti nouiſſimum quadrantem transfixo corde perſoluit.

S. Latro an aqua è Chriſti latere prodeunte baptizatus fuerit? ible, & ſeq.

994. Auguſtinus lib. 1. de animæ origine cap. 9. ait: *Non incredibiliter dicitur latronem, qui tunc credidit, iuxta Dominum crucifixum, aqua illa, quæ de vulnere lateris eius emicuit, tanquam ſanctiſſimo baptiſmo fuiſſe perfuſum.* Similiter Chryſoſtomus tomo 6. ſer. de reſurrect. ait: *O magnum myſterium! Pœnitentiam egerat latro: aqua opus erat, vt baptizaretur; in cruce ſuſpenſus erat; alter baptiſmi locus non erat; non fons, non lacus, non pluuia; non qui myſterijs eum initiaret: omnes enim propter Iudæorum metum aufugerant diſcipuli: non tamen Ieſu latices defuerunt; ſed in ipſa cruce pendens conditor aquarum eſt factus. Quandoquidem fieri minimè poterat, vt ſine baptiſmate latro in regnum intraret; cum verò, qui pœnitentiam egiſſet, baptiſmo deſtitui non oportebat; aquam, & ſanguinem è vulnerato latere ſuo Saluator emiſit; vt & latronem à malis impendentibus liberares, & ſanguinem ſuum eorum, qui in ipſum ſpem ponerent, redemptionem factam eſſe declarares.* Idem ſic ſermone de regreſſu ex

Act 8. 37. Epiſt. ad Philemonem 10. Aſia: *Noli dubitare, chariſſime; gratia enim Dei perfecta eſt; locus non prohibet, ſine hîc baptizeris, ſiue in naui, ſiue in itinere. Philippus baptizauit in via; Paulus in vinculis; Chriſtus in cruce latronem ex vulnere; & ſtatim paradiſi ianuam meruit reſerari.* Geneſis 1, 20. *Dixit Deus: Producant aqua volatile ſuper terram ſub firmamento cœli.* Similiter ait Anaſtaſius Sinaita ex baptiſmi aquis fideles veluti myſticas aues prodire, & ſurſum ad cœleſtia eleuari: poſtea ſubdit: *Ad has volucres euolauit ex viuifica aqua, quæ fluxit ex latere Domini in loco Caluariæ S. Latro cum Rege volucrum Chriſto, magna aquila, per aerem volans in paradiſum.*

995. Sed contra hanc ſententiam eſt, quòd in huiuſmodi baptiſmo defuiſſe videntur baptizans, baptizatus, forma, & materia ipſius baptiſmi. Defuit baptizans, quia è Chriſti iam mortui latere aqua prodiit; & conſequenter Chriſtum baptizaſſe dici non poteſt. Defuit baptizatus, quia latronis crurum fractio, & conſequenter mors præceſſit aquæ è Chriſti latere exitum. Defuit forma: cum miniſter eam pronuncians non eſſet. Denique defuit materia; quamuis enim aqua è Chriſti latere exiens naturalis fuerit, & conſequenter apta ad baptizandum; eius tamen ad latronem baptizandum aſperſio defuit. Vt huic vltimo aſperſionis defectui reſponderet Chryſoſtomus, tomo 6. ſer. de latrone ait: *Neque ſic exierunt ſanguis, & aqua, vt ſimpliciter fluerent; ſed cum impetu, vt latronis corpus aſpergerent. Quod enim cum impetuoſo fluxu emittitur, aſpergit; quod autem fluit, leniter fluit. Ac cum impetu exiuit ſanguis, & aqua, vt latronem aſperſum baptizarent.* Sed quòd aqua, & ſanguis è Chriſti latere tanto impetu prodierit, vt ad latronem diſtantem miraculosè peruenerit, gratis, ſine fundamento, & neceſſitate aſſeritur; quandoquidem etiam ſi talis aſperſio in latrone admitteretur, ad eius baptiſmum non deſeruiiſſet propter alios defectus ſupra allatos. Præterea cum Euangeliſta dicat: *Exiuit ſanguis, & aqua*; non debemus cum Chryſoſtomo legere: *Exiliit ſanguis, & aqua.* Si enim magno impetu ſanguis, & aqua exiliiſſet, hanc miraculum augentem circumſtantiam Ioannes narrare non omiſiſſet: denique, quod Chryſoſtomus citatis locis ait baptiſmum ad latronis ſalutem neceſſarium fuiſſe, iam ſupra cum de latrone egimus, oſtendimus quomodo ſine aquæ baptiſmo ſalutem bonus latro conſecutus fuerit. Et etiam ſi admitteretur latronem ad ſalutem conſequendam neceſſariò aquæ baptiſmo indiguiſſe; probabilius diceretur eum à Ioanne cruci adſtante baptizatum fuiſſe: facile enim diuinitus naturalis aqua ad latronem baptizandum Ioanni exhiberi potuiſſet; & milites, qui pium illud munus prohibere tentaſſent, procul remoueri. Neque enim cum Chryſo. loco ſupra citato dicendum eſt *omnes propter metum Iudæorum aufugiſſe diſcipulos*: in Euangelio enim legimus: *Cum vidiſſet Ieſus matrem, & diſcipulum ſtantem, quem diligebat.* Ioan. 19. 26.

Erant autem ibi mulieres multæ à longe, quæ ſecutæ erant Ieſum à Galilæa miniſtrantes ei. Inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Ioſeph mater; & mater filiorum Zebedæi. Matth. 27. 55.

996. DE his piis mulieribus diximus ſupra in illa Ioannis cap. decimonono verba: *Stabant autem iuxta crucem Ieſu mater eius, & ſoror matris eius*, &c. Vide præterea dicta Feria tertia Dominicæ paſſionis in illa verba Ioannis ſeptimo. *Dixerunt fratres eius.*

Miniſtrantes ei. Ignominiam, & dedecus, quòd muliebri ſexui attulit prima mulier, Adamo vetitum cibum porrigens; abolere ſtuduerunt piæ hæ mulieres cibum miniſtrantes Domino, *ſecundo Adamo de cœlo cœleſti.* *Operamini non cibum, qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam.* Dominus Ioannis 6. 27. dixit. Verè piæ hæ mulieres Domino miniſtrantes cibum operatæ ſunt, qui in Domini ſubſtantiam conuerſus, glorioſus in vitam æternam permanſit. 1. ad Cor. 15. 47. *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & benè tibi erit*; dicitur Pſal. 127. 2. Multò magis de piis iſtis mulieribus dici poteſt: Labores manuum earum, quia Dominus manducauit, beatæ ſunt, & bene eis erit. Cumque eædem ſanctæ mulieres poſt Domini paſſionem in Euchariſtia ipſius Domini carnem, & ſanguinem manducauerint, hinc eis etiam dici potuit. Labores manuum veſtrarum quia manducaſtis, beatæ eſtis, & bene vobis erit. Semel Angelos Domino miniſtraſſe legimus, ſcilicet in deſerto. Cum poſt quadraginta dierum ieiunium, *Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei.* Sanctæ iſtæ mulieres non ſemel, ſed ſæpe Domino miniſtrantes Angelico munere toties perfunctæ, quàm piè nobis inuidiam excitarent; niſi nobis ipſis etiam liceret, quoties volumus, Domino in pauperum indigentia miniſtrare? Iis enim qui pauperibus cibum miniſtrarent dicturus eſt Dominus: *Eſuriui, & dediſtis mihi manducare.* Matthæi 25. Mulieres ſanctæ Domino miniſtrãtes quomodo labores manuũ ſuarũ manducarunt. Matth. c. 4.

Cum autem ſerò factum eſſet, venit quidam homo diues ab Arimathæa nomine Ioſeph, qui & diſcipulus erat Ieſu. Hic acceſſit ad Pilatum, & petiit corpus Ieſu.

997. ERat diſcipulus Ieſu: *occultus autem propter metum Iudæorum*, addit Ioannes. Hinc ex Domini paſſionis merito, in animis fidelium ſpirituales virtutum fructus antea imperfectiores, matureſcere cœpiſſe videntur. Ioſeph enim qui ante Domini paſſionem profiteri ſe Chriſti diſcipulum metuebat; poſt Domini paſſionem *audacter introiuit ad Pilatum, & petiit corpus Ieſu*, vt ait S. Marcus. Marci 15. 43. In eo enim erga Chriſtum charitas antea imperfecta iam maturitatem aſſecuta timere dedidicit: verè enim à Ioanne dicitur: *Timor non eſt in charitate, ſed perfecta charitas foras mittit timorem.* Ioan. ep. 1. c. 4. 18. Charitas timori contraria eſt, ideo iuxta Auguſtinum, *Quantum illa creſcit, tàntùm ille decreſcit: & quantum illa fit interior, tantùm timor pellitur foras: maior charitas, minor timor: minor charitas, maior timor.* Charitas expellit timorem. Aug. in epiſt. Ioannis.

998. *Et Homo diues.* Quod Ioſeph diues eſſet, commemorare voluit Euangeliſta, non

Ioseph cur expressè diues fuisse dicatur.

solùm, quia diuitiarum potentia fretus potuit à Pilato Domini corpus petere, illudque sibi dandum impetrare; sed etiam vt indicaretur cui discrimini se pro Domini amore Ioseph obiecerit; scilicet multarum opum iacturæ: timere enim valde probabiliter poterat ne pio illo Dominum sepeliendi officio Iudæorum magistratuum odium subiret; & ab eis si non vita priuatus, saltem in exilium amissis diuitiis eiiceretur. Quod certè contigit; nam non multo post extra Iudæam eiectus in Anglia exul sanctissimè defunctus est, vt refert Baronius anno Domini 35. De eodem Iosepho ait Lucas: *Hic non consenserat consilio, & actibus eorum*; consilio scilicet de Christo capiendo, & ad mortem damnando. Hinc Maldonatus colligit Iosephum, cum in Iudæorum republica esset *nobilis decurio*, vt ait S. Marcus, hoc est consiliarius iuxta S. Hieronymum, interfuisse concilio illi, de quo dicitur Ioannis 11. *Collegerunt Pontifices, & Pharisæi concilium aduersus Iesum. Ab illo ergo die cogitauerunt, vt interficerent eum.* Quam quidem scelestissimam sententiam Ioseph reprobauit. Censeo tamen probabilius Iosephum iniquissimæ contra Dominum sententiæ exercitè dissensisse, ad iniquum illud concilium non eundo, non quòd eo in concilio præsens impiam de Domini nece sententiam confutauerit; sic enim apertè se Domini sectatorem, & discipulum detexisset. At Ioannes vsque ad tempus, quo à Pilato Domini corpus audacter petiit Ioseph, de eo ait: *Erat discipulus occultus Iesu propter metum Iudæorum* Ioan. 19. 38.

Luc. 23. 51.

999. Hortante Beata Virgine Iosephum accessisse ad Pilatum, & petiisse corpus Iesu censet Cornelius. Contra vero nescia B. Virgine pium hoc officium eum præstitisse, ac Domini passioni præsentem non fuisse censet S. Bonauentura dicens: *Vident alios plures per viam venientes, qui erant Ioseph ab Arimathia, & Nicodemus ducentes secum alios portantes instrumenta, quibus corpus deponant de cruce. Tunc surgunt omnes cum timore magno. Circumspiciens autem Ioannes dixit: Ego cognosco ibi Ioseph, & Nicodemum. Tunc Domina resumptis viribus dicit: Benedictus Deus noster, qui misit nobis auxilium. Vadit ergo Ioannes eis obuius. Quærit Ioseph, qui sint ibi cum Domina? Quærit etiam de his, quæ circa Dominum facta sunt? Et narrat ei Ioannes per singula.*

Arimathæus Ioseph an hortante B. Virgine corpus Domini petierit?

S. Bonau. in medit. vitæ Christi c. 81.

Tunc Pilatus iussit reddi corpus.

1000. Donauit corpus Ioseph, ait S. Marcus. Quàm longè pretiosius fuit concessum hoc Iosepho donum, quàm Pharaonis donum Iosepho Patriarchæ datum: de quo dicitur: *Tulit Pharao annulum de manu sua, & dedit eum in manu eius; vestiuitque eum stola byssina, & collo torquem auream circumposuit.* Cum enim Arimathæus Ioseph in Anglia Euāgelicam Christi fidem promulgasset; ibique, vt supra diximus, sanctissimè obiisset, cœlestique beatitudine iam fruatur, fuit illi Dominus *corona gloriæ, & sertum exultationis: & datum est illi, vt cooperiat se byssino splendenti, & candido*: cui profectò coronæ gloriæ; cui exultationis serto, cui byssino splendenti, & candido Pharaonis annulus, torques aurea, & stola byssina nec longo possunt discrimine comparari.

Marcus c. 15. 45.

Gen. 41. 42. Iosephi Patriarchæ & Arimathæi cōparatio.

Isaiæ 28. 5. Apoc. 19. 8

Et accepto corpore Ioseph inuoluit illud in Sindone munda.

1001. Et depositum inuoluit Sindone, ait S. Lucas. Quinque hîc quæri possunt. Primo qui simul cum Iosepho Domini corpus è cruce deposuerint? Secundo modus in corpore deponendo adhibitus. Tertio vbi antequam sepelirent deposuerint. Quarto qua hora talis depositio contigerit. Quinto quid de crucifixis clauis factum sit. Primò vnà cum Iosepho ad Domini corpus è cruce deponendum fuisse etiam Nicodemum colligitur ex Ioan. 19. 39. *Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte primùm, ferens mixturam myrrhæ, & aloes quasi libras centum. Acceperunt ergo corpus Iesu*, &c. Qui fuerit Nicodemus expressius habetur ex Ioanne cap. 3. *Erat autem homo ex Pharisæis Nicodemus nomine Princeps Iudæorum.* Rursus cap. 7. 51. cum *miserunt Principes, & Pharisæi ministros, vt apprehenderent Iesum; dixit Nicodemus ad eos, qui vnus erat ex ipsis: Numquid lex nostra iudicat hominem; nisi prius audierit ab ipso, & cognouerit quid faciat? Responderunt, & dixerunt ei: Numquid, & tu Galilæus es?* De eodem Nicodemo in literis Luciani de Inuentione corporis Sancti Stephani legitur Gamaliel dixisse: *Cognoscentes Iudæi illum esse Christianum, amouerunt eum è Principatu suo, & anathematizauerunt eum, & de ciuitate relegarunt. Tum ego Gamaliel, quasi persecutionem pro Christo passum sustuli eum in meum agrum, & alui, & vestiui vsque ad finem vitæ eius, & defunctum honorificè sepeliui iuxta Dominum Stephanum.* Nicodemus, vt Sanctorum numero adscripti memoria, eiusque corporis, vnà cum SS. Stephani, Gamalielis, & Abibonis corporibus Ierosolymis inuentio in Romano Martyrologio 3 Augusti habetur. In Cannensi clade de Paulo, & Varrone Romanorum ducibus Florus ait: *Ducum effugit alter, alter occisus est: dubium vter maiore animo: Paulum puduit, Varro non desperauit.* De Iosepho & Nicodemo illustrius problema proponi potest. Ioseph audacter Domini corpus sepeliendi facultatem à Pilato petiit; Nicodemus idem erga Dominum pium officium exhibiturus facultatem à Pilato petere contempsit. Vter maiore animo? Iosephus ob facultatis impauidam petitionem; Nicodemus ob generosum facultatis petendæ contemptum?

Lucæ 23. 53.

Christi corpus è cruce quinam deposuerint: hic, & seq.

Ioan. c. 7. 45

Vide Baro. in notis Martyr. 3. Augusti.

Nicodemus Iudæi Ierosolyma relegarunt.

Nicodemus Sanctorum numero ad scriptus 3. Augusti.

Florus lib. 2. c. 6.

Nicodemi, & Iosephi cōparatio.

1002. Præter Iosephum, & Nicodemum, cum Ioannes etiam ibi præsens fuerit, eum ad Domini corpus deponendum adiutorem fuisse dicendum omninò est. Dices Actor. 13 de Iudæis Christo infensis dicitur: *Qui habitabant Ierusalem, & Principes eius nullam causam mortis inuenientes in eo, petierunt à Pilato, vt interficerent eum. Cumque consummassent omnia, quæ de eo scripta erant, deponentes eum de ligno posuerunt in monumento.* Quibus verbis ipsis Iudæis Christi persecutoribus Christi depositio è cruce, & sepultura tribui videtur. Respondetur hîc etiam adaptandam esse Scripturæ regulam supra allatam, in illa verba: *Sequebatur illum multa turba populi.* Cum scilicet quædam de multitudine aliqua dicuntur, non omnia singulis tribuenda esse; sed eorum, quæ dicuntur, alia aliis eiusdem multitudinis tribui debere. Cum igitur S. Lucas citato cap. de Ierosolymæ Principibus loquatur, inter quos

vt diximus, erant Ioseph, & Nicodemus; aliis Iudæorum Principibus tribuendum est, quòd à Pilato petierint, vt Dominum interficerent; & aliis, nempe Iosepho, & Nicodemo, quòd Dominum de ligno deposuerint, & sepelierint. Sic Psalmo 77 vers. 34. vbi dicitur: *Cum occideret eos, quærebant eum, & reuertebantur*: in alios occisio, & in alios reuersio ad pœnitentiam cadit.

Christus quo modo è cruce depositus. 1003. Secundo quæritur modus, quo Christus de cruce depositus fuit. Probabilius videtur non auulsa, & reclinata, sed fixa in montis foramine remanente cruce, inde Domini corpus fuisse depositum: hoc enim ipsum verbum deponere, quod est deorsum ponere, videtur significare. Ascendisse autem pios illos viros in erectam crucem dicendum est, vel per tabulas ligneas per modum graduum, quibus, vt in cruce iam erecta Dominum crucifigerent, ministri vsi erant, vt ex reuelatione S. Brigittæ supra diximus cum de Domini crucifixione egimus: vel ascendisse eos per scalas ad talem finem allatas: quod supra indicasse videtur S. Bonauentura dicens: *Iacobum, & Nicodemum duxisse secum alios portantes instrumenta, quibus corpus è cruce deponerent.* Hæc enim instrumenta scalæ fuisse videntur: nam malleum, vel forcipem, vt clauos refigerent, ipsi pii viri probabiliter tulisse videntur: sicut se ipsos, & non alios ad Dominum deponendum adhibuerunt. Auctor Tragœdiæ de Christo patiente, quæ legitur apud Nazianzenum scribit Nicodemum scala conscensa clauos refixisse: idem fecisse Iosephum sacro onere humeris imposito scribit Nonnus. Distinctius S. Bonauent. ait: *Ponuntur duæ scalæ à lateribus crucis opposita: Ioseph ascendit super scala lateris dextri; satagit extrahere clauum ipsius manus; sed difficile hoc; quia clauus grossus, & longus est in ligno valde confixus; & sine magna suppressione manus Domini non videtur posse fieri: sed non est vis, quia fideliter facit, & Dominus totum acceptat. Deinde Nicodemus alium extrax it manus sinistræ. Deinde descendit Nicodemus, & iuit ad clauum pedis; Ioseph verò sustentabat corpus Domini; felix qui corpus Domini meruit sic amplexari.*

Nonnus Car. in Ioan. 19. S. Bonau. supra.

1004. De tertio, quod quærebatur, vbi scilicet Domini corpus è cruce refixum deposuerint, subdit S. Bonauent. *Pendentem manum dexteram Domina suscepit reuerenter, & ponit ad vultum suum, intuetur, & osculatur, cum lacrymis validis, & suspiriis dolorosis. Euulso clauo pedum paulisper descendit Ioseph, & omnes accipiunt corpus Domini. Domina suscipit caput cum scapulis in gremio suo: Magdalena verò pedes, apud quos tantam gratiam olim inuenerat. Domina flebat lacrymis irremediabilibus; aspiciebat vulnera manuum, & lateris, modo vnum, modo aliud: aspiciebat vultum suum, & caput, & videbat spinarum puncturas.* Dominus Matthæi 7. 16. dixit: *Numquid colligunt de spinis vuas?* Beata Virgo cum aliàs dicere bene potuisset: *Botrus Cypri*, hoc est suauissimæ vuæ racemus, *dilectus meus mihi*; tunc ex hoc vuæ botro spinas colligere visa est. S. Brigittæ lib. 1. cap. 10. Deipara dixit: *Posuerunt eum in linteo mundo; & ego linteo meo extersi vulnera, & membra eius; & clausi oculos eius, qui in morte fuerunt aperta. Deinde posuerunt eum in sepulchro. O quam libenter tunc posita fuissem viua cum filio meo, si fuisset voluntas eius!*

Cantic. 1. 13. B. Virgo ex vuæ botro spinas collegit.

1005. Quarto de hora, qua Dominus de cruce depositus, & sepultus fuit, ait S. Bonauentura: *Tardante hora dicit Ioannes, Domina, condescendamus Ioseph, & Nicodemo, & permittamus aptari, & sepeliri corpus Domini nostri; quia propter nimiam moram possent pati calumniam à Iudæis.* Hinc bene Suarius ait: *Depositionem hanc fuisse ante solis occasum per horam fortasse integram, vel ferè. Nam ab occasu solis incipiebat Sabbatum Iudæorum, quando non licebat illis operibus vacare: ideo solliciti fuerunt, vt totum negotium sepulturæ eius ante occasum absoluerent; quod vix fieri potuisset, nisi saltem ante vnam horam inciperent Christi corpus deponere. Ex quibus constat corpus Christi post mortem duabus fere horis in cruce pependisse.*

S. Bonau. supra c. 82. Christus qua hora è cruce depositus sit? Suar. 3. p. disp. 41 sec. 2.

1006. Quinto quærebatur quid de refixis clauis factum sit? Simul cum cruce ab Helena clauos inuentos fuisse Ambrosius, & alii asserunt; ex quo eos in Caluariæ monte simul cum cruce fuisse relictos colligi videtur. Quæritur ergo, cur à piis fidelibus secum asportati, & seruati non fuerint? Respondet Suarius: *Solet hoc habere vsus Republicæ; vt cum aliquis publicè damnatur propter delicta publica, & scandalosa, vel corpus eius maneat in loco supplicij; vel si datur facultas deponendi corpus, saltem maneat patibulum quasi in signum supplicij ad aliorum terrorem. Ergo eadem lege, qua coactus fuit Ioseph corpus tollere, & crucem immotam relinquere, coactus etiam fuit clauos quoque in ea infixos tanquam potissima supplicij insignia, instrumentaque relinquere. Vnde licet ad deponendum corpus Christi illos abstulerint; fieri tamen potuit, vt illos iterum in cruce figerent.* Sed hæc legis interpretatio circa clauos nimis subtilis videtur; neque eam Sancti illi viri seruare curassent, si crucis clauos venerandos, & custodiendos esse intellexissent. Dicerem potius clauos quidem Iosephum, & Nicodemum iterum crucis foraminibus fixisse, nec secum, vt seruarent, abstulisse; eo quòd illos, vt Iudaicæ sæuitiæ instrumenta, seruandos non esse putarint; cùm necdum eos, vt nostræ redemptionis, & volũtariæ Domini passionis instrumenta, venerationi habendos esse innotuisset. Ex S. Bonauentura clauos iterum cruci fixos fuisse negandum videtur; ait enim: *Dextera manus euulso clauo, Ioannes annuit Iosepho dictum clauum sibi porrigi, ne ipsum Domina videat. Deinde Nicodemus alium extraxit manus sinistræ, & clauum similiter dat Ioanni.* Ioannes autem clauos non seruauit, ne Beata Virgo, cui Ioannis omnia nota erant, illorum aspectu dolorem exulceraret. Adde præterea diuina Prouidentia factum esse, vt claui inde non asportarentur; scilicet, vt postea simul cum spinea corona, & cruce ab Helena inueniri possent; & Romam ad Constantinum eius filium simul mitti. Nam teste Adrichomio in eodem crucis loco *Helena clauos, quibus Saluator noster cruci subfixus fuerat reperit; ibidem quoque coronam spineam inuenisse videtur. Dominicam crucem diuisit; & partem quidem thecis argenteis inclusam pro monumento in Ierosolymæ Ecclesia reliquit: partem verò cum salutifera crucis titulo, corona, lancea, & clauis filio suo Constantino attulit. Quæ Romæ in Ecclesia Sanctæ Crucis in Ierusalem ædificata in ædibus Sessorianis fuerunt reposita.*

Ambr orat. de obitu Theodosij. Christo è cruce deposito de refixis clauis quid factũ sit. Suar. supra. S. Bonau. supra c. 81. Adrichom. in descrip. Ierusalem num. 142. S. Helena crucis partẽ, & titulũ, coronã spineã, lanceã, & clauos Romã attulit, filioque Constantino dedit.

1007. *Inuoluit illud in Sindone munda.* *Charitas operit multitudinem peccatorum*, ait

Ep. 1. Petri c. 4. 8.

Apostolus. Iosephi Charitas Deum nostrum, qui peccatoribus multus est ad ignoscendum, operuit. *Dominus funebribus linteis inuolutus est, vt ego indumentis salutis vestiar; luteisque manibus sepulchro conditur, vt ego humeris Cherubinorum insideam*, ait Leo Imperator, de Christi sepultura in homilia.

Ioseph, & Nicodemus quomodo Dominũ sepelierunt: ibi,& seq.

1008. Additur ex Ioanne 19. 39. *Venit & Nicodemus ferens mixturam myrrhæ, & aloes, quasi libras centum. Acceperunt ergo corpus Iesu, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire.* Consuetudinem, & modum mortuorum corpora aromatibus condiendi Iudæos ab Ægyptiis in hoc valde peritis accepisse scribit Tacitus lib. 12. Annal. Quare B Genesis 50. Ioseph Patriarcha in Ægypto *præcepit seruis suis medicis, vt aromatibus condirent patrem. Ægyptij* autem, vt apud Augustinum legitur serm. 120. de diuersis, cap. 12. *diligenter curant cadauera mortuorum: morem enim habent siccare corpora, & quasi ænea reddere.* Quod, vt melius exequantur, & corpora à fœtore, & corruptione liberent, ea Ægyptii, antequam aromatibus condiant, exenterant, & ex iis intestina corruptioni, & fœtori valde obnoxia extrahunt, vt Diodorus Siculus lib. 1. cap. 5. testatur. Hanc autem exanime corpus exenterandi consuetudinem circa Christi corpus Iosephum, & Nicodemum seruasse absurdum, & impium est asserere: cum tantùm piis illis viris exteriores Christi corporis partes, magna tamen aromatum vi, perfundere satis fuerit: hoc enim condiendi aromatibus Christi corpus pium officium fuit tantùm ad pietatis, & honorifici amoris testimonium, & obsequium; non quòd necessaria aromata crederent ad Domini corpus à corruptione liberandum; cum satis fide illuminati illud corruptioni non fore obnoxium, & citò resurrecturum crederent.

Exenterãli corpus, antequã sepeliatur, consuetudo in Christo sepeliendo nõ adhibita.

Chrys. hom. 84. in Ioan.

Ideo Chrysostomi sententia non probatur; cùm de Iosepho, & Nicodemo ait: *Adhuc de illo tamquam de puro homine opinabantur; & ea ferunt aromata, quæ maximè corpora seruare soleant; quod nihil magnum de Iesu ipsos existimare arguebat.* Cur enim nihil magnum de Iesu existimare poterant; cum ab iis Lazarum quadriduanum, & iam fœtidum, omni remota corruptione, & fœtore viuum è sepulchro, suo Dominum imperio eduxisse non ignoraretur? Cur à se ipso corruptionem arcere posse Dominum non crederent, qui eam à Lazaro iam expulerat? Cur Christum Dominum purum hominem Ioseph, & Nicodemus existimarent; cum multo clariorem fidei illuminationem haberent, quàm Centurio, eiusque milites, qui iam dixerant: *Verè filius Dei erat iste.* Quare, si iuxta relatum supra testimonium suis Ægyptii aromatibus velut ænea defunctorum corpora reddebant; etiam sine aromatibus velut aureum ex resurrectionis gloria Christi corpus paulo post reddendum, piis illis viris credibile erat.

1009. *Et ligauerunt eum linteis*, idest sindone, vt aliqui explicant. Dicendum potius hîc per lintea multitudinis numero intelligi lineas institas, seu fascias, quibus præter latum linteum defunctorum corpora ligabantur, vt patet de Lazaro cap. 11. Ioannis: Dominum ergo, cuius immensitatem cœli capere non poterant; prius recens natum in Bethleemico præsepi *stricta cinxit fascia*, eumdem postea recens mortuum iterum angustæ fasciæ colligarunt.

Appropinquante autem solis occasu cum exanime Domini corpus sepeliendum iam esset iuxta S. Bonauenturam lacrymis ita queri cœpit: *Sepelisam ergo te ego mater tua mæstissima? Sed postea quò ibo? Vbi morabor? fili mi. Quomodo sine te viuere possum? O fili mi, quàm amara est separatio ista!* Cum ergo mœstissima mater lacrymaret, sic animo fluctuaret, ei bene tunc dici potuit: *Magna est velut mare contritio tua*, seu ex Hebræo, *afflictio tua*. Sicut enim fluctuans mare modò ad littus accedit, modò inde recedit: ita B. Virginis animum modo ad sepeliendum exanime sanctissimi filii corpus dies ad finem vergens vrgebat; modò ab eo sepeliendo, seque ab eo separando amor retrahebat. *Tandem*, ait S. Bonauentura, *B. Virgo benedixit eum; & tunc omnes adorantes eum flexis genibus, & pedes eius deosculantes accipiunt, & portant ad monumentum. Domina tenebat caput, & scapulas; Magdalena pedes; reliqui stabant in medio.*

S. Bonau. supra c. 82.

Ier Thr. c. 2. 13.

B. Virginis dolor mari similis.

Et posuit illud in monumento suo nouo, quod exciderat in petra; & aduoluit saxum magnum ad ostium monumenti, & abijt.

C 1010. *IN monumento nouo. Ne alium, non Christum resurrexisse suspicio foret*, ait Chrysostomus. *Ne post resurrectionem cæteris corporibus remanentibus resurrexisse alius fingeretur*, ait Hieronymus. Sed etiam si sepulta alia corpora ibi fuissent, non facile videtur quomodo Dominum inde non surrexisse fingere, populoque suadere Iudæi potuissent; cum iam eo in tumulo Christi corpus non inueniretur. Nisi dicatur Iudæos dicere potuisse non Christo Domino, sed aliquo alio resurgente monumentum reseratum fuisse; & ex eo iam recluso discipulos Domini corpus subripuisse. Sed ad hoc concinnandum mendacium, quàm improbabiliter dixissent Discipulos futuram illam aliam D resurrectionem, sepulchrumque reserandum præsciuisse; ideoque Domini corpus inde statim extrahere potuisse. Ex alia ratione in monumento nouo, sepeliri Dominus voluit: cum enim iam mortalem vitam, & passionis ignominias terminasset; quamuis in cruce latronum societatem non respuisset; post passionem tamen in sepulchro cadauerum societatem mox gloriosè resurrecturus admittere noluit.

Christus cur in monumẽto nouo sepultus.

1011. Dices, si Domini corpus in sepulchro paulo post resurrecturum expers corruptionis fuit; cur Psalm. 21. ipsemet æterno Patri ait: *In puluerem mortis deduxisti me?* Respondet primo Cassiodorus id dici iuxta opinionem Iudæorum; qui Dominum non resurrecturum; E sed in puluerem eius corpus deducendum credebant. Dicitur ergo in mortis puluerem deductus Dominus, non re, sed putatiuè: sicut S. Ioseph non re, sed putatiuè Domini pater dicitur Lucæ 2. Respondet secundo Bellarminus, & alii Dominum dici in puluerem mortis deductum; quia defunctorum corpora puluerem operiri solent. Sed cum hoc in Domini sepultura factum non sit, id de eo dici non potuit. Respondet tertio Cyrillus Ierosolym. Catechesi 14. per puluerem mortis intelligi sepulchrum: sed quamuis tumulus effossus intra terram emortualis pulueris nomine intelligi possit; saxeo tamen sepulchro tale nomen non videtur

Christus corruptionis expers cur in puluerẽ mortis deductus dicitur? Responsiones variæ.

videtur tribuendum. Respondet quarto Iansenius mortis puluerem significare aromatum puluerem; quo odorifero puluere odorifero liquore misto, Dominus antequam sepeliretur aspersus est. Fauet huic interpretationi Ecclesiæ hymnus, vbi dicitur: *Myrrheus puluis sepulchrum prædocet.* Improbat hanc interpretationem Lorinus, dicens: *Honoris causâ cum id factum sit, de eo Christum intellexisse non reor.* De honorifico enim officio sibi piè exhibito Dominus non conquereretur. Sed respondere posset Iansenius, licet honorificum tale officium fuerit, mortem tamen significare: & quamuis exequiarum funus ad honorificentiam fiat, tamen de defuncto, cui violenter mors esset illata, adhuc conqueri aliquis posset, quòd iniquè ad exequiarum funus deuenerit. Non negauerim tamen Iansenii explicationem non planè gendino sensui congruere. Respondet quinto sanctus Augustinus: *In puluerem mortis deduxisti me*, hoc est, *inter impios morti destinatos, quos tanquam puluerem proycit ventus à facie terræ*: nempe inter latrones, iuxta illud: *Et cum iniquis deputatus est.* Respondet sexto Sanctus Thomas quia puluis maxime vilis est, *In puluerem mortis deduxisti me, id est vilem mortem me pati fecisti*, iuxta id, quod dicitur Sapientiæ 2. *Morte turpissima condemnemus eum*: puluis enim maximam abiectionem significat, ideo Psalm. 7. dicitur: *Gloriam meam in puluerem deducat. Vel hæc verba referuntur ad membra*, hoc est ad Christi fideles, *quæ sunt incinerata. Vel in puluerem mortis, idest in potestatem Iudæorum, qui sunt sicut puluis, quem proiecit ventus à facie terræ.* Vel pulueris nomen iuxta Caïetanum intelligitur vilissimæ plebis Iudaïcæ multitudo, quæ Dominum ad mortem damnari petiit. Respondet septimo Sanctus Hieronymus legens: *In limum mortis deduxisti me, hoc est in incarnationem*; humana enim caro ex limo terræ in Adamo originem habuit. Sed eo in Psalmo de Domini passione, & morte, non de incarnatione sermo est; ex incarnatione tamen assumpta carne passibili Dominus morti subiectus fuit. Præterea legit ibidem Hieronymus: *In limum mortis deduxerunt me*: & iuxta eum sensus est: *Sicut impios, quos ventus proiecit; ita me existimarunt in mortem decidere, tanquam si resurgere non valerem.* Quæ explicatio partim cum Cassiodori, partim cum Augustini explicatione supra allata coincidit. Respondet octauo idem Hieronymus Dominum dici in puluerem mortis deductum, id est *in infernum, quando animas Sanctorum inde deduxit secum*: quia, vt Apostolus ait, Dominus *descendit in inferiores partes terræ.* Respondetur nono ex Origene puluerem mortis aliquid minus significare, quàm mortis corruptionem: quod dimicantium exemplo explicari potest. Qui enim in militiæ campo certant; alii victi mortem subeunt; victores alii ex conflictu cum hoste tantùm puluere aspergnntur. Cum ergo *Mors, & Vita duello conflixere mirando*, ex tali conflictu Vita, hoc est Christus Dominus sua mortem morte vincens, mortuus quidem est; ab aduersaria tamen morte non mortis corruptionem; sed leuem mortis puluerem mox resurrectione excutiendum subiit. Respondetur decimo mortis pulueream ariditatem, & exanguis corporis exsiccatio-

Psal. 21.
Lucæ 22.37.
Genes. 2.7.
Ad Ephes. 4. 9.

A nem significare: ad hanc autem Dominus verè deductus est; cum defatigatione, & cruciatibus humorem, sanguinemque largissimè effudisset. Respondetur vndecimo planius, & probabilius. Sicut dicitur aliquis ad præcipitii locum deduci, licet citra consistat, nec inde præceps corruat: ita dicitur Dominus ad mortis puluerem deductus, quamuis citra mortis corruptionem, & corporis in puluerem resolutionem naturaliter ex morte consequentem diuina ope constiterit. In Hebræo pro pulueris nomine habetur שֶׁפֶת schépeth terminum significans; hinc ex Hebræo citato Psal. legitur: *In terminum mortis deduxisti me.* Hanc lectionem
B sequens Irenæus legit: *In limen mortis deduxisti me.* Sicut igitur qui in domus limen deducitur, non proinde in domum ingressus dici debet: ita Dominus verè moriendo mortis quidem limen attigit; in mortis tamen penetralia, nempe in corruptionem non deuenit.

1012. *Quod exciderat in petra.* Contra obstinatos per hdosque Iudæos lapideæ rupis testimonium Dominus adhibere voluit: si enim intra terræ aggerem Domini monumentum fuisset, & ex pluribus lapidibus extructum; Domini corpus effosso aliquo foramine inde subreptum fuisse Iudaica malignitas fingere potuisset; quæ fictio in sepulchro intra solidum saxum
C exciso locum habere non potuit.

Christi corpus cur in monumēto in petra exciso sepultum.

1013. *Et aduoluit saxum magnum ad ostium monumenti.* Peccatores *lapideum cor* habentes, vt dicitur Ezech. 36. si illud pia meditatione Domini sepulchro admoueant, spirituali metamorphosi cereum ad diuinas inspirationes fiet. *Quidam proiecerunt cadauer in sepulchro Elisei: quod cum tetigisset ossa Elisei, reuixit homo, & stetit super pedes suos*, vt dicitur 4. Reg. 13. Peccator gratiæ vita carens, ideoque spiritualiter mortuus, si pia meditatione Domini sepulchrum subeat, inde facilè ad spiritualem, cœlestemque vitam reuiuiscet. *O sepulchrum cœli imitamen*, ait Leo Imperator. *Nam, qui in cœlo tanquam in throno sedet; is in te tanquam in thalamo requie-*
D *uit. O sepulchrum, quo omnia sepulchra à sordibus suis expurgantur; & multò recentius, & vegetius, quam ex vtero materno, inde prodeunt, qui in eis computruerant. O sepulchrum, quo pelliceas tunicas exui, veteremque pulchritudinem indui. O sepulchrum vitæ thesaurum opulentissimum complectens.*

Christi. & Elisæi sepulchri cōparatio.

Christi sepulchri encomium.
Leo Imp. hom. in sepulturam Christi.

Erat autem ibi Maria Magdalene, & altera Maria sedentes contra sepulchrum.

1014. CVm hîc de B. Virgine mentio non fiat, colligitur eam vnà cum Maria Zebedæi coniuge, & Ioanne eiusdem Mariæ filio antea ad crucem adstantibus è sepulchro dis-
E cessisse: cum remansissent Magdalena, & Maria Iacobi, & Iosephi mater contra sepulchrum *aspicientes vbi poneretur*, vt ait S. Marcus: nam cum translacto Sabbato ad monumentum noctu redituræ essent, vt aromatibus vngerent Iesum, monumenti locum vbi Domini corpus ponebatur, obseruarunt. Dicuntur autem piæ hæ mulieres contra sepulchrum sedisse, præ lassitudine quidem; non quòd ibi postea omnino constiterint; si enim ibi constitissent, non dicerentur ab Euangelistis translacto Sabbato ad sepulchrum redisse. Hinc etiam improbatur Metaphrastes dicens B. Virginem perpetim apud sepulchrum

Marcus c. 15. 47.
Metaphr. in diem. 15. August.

mansisse: non enim probabile videtur reliquas pias fœminas, præcipuè Magdalenam, cum B. Virgo remaneret, inde discessisse; ibique Deiparam solam deseruisse. Præterea Magdalena, & sociæ contra, non intra sepulchrum consederunt, eo quòd noctescente, in monumentum simul cum viris Iosepho, & Nicodemo propter honestatem introire decens non esset. Denique cum hîc Magdalena contra sepulchrum sedisse dicatur, eandem, vt S. Bonauentura ait, in reditu ad ciuitatem B. Virginis comitem fuisse dicendum non videtur.

S. Bonau. supra.

Altera autem die, quæ est post Parasceuen, conuenerunt Principes Sacerdotum, & Pharisæi ad Pilatum dicentes: Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc viuens: Post tres dies resurgam. Iube ergo custodiri sepulchrum vsque in diem tertium.

1015. CVm Dominus Matthæi 16. 21. & expressius cap. 20. 18. secreto discipulis dixisset: *Filius hominis tradetur ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum, & tertia die resurget*: probabile est Iudam proditorem hanc prædictionem Sacerdotum Principibus retulisse. Meritò Leo Imperator homil. in Christi sepulturam Iudæos sic arguit: *An non, ô Iudæe, Dominus prædixit fore, vt à te flagellaretur, alapis cæderetur, & in ligno suspenderetur? Quomodo euentum prædictionum & præsagiorum in memoriam tunc non reuocasti?* Sed *omnia perpetrasti nulla prædictionis ratione habita. Cur igitur iam mentio de futura resurrectione te perturbat?*

1016. *Iube ergo custodiri sepulchrum.* Matthæi 12. cùm Sabbato Domini *discipuli cœpissent vellere spicas, & manducare; Pharisæi videntes dixerunt ei: Ecce, discipuli tui faciunt, quod non licet facere Sabbatis.* Iidem legis iniqui interpretes, qui Sabbato vellere spicas, & manducare illicitum esse dixerunt; eodem die forensia negotia vrgere, militesque ad Domini sepulchrum custodiendum impetrare sibi illicitum non esse iudicarunt. Quòd si dicatur, cum Præsidis milites ethnici essent; eos Sabbati obseruatione non obligari: contra est, quia ipsi Sacerdotum Principes, & Pharisæi Sabbato milites ad Domini sepulchrum custodiendum duxerunt: sepulchrique ostium custodibus illis munierunt, proptioque sigillo obsignarunt, vt infra dicetur.

Iudæi iniqui iudices.

Ne fortè veniant discipuli eius, & furentur eum, & dicant plebi: Surrexit à mortuis: & erit nouissimus error peior priore.

1017. CEnsent aliqui Iudæos timorē hunc à Domini discipulis finxisse; cum re vera eos Domini corpus furaturos non timerent: illos enim satis perterritos fugam arripuisse, & à Petro Christum negatum esse bene nouerant. Quare Leo Imperator contra fictum hunc Iudæorum metum sic arguit: *An discipuli furentur, qui neque ad minimum spatium, cum Dominus caperetur, & traheretur, eum secuti sunt? Illi de mortuo tantùm curæ suscipiant, qui eo viuente ne impressionem quidem vestram ferre valuerunt? Et qui ne eminùs quidem spectare ausi sunt, quali*

Leo supra.

A *nece magister perimeretur, illi eo iam sepulto vestrum impetum si sustineant, furtumque cadaueris tentabunt? Non agunt hoc, quos timor agit.* Propterea timuisse potius Iudæos censent alii, ne Dominus propria virtute resurgeret; ideoque milites custodes adhibuisse; vt si resurgeret, eum iterum occiderent. Sed quidquid de Apostolis, qui fugerant, Iudæi existimarent; timere certè poterant, ne Ioseph, & Nicodemus Principes viri, qui iam se Domini discipulos, & veneratores palàm ostenderant, Domini corpus subriperent; cùm illud in ipsius Ioseph monumento repositum esset. Talis autem timor probabilius in Iudæorum animo fuisse videtur, quàm timor de vera Domi-

B ni resurrectione. Si enim, ne Dominus verè resurgeret, timuissent; ex maxima profectò ignorantia credidissent eum, qui propria virtute morte deuicta resurgeret, militum vim repellere non posse. Bene enim Dominus de sua morte, quam somnum appellat, & de resurrectione loquens Psalm. 3. dicit: *Ego dormiui, & soporatus sum, & exurrexi; quia Dominus suscepit me. Non timebo millia populi circumdantis me.*

Ait illis Pilatus: Habetis custodiam: ite, custodite sicut scitis.

1018. SI militum custodiam, vt Pilatus ait, iam habebant, cur opus erat, vt ab eo

C militum custodiam peterent? Putant aliqui apud Maldonatum Pilatum respondisse: Habetis custodiam, quasi diceret: Quid opus est, vt militarem custodiam à me petatis, cum vos etiam milites habeatis qui sepulchrum custodire possint? Improbat Maldonatus hunc Pilati responsionis sensum: quia, si Sacerdotes milites habuissent, à Præside militum custodiam non petiissent. Aut ergo non habebant; aut si aliquos habebant, eos ad templum custodiendum habebant; vt aliqui asserunt; milites autem illi templi custodiæ ita addicti erant, vt alium in vsum adhiberi non poterant. Sed contra est, quia Sacerdotum Princi-

D pes, inter quos Pharisæi erant, præter templi custodes, suos ministros, & satellites habebant, dicitur enim Ioannis 7. 32. *Miserunt Principes, & Pharisæi ministros, vt apprehenderent Iesum.* & Ioannis 18. 2. dicitur: *Iudas cum accepisset cohortem, & à Principibus, & Pharisæis ministros, venit illuc.* Vbi Rupertus ait: *Cohortem à Pilato Iudas accepit, ministros suos adiungentibus Principibus Sacerdotum, & Pharisæis.* Similiter Matthæi 26. 47. dicitur: *Ecce Iudas, & cum eo turba multa missi à Principibus Sacerdotum, & senioribus populi.* Præterea Actor. 9. cum Saulus habita à Sacerdotum Principe potestate Damascum ad Christi fideles vinciendos iret, secum comites habuisse ibi dicitur; quos ad Saulum in impietate adiuuandum non alios, quàm Sacerdo-

E tum Principis ministros fuisse valde probabiliter dici potest. Addit Iustinus contra Tryphonem Principes Sacerdotum alios quoque in alias regiones misisse, qui Christianos caperent, & persequerentur. Cum ergo suos ministros Sacerdotum Principes, populique magistratus haberent; potuisset quidem Pilatus allato sensu respondere, scilicet: Vtimini vestris, quos habetis, ministris. Sed alio ex capite sub tali sensu Pilatum non respondisse bene Maldonatus probat. Sic enim de Iudæis militibus, seu ministris Pilatus locutus fuisset; iisque iuxta Pilati dictum ad Domini

Iudæi Sacerdotum Principes suos satellites habebant.

sepulchrum custodiendum essent adhibiti; quid opus fuisset, vt post Domini resurrectionem Principes Sacerdotum Iudæis ministris copiosam pecuniam, vt Matthæus ait, pollicerentur, vt mentiendo dicerent ipsis dormientibus Christi discipulos venisse, eiusque corpus è tumulo sustulisse: nam absque eo, quòd pecunia, eaque copiosa Iudæi milites subornati fuissent, eo modo mentiti essent: cum ad obsequendum Sacerdotum Principibus; quorum ministri erant, & à quibus stipendium habebant, maximè essent addicti. Sensus ergo Pilati responsionis est: Habetis militum custodiam intra hanc ipsam vrbem, cum milites aliò non miserim: ite, eorum vsum, vobis heri concessum prorogo. Custodite sicut scitis: si inde Christi corpus extrahetur, vestro diligentiæ defectui, non mihi tribuetur. Quòd si quæratur, cum suos ministros Sacerdotum Principes haberent, cur potius Præsidis milites ad Domini monumentum custodiendum adhibere voluerint? Respondetur id eos maluisse, vt ostenderent populo Præsidem in omnibus cum eis consentire; & à se apud populum inuidiam, & odium, & aliquem, quem contra se timebant tumultum, remouerent: ex populo enim multos in Christum credidisse bene nouerant. Oritur hîc difficultas, cum milites in Domini passione Iudæis a Pilato concessi sub Centurione essent; Centurio autem cum suis militibus Dominum, vt Dei filium confessus esset iuxta Matthæum dicentem: *Centurio, & qui cum eo erant custodientes Iesum, viso terræmotu, & his, quæ fiebant, timuerunt valde dicentes: Vere filius Dei erat iste:* hinc non videtur talibus militibus erga Christum piè affectis Iudæorum Principes vti voluisse. Propter hanc rationem verè dicendum est, Centurione illo, eiusque militibus in monumenti custodia Iudæos vsos non esse: sed cum ad Dominum capiendum, vt supra vidimus, Sacerdotum Principes cohortem habuissent; cumque cohors ex Ruperto ibi citato saltem trecentos milites haberet; & consequenter Centuriones tres, inde milites alios, non autem Centurionem in Christum credentem, eiusque milites ad sepulchri custodiam elegerunt.

Matt. 28, 12.

Illi autem abeuntes munierunt sepulchrum signantes lapidem cum custodibus.

1019. S*ignantes annulis suis*, ait Hugo. Duplici ergo sigillo sepulchri lapidem obsignauerũt, altero Seniorũ, hoc est magistratuum populi; altero Principis Sacerdotum. De Deo dicitur Iob. 9. 7. *Stellas claudit quasi sub signaculo. Stellæ quasi sub signaculo claudi videntur, cum nubibus cœlum obtegitur, ne stellæ inspici possint*, ait S. Thomas. Perfidi Iudæi Christum Dominum iustitiæ solem sub signaculo claudentes, eius splendorem impedire nequierunt; cum ex obsignato sepulchro immortalis prodierit, *amictus lumine sicut vestimento.* Fidelis anima, non vt Iudæi intra lapidem, hoc est intra lapideum cor, sed intra *cor tanquam cera liquescens*, mellifluum Dominum recondant: & ne ex eo vnquam egrediatur, ipsius Domini sigillo obsignent. Ideo ex pio, & amico corde nunquam egredi Dominus cupiens ait: *Pone me, vt signaculum super cor tuum*; hoc est: *Volo, vt mei pro te crucifixi memoriam habeas; vt per te nihil nociuum intret aut exeat; vt mihi soli arcanum cordis aperias; vt Speciei meæ in te similitudo resultet; vt mei character amoris te ab omni alieno discernat; vt in castro tuo meum semper vexillum appareat*, iuxta Hugonem Card. Sicut Dominus, vt Ioannes ait, sepultus est *in monumento, in quo nondum quisquam positus erat*; ita in corde condi vult, vbi nullius amor, præter ipsius, aut propter ipsum locum habeat: ideo ait: *Mihi soli arcanum cordis aperias.*

Christi monumentum duplici sigillo signatum.

Psal. 103. 2.

Psal. 21. 15.

Cant. 8. 6.

Ioan. 19. 41.

1020. Iuxta communem SS. Patrum sententiam de Christo Domino est vaticiniũ Isaiæ 11. 10. *Erit sepulchrum eius gloriosum.* Ad quod vaticinium implendum teste Adrichomio, *Anno post Christum natum trecentesimo vigesimosexto Helena Augusta ferme octogenaria, diuina admonitione, conquirendæ Dominicæ crucis studio Ierosolymam profecta est; & ab ea in Domini monumenti loco condita est Basilica, quæ reliquas totius orbis amplitudine, atque pulchritudine longè excellit. Nam aurata coruscat laquearibus, & aureis diues altaribus, marmoreis septuaginta tribus columnis fulcitur. Et tàm resurrectionis, quàm crucifixionis locum sub vno, eodemque tecto comprehendit: quod in sui medio, rotundo patet foramine apertum; sub quo in inferiori Ecclesiæ parte Dominicum consistit sub dio sepulchrum.* Addit ibi plura Andrichomius. Sanctus Hieronymus Epist. 17. ad Marcellam ait: *Venerabantur quondam Iudæi Sancta-sanctorum, quia ibi erant Cherubim, & Propitiatorium, & arca testamenti, manna, virga Aaron, & altare aureum. Nonne tibi venerabilius videtur sepulchrum Domini? Quod quotiescunque ingredimur, toties*, scilicet meditando, *in Sindone iacere cernimus Saluatorem: & paululum ibi commorantes, rursus videmus Angelum sedere ad pedes eius, & ad caput sudarium conuolutum? Cuius sepulchri gloriam multò antequam excideretur à Ioseph, scimus Isaiæ vaticinio prophetatũ dicentis: Et erit requies eius honor: quod scilicet sepultura Domini locus esset ab omnibus honorandus.* Addit deinde Hieronymus: *Si nobis non credimus, credamus saltem diabolo, & Angelis eius; qui quotiescunque ante Domini monumentum de obsessis corporibus expellũtur; quasi in conspectu tribunalis Christi stantis contremiscunt, rugiunt, & serò dolent crucifixisse, quem timeant. Quicunque in Gallia fuerit primus, huc properat. Diuisus ab orbe nostro Britannus, si in religione processerit, occiduo sole dimisso, quærit locum fama sibi tantùm, & Scripturarum relatione cognitum. Quid referamus Armenios, quid Persas, quid India, quid Æthiopum populos; ipsamque iuxta Ægyptum fertilem Monachorum, Pontum, & Cappadociam, Syriam, Cælenen, & Mesopotamiam, cunctaque Orientis examina? Quæ iuxta Saluatoris eloquium dicentis, Vbicunque fuerit corpus, ibi congregabuntur aquilæ: concurrunt ad hæc loca & diuersarum nobis virtutum specimen ostendunt. Vox quidem dissona, sed vna religio: tot pene Psallentium chori, quot gentium diuersitates.* Gregorius Turonensis de gloria Martyrum cap. 7. ait: *Terra ipsa, quæ Domini adiacet sepulchro, diuinam quandam ex Dominico corpore proximè posito virtutem hausit; vt meritò fideles illuc peregrinantes auide solerent ex ea accipere; qua tum ad morbos curandos, tum ad dæmones fugandos vti consueuerunt.* Cum in Africa in territorio Fussalensi Oratorium esset

Christi sepulchri celebritas, & gloria.

Dæmones ab obsessis corporibus Christi prope sepulchrum expelluntur.

Matth. 24.

excitatum; in quo Dominici sepulchri terra recondita erat, teste Sancto Augustino, *Erat iuuenis paralyticus rustici anni, qui petiit à parentibus suis, vt illum ad eum locum sanctum non cunctanter afferrent. Quo cum fuisset allatus orauit, atque inde continuò pedibus suis saluus abscessit.* Terra, quæ Domini passione tremuerat, tremorem paralytico adimere potuit.

Aug. 22. de Ciuit. c. 8.

1021. Sophronius refert Palæstinæ Ducem, cum in sanctum Domini monumentum ingredi sæpius conaretur; inde semper ab ariete cornibus fuisse reiectum; eo quòd Seueri hæresi esset infectus: quare ex eo prodigio resipiscens abiurata hæresi, Domini sepulchrum facilè ingressus, illud piè est veneratus. Sanctus Gregorius explicans verba illa à Deo dicta, *Sumite vobis septem arietes*, ait arietum nomine populorum Duces significari. Vtinam in Christiano orbe populorum Duces, ac Principes, noxiis inuicem discordiis reiectis, ad Domini sepulchrum iustis, piisque armis muniti aduolarent; vt inde barbaros Mahometana peste infectos procul eiicerent. Quàm ignominiosum Christianis Principibus esse debet, vt ad Domini sepulchrum aditus venalis sit; & piorum virorum ad sanctissimum illud monumentum veneratio in luctum, & vectigal inexplebili infidelium cupiditati redundet. Olim ad Domini sepulchrum noctu discipulos aditum habuisse cum perfidi milites mentiti essent, à Iudæis copiosam pecuniam reportarunt. Nunc, vt ad idem sanctissimum monumentum aditus sit, Barbari à fidelibus pecuniam extrahunt. Circa Domini sepulchrum perfidorum auaritia triumphare iniquissimè gaudet.

Sophron. in prato spirituali c. 49.
Hæreticus ab ingressu in Christi sepulchrum ab ariete diuinitus reiectus.
Gregor. 24. Moral c. 3.
Iob c. 42. 8.
Arietũ nomine populorum Principes designantur.
Matt. 28. 12.

1022. De aduoluto Domini sepulchro lapide, & postea ab Angelo reuoluto ait Chrysologus: *Aduolutus probauit mortem, reuolutus extitit resurrectionis assertor. Beatus lapis qui Christum reuelare meruit, & velare. Beatus, qui non minus corda aperit, quàm sepulchrum. Beatus, qui dat resurrectioni fidem, fideique resurrectionem. Mutatur hic ordo rerum; mortem, non mortuum deuorat hoc sepulchrum.* Nam, vt Apostolus ait: *Absorpta est mors in victoria*; quam scilicet de morte moriens, & resurgens Christus Dominus reportauit; & à nobis, si sub eius capite membra fuerimus, reportandam certò significauit.

Chrysologus serm. 54.
1. ad Cor. 15. 54.

1023. Sepulto Domino eius etiam sanctissima crux profundius intra terram sepulta est, vt Leo Imperator epist. ad Ormarum Saracenorum Regem scribit: Adrichomius in descriptione Ierusalem numero 242. ait: *Vallis cadauerum inter montem Caluariæ, & montem Ierusalem sita est. Milites Christi crucifixores postquam latronum fregissent crura ob imminentem vesperam, & diem festum, eorum cadauera, & cruces, simul, & Christi tam sepulti crucem, ac titulum in hanc vallem præcipitarunt. Super qua postea egestis, ac exoneratis ciuitatis sordibus, vallis tandem tota oppleta fuit. Atque hac ratione triumphale illud crucis lignum sub magno sordium aceruo trecentis ferè annis altè sepultum iacuit.* Tertio die è sepulchro ad immortalem vitam Dominus resurrexit: tertio seculo triumphalis crux suo etiam è sepulchro prodiit. Sanctus Paulinus epist. 11.

Leo. Imp. to. 15. Bibliot. veteri Patrũ pag. 140.
Christi crux intra terram sepulta.

A ad Seuerum, non à militibus, qui Dominum crucifixerant; sed à Christi fidelibus sanctissimam eius crucem; ne eam Iudæi exurerent, aut diffringerent, occultatam fuisse ait: Sozomenus lib. 3. cap. 1. in speluncæ parte, vbi Christi corpus conditum fuerat, tres cruces fuisse repertas scribit. Noster Raynaudus satis probabiliter censet ab Adriano Imperatore Christiani nominis memoriam delere cupiente, tres simul cruces studiosè conquisitas in idem antrum fuisse coniectas; vel quòd eæ quoquo modo ad Christi passionẽ pertinerent; vel quòd quæ Christi crux fuerit ignoraretur: postea etiam eiusdem Adriani iussu

B antri illius locum immenso terræ aggere super ingesto fuisse obrutum; & Iouis, Venerisque simulacris impiè dicatum. Porrò sanctissima crux, sicut commune cum Christo sepulchrum habuit; ita cum eodem communem gloriam habebit. Nam in mundi fine, cum Dominus in maiestate supremus omnium Iudex aduenerit, *tunc parebit signum filij hominis in cælo*, vt ipse Dominus Matthæi 24. dixit: ideoque Ecclesia canit: *Hoc signum crucis erit in cælo, cum Dominus ad iudicandum venerit.* De Domini cruce ait S. Ephrem: *Hæc in secundo aduentu Domini prima in cælo apparebit tanquam pretiosum, &*

C *venerabile magni Regis Christi sceptrum, iuxta verbum Domini dicentis: Et apparebit signum filij hominis in cælo cum multitudine exercitus Angelorum, vniuersam terram illuminans à finibus vsque ad fines super claritatem solis, aduentum Domini annuncians.*

Raynaud. de bono latrone c. 1.
Crux in mundi fine valde splendẽs in cœlo apparebit, & seq.
S. Ephrẽ ser. de cruce.

1024. Cum Dominus de secundo suo aduentu dixerit: *Tunc sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum:* Subdit Augustinus: *Tanta erit eminentia splendoris in Christo, vt etiam clarissima cæli luminaria præ fulgore luminis diuini abscondantur. Tunc stellæ cadens, quando apparuerit signum filij hominis in cælo. Considerasti quanta virtus sit signi, hoc est crucis?*

D *Sol obscurabitur, luna non dabit lumen suum; crux verò fulgebit, & obscurabit luminaria cæli; delapsisque sideribus sola radiabit: vt discas quoniam crux luna lucidior, & sole erit præclarior; quorum splendorem diuini luminis illustrata fulgoribus superabit. Quemadmodum ingredienti Regi in ciuitatem exercitus antecedit præferens humeris signa, atque vexilla regalia, & ambitu præparationis armisona annunciat Regis introitum: ita Domino descendente è cælis præcedet exercitus Angelorum, qui signum illud, id est triumphale vexillum sublimibus humeris præferentes, diuinum Regis cælestis ingressum terrestribus mentibus nunciabunt. Sed quare crux apparebit tunc? Ratio perspicua est, vt agnoscant consilium iniquitatis suæ,*

E *qui Dominum maiestatis crucifixerunt. Per hoc enim signum impudens Iudæorum redarguitur impietas. Tunc plangent omnes tribus terræ videntes accusatorem suum, id est ipsam crucem; & in ipsa arguente cognoscent peccatum suum serò, & frustra fatebuntur impiam cæcitatem. Quid autem miraris, si crucem afferens veniet, vbi & ipsa vulnera ostendet? Tunc videbunt in quem compunxerunt.* Visa autem Domini cruce, eiusque vulneribus, non solùm Iudæos ingens confusio obruet; sed peccatores omnes, de quibus Apostolus ait: *Rursum crucifigentes sibimet ipsis filium Dei.* Idem Augustinus rationem aliam indicat, cur simul cum Christo iudice

Matt. 24. 29.
Aug. to. 10. serm. 49 de diuersis.
Idem asserit Chrys hom. 1 de cruce & latrone, & hom. 77. in Matth.
Crucis ex visione in extremo iudicio ingẽs Iudæis reprobisque aliis confusio.
Apoc. 1. 7. Ioan 19. 37. Zach. 12. 10.
Ad Hebr. 6. 6.

crux in iudicio videnda ſit; ſcilicet, vt crux veluti diuinæ iuſtitiæ tribunal videatur: *Crux tribunal fuit; in medio enim Iudice constituto vnus latro, qui credidit liberatur; alter, qui insultauit, damnatus est. Iam significabat quid facturus est de viuis, & mortuis, alios positurus ad dexteram, alios ad sinistram. Nihil ergo medium erit. Similis ille latro futuris ad sinistram; similis alter futuris ad dexteram.* Idem docet S. Leo ſer. 4 de paſſ. Euchetius hom. de bono latrone; B. Laurentius Iuſtinianus de Chriſti triumphali agone c. 18. & Rupertus in c. 26. Matthæi.

Auguſt. in Ioan in fine

1025. Quæritur hîc primò, an vera Chriſti crux, an tantùm crucis ſignum iudicii die in cœlo apparebit? Reſpondet S. Anſelmus in Elucidario, S. Antoninus 4. p. tit. 24. c. 11. paragr. 5. Abulenſis, & Ianſenius in Matthæum 24. Angelorum opera formandum ex lucido, vel ignito aere crucis ſignum; ex hoc fore crucis ſignum, quod iudicii die in aere apparebit. In quam ſententiam pendet etiam Suarius 3. p. diſp. 57. ſect. 2. Contra verò veram ligneam crucem extremi iudicii die in aere videndam multò probabilius aſſerit Chryſoſtomus hom. de cruce, & latrone dicens: *Crucem solam non reliquit in terra, sed secum eam leuauit ad cælum; & ideo cum ipsa veniet; cum ipsa secundam suam præsentiam gloriosam faciet.* Cum autem Chryſoſtomus ait: *Crucem non reliquit in terra, sed secum eam leuauit ad cælum*; id non factum præſenti tempore intelligendum eſt; cum in præſentia in terris crucis fragmenta plurima veneremur, ſed faciendum intelligi debet ante iudicii diem; cum Angelorum opera ſanctiſſimæ crucis partes omnes collectæ integram diuinitus crucem conſtituent. Eadem, quæ S. Chryſoſtomi, eſt etiam S. Ephremi ſententia lib. de vera pœnitentia cap. 4. vbi ait: *Videbimus pretiosam, ac viuificam crucem in cælo lucentem; omnesque fines orbis terræ vltra solis claritatem illustrare. Vbi verè viderint omnes Regium istud, ac tremendum sceptrum in cælo reuelari; tam tunc agnoscent singuli continuò ipsum quoque Regem reuelandum, qui in illo clauis affixus est.* Cum autem crucis ligno clauis Dominus affixus ſit; hoc, non autem aërium eius ſignum in cœlo videndum ſanctus Ephremius aſſerit. Citatis Patribus additur ſequens Sybillæ vaticinium.

Crux Chriſti vera, non eius aerium ſignum in extremo iudicio videbitur: hîc, & ſequ.

O lignum felix, in quo Deus ipse pependit;
Nec te terra capit; sed cæli tecta videbis;
Cum renouata Dei facies ignita micabit.

lib. 6. in fin.

Pro eadem ſententia vide Valdenſem t. 3. de Sacr. tit. 20. cap. 138. Præterea cum Auguſtinus ſupra citatus iudicii die tam crucem, quàm ſua vulnera Dominum oſtenſurum dicat; ſicut vera vulnera, ita veram crucem oſtenſurus dici debet. Secundò ex Auguſtino ibidem, ex Chryſoſtomo hom. 1. de cruce, & latrone, ex Cyrillo Catecheſi 15. iudicii die Angeli ſuis humeris Domini crucem ferent: ferri autem in humeris crucem, veræ, non aëriæ cruci videtur conuenire. Quare cum Anſelmus in Elucidario etiam dicat: *Sicut Imperator cum ingressurus ciuitatem est, corona eius, & alia insignia preferuntur, per quæ aduentus eius cognoscitur: Ita Christus cum in ea forma, qua ascendit, cum ordinibus omnium Angelorum ad iudicium veniet, Angeli crucem eius ferentes præibunt.* Hinc mirum eſt Anſelmum, non veram crucem, ſed aëream, quæ ab Oriente ad Occidentem protenſa erit, Angelos laturos eſſe dixiſſe.

1026. Obiicitur contra hanc probabiliorem ſententiam primò. *Post iudicij diem omnia mixta, præter hominem, resoluenda sunt in elementa: ergo etiam crucis lignum.* Huic obiectioni bene reſpondet Suarius: *Tempore, quo crux apparebit, nondum erit facta omnium mixtorum resolutio. Et etiam si alia mixta essent resoluta, facile posset Deus illud pretiosum lignum conseruare: immo non desunt, qui existiment perpetuò esse in cælo conseruandum, velut mutatum ad statum incorruptibilitatis corporum gloriosorum; eo quòd speciali modo fuerit nostræ redemptionis instrumentum, & altare, in quo seipsum Christus in sacrificium obtulit.*

Suarius ſupra.

Crux in cœlo incorruptibilis ſeruabitur.

1027. Obiicitur ſecundò. Signum eſt alicuius rei à ſe diſtinctæ ſignum: non ergo ipſum crucis lignum; ſed crucis ſignum ex alia materia in cœlo apparebit. Reſpondetur primò veram crucem dici ſignum, quòd iudicii die paſſionis, & mortis, quam Dominus pro nobis ſubiit, futurum ſit ſignum. Secundò & probabilius, crux ſignum, hoc eſt vexillum dicitur; quia pro vexillo erit, cum Angelorum exercitus ſuum Ducem Chriſtum ad iudicium venientem præcedet, vt ſupra dixit Auguſtinus, itemque Chryſoſtomus hom. 1. de cruce, & latrone.

1028. Obiicitur tertiò, SS. Auguſtinus Chryſoſtomus & Ephrem ſupra citati, aſſerunt crucem, quæ iudicii die apparebit, fore conſpicuam vniuerſo orbi; & tantam fore eius claritatem, vt in conſpectu eius neque luna, neque ſol poſſint apparere. At lignea Chriſti crux nimis eſt exigua, vt poſſit ab omnibus videri, & tam ingentem ſplendorem emittere, & omnes fines terræ vltra ſolis claritatem illuſtrare. *Orietur ab Oriente ad Occidentem vsque signum crucis superans splendorem solis denuncians aduentum, & apparitionem solis diuini*, nempe Chriſti, ait Hippolytus martyr orat. de conſummatione mundi. Reſpondetur ſanctiſſimum crucis lignum ſeptipalmarem Domini ſtaturam ſua magnitudine ſuperaſſe. Sicut igitur de Domino ad iudicium venturo dicitur: *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt*: ita etiam de cruce ab omnibus videnda dici poteſt. Cum autem à S. Hippol. dictum eſt: *Orietur ab Oriente ad Occidentem vsque crucis signum*; id intelligi debet de ea cœli parte, in qua ad iudicium homines congregabuntur. Porrò ingens lumen ſuperans ſolis, lunæque ſplendorem, quod oppoſita ſententia tribuit cruci ex aëre formatæ; idem, & melius cur veræ cruci tribui non debet? Dices per hoc multiplicari miracula. Reſpondeo ob crucis ſplendorem non multiplicari miracula; cum tam in cruce ex aëre formata, quam in vera cruce ingens ſplendor ſit admittendus. Quod autem lux in corpore non diaphano, quale eſt crucis lignum admittatur; id conſonum S. Eccleſiæ verbis videtur. Poſtquam enim ſanctiſſimæ cruci dicitur: *O crux splendidior cunctis astris*, talis ſcilicet futura iudicii die: ſubditur: *Sola fuisti digna portare talentum mundi: dulce lignum, dulces clauos, dulcia ferens pondera*: vbi ſicut de veris clauis, & de vero Dominici corporis pondere Eccleſia loquitur; ita de vero crucis ligno, non de eius aëreo ſigno eam loqui dicendum eſt.

Apoc. 1. 7.

1029. Oritur hîc difficultas; nam citati SS. Patres aiunt deſcendente Domino ad iudicium ante eius conſpectum crucis vexillum ab

August. sup. Angelis esse præferendum: Augustinus autem idem asserens ait ex crucis claritate cœli luminaria esse obscuranda; de qua obscuritate intelligit illud Matthæi 24. *Sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum.* At hæc obscuratio solis, & lunæ præcedet generalem hominum resurrectionem, & iudicii diem, cœlestisque Iudicii aduentum; & consequenter non est crucis apparitioni tribuenda. Quòd autem solis, lunæque obscuritas præcedet iudicii diem ex Ioele 2. 31. *Sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem*; scilicet veluti in sanguineum colorem, *antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis*: & ex Lucæ capite 21. 35. *Erunt signa in sole, luna, & stellis, &c. arescentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ superuenient vniuerso orbi.* Ad hanc difficultatem dissoluendam duplex solis lunæque obscuratio est distinguenda. Altera præcedet iudicii diem; & hæc erit vel ex eo quòd Deus suum concursum ad terram illuminandam soli, lunæque subtrahet; vel quòd densissima obnubilatione eorumdem luminarium illustrationem impediet. Altera solis, lunæque obscuratio erit ipso iudicii die, quo quamuis sol, & luna ab illuminanda terra non impediantur; adhuc tamen eorum splendor à maiore crucis splendore superatus obscurabitur; sicut nunc solis aduentu stellarum lumen obscurari videmus. De hac secunda, non autem de prima obscuratione intelligendi sunt SS. Patres, qui solem obscurandum dicunt ex clarissima crucis luce, & Domini præsentia. Dices, si ex maxima Domini claritate sol obscurabitur, cur idem ex crucis claritate dicitur obscurandus? Respondeo cum præter Christi Domini claritatem crucis etiam splendori obscuritatem solis tribuit Augustinus, significare tantum fore crucis splendorem, vt si ex cœlestis Iudicis luce sol non obscuraretur, adhuc ex crucis splédore esset obscurandus.

Solis obscuratio Iudicii die vnde prouenier.

1030. Porrò cum Matthæi 24. Dominus dixerit: *Sol obscurabitur, luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commouebuntur; & tunc parebit signum filij hominis in cœlo*: & postea subdat: *Mittet Angelos suos cum tuba, & voce mag. a; & congregabunt electos suos à quatuor ventis*: videtur hinc apertè colligi ante generalem resurrectionem, & Domini aduentum fore crucis apparitionem. Respondeo allata verba intelligenda esse per figuram Hysteron proteron, quâ quod posterius est, prius dicitur. Prius enim ad Angelicæ tubæ sonum mortui resurgent, & postea Domini erit aduentus, & ante eum crucis vexillum præferetur, vt supra diximus. Quod autem in allatis verbis inuersus ordo sit, patet; nam alioquin non solùm crucis apparitionem, sed etiam Domini è cœlo descensum ante generalem mortuorum resurrectionem admittere deberemus; quandoquidem sicut ante Angelicæ tubæ mortuos excitantis sonum dicitur: *Tunc parebit signum filij hominis in cœlo*: ita ante eumdem tubæ sonum dicitur: *Videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa.* Causa verò inuersi ordinis videtur esse, quòd cum referantur signa in cœlo futura: *Erunt signa in sole, luna, & stellis*; simul cum eisdem signis crucis signum in cœlo videndum relatum est. Dices: Clemens Papa lib. 7. constitut. c. 3. de Antichristo ait: *Tunc existet mundi deceptor, quem Dominus Iesus interimet spiritu oris sui. Tunc apparebit in cœlo signum filij hominis*: *deinde sonus tubæ excitabitur per Archangelum; interea mortui ad vitam redibunt; tumque veniet Dominus, & omnes SS. cum eo.* Respondeo cum Bellarmino: *Multa in ijs constitutionibus vtilia esse, & à Græcis veteribus magnifieri: sed in Ecclesia Latina nullum ferè nomen habent: & ipsi etiam posteriores Græci in Concilio Trullano can. 2. improbant has constitutiones, vt ab hæreticis deprauatas.* Plures errores in iis constitutionibus contentas Bellarminus recenset.

Figura Hysteron proteron apud Matthæum

Bellarmin. de Scriptor. Ecclesiastic.

1031. Quæritur hîc vltimò, an simul cum Domini cruce alia Dominicæ passionis instrumenta iudicii die sint ostendenda? S. Thomas opusc. 2. cap. 244. ait: *Veniente Domino ad iudicium, signum crucis, & alia passionis indicia demonstrabuntur*: addit que: *Circa locum Dominicæ passionis creditur Christus ad iudicium descensurus.* Ioannes Viguerius cap. 21. paragraph. 2. ver. 6. de iudicii die ait: *In processione Angelorum primus infimi ordinis, portabit crucem, in qua Christus passus est: deinde primus Angelus secundi ordinis deferet chordas elevatas, quibus ligatus fuit Christus. Primus tertij ordinis deferet virgas, & flagella, quibus flagellatus fuit Christus. Primus quarti deferet columnam, in qua ligatus, & flagellatus fuit. Primus quinti vestem, qua illusus est. Primus sexti clauos quibus affixus fuit. Primus septimi spongiam, qua felle potatus fuit. Primus octaui lanceam, qua latus eius apertum fuit. Primus noni coronam spineam, qua coronatus fuit. Postremùm omnibus congregatis Christus veniet.* Ad hanc sententiam comprobandam citat Viguerius Nicolaum Gorram in Matthæum, qui ait per crucem, quæ in cœlo apparebit, intelligi alia instrumenta passionis Christi reseruata. Sed cum solius crucis, & non aliorum passionis instrumentorum ex Domini verbis futura apparitio habeatur; cumque Viguerius non solùm arundinem, qua Dominus illusus est, & percussus; sed etiam malleum, quo in cruce confixus est, in ea processione omiserit; hinc, quòd allata sententia ad mallei ictum, vt dici solet, hoc est ad veritatis examen, non satis solida sit, in suspicionem cadit. Adde præterea Domino in cruce pendenti per spongiam, acetum in potum, non autem fel fuisse oblatum.

Cruce extremi Iudicii die apparente, an alia etiā passionis instrumenta videnda sint

1032. Visa Domini cruce iudicii die, quo mœrore, & dolore reprobi afficientur, quod propria culpa crucis fructus expertes damnandi sint? Quo gaudio exultabunt electi crucem videntes maximo splendore radiantem; ex qua ipsi æternæ gloriæ fructus perceperunt? Inter hos præcipuè crucis visione gaudebit SS. martyrum decem millium cætus, qui 22. Iunii in monte Ararath prope Alexandriam, non Ægypti, sed maioris Armeniæ vrbem cruci affixi triumphalem martyrii palmam consecuti sunt. Cum his exultabunt SS. Apostoli Andræas, & Philipus; cum suis sanctæ virgines, Eulalia, & Iulia, & alii, quibus per gloriosum crucis lignum fuit ad cœlum ascensus: quorum catalogum videre est apud Bartholomæum Riccium nostræ Societatis tract. de Christi crucifixi triumpho. Nos interim *expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis*; postquam redemptorem nostrum in Oliueti monte, vbi vinctus est; in Sionis monte, vbi illusus, flagellatus, coronatus spinis, & ad mortem damnatus est; in Caluariæ monte, vbi cruci est affixus, comitati sumus,

Martyres decem mille 22. Iunii cruci affixi.

Epist. ad Titum c. 2.

sub sanctissimo crucis ligno quiescamus, dicamusque cum Sponsa: *Sub vmbra illius, quem desideraueram sedi; & fructus eius dulcis gutturi meo.* Inter suaues fructus, qui ex crucis arbore decerpuntur, prima est deleta culpa iustificatio, & diuinæ amicitiæ acquisitio. *Quis dulcior fructus potest esse in faucibus nostris, quàm remissio peccatorum?* ait Ambrosius. Secundò iuxta Hugonem sunt propter anteactam vitam fructus illi, de quibus dicitur Matthæi 3. *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Qui quidem fructus licet ex se amari sint, tamen Christus Dominus *amara temperat, solicita mitigat, & dura dissoluit,* vt Ambrosius ait. Et cum anima terrenum anteactæ vitæ statum corrigens ad cœlum mentem eleuat, *Dulce est valde cœlestia cogitare, in æternitate oculum intimum figere; vt aliquando in fletibus etiam mens accensa compungatur; & inter lacrymas sublenata Angelorum cibo, ipsa videlicet sapientia quantò dulcius, tantò auidius pascatur,* ait Gregor. Tertiò iuxta Nyssenum, Theodoretum, & alios Patres, fructus crucis sunt spiritus S. fructus ab Apostolo numerati, scilicet *Charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas;* quorum fructuum dulcedinem sentiunt, qui experiuntur. Quartò iuxta Rupertum ipsum Christi corpus, & sanguis in Eucharistiæ sacramento crucis fructus est. Quare, cum in cruce, ex transfixo Christi latere *exiuit sanguis, & aqua,* iuxta Chrysostomum, & Cyrillum, sicut aqua baptismum significabat, ita sanguis Eucharistiam. Benedictā ergo crucis arborem, quæ nobis tam dulces fructus eduxit, Dominicæ passionis semper memores pio cordis affectu perpetuò veneremur. Cumque Christi Domini passionem, vt vidimus, tribus in montibus, scilicet Oliueti, Sionis, & Caluariæ peractam piè contemplamur; non Dauidis indignationem illam imitemur: *Montes Gelboe, nec ros, nec pluuia veniat super vos: Ionathas in excelsis tuis occisus est.* Sed potius super Oliueti, Sionis, & Caluariæ montes, vbi Dominus passus est, nostris ex oculis flebilis lacrymarum ros, & pluuia perenniter effundatur.

Cantic. 2. 3. — Ambros. ser. 5. in Ps. 118. — Crucis sanctissimæ fructus. — Ambrosius ibidem. — Gregor. in Cant. c. 2. — Ad Galatas c. 5. — Crucis suauissimus fructus, Eucharistia. — 2. Regum c. 1. — Lacrymis Domini passio meditanda.



DOMINICA RESVRRECTIONIS DOMINI.

Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum, &c. Marci 16.

EVANGELII NEXVS, ET ORDO.



1. DVOS resurrectionis testes, & nuncios Dominus habere voluit, Angelum scilicet, & reuolutum sepulchri lapidem. Angelus piis mulieribus, & per has Discipulis Dominum resurrexisse nunciauit dicens: *Iesum quæritis Nazarenum crucifixum: surrexit, non est hic: ite dicite discipulis eius, & Petro, quia præcedet vos in Galilæam: ibi eum videbitis.* Obstinatis autem Iudæis lapideum cor habentibus, reuolutus ingens sepulchri lapis eiusdem Domini resurrectionis est testis adhibitus: *Respicientes viderunt reuolutum lapidem. Angelus reuoluit lapidem, non vt egredienti Domino præberet aditum; sed vt Dominum mundo surrexisse monstraret,* ait Chrysologus. *Angelus reuoluit lapidem, & sedebat super eum. Sedebat ad docendam resurrectionem, non ad lassitudinem subleuandam. Factus est lapis vas Angelicæ sessionis, doctrinæ cœlestis cathedra, schola vitæ, qui ab Iudæis ad mortis ianuam fuerat constitutus,* ait idem Chrysologus. *Si hi tacuerint, lapides clamabunt,* dixerat Dominus Lucæ 19. 40. Cum enim perfidi Iudæi Domini resurrectionem vel occultare, vel negare tentauerint; Domini monumentum in petra excisum, iamque vacuum; lapisque monumenti ostio aduolutus Dominum resurrexisse clamabant. Angelus coopertus stola candida, & ex ea suauiorem spirans fragrantiam, quàm Esau vestimentorum odor fuerit, debuit piis mulieribus aromata ferentibus, vt vngerent Iesum, eiusdem resurrectionem nunciare. Contra verò impiis Iudæis, de quibus dictum est, *sepulchrum patens est guttur eorum,* patens tumulus resurrexisse Dominum testatus est.

Resurrectionis Domini testes Angelus fidelibus, lapis Iudæis. — Chrysolog. ser. 75. — Matth. 28. 2. — Ps. 5. 10. & Ps. 13. 3.

Maria Magdalene, & Maria Iacobi & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum.

2. HAs etiam pias mulieres ad crucem adstitisse habetur ex S. Ioanne c. 19. 25. *Stabant iuxta crucem Iesu mater eius, & soror matris eius Maria Cleophæ, & Maria Magdalene:* quibus ex S. Marco c. 15. 40. addenda est Maria Salome, Zebedæi vxor, materque Ioannis, & Iacobi maioris: sicut Maria Cleophæ, ipsius Cleophæ vxor erat, materque Iacobi minoris, & Ioseph, vt S. Marcus ait. Quare sanctis his mulieribus ad crucem dolenter adstantibus, & post tres dies Dominum resurrexisse visuris prænunciari potuit: *Sicut sociæ passionum estis, sic eritis & consolationis.*

Resurgentē Dominum mulieres, quæ ad crucem adstiterunt, primæ videntur. — 2. ad Corinth. c. 1. 7.

3. *Emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum.* Prouerb. 30. 16. dicitur: *Ignis nunquam dicit sufficit.* Si naturalis ignis nunquam dicit sufficit: multò magis diuini amoris ignis nunquam satis est dicit. Hoc patet in piis istis mulieribus; quæ cum vidissent Nicodemum ad Dominum aromatibus aspergendum adhibuisse *mixturam myrrhæ, & aloes quasi libras centum,* vt dicitur Ioan. 19. 39. præterea cum eædem sanctæ mulieres statim post sepultum Dominum

Amoris diuini ignis nunquam dicit, sufficit.

ipsa feria sexta ante solis occasum *reuertentes parassent aromata, & vnguenta: sabbato quidem siluerunt*, hoc est ab opere cessauerunt, *secundum mandatum*, vt dicitur Luc. 23. 56. adhuc tamen cum transisset sabbatum, alia insuper *aromata emerunt, vt venientes vngerent Iesum*. Isaię 3. v. 16. & v. 24 dicitur: *Pro eo, quòd eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo; erit pro suaui odore fœtor.* E contrario, quia Dominus in cruce eleuatus ibi *inclinato capite tradidit spiritum*: & quia fœtidis impiorum ministrorum sputis sępius consputus est, debuit in illius obsequium pro fœtore suauis aromatum odor largiter exhiberi. Vide prętereà dicta in passionis commentario in illa verba: *Inuoluit illud in sindone munda.*

Mulieribus lasciuis inflicta pœna. Ioan 19. 30.

Matth. 27.

Et valde mane vna Sabbatorum veniunt ad monumentum orto iam sole.

4. VNA *sabbatorum*, idest prima hebdomadę die. Hebręi enim vsurpare consueuerant cardinalem numerum, pro numero ordinali. Sic Genes. 1. 5. dicitur: *Factum est vespere, & mane dies vnus*, idest dies primus: subditur enim v. 8. *Factum est vespere, & mane dies secundus*: & v. 13. *Factum est vespere, & mane dies tertius*: quare eadem dies, quæ à Ioanne cap. 20. dicitur *vna sabbati*, à Matthęo c. 28. & ab ipso Marco hoc capite v. 9. dicitur *Prima sabbati*. Prima autem sabbati primam hebdomadę diem significat; à principali enim die cultui diuino dedicato tota hebdomada denominatur. Eodem significatu dictum est Luc. 18. 12. *Ieiuno bis in Sabbato*. Quare ibi ex Arabico legitur: *Ieiuno duobus diebus in omni hebdomada*. Hebdomadæ præterea sabbati nomen tribuitur; non solùm, vt diximus, quia apud Hebræos ob festiuitatem sabbatum erat hebdomadæ præcipuus dies; sed etiam, quia hebdomadæ, hoc est dierum septenarii sabbatum terminus erat, & complementum. Sicut è contrario, quia vesper, siue vespera est principium noctis, vesperæ nomine nox appellatur. Quo significatu Matthæi 28. dicitur: *Vespere sabbati, quæ lucescit in prima sabbati, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre sepulchrum.* Vbi bene Augustinus ait: *Sic dictum est vespere sabbati, ac si diceretur nocte sabbati, idest nocte, quæ sequitur diem sabbati. Ait enim: Vespere sabbati, quæ lucescit in prima sabbati; quod fieri non potest, si tantummodò primam noctis particulam, idest solum initium noctis intelleximus, dicto vespere significatum. Neque enim noctis initium lucescit in prima sabbati; sed ipsa nox, quæ luce incipit terminari; nam lux terminus totius noctis est.*

Numerus cardinalis pro ordinali numero ponitur.

Hebdomadæ cur sabbati nomen tribuitur?

Vesper pro nocte vsurpatur.

August. l. 3. de consensu Euang. c. 24

5. *Et valde mane veniunt ad monumentum orto iam sole.* Si venerunt *valde mane*, seu *valde diluculo*, vt Lucas ait, seu *mane cum adhuc tenebræ essent*, vt ait Ioannes; cur Marcus addit; *Orto iam sole?* Respondetur ex Augustini regula: *Distribue tempora, & concordabit Scriptura.* Aliud ergo tempus tribuendum est egressui mulierum, & aliud earumdem ad Domini sepulchrum aduentui. Surrexerunt quidem, & domo egressæ sunt *valde mane*, seu *valde diluculo*, seu, *cum adhuc tenebræ essent*: peruenerunt tamen ad monumentum cum iam sol apparere cœpisset. Ita Dionysius Alex. epist. ad Basilidem. Adde ex sententia Chrysologi tunc Domino resurgente solis ortum ante consuetum naturæ tempus fuisse. *Sol, inquit, cum resurgeret Dominus ante tempus occurrit. Vt consurgeres auctori suo euictis tenebris antelucanus erupit vt mane faceret, manicauit; noctem praeuenit fugatus.*

Luc. 23. 56. Ioan 20 1. Euangelii textuum conciliatio. August. ser. 16. de verbis Domini.

6. *Valde mane veniunt ad monumentum.* Prouerb. 8. 17. dicitur: *Qui mane vigilant ad me, inuenient me.* At piæ hæ mulieres in Domini obsequium mane quidem vigilarunt, non tamen Dominum inuenerunt: iis enim Angelus dixit: *Iesum quæritis Nazarenum crucifixum: surrexit, non est hic.* Sed quia *fidelis est Dominus in omnibus verbis suis*; cum piæ istæ mulieres *exissent citò de monumento, cum timore, & gaudio magno currentes nunciare discipulis eius; ecce Iesus occurrit illis dicens: Auete. Illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum*, vt dicitur Matth. 28. 9.

Vigilantes Dominum inueniunt. Ps. 144. 13.

Et dicebant ad inuicem: Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti?

7. CVm piæ hæ mulieres de saxi pondere difficile remouendo timerent; quæritur cur non etiam de militibus Domini sepulchrum custodientibus timuisse dicantur? Ad hanc difficultatem soluendam respondendum videtur mulieribus his non innotuisse ad Domini sepulchrum militum custodiam fuisse adhibitam: hoc enim factum est non ipso, quo Dominus sepultus est, die; sed die sequenti iuxta Matthæum 27. 62. *Altera die, quæ est post Parasceuen conuenerunt Principes Sacerdotum, & Pharisæi ad Pilatum dicentes: Iube custodiri sepulchrum, &c. Illi autem abeuntes munierunt sepulchrum signantes lapidem cum custodibus.* Dices: Ecclesia de Magdalena in hymno ait: *Adstare non timet cruci. Sepulchro inhæret anxia. Truces nec horret milites. Pellit timorem Charitas.* Respondetur iuxta Matth. 28. cum *Angelus Domini descendit de cœlo*, &c. *Præ timore eius exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui.* Hi custodes cum à timore, vt poterant, vires, & animum reuocassent, eosque ibi Magdalena improuisò inuenisset; non proinde ei ab illis timor incuti potuit, quominus ad sepulchrum adstaret.

Mulieres Domini monumentum ingressuræ, cur saxi pondus, & non militum custodiam timuerint?

8. *Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? Ab ostio monumenti; an cordis?* ait Chrysologus. Cum peccatores plurium scelerum, cordisque duritiei sibi bene conscii, conscientiæ stimulis agitati; & resipiscentiæ cupidi dicunt: Quis à nobis lapideum cor auferet? Respondet Dominus Ezech. 36. 26. *Auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum: & spiritum meum ponam in medio vestri; & faciam vos in præceptis meis ambulare. Dabo vobis cor carneum*, id est molle, docile, tractabile, persuasibile, & obediens iuxta Hieronymum, Augustinum, & Theodoretum.

Chrysolog. serm. 82.

Et respicientes viderunt reuolutum lapidem; erat quippe magnus valde.

9. CVr inuenerint reuolutum lapidem; Euangelista rationem reddit; quia cum esset lapis magnus valde, imbecilles piarum mulierum vires superabat; idque documento nobis est, vt rebus in arduis fiducialiter Dei in adiutorium semper speremus. Nam ad exequendum quod nostras vires superat, suam

Deus in arduis humanā imbecillitatem adiuuat.

ſuam Deus opem ſubſtituit. Apoc. 12. 14. dicitur: *Draco perſecutus eſt mulierem: & data ſunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, vt volaret.* Tunc mulieri alæ diuinitus datæ ſunt, cum ad perſequentem draconem fugiendū ex ſe vires non haberet.

10. *Viderunt reuolutum lapidem.* *Angelus Domini deſcendit de cœlo; & accedens reuoluit lapidē,* dicitur Matth. 28. 2. *Qui fit, vt lapis Dominico monumento impoſitus ab Angelo fuerit reuolutus propter reſurrectionem corporis eius?* ait S. Iuſtinus quęſt. 117. & bene reſpōdet. *Dominus ſua diuina poteſtate exijt ex monumento, ſaxo incūbente monumento. Non enim propter eius reſurrectionem ablatum eſt ſaxum à monumento; ſed vt declararetur ſpectantibus reſurrectio.*

Et introeuntes in monumentum, viderunt iuuenem ſedentem in dextris coopertum ſtola candida, & obſtupuerunt.

11. IVxta aliquorum ſententiam duo Angeli à mulieribus hîc viſi dicuntur, alter extra monumentum, de quo Matthæus 28. ait: *Angelus Domini reuoluit lapidem, & ſedebat ſuper eum. Reſpondens autem dixit mulieribus: Ieſum, qui crucifixus eſt, quæritis. ſurrexit, non eſt hîc: venite, & videte locum, vbi poſitus erat Dominus.* Præter hūc Angelus alter intra monumentum viſus dicitur, de quo Marcus ait: *Introeuntes in monumentum viderunt iuuenem ſedentem in dextris.* Probabilius tamen dicendum videtur mulieres introeuntes, ſeu ingredientes tantùm in monumenti oſtium, nondum in interius monumentum ingreſſas vidiſſe Angelum ſuper lapidem ſedentem; ſeu iuxta Marcum in dextero ſepulchri latere, quo reuolutus lapis ceciderat. Qui Angelus cum eis non dixiſſet: Ite, ſed. *Venite, & videte locum, vbi poſitus erat Dominus;* hinc apertè habetur eundē Angelum ducem, & comitem ſe mulieribus addidiſſe, vt in interius monumentum ingreſſæ locum, vbi poſitus erat Dominus viderent. Quare apud Marcum verba illa: *Ieſum quæritis Nazarenum crucifixum: ſurrexit, non eſt hic: ecce locus, vbi poſuerunt eum;* non diſtincto alteri Angelo, ſed tantùm primo Angelo mulierum comiti tribuenda videntur. Dices, Luc. 24. 3. de mulieribus dicitur: *Ingreſſæ non inuenerunt corpus Domini Ieſu; & factum eſt dum mente conſternatæ eſſent de iſto, ecce duo viri ſteterunt ſecus illas in veſte fulgenti. Cum timerent autem, & declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas: Quid quæritis viuentem cum mortuis? Non eſt hic, ſed ſurrexit.* Ergo duo Angeli ſub virili forma mulieribus apparuerunt. Reſpondetur poſt viſum primum Angelum in ſepulchro, qui mulieribus dixerat: *Nolite expaueſcere, Ieſum quæritis Nazarenum; ſurrexit, non eſt hic. Dicite Diſcipulis eius, & Petro, quia præcedit vos in Galilæā; ibi eum videbitis: Illæ exeuntes fugerunt è monumento: inuaſerat enim eas timor, & pauor; & nemini quidquam dixerunt; timebant enim.* Ad hunc mulierum timorem expellendum, & vt nutantem earum de Chriſti reſurrectione fidem ſtabilirent; & vt quàm citiſſimè ad Diſcipulos Dominicæ reſurrectionis nunciæ properarent, præter primum, duo alii Angeli de quibus Lucas ſcribit, eis apparuerunt: *vt in ore trium teſtium ſtaret omne verbum.*

Mulieres ad Domini ſepulchrum quot Angelos viderint

Matt. 18. 16

12. *Viderunt iuuenem ſedentem in dextris coopertum ſtola candida;* Angelum ſcilicet iuuenili ſpecie. De eodem Matthæus ait: *Angelus Domini deſcendit de cœlo, & reuoluit lapidem, & ſedebat ſuper eum; erat autem veſtimentum eius ſicut nix.* Conſuetum eſt in Scriptura interdum alicui non ſecundùm eius naturam, ſed ſecundùm externam figuram nomen tribuere. Quare ſicut hîc, ita Tobiæ 5. 5. Angelus iuuenis appellatur: *Egreſſus Tobias inuenit iuuenem ſplendidum, ſtantem, præcinctum.* Similiter 2. Mach. cap. 3. 26. de duobus Angelis dicitur: *Apparuerunt duo iuuenes virtute decori, qui circumſteterunt Heliodorum, & ex vtraque parte flagellabant.* Præterea citato Lucæ capite duo Angeli duo viri dicuntur; eo quòd ſub virili ſpecie apparerent. Similiter Actorum 16. 9. dicitur: *Viſio per noctem Paulo oſtenſa eſt. Vir Macedo quidam erat ſtans, & deprecans eum;* quem Angelum Macedoniæ præſidem fuiſſe aſſerunt Comeſtor, Beda, Carthuſianus, & Hugo. Gen. 18. *Apparuerunt Abrahæ tres viri ſtantes prope eum;* quos Angelos fuiſſe conſtat. Geneſis 19. *Venerunt duo Angeli Sodomam,* quos Lot v. 8. viros appellat. Geneſ. 32. 24. de Iacob dicitur: *Vir luctabatur cum eo;* quem Angelum fuiſſe conſtat ex Oſea cap. 12. 3. vbi de eodem Iacob dicitur: *In vtero ſupplantauit fratrem ſuum; & in fortitudine ſua directus eſt cum Angelo: congreſſus eſt cum Angelo,* legit Syrus: *& inualuit ad Angelum.* Denique Actor. 1. 10. de Diſcipulis Dominum in cœlum aſcendentem intuentibus dicitur: *Cum intuerentur in cœlum, ecce duo viri aſtiterunt iuxta illos in veſtibus albis.* Quos Angelos fuiſſe communis Patrum ſententia aſſerit contra Pelbartum cum Franciſco Maitone aſſerentem duos illos viros Enoch, & Eliam fuiſſe.

Matt. 28. 3.

Nomen aliciu interdū tribuitur, non ſecundùm eius naturā, ſed ſecundùm externam figuram.

Angelus Paulum Apoſtolum deprecatur.

13. Quæri hîc poteſt, cur prior Angelus ad ſepulchrum aſtans iuuenili ſpecie viſus ſit; duo verò Angeli, qui poſtea extra ſepulchrum mulieres in Dominicæ reſurrectionis fide confirmarunt, non iuuenili, ſed virili ſpecie iuxta Lucam apparuerint? Reſpondetur priorem Angelum ad Domini ſepulchrum adſtantem dedignatum eſſe ſub virili forma apparere: vt in contēptum Iudaicæ induſtriæ, quæ ad Domini ſepulchrum cuſtodiendum milites tamquam validos cuſtodes adhibuerat, vnicus tantùm ſine comite iuuenis, ſeu vt in Græco textu eſt, νεανίσκος, hoc eſt adoleſcentulus, procul ab omni metu ſecurè ſuper lapidem ſedens militarem turbam, non ſolùm non timere, ſed exterritos milites, & ſemimortuos ſternere poſſe videretur.

Angelus vnus ſub iuuenili ſpecie, Angeli alii ſub ſpecie virili in Domini reſurrectione cur apparuerint.

14. *Coopertum ſtola candida.* Ad animi candorem ſignificandum, iuxta Clementem Alex. Ad gaudium, & lætitiam indicandum iuxta Gregorium. Candidus enim color teſte Platone lætitiæ proprius eſt. Hinc Eccleſ. 9. 8. ad læti animi tranquillitatem, habendam, & indicandam dicitur: *Omni tempore ſint veſtimenta tua candida:* ſeu vt legit Vatablus: *Eſto omni tempore lætus: Et oleum de capite tuo non deficiet.* Cum ex tranſacta paſſione in Chriſto Domino Angelorum, hominumque capite, miſericordiæ oleum non defeciſſet; lætantes Angeli candidis induti veſtibus apparuerunt. *Chriſto naſcente non legi candidatos Angelos apparuiſſe, quia in natiuitate apparuit Deus humilis: in aſcendente,* dicamus etiam in reſurgente, *oſtenſus eſt homo ſublimis,* ait Gregor. Cum natus Dominus ſub mortali carne pauperrimus Matris Virginis pannis tegeretur; tunc certè non decuit eius aſſeclas Angelos candidis indutos veſtibus apparere; huiuſmodi enim veſtes diuitum indumenta erant. De diuite enim Iacobus Apoſtolus cap. 2. ait: *Si introierit in conuentum veſtrum vir aureum annulum habens in veſte candida.*

Clemens Alex. Pædag. lib. 2. c. 10.

Gregor. hō. 21. in Euāg.

Candor veſtis lætitiā, animique candorem ſignificat.

Candidis veſtibus cur reſurgēte Domino, non autem naſcente Angeli apparuerunt: hîc, & ſeq.

Gregorius ſupra.

Candida veſtis diuitum erat.

15. Lucæ 5. cum Pharisæi, & Scribæ Domino dixissent: *Quare discipuli tui edunt, & bibunt?* Respondit Dominus: *Numquid potestis filios sponsi, dum cum illis est sponsus, facere ieiunare? Venient dies, cum ablatus fuerit ab illis sponsus, tunc ieiunabunt.* Præsente igitur sponso conuiuari conueniebat. Cum post passionem cœlestium mentium sponsus Christus Dominus ad cœleste regnum ascensurus esset; ibique conuiuium illud celebrare, de quo dicitur: *Beati, qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt:* sancti Angeli redeunte in cœlum Domino cœlestis illius cœnæ conuiuæ futuri, sub candidis vestibus apparuerunt. Conuiualis enim vestis candida erat. *Albati festorum conuiuia agitabant,* ait Philo lib. de vita Theoretica.

Apoc 19. 9. Candida vestis conuiualis erat.

16. S. Augustinus paschali tempore recens baptizatis & de more albis vestibus indutis, transactis paschalibus diebus ait: *Candor, qui de habitu deponitur, semper in corde teneatur.* Quibus verbis indicat candido colore animi candorem significari. Quare cum candida vestis candidum quoque animum significet, Clemens Alex. lib. 2. Pædagogæ, suadet, vt Christiani Angelorum, quo apparent, amictum, puritatemque imitantes, candidis vestibus semper vtantur. Ex quo factum est teste Baronio, vt Ægyptii Christiani non nisi candidis vestibus vterentur. Quod etiam de Essæis, qui Alexandriæ sub S. Marco mira sanctitate floruerunt, refert Eusebius lib. 9. Præparationis cap. 1. S. Antonius martyrii cupidus alba indutus veste ad iudicis tribunal prodiit, vt candido indumento se Christianum esse ostenderet: *Candente præcinctus veste procedens iudicem suo prouocabat aspectu, flagrans cupiditate martyrij,* ait S. Athanasius. Quàm bene candido colore purpureum effuso sanguine martyrii colorem ambiebat Antonius; vt cœlesti similis sponso simul esset *candidus, & rubicundus.* Apud Romanos, qui magistratum petebant, Candidati dicebantur; eo quod alba veste vterentur. Cum ergo martyrii palmam, & inde cœlestis regni Principatum magnus Antonius peteret, bene candidatus videri voluit. Ad effundendum in bello hostilem sanguinem rubro colore elephanti incitantur: *Elephantis ostenderunt sanguinem Vuæ, & Mori ad accendendos eos in prælium,* dicitur 1. Mach. cap. 6. 34. secus magnus Antonius, vt suum pro fidei testimonio effunderet sanguinem, vestis candore iudicem incitauit.

August. ser. 157 de tempore. Christiani candidis vestibus vtebantur. Baronius anno Christi 256. S. Antonius martyrii cupidus ad iudicis tribunal candida veste prodiit. Cant. 5. 10. Elephanti rubro colore in prælium accenduntur.

17. De Angelo cooperto stola candida Matthæus ait: *Erat aspectus eius sicut fulgur, vestimentum autem eius sicut nix.* Fulgur igneum, & lucidum simul est, tales Dei ministri esse debent; vt eos, quibuscum versantur, illuminent, eosdemque simul vt ignei incendant. Nam, vt bene S. Bernardus ait: *Est tantùm lucere vanum; tantùm ardere parum: ardere, & lucere perfectum.* Nazianzenus de S. Basilio ait: *Vita eius erat fulgur:* quia scilicet verbo, & exemplo proximos illuminabat, eosdemque ad Dei amorem incendebat.

Matt. 28. 3. Fulgori Dei ministri similes. S. Bernard. ser. de S. Ioan. Baptista. Nazianz. orat. 20.

Qui dicit illis: nolite expauescere.

18. Nolite expauescere, cum vobis sim rei iucundissimæ nuncius; cumque me, vt bonum Angelum, Dominicæ quippe resurrectionis testem, & præconem agnoscere debeatis. In veteri testamento sæpe Angelos hominibus apparuisse, & cum eis collocutos esse legimus; cum mulieribus autem colloqui dedignatos. Genes. 18. quamuis Sara in eodem tabernaculo foret, eam alloqui dedignatus Angelus, Abrahamo dixit: *Habebit filium Sara vxor tua.* Fuit hoc in pœnam quod mundi initio in humani generis perniciem cum diabolo mulier collocuta fuerit: sed post Domini resurrectionem, vt eius redemptionis fructus appareret, Angeli mulieres alloqui, seque illis, vt Angelos manifestare dignati sunt. Quod magno gaudio Apostolis mulieres testatæ sunt dicentes, *se visionem Angelorum vidisse, qui dicunt eum viuere.* Ideo Seuerianus Episcopus S. Chrysostomi coæuus ait: *Surgente Domino terrenis redditur cæleste consortium: & mulieri cui fuerat cum diabolo lethale consilium, fit cum Angelo vitale colloquium.*

Luc. 24. 23. In catena.

Iesum quæritis Nazarenum crucifixum: surrexit, non est hic; ecce locus vbi posuerunt eum.

19. Contra hoc certissimum S. Angeli de Christi resurrectione testimonium insurgere conatus est Angelus Satanæ, qui ex ore Cherinti, Passionistarum, Seleucianorum, Hermianorum, & Apellis Hæreticorum Christum resurrexisse negare ausus est. Cherintus teste S. Epiphanio hæresi 28. asserit Christum post crucis passionem nondum resurrexisse; resurrecturum tamen in generali resurrectione. Eãdem Cherinti hæresim refert Augustinus lib. de hęresibus, hæresi 8. Passionistæ, Seleuciani, & Hermiani teste Philastrio asseruerunt Christi quidem animam in cœlum ascendisse, relicto tamen in Sole corpore; ad quam falsitatem cõprobandam afferebant illud Psal. 18. *In sole posuit tabernaculum suum.* Eiusdem hæresis asserentis solam Christi animam in cœlum ascendisse meminit Tertullian. lib. de carne Christi c. 24 Apelles etiam teste Augustino hæresi 23. Christum sine carne in cœlum ascẽdisse docuit: vel non in sua, & vera carne resurrexisse, & in cœlum ascendisse, vt Philastrius refert. Contra huiusmodi hæresim sunt apertissima sacræ Scripturæ testimonia. Primò ipsius Christi Matth. 16. 21. *Cœpit Iesus ostendere Discipulis suis, quia oporteret eum multa pati à Senioribus, & occidi, & tertia die resurgere.* Præterea Apost. 1. ad Cor. 15. ait: *Tradidi vobis quod accepi, quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris; & quia sepultus est; & quia resurrexit tertia die secundùm Scripturas.* Scripturæ autem plurimæ afferri possunt; præcipua autem est illa ex Psalmo 15. *Non derelinques animam meam in inferno; nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitæ: adimplebis me lætitia cum vultu tuo.* Quæ verba de Christi resurrectione S. Petrus explicat Act. 2. & S. Paulus Act. 13.

Hæretici negantes verã Christi resurrectionem refelluntur hic, & seq.

19. Porrò quod Christus Dominus non cum alio, sed cum eo, quo passus est corpore resurrexerit; patet ex eo quòd resurgens vulnerum fixuras manibus, pedibus, & latere retinere voluerit. Si enim resurgens corpus aliud assumpsisset, & in eo vulnerum cicatrices habere voluisset; vt se eundem, qui passus erat, ostenderet; hoc videretur fecisse per deceptionem; cum tamen vera per aliud corpus passus esset, & vulnera recepisset; & per aliud, quod vulnera non receperat, resurrexisset. Debuit igitur idẽ corpus *sicut socium passionis fuit, sic esse & consolationis.* Quare bene S. Leo de Domino ait: *Idem vulnus lateris, fixuras clauorum, & omnia recentissima passionis signa monstrabat; vt agnosceretur in eo proprietates diuinæ, humanæque naturæ indiuiduas permanere.*

2. ad Cor. c. 1. 7. S. Leo ser. 1. de Resur.

20. Idem aliqui probant, quia si post mortẽ corpus aliud Dominus assumpsisset; ei vera resurrectio tribui non posset; illud enim corpus, quod exanime in morte occubuerat, & nõ aliud resurgere debebat, vt vera resurrectio dici posset. Huius argumenti vim aduersarii aliquo modo eludere possent dicentes, Domino verè resurrectionem tribui; eo quòd sanctissima illius anima Diuinitati semper vnita, quæ ad corpus passibile se demiserat, ad corpus alterius rationis omnino impassibile se eleuasset.

21. Contra Catholicam veritatem de vera Christi Domini in eodem, quo passus est corpore, resurrectione opponunt hæretici verba illa Apost. 2. ad Corinth. 5. *Et si cognouimus Christum secundùm carnem, sed iam non nouimus*. Respondetur his verbis Apostolum significare, quamuis fideles per fidem nouerint Christum eo tẽpore, quo mortalem vitam duxit, passibilem carnem habuisse; nunc tamen eamdem carnem, non vt antea passibilem, sed omnino impassibilem à Domino haberi fideles noscere. Quare contra hæreticorũ falsum Apostolicæ allatæ sententiæ sensum, cum S. Leo veram Domini in suo, quod antea habuerat, corpore resurrectionem asseruisset, subdidit: *Non dissonat ab hac fide Apostolus Paulus, cum dicit: etsi cognouimus Christum secundùm carnem; sed iam non nouimus. Resurrectio enim Domini non finis carnis, sed commutatio fuit: nec virtutis augmento consumpta substantia est. Qualitas transijt, non natura defecit. Et meritò dicitur caro Christi in eo statu, in quo fuerat nota, nesciri; quia nihil in ea passibile, nihil remansit in ea infirmum, vt & ipsa sit per essentiam, & non sit ipsa per gloriam*. Eumdem Apostoli verborum sensũ docet Chrysostomus ibidem, Theodoretus, & Synodus septima generalis Act. 6. Præterea eorumdem verborum sensus talis esse potest iuxta Gagnæum: Si olim nouimus, & ex hac notitia magni æstimauimus, & gloriati sumus de Christo secundùm carnem, hoc est Christum carnali generatione esse Iudæum, nosque esse Christi cognatos secundùm carnẽ; nunc terreno huiusmodi affectu reiecto, augustius, multoq; melius, & vtilius secundùm spiritum Christũ nouimus, vt hominem simul, & Deum, vt humani generis Redemptorem, vt Euangelicæ veræ fidei Doctorem, vt gratiæ, salutisque auctorem; talemque aliis prædicemus. Circa allatam Apostoli sententiam vide Suarium 3. p. disp. 13. sect. 3.

S. Leo supra

22. Præterea contra Passionistas, aliosque supra citatos hæreticos respondetur Psalm. 18. verba: *In sole posuit tabernaculum suum*, nullo modo sensum ab illis allatum habere; sed longè diuersum. Nam ibi ex Hebræo legit Hieronym. *Soli posuit tabernaculum in eis*; scilic. in cœlis, de quibus dixerat: *Cœli enarrant gloriam Dei*: & sensus est Deum Soli proprium cœlestem orbem dedisse. Quare vt Hebræa lectio cum vulgata concordet: cum dicitur: *In sole posuit tabernaculũ suum*; talis sententiæ sensus intelligendus est per hypallagen figuram, quæ nominum casus commutat. Idem ergo est per talem figuram dicere: *In sole posuit tabernaculum suum*, ac sine tali figura diceret *Solem posuit in tabernaculo suo*, nempe in cœlo. Sic etiam Poeta dixit: *Onerantque canistris dona laboratæ Cereris*; hoc est laboratæ Cereris donis canistra onerant. Quod si ibi talem figuram admittere non libeat, cum particula, IN, frequentissimè in scriptura ex Hebraismo causam significet, dicendo: *In sole posuit tabernaculũ suum*, sensus est Deum, per solem suum tabernaculum, nempe cœlum oculis spectabile posuisse, vt à sole illuminati cœlestes orbes, Dei gloriam enarrent, iuxta id quod ante dixerat: *Cœli enarrant gloriam Dei. In sole ergo posuit tabernaculum suum*, idem est ac dicere, per solem cœleste suum tabernaculum videndum exposuit. Circa eadem Psalmi verba vide dicta Dom. 3. Quadrag. num. marginali 158. & Feria 4. post Domin. pass. n. 42.

Hypallage figura.

Æneides 8.

Particula IN, sæpe causam significat.

Qua gloria ornatum Christi Domini corpus surrexerit?

23. VNiuersaliter de Iustorum resurrectione Apostolus dixit: *Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale*. De quo Augustin. ait: *Spirituale dicitur corpus, non quasi in spiritum vertatur; sed quia ita spiritui subditum erit, vt cœlesti habitationi conueniat, omni fragilitate, & labe terrena in cœlestem stabilitatem mutata, atque conuersa*. Præcipuè propter agilitatis, & subtilitatis dotes, quibus citissimè, & facillimè beatorum corpus omnia permeare potest, spiritale corpus dicitur: spiritus enim, hoc est ventus celerrimè, & facillimè quocunque mouetur. Præterea propter easdem agilitatis, & subtilitatis, insuper etiam & impassibilitatis dotes corpus gloriosũ spiritale dicitur, eo quòd per has dotes Beati similes sanctis Angelis reddantur: qui spiritus dicuntur Psal. 103 *Qui facis ministros tuos spiritus*. Hinc Damascenus lib. 4. de fide c. vlt. ait: *Seminatur corpus animale, id est crassum, & mortale; resurget corpus spiritale, immutabile, impassibile, subtile. Hoc enim designat spiritale, quale Domini corpus post resurrectionem clausis portis ingrediens, infatigabile, cibo, somno, & potu non indigens. Erunt enim sicut Angeli Dei*, Dominus dixit Mat. 22. 30.

1. ad Cor. 15. August. de fide & symbolo c. 6. Corpus gloriosum quo sensu spiritale dicitur: hic, & seq.

24. Augustinus explicans citata Apost. verba: *Seminatur corpus animale, surget spiritale*, bene subdit: *In his verbis Apostoli, numquid fas est putare melius corpora resurrectura, quàm Christi; cum de illo sit propositum exemplum, quòd fideliter intendere, & per eius gratiam sperare debeamus?* Ideo Apostolus ait: *Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ*. Ex Apostolo citato loco ad Corinth. quatuor supra indicatæ dotes glorioso corpori tribuuntur. Prima est impassibilitas, quam Apostolus significat dicens: *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione*. Secunda dos est claritas, de qua ait: *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria*. Ex claritatis enim dote præcipuè corpus dicitur gloriosum: & in Scriptura gloria pro claritate sumitur. Quare Exodi 34. 29. cum Moses ex colloquio cum Deo in monte Sina mirificè illuminatam faciem referret; vbi citato loco dicitur: *Moyses ignorabat, quòd cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini*; Chaldæus legit: *Ignorabat Moyses quòd multiplicatus esset splendor gloriæ vultus sui*. Et Septuaginta legunt: *Non sciebat Moyses, quòd glorificatus fuerat aspectus coloris faciei suæ*. Similiter in Officio de Domini transfiguratione dicitur: *Glorificata est facies Moysi*: & ab Apostolo dicitur: *Vt non possent intendere filij Israel in faciem Moysi propter gloriã vultus eius*. Tertia dos est agilitatis, qua celerrimè sine vlla lassitudine beati distantia loca adire possunt. De hac Apostolus ait: *Seminatur in infirmitate, surget in virtute*. Virtutis enim nomine etiam naturalis agilitas appellatur Psalm. 17. 33.

Augustin. epist. 146.

Ad Philip. 3. 20.

Dotes quatuor Corporum beatorum.

2. ad Corinth. c. 3. 7.

Deus præcinxit me virtute, qui perfecit pedes meos tamquam ceruorum. Quarta dos est subtilitatis, de qua ibidem dicitur: *Seminatur corpus animale, surget spiritale*; hoc est, vt ad modum spirituum alia corpora penetret, & peruadat iuxta Damascenum supra citatum. Ad hanc subtilitatis dotem explicandam, vt in Physicis quæstionibus probauimus, dicendum est quantitatis essentiam constitui per impenetrabilitatem partium in actu primo, cui impenetrabilitati additur modalis entitas ab ipsa quantite, salua eius essentia, separabilis, per quam in actu secundo quantitas impenetrabilis redditur. Hæc modalis entitas, cum penetratio fit, à corpore quanto remouetur. Quare S. Thomas in 4. dist. 44. quæst. 2. art. 2. ad secundam quæstionẽ sic ait: *Dicendum, quòd non potest dici, quòd corpus gloriosum ratione subtilitatis suæ habet, quòd possit esse cum alio corpore in eodem loco; nisi per subtilitatem auferatur ab eo illud, quo prohibetur nunc esse simul cum alio corpore in eodem loco.* Porrò quamuis, si à penetrante tantùm, vel tantùm à penetrato impeditiua entitas illa remoueretur, penetratio fieri possit; probabilius tamen dicitur talem entitatem modalem à penetrato, quàm à penetrante corpore remoueri. Cum enim è clauso sepulchro Dominus resurrexit, à marmore potius quàm à suo glorioso corpore entitatem illã remouisse dicendum videtur: hoc enim magis ad beatorum corporum corpora alia penetrantium dignitatem facit; scilicet, vt nihil deperdendo corpora alia penetrare possint. Fit autem talis remotio à diuina adsistentia, quæ ad libitum beatorum à penetrandis corporibus impedimentum remouet; remouendo scilicet, vt dixi, modalem illam entitatem, quæ impenetrabilitas in actu secundo dici potest: non autem remouendo crassitiem, duritiemque corporis penetrati, vt aliqui dixerunt: cum enim Dominus è clauso sepulchro prodiit, marmor suam crassitiem, duritiemque retinuit. Patet hoc, nam etiã corpora non dura penetrari possunt; & consequenter per duritiei remotionem penetratio nõ fit. Sicut igitur corpus crassum, & durum, remanente crassitie, & duritie, in puncto, seu indiuisibiliter poni potest; ablata tantùm partium extensione in ordine ad locum: ita ablata tantùm modali entitate, quam impenetrabilitatem in actu secundo esse diximus, penetratio fieri potest. De quatuor prædictis beatorum dotibus fusè disserit S. Th. in 4. dist. 44. quæst. 2. In quo consistant hæ dotes, fusè docet Suarius tertia p. disp. 48.

Subtilitatis dos quomodo exerceatur.

Subtilitatis dos à corpore penetrato non remouet crassitiem, & duritiem

25. Quatuor his dotibus ornatus Christus Dominus resurrexit; claritate autem, & agilitate in eminenti præ cæteris omnibus gradu. Apud Augustinum tom. 9. lib. de cognit. veræ vitę cap. penultimo quæstio hęc proponitur: *Cum Dominus dicat: Fulgebunt iusti sicut sol; & Apostolus: Alia claritas solis, alia lunæ, alia stellarum. Stella à stella differt in claritate; sic resurrectio mortuorum: videtur Apostolus Domino contrarium sentire: videlicet quos hic velut solem fulgere asserit; ille quosdam velut diuersas stellas; alios velut lunam, alios velut solem fulgere astruit. Sed sciendum est, quòd Dominus gloriam Sanctorum generaliter expressit; Apostolus autem singulorum gloriam pro meritis distinxit. Vltimus ergo in regno cœlorum, vt sol fulgebit, qui tunc septies clarior, quam nunc, erit. Et in hac claritate tantùm quisque ab alio pro meritis,*

Beati quomodo simul stellis, & soli comparentur. Matt. 13. 43. 1. ad Corin. 15. 41.

A *differt, quantùm stella à stella in claritate differt. Hos autem omnes tantùm corpus Christi in claritate excedit, quantùm Creator creaturas transcendit.* Quod intelligendum est non arithmeticè, sed geometricè, & proportionaliter. Creator enim creaturas excedit infinitè: at Christi corporis claritas non infinitè beatorum claritatem excedit; cum infinita corporeæ lucis claritas dabilis non sit. Præterea contradictio nulla est, quòd à Domino beatorum splendor Soli comparetur, ab Apostolo autem stellis: cum idem Dominus, qui Apoc. 22. 16. ait: *Ego sicut stella splendida, & matutina*; idem Malach. 4. 2. sol appelletur. Et Ecclesiastici 50. 6. de Simeone Pontifice Oniæ filio dici-
B tur: *Quasi stella matutina in medio nebulæ; & quasi luna plena in diebus suis lucet; & quasi sol refulgens, sic ille effulsit in templo Dei.* Et Cant. 6. 9. de B. Virgine primaria Dei sponsa dicitur: *Pulchra, vt luna; electa, vt sol.* Et Sapient. 3. quamuis dicatur: *Fulgebunt iusti sicut sol*; nihilominus de iisdem, cum ipsi iusti fuerint, & iustitiam alios docuerint, dicitur Danielis 12. *Qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.*

26. Augustinus ser. 34. de verbis Apostoli ait: *Videmus hyemis tempore arbores spoliari pomis, nudari folijs: sed eas rursus verno tempore speciem resurrectionis exprimere: quia primò quidem incipiunt surgere in gemmis, tum ornari in*
C *floribus, vestiri & folijs, & postmodum pomis grauari. Interrogo te, infidelis homo, qui de resurrectione dubitas, vbi sunt ista, quæ tempore, quo Deus disposuit producuntur? Dic mihi, vbi latitant antequam producantur? Quæ nusquam quidem videntur, sed tamen Deus, qui omnipotens est, & ea ex nihilo condidit, secreta sua virtute producit. Hinc iam ad campos, & prata respicite, quæ æstate transacta herbis suis spoliantur, & floribus; & nuda remanent ipsa spatia terrarum: sed iterum verno tempore reuestiuntur; & nouo vbique germine incipiente lætatur agricola. Certè herba, quæ ante vixit, & moritur, rursus reuiniscit ex semine.* Sistendo in allata ab Augustino
D reflorentium germinum similitudine bene Dominus de sua resurrectione iuxta eundem Augustinum dicere potuit; *Refloruit caro mea*; verno scilicet, & matutino tempore, quo Dominus resurrexit: quo quidem tempore flores prodeunt, vt Poëta cecinit:

Resurrectio naturali paritate probatur.

> *Ver erat, & blando mordentia frigora sensu*
> *Spirabat croceo mane reuecta dies.*
> *Vidi Pæstano gaudere rosaria cultu,*
> *Exoriente nouo roscida Lucifero.*

Ausonius Idilio 14.

Bene ergo verno, & matutino tempore resurgens Christus Dominus dicere potuit: *Refloruit caro mea, sicut lilium inter spinas*: inter spinas, nempe vel inter militum sepulchrum custodientium mucrones; vel inter spinarum
E cuspides in Domini capite à spinea corona relictas. Quòd si quæratur mysticum hoc lilium, quo imbre irrigatum floruerit; Respondetur ex Apostolo: *Dominus in diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad eum, qui possit illum saluum facere à morte, cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia*; hoc est pro obsequio reuerenter erga æternum Patrem semper exhibito, Preces, supplicationesque à Christo efficaciter æterno Patri oblatæ fuerunt, non vt mortem euaderet; sed vt post mortẽ ab ea resurgendo liberaretur.

Ps. 27. 8. Cant. 2. 2.

Christi resurgentis refloruit caro, antea lacrymarũ imbre irrigata.

Ad Hebr. c 6.

Idque iuxta Psalmum 20. vbi æterno Patri de sanctissimo eius filio dicitur: *Desiderium cordis eius tribuisti ei; & voluntate labiorum eius non fraudasti eum. Vitam petiit à te, & tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum, & in sæculum sæculi:* & iuxta Psalmum 40. vbi itidem æterno Patri Christus ait: *Tu autem, Domine, miserere mei, & resuscita me.* His pro sua resurrectione precibus lacrymas Dominus addidit, eas *cum clamore valido, & lacrymis offerens.* Harum lacrymarum imbre Dominus velut mysticum lilium irrigatum effloruit.

27. Isaiæ 58. dicitur. *Orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies, & requiem tibi dabit Dominus semper; & implebit splendoribus animam; & ossa tua liberabit; & eris quasi hortus irriguus, & sicut fons aquarum, cuius non deficient aquæ.* Si hæc de omni iusto dicta sunt; multò magis, & eminentius Christo Domino iustorum capiti promissio eadem ab æterno Patre facta est. Cum Dominus iuxta Athanasium, Gregorium, Nyssenum, Cyrillum Alex. & alios apud Suarium resurrexerit prima hora post mediam noctem, seu, quod idem est, noctis hora septima, seu tertiæ vigiliæ initio: vel iuxta Hilarium, Ambrosium, Thomam, & alios auroræ tempore ante naturalem solis ortum resurrexerit, nec sine magno claritatis splendore: hinc verè ei prædictum est: *Orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies. Et Dominus ossa tua liberabit*, scilicet à corruptione, ea iterum viuificando. Subditum ibidem ab Isaia: *Et vocaberis ædificator sepium*: idest talis eris, vt iure talis vocari possis. Iuxta Forerium, & Vatablum legitur: *Vocaberis obstructor rupturæ*, vel *Sepiens fracturam*, vel *ruinæ instaurator.* Hoc autem vaticinium impletum est, cum sanctissima Christi anima, vt instrumentum diuini Verbi, cui vniebatur effectiuè concurrit ad exanime, lacerumque suum corpus restaurandum, debitè organizandum, & disponendum, seque illi iterum vniendum, iuxta probabilem sententiam allatam, & probatam à Suario supra citato. Tunc profectò Dominus vocari potuit *ædificator sepium*: cum enim resurrecturo Domino dictum esset: *Et eris quasi hortus irriguus*; mystici, ac felicissimi talis horti sepes ab ipso Domino constructa est, cum exanimis sui corporis partes diuinitus restaurauit.

Christus qua hora noctis resurrexit. Suar. 3. p. disp. 45. sec. 2.

Christus cur ædificator sepium dictus;

28. *Ossa tua liberabit.* Hoc vaticinium non solùm impletum est in propriis Domini ossibus, & membris, quæ omnia integra, & impassibilia resurrexerunt: sed etiam in mystico eiusdem corpore, nempe in SS. Patriarchis, & iustis, quos resurgens Dominus è Limbi carcere liberauit: quique in fidelium Ecclesia sustentanda, tamquam in mystico corpore veluti solida ossa fuerunt. Domini exemplum imitantes pii fideles Dominicæ resurrectionis die suos seruos libertate donare consueuerunt. Hermes illustris antea Vrbis præfectus, postea S. Martyr, Paschatis die mille ducentos quinquaginta seruos liberos dimisit. Ouinius Gallicanus cum bis consulatum gessisset, seculo renuncians humile vitæ genus ob Christi amorem amplexus, Paschali etiam solemnitate seruorum quinque millia manumisit. Tandem martyrii coronam consecutus, die 25. Iunii in Ecclesia habet S. martyris celebritatem. Similiter à S. Melania iuniore Paschatis die seruorum octo millia libera dimissa Palladius refert. Vt Sanctorum exempla sequamur, si nobis liberandi serui non sint, nos ipsos à peccati seruitute liberemus, Apostoli monito obsequentes: *Vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris; ita & nos in nouitate vitæ ambulemus; & vltra non seruiamus peccato.*

Christi ossa mystica iusti à limbo liberati.

Paschatis die pii fideles liberrate suos seruos donabant. Vide Salianum t. 1. pag. 431. & Laurentium Pignorium in Comment. de seruis.

Ad Rom. 6. 4.

29. De triduo, quo Christus Dominus antequam resurgeret, in sepulchro fuit, seu *in corde terræ*, vt dicitur Matth. 12. egimus Feria quarta post Dominicam 1. Quadragesimæ in illa verba: *Sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.* Ibi dictis adde solis obtenebrationem, quæ in Christi passione fuit, noctem non incongruè dici probari posse ex Sap. cap. 17. 2. vbi tres dies tenebrarum Ægyptiarum longæ noctis nomine appellantur. Præterea Orosius lib. 7. c. 4. diurnas illas solaris obscuritatis horas horrendam noctem vocat.

Matth. 12. Dies omnino obtenebratus dicitur nox.

Sed ite, dicite Discipulis eius, & Petro, quia præcedit vos in Galilæam: ibi eum videbitis, sicut dixit vobis.

30. *Ite, dicite Discipulis eius, & Petro:* Hinc Leo Imperator homil. de Resurr. ita pias has mulieres alloquitur: *O terque, quaterque beatæ mulieres, tum ob aduentum primo diluculo ad monumentum; tum ob pulcherrimum illud alloquium, & spectaculum; quæ primæ omnium immortalitatis locum illum specioso pede pressistis. Primæ insignè illud trophæum erectum esse audistis, infernum spoliatum, mortem peremptam, & corruptionem depressam. Nec amplius fœmineus sexus propter lapsum culpandus est; ab hoc enim annunciatur Resurrectio. Mulieres propter primam parentem non velantur, seu obteguntur amplius. Quin ipsæ hilari vultu, & lingua primæ gratiam diuinitus datam prædicant. O felices aures, quæ ante alias tantum nuncium acceperunt. O felices oculos, qui vitam tamiam ex sepulchro velut solem exorientem rutilare viderunt. O felices manus, quæ tetigerunt pedes, quibus corruptio est conculcata.*

Sepulchrum Christi Domini immortalitatis locus.

31. *Dicite Discipulis eius, & Petro.* Specialiter Petrus ad Dominum videndum vocandus erat, vt pœnitentiæ, lacrymarum fructus ostenderetur. Pœnitentium enim oculi lacrymis abluti ad Dominum videndum aptissimi redduntur. *Beati, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*, Dominus dixit Matth. 5. 5. Cum Petrus amarè suum peccatum defleuisset, specialiter meruit, vt eum Dominus suo aspectu solaretur. Cùm piæ mulieres Domini resurrectionis nunciæ ad eum in Galilæa videndum Discipulos inuitarent, iuxta Gregorium *Petrus, qui Magistrum negauerat, venire inter Discipulos non ausus esset.* Propterea sanctæ mulieres longè alio, quàm impudentis ancillæ sensu, dicere Petro præcipuè potuerunt: *Tu ex illis es*, qui ad Dominum videndum ex eius mandato aduocaris. *Verè tu ex illis es, nam & loquela tua manifestum te facit:* oculorum scilicet loquela lacrymis veniam postulantium: de qua loquela pœnitenti peccatori dictum est: *Ne taceat pupilla oculi tui: deduc quasi torrentem lacrymas, per diem, & noctem.*

Lacrymæ pœnitentis ad Dominum videndum oculos acuunt.

Greg. hom. 21. in Euang.

Marci 14. 69.

Matt. 26. 73.

Ierem. Thr. 2. 18.

32. *Ibi eum videbitis.* De his verbis bene apud Hieronymum dicitur: *Breuis sententia in syllabis, sed ingens in quantitate promissi.* Dis-

Apud Hieron. in cap. 16. Marci.

Beatitudo corporei oculi in cœlo visio Christi Domini.

cipulorum enim oculi gloriosum rediuiui Domini corpus videntes, cœlestis Sanctorum beatitudinis participes facti sunt. Nam sicut in cœlo Electorum mentis beatitudo in Dei visione consistit; ita ibidem corporei oculi beatitudo à Christi Domini visione præcipuè prouenit iuxta Augustinum, qui ait: *Deus propter hominem factus est homo; & in similitudine hominis apparuit; vt vterque sensus hominis in ipso beatificaretur; & reficeretur oculus cordis in eius Diuinitate; & oculus corporis in eius humanitate.* Idem docet Cyprianus, serm. de Natiuit. Domini.

Aug. Manuali c. 26.

31. *Sicut dixit vobis*: nempe Matthæi 26. 27. vbi post cœnam antequam in Gethsemani B hortum Dominus iret Discipulis dixit: *Postquam resurrexero præcedam vos in Galilæa.* In Galilæa autem post resurrectionem vndecim discipulis Dominus, & plusquam quingentis fratribus apparuit, vt dicitur Matth. 28. 16. & prima ad Corinth. 15. Sed antequam in Galilæa se rediuiuum Dominus Apostolis ostenderet, omissis aliis apparitionibus mulieribus factis, ipso resurrectionis die prius apparuit Petro, deinde Apostolis aliis simul cum ipso Petro, Thoma excepto, vt habetur ex Luca 24. Rursus post dies octo iisdem Apostolis addito etiam Thoma apparuit, vt patet ex Ioanne 20. C 26. Cum ergo hæ apparitiones Ierosolymæ præcesserint; quæritur cur Dominus suis, & Angeli verbis se post resurrectionem in Galilæa videndum tantùm dixerit? Proponit hanc quæstionem Nyssenus orat. 2. de Christi resurrectione sub finem, eique respondet: *Quo pacto Seruator Discipulis partim per Angelum, partim sua ipsius voce pollicitus quòd profectus in Galilæam eis appariturus esset; cum visus sit Ierosolymis quoque promissum præstare. Verùm hoc liberalitatis, & humanitatis diuitias ostendit; non mendacij crimen continet. Non enim dixit: in Galilæa dumtaxat me videbunt: neque Ierosolymis visus non apparuit in Galilæa sicut promi-* D *serat: hoc enim esset suos sermones falsos reddere mentiendo. Sed si Ierosolymæ propter metum Iudæorum conclusis in domicilio, aduentuque, & præsentia sua opus habentibus apparuit; promissum etiam præstitit in Galilæa quoque visus; cum vtraque benignè, ac verè acciderint, effugere licet omnem criminationem. Mihi autem magnam, & latentem videtur in se continere significationem, quòd apud Matthæum dictum est Discipulis, vt abeant in Galilæam, atque ibi me videbunt. Cum enim futurum esset, vt sæpius appareret, ad vnam tanquam præcipuam, & præter cæteras eximiam apparitionem spectant verba promissionis, iuxta quam apparitorus eis esset in monte. Nisi enim hoc ita esset, non dixisset Matthæus: Vndecim Apostoli abierunt in Galilæam* E *in montem, vbi constituerat eis Iesus.*

Matt. 28. 16.

34. Cum ergo Dominus, antequam in Galilæa se discipulis, sicut promiserat, manifestaret, alibi etiam sæpe apparuerit; apertè ostendit frequenter se plus eo, quod promittit elargiri; vt cum Augustino probauimus cum de promissione diximus à Domino latroni factæ; *Hodie mecum eris in Paradiso.* Quàm verè mundanis hominibus Dominus dixit Isaiæ 55. 8. *Non viæ vestræ viæ meæ.* Laban decies factam suo genero Iacob promissionem de danda mercede violauit; *Mutauit mercedem meam decem vicibus*, conqueritur Iacob Gen. 31. 7. Dominus cum post suam resurrectionem se à suis fi- A delibus videndum promisisset; quod promiserat decies præstitit: decem enim rediuiui Domini apparitiones numerantur; quinque scilicet ipsa resurrectionis die, & quinque aliæ die octauo, & deinceps ante ascensionem. Prima apparitio facta est Magdalenæ prope sepulchrum, Marci 16. & Ioannis 20. Secunda in via eidem Magdalenæ cum duabus comitibus mulieribus Matthæi 28. Tertia Petro, Lucæ vltimo. Quarta duobus discipulis euntibus in Emmaus, Lucæ vltimo. Sexta Ierosolymæ discipulis omnibus absente Thoma, Ioannis 20. 19. Sexta octauo resurrectionis die in Ierosolymæ cœnaculo iisdem discipulis Thoma præsente B Ioan. 20. 26 & Marci 16. 14. iuxta Maldonatum. Septima ad mare Tiberiadis septem discipulis, Petro, Ioanni, Iacobo, Thomæ, Nathanaeli, & duobus aliis non nominatis, Ioan. 21. Quamuis enim ibi Ioannes dicat: *Hoc iam tertio manifestatus est Iesus Discipulis suis*; id intelligi debet non respectu omnium apparitionum; sed tantùm respectu apparitionum, quæ pluribus simul discipulis factæ sunt. Vel tertius dies ille fuisse dicitur; eo quòd à Ioanne primus dies numeretur ipse resurrectionis dies: secundus dies, dies octauus: tertius verò dies iste, quo Dominus ad mare Tiberiadis se ma- C nifestauit. Octaua apparitio fuit Matth. 28. cum prius vndecim discipulis in Galilææ monte, & postea etiam aduenientibus plusquam quingentis fratribus, iis se etiam Dominus manifestauit, vt dicitur prima ad Corinth. 15. Hanc quingentis fratribus manifestationem fuisse post illam factam vndecim discipulis colligi potest ex eo, quòd de apparitione in Galilææ monte Matthæus ait: *Videntes eum adorauerunt eum; quidam autem dubitauerunt.* Probabile autem non est Apostolos vndecim, cum aliàs Dominum rediuiuum vidissent, dubitasse; quare, quòd aliqui dubitarent, intelligi debet D ex eo fidelium numero, qui eodem postea conuenerant. Nona ergo apparitio fuit quingentis fratribus facta. Decima illa, de qua Lucas dixit fin in Euangelii fine: *Eduxit eos extra Bethaniam; & eleuatis manibus suis benedixit eis. Et factum est; dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cœlum.* Contigit hæc Domini apparitio in monte Oliueti coram pluribus fidelibus, vt colligitur ex Actor. Apost. cap. 1. Præter decem has apparitiones addit Paulus 1. ad Corinth. 15. Dominum apparuisse Iacobo, non Zebedæi, sed Alphæi filio, vt communiter interpretes docent, quod vbi, & quomodo contigerit non constat. Certum tamen est ex Pauli testimonio eam apparitionem fuisse ante vltimam Domini in cœlum ascensuri apparitionem: alia autem de qua ibidem Paulus ait: E *Nouissime visus est & mihi*, post Domini ascensionem fuit, vt habetur Act. 9. 4.

Christi post resurrect. decem apparitiones decē.

Matt. 28. 17.

35. Ex quadraginta dierum mora, qua post suam resurrectionem Dominus antequam in cœlum ascenderet, in terris fuit; & ex eius tam frequenti suis fidelibus apparitione, eorum cœtus dicere bene potuit, quod ex Psalmo 138. Dominum dicentem Ecclesia inducit: *Resurrexi, & adhuc tecum sum: posuisti super me manum tuam.* Vnusquisque enim fidelium dum amanter, & suppliciter, vel ad amplectendum, vel ad deprecandum, Domino, cum ei appareret, manus protendebat; ardentis charitatis vinculis retineri Dominus videbatur. Ideo ait: *Resurrexi, & adhuc tecum sum: posuisti super*

Psal. 138. v. 18. & v. 5.

Christ. post resurrectionē in terris

me manum tuam. In veteri lege magna quidem fuit Dei benignitas, quòd omiſſis eximiis titulis Omnipotentis, Altiſſimi, cœli terræque Regis, nominari voluerit *Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob.* At quantò maius diuini amoris argumentum eſt nomen, quo in Euangelica lege aſſumpta humana carne Deus omnipotens vocari dignatus eſt. *Ecce Virgo in vtero habebit, & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emmanuel, quod eſt interpretatum Nobiſcum Deus:* Deus ſcilicet, qui cum hominibus verſari perpetuò gaudet; idque etiam poſtquam ad immortalem vitam reſurrexit: ideoque in cœlum aſcenſurus Dominus dixit: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi:* quam benigniſſimam promiſſionem per realem præſentiam in ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento præcipuè Dominus adimplere dignatus eſt. Non eſt ergo cur veterum philoſophorum ineptam ſequamur ſententiam aſſerentium hominem particulæ diuinæ mentis eſſe habitaculum; cum non Dei, qui indiuiſibilis eſt, pars; ſed ipſe ſua infinitate Deus per ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum in homine eſſe dignetur; impleatque quod Ioannis 14. 23. Dei filius promiſerat dicens: *Si quis diligit me, Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.*

[Margin: Amor eximii diuini amoris argumentum: hîc, & ſ. q. — Exodi 3. 6. — Iſaiæ. 7. — Matth. c. 1. 23. — Matth. 28. 20. — Chriſti Domini in Euchariſtia eximius erga homines amor.]

36. Ex antiquis philoſophis aliqui inſipienter, & impiè ideo negandam circa res humanas diuinam prouidentiam dixerunt, quia vileſceret Dei intellectus, ſi circa humana verſaretur. Horum quò admiratio progrederetur, ſi fidei lumine Deum non ſolùm humana curare, ſed cum hominibus benigniſſimè verſari cognoſcerent? In veteri lege fidelis anima magnam ſibi beneficentiam exhiberi exiſtimabat, ſi ei non diu cum Deo domeſticè morari; ſed tantùm ad eius odorem poſt eum currere daretur; ideo precabatur: *Trahe me; poſt te curremus in odorem vnguentorum tuorum.* At in Euangelica lege Deus, vt cum hominibus aſſumpta humana carne verſaretur, ad nos ipſe currere dignatus eſt. Quare iuxta S. Thomam, & alios de eius ad nos aduentu dicitur Pſalm. 18. 6. *Exultauit vt gigas ad currendam viam; à ſummo cœlo egreſſio eius:* & quaſi curſus ei ſatis non eſſet, volatum addidiſſe dicitur; ideoque de Domini etiam incarnationis myſterio iuxta eumdem S. Thomam dicitur Pſalmo 17. 10. *Inclinauit cælos, & deſcendit, & aſcendit ſuper Cherubim, & volauit, volauit ſuper pennas ventorum.* Hinc, ait S. Thomas, Baruch dixit: *Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt. Vt inuiſibilis videretur à nobis, vt immortalis mereretur pro nobis, Verbum caro factum, & habitauit in nobis. Verbum in carne, ſol in nube, mel in cera, lumen in teſta,* ait Bernardus.

[Margin: Cant. 1. — Baruc. 3. 38. — Ioan. c. 1. — Bern ſer. 2. de Cœna Domini.]

37. Ad ſignificandum arctiſſimum amoris nexum inter Ionatham, & Dauidem dicitur primo Regum 18. *Anima Ionathæ conglutinata eſt animæ Dauid: & dilexit eum Ionathas quaſi animam ſuam.* Chriſtus Dominus non ſolùm indiſſolubili hypoſtaticæ vnionis nexu cum humana carne vnitus eſt; ſed cum fidelibus ſuis amicis adeo tenax dilectionis vinculum habere gaudet; vt ab eorum amplexu diuidi non patiatur: ideoque ad immortalem vitam iam rediuiuus vnicuique ſuorum fidelium ait: *Reſurrexi, & adhuc tecum ſum: poſuiſti ſuper me manum tuam.* Si Ionathas Dauidem quaſi animam A ſuam dilexit; Chriſtus Dominus homines dilexit ſupra animam ſuam, cum pro humano genere animam ſuam, hoc eſt ſuam vitam poſuerit.

38. Magna quidem fuit poteſtas Ioſue à Deo communicata, cum ei ſolis, lunæque curſum ſiſtere datum eſt: *Sol contra Gabaon ne mouearis,* Ioſue dixit: *ſteteruntque ſol, & luna.* At multò maior eſt humanæ dilectionis poteſtas, qua non ſolem, & lunam, ſed ſolis, lunæque conditorem in terris ſiſtere datur. Vis hæc rediuiuum Dominum in terris ſiſtendi talis eſt, vt eam ipſe Dominus velut admirans dicat: *Reſurrexi, & adhuc tecum ſum: poſuiſti ſuper me* B *manum tuam.* Eximia Sacerdotibus poteſtas data eſt cum eis Dominus dixit: *Quæcunque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo.* Sed quantò magis homines Deus excedit; tantò maior poteſtas eſt Deum in terra ligare, quàm homines. Quòd Sacerdotes homines ligent, hominum damnatio prouenit. Quòd homines ſecum Deum vincire poſſint, hominum glorificatio procedit. Hoc ergo eximium humanæ dignitatis priuilegium indicans Dominus ait: *Reſurrexi, & adhuc tecum ſum: poſuiſti ſuper me manum tuam.*

[Margin: Ioſue c. 10. 13. — Matt. 18. 18.]

39. Paulus, cum Apoſtolus, cum vas electionis, cum Doctor gentium eſſet, eo tantum C titulo gloriatur, quem ad Philemonem ſcribens vſurpat: *Paulus vinctus Chriſti Ieſu.* Quo titulo, vt Chryſoſtomus ait, *Oſtendit dignitatem ſuam: nihil ea gloriatione ſublimius.* At ſublimior gloriatio hominis eſt, quòd Chriſtus Ieſus poſt effracta mortis vincula, hominis vinctus dicatur; & propterea poſt reſurrectionem ab humano conſortio non ſeiungatur, dicatque: *Reſurrexi & adhuc tecum ſum.* Sinarum incolæ, ſi quando ſuos ſibi Deos iratos exiſtimant, ne ab eis deſerantur, in eorum ſimulacra vincula inicere conſueuerunt. Deus noſter, ne nos deſerat, ſponte amoris vincula ſubiit; eaque adeo tenacia ſunt vt poſt eius ad glorioſam vitam reſurrectionem eum apud nos D amantiſſimè retineant.

[Margin: Sinarum incolæ Idola vinculis ciunt.]

An reſurgens Dominus ſanctiſſimæ matri ſuæ priuſquam cæteris omnibus apparuerit.

40. Affirmandum videtur cum Sancto Ambroſio lib. 2. de Virginibus, vbi ait: *Vidit Maria reſurrectionem Domini, & prima vidit, & credidit:* Similiter Nicephorus Caliſtus lib. 1. cap. 32. de rediuiuo Domino ait: *Primum quidem à matre, & reliquis conſpectus mulieribus, deinde à dilectis diſcipulis.* Similiter Sedulius lib. 5. Paſchalium carminum in fine ait de B. Virgine: *Hanc ſe viſibus adſtans luce palam Dominus prius obtulit.* Simi- E liter Rupertus lib. 7. de diuinis officiis cap. 25. ait: *Geſtit Chriſtiana deuotio perpendere, quantus torrens gaudij repente inundans, animam eius ferro doloris confoſſam inebriauit, cum rediuiuus filius illi ante omnes fortaſſe mortales materno Virginem non defraudans honore, victoriam ſuam annunciauit.* Dices hanc ſententiam non vt certam; ſed vt dubiam afferre Rupertum, cum non abſolutè, ſed *fortaſſe* dicat. Reſpondeo infra Rupertum abſolute addere: *Veriſſimè matri filius reſurgens apparuit.* Quod bene probare pergit, vt infra videbimus. S. Bonauentura in meditat. vitæ Chriſti cap. 87. ait: *Sum-*

mo mane B. Virgine orante, & lacrymas dulciter emittente, ecce ſubitò Dominus Ieſus venit in veſtibus albiſſimis, vultu ſereno, ſpecioſus, glorioſus, & gaudens; & dixit ei quaſi ex latere: Salue Sancta parens. At illa ſtatim ſe vertens: Es tu, inquit, filius meus Ieſus? Et genuflexit adorans. Cui filius: Mater mea dulciſſima, ego ſum: reſurrexi, & adhuc ſum tecum. S. Anſelmus cum locutus eſſet de gaudii exultatione quàm ex ſanctiſſimi filii ſui conuerſatione B. Virgo ſentiebat, ſubdit: *Si tam magna fuit tunc, cum ipſum bene ſciret paulo poſt moriturum; quæ, vel quanta putatis fuit tunc, cum ipſum iam calcatis mortis legibus reſurrexiſſe, non ſolùm in æternum victurum; ſed & cælo, & terræ, omnique creaturæ perenni iure dominaturum?* Dices ex his Anſelmi verbis non neceſſario colligi B. Virgini reſurgentem Dominum apparuiſſe; ſed tantùm ei ſanctiſſimi filii ſui reſurrectionem innotuiſſe; quod ex aliorum, quibus Dominus apparuerat, teſtimonio fieri poterat. Reſpondeo, quòd B. Virginis gaudium ex apparitione ſibi facta, non ex aliorum teſtimonio prouениſſet, ſenſiſſe Anſelmum, ex eiuſdem verbis infra citandis apertè colligitur.

Anſelm. l. de excellentia Virgin. c. 6.

41. Obiiciuntur primo contra allatam ſententiam Marci de Domino verba hoc capite 16. 9. *Surgens mane prima Sabbati apparuit primo Mariæ Magdalenæ:* ergo primo non apparuit Beatæ Virgini. Huius obiectionis ſolutio poſſet primò deſumi ex Hieronymo epiſt. 150. ad Hedibiam quæſt. 3. vbi quamuis citata Marci verba cum Matthæi verbis conciliare conetur, addit tamen: *Aut non recipimus Marci teſtimonium; quod in raris fertur Euangeliis, omnibus Græciæ libris penè hoc capitulum in fine non habentibus: præſertim cum diuerſa, atque contraria Euangeliſtis cæteris narrare videatur.* Hæc ſolutio non eſt admittenda; cum tam vltimum hoc Marci caput, quàm antecedentia, vt canonica ab Eccleſia admittantur. Reſpondetur igitur ſecundo Magdalenam rediuiuum Dominum primam vidiſſe facta comparatione cum duobus aliis ſociis mulieribus Maria Iacobi, & Maria Salome, quæ cum ipſa Magdalena ad Domini monumentum venerant, vt antea Marcus dixerat. Cum enim Magdalena, eiuſque ſociæ audito Angeli teſtimonio Ieroſolymam redeuntes Dominum reſurrexiſſe Apoſtolis nunciaſſent; cumque Petrus, & Ioannes ad monumentum veniſſent, eoque vacuo viſo inde diſceſſiſſent, illoſque ſecutæ eſſent Maria Iacobi, & Salome; Magdalena prope monumentum plorans manſit; ibique ſub hortulani forma Dominum prima vidit; eique ſe Dominus iam reſurrexiſſe manifeſtauit; vt habetur Ioannis 20. Poſtea tamen Magdalena Domini iuſſu vt teſtis oculata nunciatura Apoſtolis Domini reſurrectionem cum feſtinaret; cumque in via ſocias mulieres reperiſſet, iterum ipſi Magdalenæ Dominus apparuit, ſociiſque etiam mulieribus, vt habetur Matth. 28. 9.

42. Obiicitur ſecundo apud Suarium 3. part. diſp. 49 ſect. 1. *Plus eſt videre Chriſti diuinitatem, quàm gloriam reſurgentis; & tamen non fuit B. Virgo prima, quæ inter homines vidit Deum. Nam Auguſtinus, & Diuus Thomas exiſtimant Moyſen vidiſſe Deum: & de animabus Sanctorum Patrum eſt etiam probabile; quia non eſt certum B. Virginem vidiſſe Diuinitatem ante Chriſti reſurrectionem.* Reſpondetur Chriſtum Dominum in materno vtero ipſo ſuæ conceptionis inſtanti ante alios omnes Deum beatifica viſione vidiſſe. Ante Chriſtum neque Moſem, neque Iſaiam, neque vllum alium id conſecutum eſſe probauimus in Euang. Dominica tertia Quadrageſimæ in illa verba: *Beatus venter, qui te portauit.* De Deipara autem ait S. Antoninus part. 4. tit. 15. cap. 77. *Fortè in ipſo conceptu,* ſcilicet filii, *vel in partu illi datum eſt ad horam, vt videret myſterium huiuſmodi, vt in patria; ſicut Paulus vidit Deum in raptu.* Sed Paulus in raptu clarè vidit Dei eſſentiam, vt cum S. Auguſtino docet S. Thomas; ergo etiam B. Virgo. Quare bene Rupertus lib. 3 in Cantica ait: *Si quiſpiam dixit raptum ſe fuiſſe in Paradiſum, quantò magis tu, Regina cælorum, perſæpe cæleſtibus interfuiſti?* De eodem tam eximio priuilegio Dionyſius Carthuſ. ait: *An & aliis ſit conceſſum quis nouit? De ſupermundiſſima Virgine non exiſtimo dubitandum.* Bene enim Bernardus epiſt. 174. aſſerit: *Quod vel paucis mortalium conſtat eſſe collatum, non eſt fas ſuſpicari tantæ Virgini fuiſſe negatum.* Hinc retorqueri poteſt argumentum: Inter puras creaturas B. Virgo prima vidit Deum: ergo etiam reſurgentis filii ſui prima gloriam vidit. Quomodo autem intelligenda ſint illa Scripturæ teſtimonia Ioan. 1. 18. *Deum nemo vidit vnquam;* & prima ad Tim. cap. 6. *Quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt,* explicauimus citato loco Dominicæ tertiæ.

S. Aug. epiſt. 112. S. Th. 1. p. q. 12. a. 11. S. Baſil. in Hex. hom. 1.

Beatificam viſionē nemo ante Chriſtum habuit.

S. Th. 2. 2. q. 175. art. 3. 4. & 5.

B. Virgo inter puras creaturas prima Deū vidit.

43. Dices Exodi 33. 11. dicitur; *Loquebatur Dominus ad Moyſen facie ad faciem, ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuum:* & Iacob. Geneſ. 32. dixit: *Vidi Dominum facie ad faciem.* Viſio autem Dei facie ad faciem eſt viſio clara, & intuitiua ex Apoſtolo 1. ad Corinth. 13. 12. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem. Nunc cognoſco ex parte; tunc autem cognoſcam ſicut cognitus ſum.* Reſpondetur citato Apoſtoli loco viſionem facie ad faciem ideo ſignificare viſionem intuitiuam, quia ibi eam Apoſtolus contradiſtinguit à cognitione per ſpeculum in ænigmate, hoc eſt, per medium obſcurè repræſentans. Ideo Moſis locutio cum Deo facie ad faciem abſolutè poſita, ſine prædicta contradiſtinctione, viſionem intuitiuam non infert. Si enim intuitiuam viſionem inferret, Moſi Dominus ibidem non dixiſſet verſ. 20. *Non poteris videre faciem meam; non enim videbit me homo & viuet.* Quare locutio facie ad faciem ſignificat tantùm familiarem ſermonem, non per intermediam perſonam, qualis erat locutio Prophetarum dicentium: *Hæc dicit Dominus.* Rectè autem dici poteſt loqui facie ad faciem, ſeu vt Chaldeus legit, *Verbum ad verbum,* homo ad amicum ſuum; dummodo locutio ſit immediatè nullo intermedio nuncio; ſed tantùm præſentis cum præſenti ſit ſermo; quamuis ob defectum lucis, vel ob aliquod aliud impedimentum loquens non videatur. Dices: Moſes Deuter. cap. 5. verſ. 4. Iſraelitico populo dixit: *Deus facie ad faciem locutus eſt nobis in monte de medio ignis. Ego ſequeſter, & medius fui inter Dominum, & vos in tempore illo, vt annunciarem vobis verba eius: timuiſtis enim, & non aſcendiſtis in montem;* ergo falſum eſt quod diximus locutionem facie ad faciem ſignificare tantùm locutionem ſine vllo intermedio nuncio. Reſpondetur quamuis præcepta iudicialia, & cæremonialia à Moſe acceperit populus, cum territus à monte

Moſes in mortali vita Deum an viderit: hic. & ſeq.

Facie ad faciem loqui quid ſignificet

monte diſceſſiſſet; Decalogus tamen immediatè ipſi populo promulgatus eſt. Moſes enim ibidem poſt promulgatum Decalogum populo dixit: *Hæc verba locutus eſt Dominus ad omnem multitudinem veſtram in monte de medio ignis, & nubis, & caliginis voce magna.* Poſtea tamen ſubdidit: *Dominus ait ad me: Vade, & dic eis: Reuertimini in tentoria veſtra: tu verò hic ſta mecum; & loquar tibi omnia mandata mea, & cæremonias, atque iudicia, quæ docebis eos.* Præterea cum Ezechiel. 20. Deus ait: *Iudicabor vobiſcum facie ad faciem*, ſenſus eſt: Meum iudicium tránſigi patiar vobiſcum velut inter partes æquo iure, ſublato omni timore, ac verecundia minoris erga maiorem; omnique auctoritete, & maieſtate maioris erga minorem. Geneſ. 32. cum Iacob ſe vidiſſe Deum facie ad faciem affirmat, Sanctus Thomas prima part. quæſt. 12. art. 11. ex Sancto Dionyſio 4. de cœleſti hierarchia docet Iacob vidiſſe Deum ſub aliqua figura ſenſibili, ſcilicet ſub humana forma; cum ibi dicatur: *Vir luctabatur cum eo.* Dices, hic, qui cum Iacob ſub humana ſpecie luctabatur, fuit Angelus, non autem Deus: nam Oſeæ 12. de Iacob dicitur: *In fortitudine ſua directus eſt cum Angelo; & inualuit ad Angelum, & confortatus eſt.* Reſpondeo non ſolùm luctam cum Iacob, ſed etiam Dei cum Moſe, & populo locutionem in monte Sina, de qua ſupra diximus, fuiſſe per Angelum: nam ad Galatas 3. Decalogi lex dicitur *ordinata per Angelos in manu mediatoris*: ideſt Moſis iuxta Cyrillum, Nazianzenum, & alios: Moſes enim legis interpretationi, & executioni præpoſitus fuit. Immo Sanctus Dionyſius ſupra citatus, & Sanctus Auguſtinus lib. 16. de Ciuit. cap. 39. vniuerſaliter docent Deum in veteri teſtamento nunquam per ſe; ſed per Angelos apparuiſſe: dicebatur tamen tunc Deus locutus, vel viſus; quia licet Angelus perſonaliter eſſet; repræſentatiuè tamen Deum, non Angelum referebat: ideo ſenſu repræſentatiuo erat immediata Dei locutio; qualis non erat illa, quæ per Prophetas fiebat. Quare quamuis Angelus Decalogi legem promulgaret Exodi 20. quia tamen Dei perſonam ſuſtinebat, dixit: *Ego ſum Dominus Deus tuus; qui eduxi te de terra Ægypti.* Sic paſſim in forenſibus tribunalibus decreta prodeunt, quibus miniſtri regias vices gerentes Regis nomen inſcribunt.

Deus per Angelos ſub humana figura, nunquam per ſe in veteri teſtamento apparuit. Cyrill. li. 12. Theſauri c. 10. Nazian. Orat. 6.

44. Dices, Num. 12. de Moſe Deus dixit: *Ore ad os loquor ei; & palam, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt.* Propter quam Moſis prærogatiuam in fine Deuteron. dicitur: *Non ſurrexit vltra Propheta in Iſrael, ſicut Moyſes; quem noſſet Dominus facie ad faciem.* Si ergo Moſes palam, & non per ænigmata, & figuras Dominum vidit; talis Moſis viſio intuitiua fuit: intuitiuam enim in patria viſionem ænigmaticæ cognitioni ſupra citatus Apoſtolus opponit dicens: *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem.* Reſpondetur Moſem intuitiuè non vidiſſe diuinam eſſentiam, ſed futurum Meſſiam, Deique filium; qui quoniam ſub humana natura, ſicut futurus erat, Moſi repræſentabatur; ideo eius repræſentatio non ænigmatica fuiſſe dicitur. Ænigmatica autem, & per figuram futuri Meſſiæ repræſentatio illa dici potuit facta Abrahamo Geneſ. 22. 13. cum in monte

Moſes futurũ Meſſiam ſub humana ſpecie vidit.

A Moria, hoc eſt Caluariæ monte iuxta Hieronymum, & Auguſtinum: *Vidit arietem inter vepres hærentem cornibus; quem aſſumens obtulit holocauſtum pro filio; appellauitque nomen loci illius: Dominus videt. Vnde vſque hodie dicitur: In monte Dominus videbit.* Bene enim Ambroſius ait: *Ecce aries vnus ſuſpenſus cornibus in virgulto Sebec. Quis ſignificatur niſi ille, de quo ſcriptum eſt Pſalm. 148. Exaltauit cornu populi ſui? Cornu noſtrum Chriſtus eſt eleuatus, & exaltatus à terris: hunc vidit Abraham in iſto ſacrificio; huius paſſionem aſpexit; & ideo ipſe Dominus ait de eo: Abraham diem meum vidit, & gauiſus eſt. Vnde ait Scriptura: Vocauit Abraham nomen loci illius: Dominus*

Hier. apud Aug. l. 16 de Ciuit. c. 32.

Ambroſ. l. 1. de Abrahã cap. 8.

Ioa. ne. 8. 6.

B *vidit; vt dicunt hodie: In monte Dominus apparuit; hoc eſt quod apparuerit Abrahæ reuelans ſuam futuram paſſionem corporis, qua mundum redemit; demonſtrans etiam genus paſſionis, cum ſuſpenſum oſtendit omnibus arietem. Virgultum illud patibulum crucis eſt:* Allata de Moſis viſione interpretatio confirmari primò poteſt, quia tali modo explicata Moſis viſione, Vulgatæ ſenſus cum Hebraïca lectione concordat. Legunt enim Hebræi iuxta Abulenſem citato Numer. cap. 12. *Ore ad os loquor ei palam, & non per ænigmata*: & hîc prior periodi pars terminatur. Facta autem interpunctione ſubiungitur: *Et figuram Dominus videt*, ſeu *conſiderat*. Confirmatur ſecundò eadem

C de Moſis viſione interpretatio, quia quamuis Sanctus Auguſtinus, epiſt. 112. cap. 12. & S. Thomas prima part. quæſt. 12. art. 11. aſſerant Paulum raptum ad tertium cœlum vidiſſe intuitiuè Diuinam eſſentiam; nihilominus alii Patres allati à Suario lib. 2. de attributis negatiuis Dei cap. 30. numero 16. id negant; additque Suarius: *Totus ille raptus prout narratur 2. ad Corinth. 12. ſatis propriè intelligitur, ſi Paulus eleuatus eſt ad intuendam Chriſti humanitatem, & gloriam.* Ergo quid ſimile de Moſis viſione dici poteſt. Similiter etiam quamuis Iſaias cap. 6. dicat: *Vidi Do-*

Paulus Apoſtolus in raptu iuxta aliquos diuinã eſſentiã, iuxta alios Chriſti humanitatẽ tantũ vidit.

D *minum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & eleuatum;* Deum tamen per ſpeciem aliquam corpoream, non intuitiuè vidit; vt Theophylactus, & Euthymius docent in illud Ioannis cap. 1. *Deum nemo vidit vnquam.* De quo fuſius vide Gregorium 18. Moralium cap. 37. Ex dictis igitur concluditur præter Chriſtum; neminem ante Beatam Virginem habuiſſe claram Dei viſionem: ex quo etiam à pari, immo à fortiori deducitur eamdem B. Virginem primam fuiſſe, quæ ſanctiſſimum filium reſurrexiſſe viderit: ita vt neque Magdalenæ, neque aliis mulieribus, neque ipſis iuſtis è limbo liberatis, priuſquam matri ſuæ, ſe rediuiuum oſtenderit. Quare bene Leo Imperator. hom. de

E Chriſti reſurrect. ſic B. Virginem alloquitur: *Adeſto Deipara Virgo, & Mater: exime gladium, qui cor tuum transfodit; cum filium è cruce pendentem videres. Nunc quæ, & quanta euenerint intuere; gloriæque, & exultationis particeps efficere.*

45. Obiicitur tertio; Cum Euangeliſtæ alias Domini poſt reſurrectionem apparitiones retulerint, ſi B. Virgini apparuiſſet, id referre non omiſiſſent. Reſpondet Anſelmus ſupra citatus. *Si aliquis quærat, quare Euangeliſtæ non referant ipſum piiſſimum filium à morte reſurgentem ſuæ dulciſſimæ, dilectiſſimæque matri, vt eius*

B. Virgini cur Chriſtũ apparuiſſe Euangeliſtæ nõ ſcripſerint, rationes quatuor.

dolores mitigaret primò, ac præcipuè apparuisse? A Dicimus quod à quodam Sapiente de hoc ipso disceptantes audiuimus sic: Tanta est auctoritas suscitata narrationis Euangelicæ. vt nihil in ea dependens, nihil inane, nihil superfluum reperiatur: ita quòd si matri Domini, si Dominæ mundi, ipsius filius ab inferno resurgens scriberetur, sicut alij cuilibet apparuisse; eamque de sua resurrectione docuisse; quis non tale scriptum superfluum duceret? Reginam videlicet cœli, & terræ, omnisque creaturæ coæquare illis, quibus apparuit, viro, aut mulieri? Respondet secundo Rupertus: Verissimè matri filius resurgens apparuit. Quod si idcirco verum non videtur, quia nullius Euangelistarum scriptis hoc attestatur; consequens est, quòd nunquam post resurrectionem suam visus sit matri; quia quando, vel vbi apparuerit illi, nullus eorum dixit. Sed absit hoc ab illo, qui in lege sua patrem, & matrem honorari præcepit: absit, inquam, vt matrem propter se doloris gladio transuerberatam tam dura negligentia ta'is filius inhonorauerit. Non sic Apostolica Sancta Romana Ecclesia sentit veritas; qua hanc B. Ierusalem in principio lætitiæ suæ posuit. Respondet tertio Metaphrastes orat. de vita & dormitione Deiparæ: Euangelistas de Domini apparitione matri factâ nullam mentionem fecisse, cauentes fortasse maternum afferre testimonium; ne videretur suspectum; & propter coniunctionem, fides ei minus C haberetur. Respondet quarto Hugo: Bene credo, quod Dominus matri suæ sæpissime apparuit; sed tamen non legitur. Sed quare? Vt carnalem affectum in his, qui sunt mundo mortui, & Deo viui, mortuum ostenderet.

Rupert sup. | Psal. 136. 8 | Hugo in Marcũ. 16

46. Primum Apostoli Petri miraculum fuit claudo expeditam gradiendi vim tribuere, de quo dicitur Actor. 3. 7. Apprehensa manu eius dextera alleuauit eum, & protinus consolidatæ sunt bases eius, & plantæ: & exiliens stetit, & ambulabat. Hoc miraculo vsus est Petrus ad Domini resurrectionem comprobandam dicens: Viri Israelitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini; quasi nostra virtute, aut B potestate fecerimus hunc ambulare? Deus patrum nostrorum glorificauit filium suum Iesum, quem suscitauit à mortuis; cuius nos testes sumus. Et fides, quæ per eum est, dedit integram sanitatem istam in conspectu vestro. Testimonium velocis resurrectionis est velocitas ex debilitate surgentis, ait Augustinus. Quare nos, quibus peccando i.erumque peccando dicitur: Vsquequò claudicatis in duas partes? Si ob Christi merita illuminati omnino resipiscentes à peccatorum lapsu liberi, recta salutis via ambulemus, testes etiam Domini resurrectionis erimus. Ideo nos monet Apostolus: Quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris: ita & nos in nouitate vitæ ambulemus, vt vltra non seruiamus peccato.

Petri Apostoli primũ circa claudũ miraculum quid nobis mysticè indicauerit. | Aug. hom. 18. de verbis Apostoli. | 3. Reg 18. 21. | Ad Rom. 6. 4.



FERIA II. POST PASCHA.

Ecce duo ex illis ibant ipsa die in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Ierusalem nomine Emmaus, &c.
Lucæ cap. 24. 13.

EVANGELII NEXVS, ET ORDO.

1. DILIGES Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua, Matth. 22. 37. Dominus dixit. Sicut in hac D i dilectione spiritualis animæ sanitas sita est; ita spiritualis eiusdem animæ morbus ex cordis frigiditate circa Dei dilectionem, & mentis excæcatione prouenit. Hoc spirituali morbo cum duo Domini discipuli post eius passionem laborarent: eumque, vt bene Augustinus ait, Ægri ad medicum venire non possent, ipse cœlestis medicus ad agros E venire dignatus est. Propterea discipulis illis se Dominus in itinere sociauit: eorumque frigido cordi diuino alloquio spiritualem ardorem immisit; quo incensi dixerunt: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas? Eorumdem etiam cœlestis medicus & corporis, & mentis oculos illuminauit: & aperti sunt oculi eorum & cognouerunt eum. Quare Dominum verè resurrexisse cognoscentes, eadem hora regressi sunt in Ierusalem; & narrabant quæ gesta erant in via, & quomodo cognouerunt eum in fractione panis.

Morbus spiritualis vnde prouenit. | Aug. hom. 18. de verbis Domini c. 7.

Ecce duo ex illis ibant ipsa die in castellum nomine Emmaus.

2. EX his duobus Domini discipulis alter fuit Cleophas, vt dicitur v. 18. alter verò non nominatur. Sanctus Gregorius Præfat. in Iob cap. 2. Theophylactus hîc, Nicephorus, & Metaphrastes in vita Cleophæ discipulum, quem Lucas non nominat, ipsum Lucam fuisse censent. Quod plures alii negant, qui pro sua sententia afferunt eiusdem Lucæ verba sui Euangelii initio de Euangelica historia dicentis: Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis. Hinc deducunt Lucam non vidisse, sed auditione ab iis, qui viderant, accepisse, quæ scripturus erat. Sed contra est, quia etiam alii Euangelistæ, qui Dominum viderant, adhuc multa ab ipsis non visa, sed audita scripserunt; vt Domini natiuitatem; Angelum Iosepho nuntium; Regum Orientalium stella duce in Bethlemium præsepe aduentum, & adorationem; Domini fugam in

Lucas Euãgelista an alter ex duobus discipulis eũtibus in Emmaus fuerit.

Ægyptum, & inde reditum, puerorum innocentium cædem; Dominum in templo inter Doctores disserentem; eiusdem Domini ieiunium, & alia multa. Lucas autem, cum multo plura, quàm Euangelistæ, & Apostoli Matthæus, & Ioannes, non vidisset, eaque auditione tantùm accepisset; suam Euangelicam historiam aliorum potius, qui plura viderant, testimonio, & auctoritate, quàm sua munire voluit; ideoque dixit: *Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt.* Poriò licet alii negent S. Lucam vnum ex 72. Domini discipulis fuisse; nihilominus oppositum asserunt S. Epiphanius hæresi 51. Origenes dialogo primo de recta in vnum Deum fide. S. Gregorius præfatione in Iob. Theophylactus hîc, Nicephorus, & Metaphrastes supra citati. Confirmari id potest ex eo, quòd Ecclesia in S. Lucæ festiuitate Euangelium illud ex eodem Luca legit: *Designauit Dominus & alios Septuaginta duos.* Huic confirmationi opponit Maldonatus solere Ecclesiam, quæ de aliis dicta sunt ad alios per similitudinem accommodare. Quare quod de Maria Magdalena scriptum est Lucæ 10. 24. *Maria optimam partem elegit*, Ecclesia in assumptione B. Mariæ Virginis legit. Præterea verba, quæ Matthæus 12. 46. de vera Christi matre, eiusque consanguineis refert: *Ecce mater tua, & fratres tui foris stant quærentes te*; Ecclesia S. Felicitati, eiusque septem filiis accommodat. Respondetur exempla allata, cum ad literam intelligi nequeant, per accommodationem esse intelligenda. Secus verò cum in designatione Septuaginta duorum discipulorum S. Lucas numerari possit; eaque designatio in eius festo legatur; Euangelica verba sensu literali, & historico potius quàm accommodatitio sunt intelligenda.

S. Lucas fuit ex numero 72. discipulorum: hîc, & seq.

Luca c. 10

3. Dices, cum Lucas ait: *Qui ab initio viderunt, & ministri fuerunt sermonis*, nomine sermonis, seu λόγου, vt est in Græco textu Christum Dominum Dei Verbum intelligunt Origenes hom. prima in Lucam, Hieronymus præfat. in Matthæum, Ambrosius, & Euthymius in Lucam. Ergo alios, non se ipsum Lucas Christi ministros fuisse ait. Respondet primo Toletus nomine sermonis intelligi debere Christi doctrinam, non autem Christum; *quia maior captatur auctoritas ab iis, à quibus res fidei auditæ sunt, per hoc, quod ministri sunt prædicationis facti, & Doctores ad ea constituti; quàm per hoc, quòd Christo ministrarunt, ipsi inseruientes, & adhærentes. Mulieres enim multa ministrarunt Christo, quæ non fuerunt ministræ sermonis, & prædicationis à Christo constitutæ.* Sed auctores contrariæ sententiæ respondere possunt Lucam per ministros Christi non significare eos, qui in temporalibus Christo inseruierunt, vt mulieres; sed eos, qui à Christo ad Euangelicæ doctrinæ prædicationem constituti sunt. Quo significatu Apostolus dixit: *Propter gratiam, quæ data est mihi à Deo, vt sim minister Christi Iesu in Gentibus sanctificans Euangelium:* & 2. ad Cor. 11. 23. Ministri *Christi sunt, plus ego*: & ad Coloss. cap 1. 7 de Epaphra ait: *Qui est fidelis pro vobis minister Christi Iesu.*

Ad Rom 15. 16.

4. Respondetur secundo ex eo, quòd Lucas alios Christi ministros, & discipulos, nempe Apostolos, à quibus multa acceperat citet; non proinde se à Septuaginta duorum discipulorum numero excludere. Respondetur tertio quamuis λόγος tum sermonem tum Verbum significet; cum tamen Christum Dei Verbum significat, in Vulgata non sermo, sed Verbum ponitur; idque cum aliquo addito, vt Ioan. epist. 1. cap. 1. *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de Verbo vitæ*: quia, *In ipso vita erat*, vt idem Ioann. sui Euangelii initio dixit. Vbi etiam dicens: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum*, id non nisi de increato Verbo Dei filio intelligi debere ostendit expresse addens; *Et Deus erat Verbum.*

5. Dices Sapientiæ cap. 18. 14. dicitur: *Cum quietum silentium contineret omnia; & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus à regalibus sedibus, durus debellator in mediam exterminij terram prosiliuit.* Quæ fere verba Ecclesia in officio Natiuitatis Christi vsurpat: ergo sermonis nomen etiam diuino Verbo tribuitur. Respondetur ibi ad literam Dei sermonem significare Dei imperium; ex quo media nocte Ægyptiorum primogenitorum cædes contigit; vt ex antecedentibus; & consequentibus illius loci aperte deducitur. In sensu tamen accommodo non litteraliter eadem verba Christi Domini natiuitati, quæ media etiam nocte contigit, ab Ecclesia tribuuntur. Cumque ibi non absolutè, & sine vllo addito, vt citato loco apud Lucam; sed omnipotens Dei sermo dicatur, hinc Dei Verbo tribui bene potest.

6. Quæri hîc potest cur Cleopha comite nominato, suum nomen Lucas reticuerit? Nam sicut Matthæus, cum publicani munus exerceret, & inde à Domino vocatus esset; id referens suum expresse nomen retulit dicens: *Vidit Iesus hominem sedentem in telonio Matthæum nomine; & ait illi. Sequere me:* ita Lucas cum ei, & Cleophæ Dominus dixisset: *Stulti, & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ;* ex humilitate suum nomen reticere non debuit. Respondetur: Quamuis Lucas se in Domini resurrectionis fide nutantem ex humilitate proprio nomine appellare debuisset; nihilominus quia proximè, postquam apparuit Petro, ei Dominus apparuit, antequam Apostolis in Ierosolymitano cœnaculo congregatis appareret, & quia sacram Eucharistiam ipso resurrectionis die à rediuiuo Domino accipere dignus inuentus est; ne huiusmodi priuilegiis, quibus se minime dignum existimaui, gloriari videretur; suum potius nomen humiliter occultare voluit, quàm referre. Similiter suo in Euangelio Ioannes, cum non semel priuilegia à Domino sibi facta referret, se proprio nomine appellare omisit. *Consuetudinis est scriptori sacræ Scripturæ, vt de proprio nomine non multam faciat mentionem: sicut etiam Ioannes se non nominat; sed dicit: Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus,* ait hîc Sanctus Bonauentura.

S. Lucas cur Cleopha nominato, suū nomen reticuit?

Matth. c. 9.

Ioan c. 21.

6. *In castellum nomine Emmaus.* Nicephorus lib. 10. cap. 31. ait: *In Palæstina ciuitas est Nicopolis nomine, quæ vicus antiquitus fuit, sacro Euangeliorum libro cognitus, in quo Emmaus nuncupatur. Eum quippe Romani postea, Iudæis fortissime deuictis, Metropolique eorum Ierusalem capta, atque euersa, ex euentu nomine imposito Nicopolim vocarunt. Ante ciuitatem istam, in triuio, vbi Christus post resurrectionem à mortuis cum Cleopha, comiteque eius iter faciens, in vicum alium se properare finxit, fons quidam est morborum hominibus omnium, atque etiam variorum animantibus ipsis languorum auxilium.*

15. Lucæ 5. cum Pharisæi, & Scribæ Domino dixissent: *Quare discipuli tui edunt, & bibunt?* Respondit Dominus: *Numquid potestis filios sponsi, dum cum illis est sponsus, facere ieiunare? Venient dies, cum ablatus fuerit ab illis sponsus, tunc ieiunabunt.* Præsente igitur sponso conuiuari conueniebat. Cum post passionem cœlestium mentium sponsus Christus Dominus ad cœleste regnum ascensurus esset; ibique conuiuium illud celebrare, de quo dicitur: *Beati, qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt*: sancti Angeli redeunte in cœlum Domino cœlestis illius cœnæ conuiuæ futuri, sub candidis vestibus apparuerunt. Conuiualis enim vestis candida erat. *Albati festorum conuiuia agitabant*, ait Philo lib. de vita Theoretica.

Apoc 19.9. Candida vestis conuiualis erat.

16. S. Augustinus paschali tempore recens baptizatis & de more albis vestibus indutis, transactis paschalibus diebus ait: *Candor, qui de habitu deponitur, semper in corde teneatur.* Quibus verbis indicat candido colore animi candorem significari. Quare cum candida vestis candidum quoque animum significet, Clemens Alex. lib. 2. Pædagogæ, suadet, vt Christiani Angelorum, quo apparent, amictum, puritatemque imitantes, candidis vestibus semper vtantur. Ex quo factum est teste Baronio, vt Ægyptii Christiani non nisi candidis vestibus vterentur. Quod etiam de Essæis, qui Alexandriæ sub S. Marco mira sanctitate floruerunt, refert Eusebius lib. 9. Præparationis cap. 1. S. Antonius martyrii cupidus alba indutus veste ad iudicis tribunal prodiit, vt candido indumento se Christianum esse ostenderet: *Candente præcinctus veste procedens iudicem suo prouocabat aspectu, flagrans cupiditate martyrij*, ait S. Athanasius. Quàm bene candido colore purpureum effuso sanguine martyrii colorem ambiebat Antonius; vt cœlesti similis sponso simul esset *candidus, & rubicundus*. Apud Romanos, qui magistratum petebant, Candidati dicebantur; eo quod alba veste vterentur. Cum ergo martyrii palmam, & inde cœlestis regni Principatum magnus Antonius peteret, bene candidatus videri voluit. Ad effundendum in bello hostilem sanguinem rubro colore elephanti incitantur: *Elephantis ostenderunt sanguinem Vuæ, & Mori ad accendendos eos in prælium*, dicitur 1. Mach. cap. 6. 34. secus magnus Antonius, vt suum pro fidei testimonio effunderet sanguinem, vestis candore iudicem incitauit.

August. ser. 157 de tempore.

Christiani candidis vestibus vtebantur.

Baronius anno Christi 256.

S. Antonius martyrii cupidus ad iudicis tribunal candida veste prodiit.

Cant. 5. 10

Elephanti rubro colore in prælium accendũtur.

17. De Angelo conperto stola candida Matthæus ait: *Erat aspectus eius sicut fulgur, vestimentum autem eius sicut nix.* Fulgur igneum, & lucidum simul est, tales Dei ministri esse debent; vt eos, quibuscum versantur, illuminent, eosdemque simul vt ignei incendant. Nam, vt bene S. Bernardus ait: *Est tantùm lucere vanum; tantùm ardere parum: ardere, & lucere perfectum.* Nazianzenus de S. Basilio ait: *Vita eius erat fulgur*: quia scilicet verbo, & exemplo proximos illuminabat, eosdemque ad Dei amorem incendebat.

Matt. 28 3. Fulgori Dei ministri similes.

S. Bernard. ser. de S. Ioã. Baptista.

Nazianz. orat. 20.

Qui dicit illis: nolite expauescere.

18. NOlite *expauescere*, cum vobis sim rei iucundissimæ nuncius; cumque me, vt bonum Angelum, Dominicæ quippe resurrectionis testem, & præconem agnoscere debeatis. In veteri testamento sæpe Angelos hominibus apparuisse, & cum eis collocutos esse legimus; cum mulieribus autem colloqui dedig-

A natos. Genes. 18. quamuis Sara in eodem tabernaculo foret, eam alloqui dedignatus Angelus, Abrahamo dixit: *Habebit filium Sara vxor tua.* Fuit hoc in pœnam quod mundi initio in humani generis perniciem cum diabolo mulier collocuta fuerit: sed post Domini resurrectionem, vt eius redemptionis fructus appareret, Angeli mulieres alloqui, seque illis, vt Angelos manifestare dignati sunt. Quod magno gaudio Apostolis mulieres testatæ sunt dicentes, *se visionem Angelorum vidisse, qui dicunt eum viuere.* Ideo Seuerianus Episcopus S. Chrysostomi coæuus ait: *Surgente Domino terrenis redditur cæleste consortium: & mulieri cui fuerat cum diabolo lethale consilium, fit cum Angelo vitale colloquium.* B

Luc. 24. 23.

In catena.

Iesum quæritis Nazarenum crucifixum: surrexit, non est hic; ecce locus vbi posuerunt eum.

19. COntra hoc certissimum S. Angeli de Christi resurrectione testimonium insurgere conatus est Angelus Satanæ, qui ex ore Cherinti, Passionistarum, Seleucianorum, Hermianorum, & Apellis Hæreticorum Christum resurrexisse negare ausus est. Cherintus teste S. Epiphanio hæresi 28. asserit Christum post crucis passionem nondum resurrexisse; resurrecturum tamen in generali resurrectione. Eãdem Cherinti hæresim refert Augustinus lib. de hæresibus, hæresi 8. Passionistæ, Seleuciani, & Hermiani teste Philastrio asseruerunt Christi quidem animam in cœlum ascendisse, relicto tamen in Sole corpore; ad quam falsitatem cõprobandam afferebant illud Psal. 18. *In sole posuit tabernaculum suum.* Eiusdem hæresis assertentis solam Christi animam in cœlum ascendisse meminit Tertullian. lib. de carne Christi c. 24 Apelles etiam teste Augustino hæresi 23. Christum sine carne in cœlum ascẽdisse docuit: vel non in sua, & vera carne resurrexisse, & in cœlum ascendisse, vt Philastrius refert. Contra huiusmodi hæresim sunt apertissima sacræ Scripturæ testimonia. Primò ipsius Christi Matth. 16. 21. *Cœpit Iesus ostendere Discipulis suis, quia oporteret eum multa pati à Senioribus, & occidi, & tertia die resurgere.* Præterea Apost. 1. ad Cor. 15. ait: *Tradidi vobis quod accepi, quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris; & quia sepultus est; & quia resurrexit tertia die secundùm Scripturas.* Scripturæ autem plurimæ afferri possunt; præcipua autem est illa ex Psalmo 15. *Non derelinques animam meam in inferno; nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitæ: adimplebis me lætitia cum vultu tuo.* Quæ verba de Christi resurrectione S. Petrus explicat Act. 2. & S. Paulus Act. 13.

Hæretici negantes verã Christi resurrectionem refelluntur hic, & seq.

C

D

19. Porrò quod Christus Dominus non cum alio, sed cum eo, quo passus est corpore resurrexerit; patet ex eo quòd resurgens vulnerum fixuras manibus, pedibus, & latere retinere voluerit. Si enim resurgens corpus aliud assumpsisset, & in eo vulnerum cicatrices habere voluisset; vt se eundem, qui passus erat, ostenderet; hoc videretur fecisse per deceptionem; cum re vera per aliud corpus passus esset, & vulnera recepisset; & per aliud, quod vulnera non receperat, resurrexisset. Debuit igitur idẽ corpus *sicut socium passionis fuit, sic esse & consolationis.* Quare bene S. Leo de Domino ait: *Idem vulnus lateris, fixuras clauorum, & omnia recentissima passionis signa monstrabat; vt agnosceretur in eo proprietates diuina, humanaque natura indiuiduas permanere.*

E

2. ad Cor. c. 1. 7.

S. Leo ser. 1. de Resur.

20. Idem aliqui probant, quia si post mortẽ corpus aliud Dominus assumpsisset; ei vera resurrectio tribui non posset; illud enim corpus, quod exanime in morte occubuerat, & nõ aliud resurgere debebat, vt vera resurrectio dici posset. Huius argumenti vim aduersarii aliquo modo eludere possent dicentes, Domino verè resurrectionem tribui; eo quòd sanctissima illius anima Diuinitati semper vnita, quæ ad corpus passibile se demiserat, ad corpus alterius rationis omnino impassibile se eleuasset.

21. Contra Catholicam veritatem de vera Christi Domini in eodem, quo passus est corpore, resurrectione opponunt hæretici verba illa Apost. 2. ad Corinth. 5. *Etsi cognouimus Christum secundùm carnem, sed iam non nouimus.* Respondetur his verbis Apostolum significare, quamuis fideles per fidem nouerint Christum eo tẽpore, quo mortalem vitam duxit, passibilem carnem habuisse; nunc tamen eamdem carnem, non vt antea passibilem, sed omnino impassibilem à Domino haberi fideles noscere. Quare contra hæreticorũ falsum Apostolicæ allatæ sententiæ sensum, cum S. Leo veram Domini in suo, quod antea habuerat, corpore resurrectionem asseruisset, subdidit: *Non dissonat ab hac fide Apostolus Paulus, cum dicit: etsi cognouimus Christum secundùm carnem; sed iam non nouimus. Resurrectio enim Domini non finis carnis, sed commutatio fuit: nec virtutis argumento consumpta substantia est. Qualitas transiit, non natura defecit. Et mortuo dicitur caro Christi in eo statu, in quo fuerat nota, nescitur; quia nihil in ea passibile, nihil remansit in ea infirmum, vt & ipsa sit per essentiam, & non sit ipsa per gloriam.* Eumdem Apostoli verborum sensũ docet Chrysostomus ibidem, Theodoretus, & Synodus septima generalis Act. 6. Præterea eorumdem verborum sensus talis esse potest iuxta Gagnæum: Si olim nouimus, & ex hac notitia magni æstimauimus, & gloriati sumus de Christo secundùm carnem, hoc est Christum carnali generatione esse Iudæum, nosque esse Christi cognatos secundùm carnẽ; nunc terreno huiusmodi affectu reiecto, augustius, multoq; melius, & vtilius secundùm spiritum Christũ nouimus, vt hominem simul, & Deum, vt humani generis Redemptorem, vt Euangelicæ veræ fidei Doctorem, vt gratiæ, salutisque auctorem; talemque aliis prædicemus. Circa allatam Apostoli sententiam vide Suarium 3. p. disp. 13. sect. 3.

S. Leo supra

22. Præterea contra Passionistas, aliosque supra citatos hæreticos respondetur Psalm. 18. verba: *In sole posuit tabernaculum suum*, nullo modo sensum ab illis allatum habere; sed longè diuersum. Nam ibi ex Hebræo legit Hieronym. *Soli posuit tabernaculum in eis*; scilic. in cœlis, de quibus dixerat: *Cœli enarrant gloriam Dei*: & sensus est Deum Soli proprium cœlestem orbem dedisse. Quare vt Hebræa lectio cum vulgata concordet: cum dicitur: *In sole posuit tabernaculũ suum*; talis sententiæ sensus intelligendus est per hypallagen figuram, quæ nominum casus commutat. Idem ergo est per talem figuram dicere: *In sole posuit tabernaculum suum*, ac sine tali figura dicere: *Solem posuit in tabernaculo suo*, nempe in cœlo. Sic etiam Poeta dixit: *Onerantque canistris dona laboratæ Cereris*; hoc est laboratæ Cereris donis canistra onerant. Quod si ibi talem figuram admittere non libeat, cum particula, IN, frequentissimè in scriptura ex Hebraismo causam significet, dicendo: *In sole posuit tabernaculũ suum*, sensus est Deum, per solem suum tabernaculum, nempe cœlum oculis spectabile posuisse, vt à sole illuminati cœlestes orbes, Dei gloriam enarrent, iuxta id quod ante dixerat: *Cœli enarrent gloriam Dei. In sole ergo posuit tabernaculum suum*, idem est ac dicere, per solem cœleste suum tabernaculum videndum exposuit. Circa eadem Psalmi verba vide dicta Dom. 3. Quadrag. num. marginali 158. & Feria 4. post Domin. pass. n. 41.

Hypallage figura.

Æneidos 8.

Particula IN, sæpe causam significat.

Qua gloria ornatum Christi Domini corpus surrexerit?

23. VNiuersaliter de Iustorum resurrectione Apostolus dixit: *Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale.* De quo Augustin. ait: *Spiritale dicitur corpus, non quasi in spiritum vertatur; sed quia ita spiritui subditum erit, vt cœlesti habitationi conueniat, omni fragilitate, & labe terrena in cœlestem stabilitatem mutata, atque conuersa.* Præcipuè propter agilitatis, & subtilitatis dotes, quibus citissimè, & facillimè beatorum corpus omnia permeare potest, spiritale corpus dicitur: spiritus enim, hoc est ventus celerrimè, & facillimè quocunque mouetur. Præterea propter easdem agilitatis, & subtilitatis, insuper etiam & impassibilitatis dotes corpus gloriosũ spiritale dicitur, eo quòd per has dotes Beati similes sanctis Angelis reddantur: qui spiritus dicuntur Psal. 103 *Qui facis ministros tuos spiritus.* Hinc Damascenus lib. 4. de fide c. vlt. ait: *Seminatur corpus animale, idest crassum, & mortales resurget corpus spiritale, immutabile, impassibile, subtile. Hoc enim designat spiritale, quale Domini corpus post resurrectionem clausis portis ingrediens, infatigabile, cibo, somno, & potu non indigens. Erunt enim sicut Angeli Dei*, Dominus dixit Mat. 22. 30.

1. ad Cor. 15. August. de fide & symbolo c. 6. Corpus gloriosum quo sensu spiritale dicitur: hic, & seq.

24. Augustinus explicans citata Apost. verba: *Seminatur corpus animale, surget spiritale*, bene subdit: *In his verbis Apostoli, numquid fas est putare melius corpora resurrectura, quàm Christi; cum de illo sit propositum exemplum, quòd fideliter intendere, & per eius gratiam sperare debeamus?* Ideo Apostolus ait: *Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Ex Apostolo citato loco ad Corinth. quatuor supra indicatæ dotes glorioso corpori tribuuntur. Prima est impassibilitas, quam Apostolus significat dicens: *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione.* Secunda dos est claritas, de qua ait: *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria.* Ex claritatis enim dote præcipuè corpus dicitur gloriosum: & in Scriptura gloria pro claritate sumitur. Quare Exodi 34. 29. cum Moses ex colloquio cum Deo in monte Sina mirificè illuminatam faciem referret; vbi citato loco dicitur: *Moyses ignorabat, quòd cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini*; Chaldæus legit: *Ignorabat Moyses quòd multiplicatus esset splendor gloriæ vultus sui.* Et Septuaginta legunt: *Non sciebat Moyses, quòd glorificatus fuerat aspectus coloris faciei suæ.* Similiter in Officio de Domini transfiguratione dicitur: *Glorificata est facies Moysi*: & ab Apostolo dicitur: *Vt non possent intendere filij Israel in faciem Moysi propter gloriã vultus eius.* Tertia dos est agilitas, qua celerrimè sine vlla lassitudine beati distantia loca adire possunt. De hac Apostolus ait: *Seminatur in infirmitate, surget in virtute.* Virtutis enim nomine etiam naturalis agilitas appellatur Psalm. 17. 33.

Augustin. epist. 146.

Ad Philip. 3. 20.

Dotes quatuor Corporum beatorum.

2. ad Corint. c. 3. 7.

Deus præcinxit me virtute, qui perfecit pedes meos tamquam ceruorum. Quarta dos eſt ſubtilitatis, de qua ibidem dicitur: *Seminatur corpus animale, ſurget ſpiritale;* hoc eſt, vt ad modum ſpirituum alia corpora penetret, & peruadat iuxta Damaſcenum ſupra citatum. Ad hanc ſubtilitatis dotem explicandam, vt in Phyſicis quæſtionibus probauimus, dicendum eſt quantitatis eſſentiam conſtitui per impenetrabilitatem partium in actu primo, cui impenetrabilitati additur modalis entitas ab ipſa quantite, ſalua eius eſſentia, ſeparabilis, per quam in actu ſecundo quantitas impenetrabilis redditur. Hæc modalis entitas, cum penetratio fit, à corpore quanto remouetur. Quare S. Thomas in 4. diſt. 44. quæſt. 2. art. 2. ad ſecundam quæſtionē ſic ait: *Dicendum, quòd non poteſt dici, quòd corpus glorioſum ratione ſubtilitatis ſuæ habet, quòd poſſit eſſe cum alio corpore in eodem loco; niſi per ſubtilitatem auferatur ab eo illud, quo prohibetur nunc eſſe ſimul cum alio corpore in eodem loco.* Portò quamuis, ſi à penetrante tantùm, vel tantùm à penetrato impeditiua entitas illa remoneretur, penetratio fieri poſſit; probabilius tamen dicitur talem entitatem modalem à penetrato, quàm à penetrante corpore remoueri. Cum enim è clauſo ſepulchro Dominus reſurrexit, à marmore potius quàm à ſuo glorioſo corpore entitatem illā remouiſſe dicendum videtur: hoc enim magis ad beatorum corporum corpora alia penetrantium dignitatem facit; ſcilicet, vt nihil deperdendo corpora alia penetrare poſſint. Fit autem talis remotio à diuina adſiſtentia, quæ ad libitum beatorum à penetrandis corporibus impedimentum remouet; remouendo ſcilicet, vt dixi, modalem illam entitatem, quæ impenetrabilitas in actu ſecundo dici poteſt: non autem remouendo craſſitiem, duritiemque corporis penetrati, vt aliqui dixerunt: cum enim Dominus è clauſo ſepulchro prodiit, marmor ſuam craſſitiem, duritiemque retinuit. Patet hoc, nam etiā corpora non dura penetrari poſſunt; & conſequenter per duritiei remotionem penetratio nō fit. Sicut igitur corpus craſſum, & durum, remanente craſſitie, & duritie, in puncto, ſeu indiuiſibiliter poni poteſt; ablata tantùm partium extenſione in ordine ad locum: ita ablata tantùm modali entitate, quam impenetrabilitatem in actu ſecundo eſſe diximus, penetratio fieri poteſt. De quatuor prædictis beatorum dotibus fusè diſſerit S. Th. in 4. diſt. 44. quæſt. 2. In quo conſiſtant hæ dotes, fusè docet Suarius tertia p. diſp. 48.

Subtilitatis dos quomodo exerceatur.

Subtilitatis dos à corpore penetrato non remouet craſſitiem, & duritiem

25. Quatuor his dotibus ornatus Chriſtus Dominus reſurrexit; claritate autem, & agilitate in eminenti præ cæteris omnibus gradu. Apud Auguſtinum tom. 9. lib. de cognit. veræ vitę cap. penultimo quæſtio hęc proponitur: *Cum Dominus dicat: Fulgebunt iuſti ſicut ſol; & Apoſtolus: Alia claritas ſolis, alia lunæ, alia ſtellarum. Stella à ſtella differt in claritate; ſic reſurrectio mortuorum: videtur Apoſtolus Domino contrarium ſentire: videlicet quos his velut ſolem fulgere aſſerit; ille quoſdam velut diuerſas ſtellas; alios velut lunam, alios velut ſolem fulgere aſtruit. Sed ſciendum eſt, quòd Dominus gloriam Sanctorum generaliter expreſſit; Apoſtolus autem ſingulorum gloriam pro meritis diſtinxit. Vltimus ergo in regno cælorum, vt ſol fulgebit, qui tunc ſepties clarior, quam nunc, erit. Et in hac claritate tantùm quiſque ab alio pro meritis,*

Beati quomodo ſimul ſtellis, & ſoli comparentur. Matt. 13. 43. 1. ad Corin. 15. 41.

A *differt, quantùm ſtella à ſtella in claritate differt. Hos autem omnes tantùm corpus Chriſti in claritate excedit, quantùm Creator creaturas tranſcendit.* Quod intelligendum eſt non arithmeticè, ſed geometricè, & proportionaltier. Creator enim creaturas excedit infinitè: at Chriſti corporis claritas non infinitè beatorum claritatem excedit; cum infinita corporeæ lucis claritas dabilis non ſit. Præterea contradictio nulla eſt, quòd à Domino beatorum ſplendor Soli comparetur, ab Apoſtolo autem ſtellis: cum idem Dominus, qui Apoc. 22. 16. ait: *Ego ſicut ſtella ſplendida, & matutina;* idem Malach. 4. 2. ſol appelletur. Et Eccleſiaſtici 50. 6. de Simeone Pontifice Oniæ filio dicitur: *Quaſi ſtella matutina in medio nebulæ; &*
B *quaſi luna plena in diebus ſuis lucet; & quaſi ſol refulgens, ſic ille effulſit in templo Dei.* Et Cant. 6. 9. de B. Virgine primaria Dei ſponſa dicitur: *Pulchra, vt luna; electa, vt ſol.* Et Sapient. 3. quamuis dicatur: *Fulgebunt iuſti ſicut ſol;* nihilominus de iiſdem, cum ipſi iuſti fuerint, & iuſtitiam alios docuerint, dicitur Danielis 12. *Qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.*

26. Auguſtinus ſer. 34. de verbis Apoſtoli ait: *Videmus hyemis tempore arbores ſpoliari pomis, nudari folijs: ſed eas rurſus verno tempore ſpeciem reſurrectionis exprimere: quia primò quidem incipiunt turgere in gemmis, tum ornari in*
C *floribus, veſtiri & folijs, & poſtmodum pomis grauari. Interrogo te, infidelis homo, qui de reſurrectione dubitas, vbi ſunt iſta, quæ tempore, quo Deus diſpoſuit producuntur? Dic mihi, vbi latitant antequam producantur? Quæ nuſquam quidem videntur, ſed tamen Deus, qui omnipotens eſt, & ea ex nihilo condidit, ſecreta ſua virtute producit. Hinc iam ad campos, & prata reſpicite, quæ æſtate tranſacta herbis ſuis ſpoliantur, & floribus; & nuda remanent ipſa ſpatia terrarum: ſed iterum verno tempore reueſtiuntur; & nouo vbique germine incipiente lætatur agricola. Certè herba, quæ ante vixit, & moritur, rurſus reuiniſcit ex ſemine.* Siſtendo in allata ab Auguſtino
D refloreutium germinum ſimilitudine bene Dominus de ſua reſurrectione iuxta eundem Auguſtinum dicere potuit; *Refloruit caro mea;* verno ſcilicet, & matutino tempore, quo Dominus reſurrexit: quo quidem tempore flores prodeunt, vt Poëta cecinit:

Reſurrectio naturali ſatitate probatur.

Ver erat, & blando mordentia frigora ſenſu
Spirabat croceo mane reuecta dies.
Vidi Pæſtano gaudere roſaria cultu,
Exoriente nouo roſcida Lucifero.

Auſonius Idilio 14.

Bene ergo verno, & matutino tempore reſurgens Chriſtus Dominus dicere potuit: *Refloruit caro mea, ſicut lilium inter ſpinas:* inter ſpinas, nempe vel inter militum ſepulchrum
E cuſtodientium mucrones; vel inter ſpinarum cuſpides in Domini capite à ſpinea corona relictas. Quòd ſi quæratur myſticum hoc lilium, quo imbre irrigatum floruerit; Reſpondetur ex Apoſtolo: *Dominus in diebus carnis ſuæ preces, ſupplicationeſque ad eum, qui poſſit illum ſaluum facere à morte, cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reuerentia;* hoc eſt pro obſequio reuerenter erga æternum Patrem ſemper exhibito. Preces, ſupplicationeſque à Chriſto efficaciter æterno Patri oblatæ fuerunt, non vt mortem euaderet; ſed vt poſt mortē ab ea reſurgendo liberaretur,

Pſ. 27. 2. Cant. 2. 2.

Chriſti reſurgentis refloruit caro, aenea lacrymarū imbre irrigata.

Ad Hebr. c. 6.

Idque iuxta Pſalmum 20. vbi æterno Patri de ſanctiſſimo eius filio dicitur: *Deſiderium cordis eius tribuiſti ei; & voluntate labiorum eius non fraudaſti eum. Vitam petiit à te, & tribuiſti ei longitudinem dierum in ſæculum, & in ſæculum ſæculi*: & iuxta Pſalmum 40. vbi itidem æterno Petri Chriſtus ait: *Tu autem, Domine, miſerere mei, & reſuſcita me.* His pro ſua reſurrectione precibus lacrymas Dominus addidit, eas *cum clamore valido, & lacrymis offerens.* Harum lacrymarum imbre Dominus velut myſticum lilium irrigatum efflotuit.

27. Iſaiæ 58. dicitur. *Orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt ſicut meridies, & requiem tibi dabit Dominus ſemper; & implebit ſplendoribus animam; & oſſa tua liberabit; & eris quaſi hortus irriguus, & ſicut fons aquarum, cuius non deficient aquæ.* Si hæc de omni iuſto dicta ſunt; multò magis, & eminentius Chriſto Domino iuſtorum capiti promiſſio eadem ab æterno Patre facta eſt. Cum Dominus iuxta Athanaſium, Gregorium, Nyſſenum, Cyrillum Alex. & alios apud Suarium reſurrexerit prima hora poſt mediam noctem, ſeu, quod idem eſt, noctis hora ſeptima, ſeu tertiæ vigiliæ initio: vel iuxta Hilarium, Ambroſium, Thomam, & alios auroræ tempore ante naturalem ſolis ortum reſurrexerit, nec ſine magno claritatis ſplendore: hinc verè ei prædictum eſt: *Orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt ſicut meridies. Et Dominus oſſa tua liberabit*, ſcilicet à corruptione, ea iterum viuificando. Subditum ibidem ab Iſaia: *Et vocaberis ædificator ſepium*: ideſt talis eris, vt iure talis vocari poſſis. Iuxta Forerium, & Vatablum legitur: *Vocaberis obſtructor rupturæ*, vel *Sepiens fracturam*, vel *ruinæ inſtaurator.* Hoc autem vaticinium impletum eſt, cum ſanctiſſima Chriſti anima, vt inſtrumentum diuini Verbi, cui vniebatur effectiuè concurrit ad exanime, laceruinque ſuum corpus reſtaurandum, debitè organizandum, & diſponendum, ſeque illi iterum vniendum, iuxta probabilem ſententiam allatam, & probatam à Suario ſupra citato. Tunc profectò Dominus vocari potuit *ædificator ſepium*: cum enim reſurrecturo Domino dictum eſſet: *Et eris quaſi hortus irriguus*; myſtici, ac feliciſſimi talis horti ſepes ab ipſo Domino conſtructa eſt, cum exanimis ſui corporis partes diuinitus reſtaurauit.

Chriſtus qua hora noctis reſurrexit. *Suar. 3. p. diſ. 45. ſec. 2.*

Chriſtus cur ædificator ſepium dictus.

28. *Oſſa tua liberabit.* Hoc vaticinium non ſolùm impletum eſt in proptiis Domini oſſibus. & membris, quæ omnia integra, & impaſſibilia reſurrexerunt: ſed etiam in myſtico eiuſdem corpore, nempe in SS. Patriarchis, & iuſtis, quos reſurgens Dominus è Limbi carcere liberauit: quique in fidelium Eccleſia ſuſtentanda, tamquam in myſtico corpore veluti ſolida oſſa fuerunt. Domini exemplum imitantes pii fideles Dominicæ reſurrectionis die ſuos ſeruos libertate donare conſueuerunt. Hermes illuſtris antea Vrbis præfectus, poſtea S. Martyr, Paſchatis die mille ducentos quinquaginta ſeruos liberos dimiſit. Ouinius Gallicanus cum bis conſulatum geſſiſſet, ſeculo renuncians humile vitæ genus ob Chriſti amorem amplexus, Paſchali etiam ſolemnitate ſeruorum quinque millia manumiſit. Tandem martyrii coronam conſecutus, die 25. Iunii in Eccleſia habet S. martyris celebritatem. Similiter à S. Melania iuniore Paſchatis die ſeruorum octo millia libera dimiſſa Palladius refert. Vt Sanctorum

Chriſti oſſa myſtica iuſti à limbo liberati.

Paſchatis die pii fideles libertate ſuos ſeruos donabant. *Vide Salian. tom. 1. pag. 431. & Laurentium Pignoriũ in Comment. de ſeruis.*

A exempla ſequamur, ſi nobis liberandi ſerui non ſint, nos ipſos à peccati ſeruitute liberemus, Apoſtoli monito obſequentes: *Vt quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus; & vltra non ſeruiamus peccato.*

Ad Rom. 6. 4.

29. De triduo, quo Chriſtus Dominus antequam reſurgeret, in ſepulchro fuit. ſeu *in corde terræ*, vt dicitur Matth. 12. egimus Feria quarta poſt Dominicam 1. Quadrageſimæ in illa verba: *Sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.* Ibi dictis adde ſolis obtenebrationem, quæ in Chriſti paſſione fuit. noctem non incongruè dici probari B poſſe ex Sap. cap. 17. 2. vbi tres dies tenebrarum Ægyptiarum longæ noctis nomine appellantur. Prætetea Oroſius lib. 7. c. 4. diurnas illas ſolaris obſcuritatis horas horrendam noctem vocat.

Matth. 12. Dies omnino obtenebratus dicitur nox.

Sed ite, dicite Diſcipulis eius, & Petro, quia præcedit vos in Galilæam: ibi eum videbitis, ſicut dixit vobis.

30. I*Te, dicite Diſcipulis eius, & Petro:* Hinc Leo Imperator homil. de Reſurr. ita pias has mulieres alloquitur: *O terque, quaterque beatæ mulieres, tum ob aduentum primo diluculo ad monumentum;* C *tum ob pulcherrimum illud alloquium, & ſpectaculum; quæ primæ omnium immortalitatis locum illum ſpecioſo pede preſſiſtis. Primæ inſignè illud trophæum erectum eſſe audiſtis, infernum ſpoliatum, mortem peremptam, & corruptionem depreſſam. Nec amplius fœmineus ſexus propter lapſum culpandus eſt; ab hoc enim annunciatur Reſurrectio. Mulieres propter primam parentem non velantur, ſeu obteguntur amplius. Quin ipſæ hilari vultu, & lingua primæ gratiam diuinitus datam prædicant. O felices aures, quæ ante alias tantum nuncium acceperunt. O felices oculos, qui vitam iamiam ex ſepulchro velut ſolem exorientem rutilare viderunt. O felices manus, quæ* D *tetigerunt pedes, quibus corruptio eſt conculcata.*

Sepulchrum Chriſti Domini immortalitatis locus.

31. *Dicite Diſcipulis eius, & Petro.* Specialiter Petrus ad Dominum videndum vocandus erat, vt pœnitentiæ, lacrymarum fructus oſtenderetur. Pœnitentium enim oculi lacrymis abluti ad Dominum videndum aptiſſimi redduntur. *Beati, qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur*, Dominus dixit Matth. 5. 5. Cum Petrus amarè ſuum peccatum defleuiſſet, ſpecialiter meruit, vt eum Dominus ſuo aſpectu ſolaretur. Cùm piæ mulieres Domini reſurrectionis nunciæ ad eum in Galilæa videndum Diſcipulos inuitarent, iuxta Gregorium *Petrus, qui Magiſtrum negauerat, venire inter* E *Diſcipulos non auſus eſſet.* Propterea ſanctæ mulieres longè alio, quàm impudentis ancillæ ſenſu, dicere Petro præcipuè potuerunt: *Tu ex illis es*, qui ad Dominum videndum ex eius mandato aduocaris. *Verè tu ex illis es, nam & loquela tua manifeſtum te facit:* oculorum ſcilicet loquela lacrymis veniam poſtulantium: de qua loquela pœnitenti peccatori dictum eſt: *Ne taceat pupilla oculi tui: deduc quaſi torrentem lacrymas, per diem, & noctem.*

Lacrymæ pœnitentis ad Dominũ videndum oculos aptant.

Greg. hom. 21. in Euãg.

Marci 14. 69.

Matt. 26. 73.

Ierem. Thr. 2. 18.

32. *Ibi eum videbitis.* De his verbis bene apud Hieronymum dicitur: *Breuis ſententia in ſyllabis, ſed ingens in quantitate promiſſio.* Diſ-

Apud Hier. in cap. 16. Marci.

Beatitudo corporei oculi in cœlo visio Christi Domini.

cipulorum enim oculi gloriosum rediuiui Domini corpus videntes, cœlestis Sanctorum beatitudinis participes facti sunt. Nam sicut in cœlo Electorum mentis beatitudo in Dei visione consistit; ita ibidem corporei oculi beatitudo à Christi Domini visione præcipuè prouenit iuxta Augustinum, qui ait: *Deus propter hominem factus est homo, & in similitudine hominis apparuit; vt vterque sensus hominis in ipso beatificaretur; & reficeretur oculus cordis in eius Diuinitate; & oculus corporis in eius humanitate.* Idem docet Cyprianus, serm. de Natiuit. Domini.

Aug. Manualis c.26

33. *Sicut dixit vobis*: nempe Matthæi 26. 27. vbi post cœnam antequam in Gethsemani hortum Dominus iret discipulis dixit: *Postquam resurrexero præcedam vos in Galilæa.* In Galilæa autem post resurrectionem vndecim discipulis Dominus, & plusquam quingentis fratribus apparuit, vt dicitur Matth. 28. 16. & prima ad Corinth. 15. Sed antequam in Galilæa se rediuiuum Dominus Apostolis ostenderet, omissis aliis apparitionibus mulieribus factis, ipso resurrectionis die prius apparuit Petro, deinde Apostolis aliis simul cum ipso Petro, Thoma excepto, vt habetur ex Luca 24. Rursus post dies octo iisdem Apostolis addito etiam Thoma apparuit, vt patet ex Ioanne 20. 26. Cum ergo hæ apparitiones Ierosolymæ præcesserint; quæritur cur Dominus suis, & Angeli verbis se post resurrectionem in Galilæa videndum tantùm dixerit? Proponit hanc quæstionem Nyssenus orat. 2. de Christi resurrectione sub finem, eique respondet: *Quo pacto Seruator Discipulis partim per Angelum, partim sua ipsius voce pollicitus quòd profectus in Galilæam eis appariturus esset; cum visus sit Ierosolymis quoque promissum præstare. Verùm hoc liberalitatis, & humanitatis diuitias ostendit; non mendacij crimen continet. Non enim dixit: in Galilæa dumtaxat me videbunt: neque Ierosolymis visus non apparuit in Galilæa sicut promiserat: hoc enim esset suos sermones falsos reddere mentiendo. Sed si Ierosolymæ propter metum Iudæorum conclusis in domicilio, aduentuque, & præsentia sua opus habentibus apparuit; promissum etiam præstitit in Galilæa quoque visus; cum vtraque benignè, ac verè acciderint, effugere licet omnem criminationem. Mihi autem magnam, & latentem videtur in se continere significationem, quòd apud Matthæum dictum est Discipulis, vt abeant in Galilæam, atque ibi me videbunt. Cum enim futurum esset, vt sæpius appareret, ad vnam tanquam præcipuam, & præter cæteras eximiam apparitionem spectant verba promissionis, iuxta quam apparitionis eis esset in monte. Nisi enim hoc ita esset, non dixisset Matthæus: Vndecim Apostoli abierunt in Galilæam in montem, vbi constituerat eis Iesus.*

Matt.28.16.

34. Cum ergo Dominus, antequam in Galilæa se discipulis, sicut promiserat, manifestaret, alibi etiam sæpe apparuerit; apertè ostendit frequenter se plus eo, quod promittit elargiri; vt cum Augustino probauimus cum de promissione diximus à Domino latroni factæ; *Hodie mecum eris in Paradiso.* Quàm verè mundanis hominibus Dominus dixit Isaiæ 55. 8. *Non via vestra via mea.* Laban decies factam suo genero Iacob promissionem de danda mercede violauit; *Mutauit mercedem meam decem vicibus*, conqueritur Iacob Gen. 31. 7. Dominus cum post suam resurrectionem se à suis fidelibus videndum promisisset; quod promiserat decies præstitit: decem enim rediuiui Domini apparitiones numerantur; quinque scilicet ipsa resurrectionis die, & quinque aliæ die octauo, & deinceps ante ascensionem. Prima apparitio facta est Magdalenæ prope sepulchrum, Marci 16. & Ioannis 20. Secunda in via eidem Magdalenæ cum duabus comitibus mulieribus Matthæi 28. Tertia Petro, Lucæ vltimo. Quarta duobus discipulis euntibus in Emmaus, Lucæ vltimo. Sexta Ierosolymæ discipulis omnibus absente Thoma, Ioannis 20. 19. Sexta octauo resurrectionis die in Ierosolymæ cœnaculo iisdem discipulis Thoma præsente Ioan. 20. 26. & Marci 16. 14. iuxta Maldonatum. Septima ad mare Tiberiadis septem discipulis, Petro, Ioanni, Iacobo, Thomæ, Nathanaeli, & duobus aliis non nominatis, Ioan. 21. Quamuis enim ibi Ioannes dicat: *Hoc iam tertio manifestatus est Iesus Discipulis suis*; id intelligi debet non respectu omnium apparitionum, sed tantùm respectu apparitionum, quæ pluribus simul discipulis factæ sunt. Vel tertius dies ille fuisse dicitur; eo quòd à Ioanne primus dies numeretur ipse resurrectionis dies: secundus dies, dies octauus: tertius verò dies iste, quo Dominus ad mare Tiberiadis se manifestauit. Octaua apparitio fuit Matth. 28. cum prius vndecim discipulis in Galilææ monte, & postea etiam aduenientibus plusquam quingentis fratribus, iis se etiam Dominus manifestauit, vt dicitur prima ad Corinth. 15. Hanc quingentis fratribus manifestationem fuisse post illam factam vndecim discipulis colligi potest ex eo, quòd de apparitione in Galilææ monte Matthæus ait: *Videntes eum adorauerunt eum; quidam autem dubitauerunt.* Probabile autem non est Apostolos vndecim, cùm aliàs Dominum rediuiuum vidissent, dubitasse; quare, quòd aliqui dubitarent, intelligi debet ex eo fidelium numero, qui eodem post a conuenerant. Nona ergo apparitio fuit quingentis fratribus facta. Decima illa, de qua Lucas dixit sui in Euangelii fine: *Eduxit eos extra Bethaniam; & eleuatis manibus suis benedixit eis. Et factum est; dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cœlum.* Contigit hæc Domini apparitio in monte Oliueti coram pluribus fidelibus, vt colligitur ex Actor. Apost. cap. 1. Præter decem has apparitiones addit Paulus 1. ad Corinth. 15. Dominum apparuisse Iacobo, non Zebedæi, sed Alphæi filio, vt communiter interpretes docent, quod vbi, & quomodo contigerit non constat. Certum tamen est ex Pauli testimonio eam apparitionem fuisse ante vltimam Domini in cœlum ascensuri apparitionem: alia autem de qua ibidem Paulus ait: *Nouissime visus est & mihi*, post Domini ascensionem fuit, vt habetur Act. 9. 4.

Christi post resurrectionem apparitiones decem.

Matt.28.17

35. Ex quadraginta dierum mora, qua post suam resurrectionem Dominus antequam in cœlum ascenderet, in terris fuit; & ex eius tam frequenti suis fidelibus apparitione, eorum cœtus dicere bene potuit, quod ex Psalmo 138. Dominum dicentem Ecclesia inducit: *Resurrexi, & adhuc tecum sum: posuisti super me manum tuam.* Vnusquisque enim fidelium dum amanter, & suppliciter, vel ad amplectendum, vel ad deprecandum, Domino, cum ei appareret, manus protendebat; ardentis charitatis vinculis retineri Dominus videbatur. Ideo ait: *Resurrexi, & adhuc tecum sum: posuisti super*

Psal.138 v.18. & v.5

Christi post resurrectionē in terris

Nomen eximii diuini amoris argumentum hic, & seq. *Exodi 3. 6*

me manum tuam. In veteri lege magna quidem fuit Dei benignitas, quòd omissis eximiis titulis Omnipotentis, Altissimi, cœli terræque Regis, nominari voluerit *Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob.* At quantò maius diuini amoris argumentum est nomen, quo in Euangelica lege assumpta humana carne Deus omnipotens vocari dignatus est. *Ecce Virgo in vtero habebit, & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum Nobiscum Deus*: Deus scilicet, qui cum hominibus versari perpetuò gaudet; idque etiam postquam ad immortalem vitam resurrexit: ideoque in cœlum ascensurus Dominus dixit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi:* quam benignissimam promissionem per realem præsentiam in sanctissimo Eucharistiæ sacramento præcipuè Dominus adimplere dignatus est. Non est ergo cur veterum philosophorum ineptam sequamur sententiam asserentium hominem particulæ diuinæ mentis esse habitaculum; cum non Dei, qui indiuisibilis est, pars; sed ipse sua infinitate Deus per sanctissimum Eucharistiæ sacramentum in homine esse dignetur; impleatque quod Ioannis 14. 23. Dei filius promiserat dicens: *Si quis diligit me, Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.*

Isaiæ c. 7. *Matth. c. 1. 21.* *Matth. 28. 20.* Christi Domini in Eucharistia eximius erga homines amor.

36. Ex antiquis philosophis aliqui insipienter, & impiè ideo negandam circa res humanas diuinam prouidentiam dixerunt, quia vilesceret Dei intellectus, si circa humana versaretur. Horum quò admiratio progrederetur, si fidei lumine Deum non solùm humana curare, sed cum hominibus benignissimè versari cognoscerent? In veteri lege fidelis anima magnam sibi beneficentiam exhiberi existimabat, si ei non diu cum Deo domesticè morari; sed tantùm ad eius odorem post eum currere daretur; ideo precabatur: *Trahe me; post te curremus in odorem vnguentorum tuorum.* At in Euangelica lege Deus, vt cum hominibus assumpta humana carne versaretur, ad nos ipse currere dignatus est. Quare iuxta S. Thomam, & alios de eius ad nos aduentu dicitur Psalm. 18. 6. *Exultauit vt gigas ad currendam viam; à summo cœlo egressio eius:* & quasi cursus ei satis non esset, volatum addidisse dicitur; ideoque de Domini etiam incarnationis mysterio iuxta eumdem S. Thomam dicitur Psalmo 17. 10. *Inclinauit cœlos, & descendit, & ascendit super Cherubim, & volauit, volauit super pennas ventorum.* Hinc, ait S. Thomas, Baruch dixit: *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Vt inuisibilis videretur à nobis, vt immortalis moreretur pro nobis, Verbum caro factum, & habitauit in nobis. Verbum in carne, sol in nube, mel in cera, lumen in testa*, ait Bernardus.

Cant. 1. *Baruc. 3. 38.* *Ioan. c. 1.* *Bern. ser. 2. de Cœna Domini.*

37. Ad significandum arctissimum amoris nexum inter Ionatham, & Dauidem dicitur primo Regum 18. *Anima Ionathæ conglutinata est animæ Dauid: & dilexit eum Ionathas quasi animam suam.* Christus Dominus non solùm indissolubili hypostaticæ vnionis nexu cum humana carne vnitus est; sed cum fidelibus suis amicis adeo tenax dilectionis vinculum habere gaudet; vt ab eorum amplexu diuidi non patiatur: ideoque ad immortalem vitam iam rediuiuus vnicuique suorum fidelium ait: *Resurrexi, & adhuc tecum sum: posuisti super me manum tuam.* Si Ionathas Dauidem quasi animam

A suam dilexit; Christus Dominus homines dilexit supra animam suam, cum pro humano genere animam suam, hoc est suam vitam posuerit.

38. Magna quidem fuit potestas Iosue à Deo communicata, cum ei solis, lunæque cursum sistere datum est: *Sol contra Gabaon ne mouearis*, Iosue dixit: *steteruntque sol, & luna.* At multò maior est humanæ dilectionis potestas, qua non solem, & lunam, sed solis, lunæque conditorem in terris sistere datur. Vis hæc rediuiuum Dominum in terris sistendi talis est, vt eam ipse Dominus velut admirans dicat: *Resurrexi, & adhuc tecum sum: posuisti super me manum tuam.* Eximia Sacerdotibus potestas data est cum eis Dominus dixit: *Quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo.* Sed quantò magis homines Deus excedit; tantò maior potestas est Deum in terra ligare, quàm homines. Quòd Sacerdotes homines ligent, hominum damnatio prouenit. Quòd homines secum Deum vincire possint, hominum glorificatio procedit. Hoc ergo eximium humanæ dignitatis priuilegium indicans Dominus ait: *Resurrexi, & adhuc tecum sum: posuisti super me manum tuam.*

Iosue c. 10. 12. *Matt. 18. 18.*

39. Paulus, cum Apostolus, cum vas electionis, cum Doctor gentium esset, eo tantum titulo gloriatur, quem ad Philemonem scribens vsurpat: *Paulus vinctus Christi Iesu.* Quo titulo, vt Chrysostomus ait, *Ostendit dignitatem suam: nihil ea gloriatione sublimius.* At sublimior gloriatio hominis est, quòd Christus Iesus post effracta mortis vincula, hominis vinctus dicatur; & propterea post resurrectionem ab humano consortio non seiungatur, dicatque: *Resurrexi & adhuc tecum sum.* Sinarum incolæ, si quando suos sibi Deos iratos existimant, ne ab eis deserantur, in eorum simulacra vincula iniicere consueuerunt. Deus noster, ne nos deserat, sponte amoris vincula subiit; eaque adeo tenacia sunt vt post eius ad gloriosam vitam resurrectionem eum apud nos amantissimè retineant.

Sinicola Idolicula ciues

An resurgens Dominus sanctissimæ matri suæ priusquam cæteris omnibus apparuerit.

40. AFfirmandum videtur cum Sancto Ambrosio lib. 2. de Virginibus, vbi ait: *Vidit Maria resurrectionem Domini, & prima vidit, & credidit:* Similiter Nicephorus Calistus lib. 1. cap. 32. de rediuiuo Domino ait: *Primum quidem à matre, & reliquis conspectus mulieribus, deinde à dilectis discipulis.* Similiter Sedulius lib. 5. Paschalium carminum in fine ait de B. Virgine: *Hanc se visibus adstans luce palam Dominus prius obtulit.* Similiter Rupertus lib. 7. de diuinis officiis cap. 25. ait: *Gestit Christiana deuotio perpendere, quantus torrens gaudij repente inundans, animam eius ferro doloris confossam inebriauit, cum rediuiuus filius illi ante omnes fortasse mortales materno Virginem non defraudans honore, victoriam suam annunciauit.* Dices hanc sententiam non vt certam; sed vt dubiam afferre Rupertum, cum non absolutè, sed *fortasse* dicat. Respondeo infra Rupertum absolute addere: *Verissimè matri filius resurgens apparuit.* Quod bene probare pergit, vt infra videbimus. S. Bonauentura in meditat. vitæ Christi cap. 87. ait: *Sum*

mo mane B. Virgine orante, & lacrymas dulciter emittente, ecce subitò Dominus Iesus venit in vestibus albissimis, vultu sereno, speciosus, gloriosus, & gaudens; & dixit ei quasi ex latere: Salue Sancta parens. At illa statim se vertens: Es tu, inquit, filius meus Iesus? Et genuflexit adorans. Cui filius: Mater mea dulcissima, ego sum: resurrexi, & adhuc sum tecum. S. Anselmus cum locutus esset de gaudii exultatione quàm ex sanctissimi filii sui conuersatione B. Virgo sentiebat, subdit: *Si tam magna fuit tunc, cum ipsum bene sciret paulo post moriturum; quæ, vel quanta putatis fuit tunc, cum ipsum iam calcatis mortis legibus resurrexisse, non solùm in æternum victurum; sed & cœlo, & terræ, omnique creaturæ perenni iure dominaturum?* Dices ex his Anselmi verbis non necessario colligi B. Virgini resurgentem Dominum apparuisse; sed tantùm ei sanctissimi filii sui resurrectionem innotuisse; quod ex aliorum, quibus Dominus apparuerat, testimonio fieri poterat. Respondeo, quòd B. Virginis gaudium ex apparitione sibi facta, non ex aliorum testimonio prouenisset, sensisse Anselmum, ex eiusdem verbis infra citandis apertè colligitur.

Anselm. l. de excellentia Virgin. c. 6.

41. Obiiciuntur primo contra allatam sententiam Marci de Domino verba hoc capite 16. 9. *Surgens mane prima Sabbati apparuit primo Mariæ Magdalenæ*: ergo primo non apparuit Beatæ Virgini. Huius obiectionis solutio posset primò desumi ex Hieronymo epist. 150. ad Hedibiam quæst. 3. vbi quamuis citata Marci verba cum Matthæi verbis conciliare conetur, addit tamen: *Aut non recipimus Marci testimonium; quod in raris fertur Euangeliis, omnibus Græciæ libris penè hoc capitulum in fine non habentibus: præsertim cum diuersa, atque contraria Euangelistis cæteris narrare videatur.* Hæc solutio non est admittenda; cum tam vltimum hoc Marci caput, quàm antecedentia, vt canonica ab Ecclesia admittantur. Respondetur igitur secundo Magdalenam rediuiuum Dominum primam vidisse facta comparatione cum duobus aliis sociis mulieribus Maria Iacobi, & Maria Salome, quæ cum ipsa Magdalena ad Domini monumentum venerant, vt antea Marcus dixerat. Cum enim Magdalena, eiusque sociæ audito Angeli testimonio Ierosolymam redeuntes Dominum resurrexisse Apostolis nunciassent; cumque Petrus, & Ioannes ad monumentum venissent, eoque vacuo viso inde discessissent, illosque secutæ essent Maria Iacobi, & Salome; Magdalena prope monumentum plorans mansit; ibique sub hortulani forma Dominum prima vidit; eique se Dominus iam resurrexisse manifestauit; vt habetur Ioannis 20. Postea tamen Magdalena Domini iussu vt testis oculata nunciatura Apostolis Domini resurrectionem cum festinaret; cumque in via socias mulieres reperisset, iterum ipsi Magdalenæ Dominus apparuit, sociisque etiam mulieribus, vt habetur Matth. 28. 9.

42. Obiicitur secundo apud Suarium 3. part. disp. 49 sect. 1. *Plus est videre Christi diuinitatem, quàm gloriam resurgentis; & tamen non fuit B. Virgo prima, quæ inter homines vidit Deum. Nam Augustinus, & Diuus Thomas existimant Moysen vidisse Deum: & de animabus Sanctorum Patrum est etiam probabile; quia non est certum B. Virginem vidisse Diuinitatem ante Christi resurrectionem.* Respondetur Christum Dominum in materno vtero ipso suæ conceptionis instanti ante alios omnes Deum beatifica visione vidisse. Ante Christum neque Mosem, neque Isaiam, neque vllum alium id consecutum esse probauimus in Euang. Dominica tertia Quadragesimæ in illa verba: *Beatus venter, qui te portauit.* De Deipara autem ait S. Antoninus part. 4. tit. 15. cap. 77. *Fortè in ipso conceptu*, scilicet filii, *vel in partu illi datum est ad horam, vt videret mysterium huiusmodi, vt in patria; sicut Paulus vidit Deum in raptu.* Sed Paulus in raptu clarè vidit Dei essentiam, vt cum S. Augustino docet S. Thomas; ergo etiam B. Virgo. Quare bene Rupertus lib. 3 in Cantica ait: *Si quispiam dixit raptum se fuisse in Paradisum, quantò magis tu, Regina cælorum, persæpe cœlestibus interfuisti?* De eodem tam eximio priuilegio Dionysius Carthus. ait: *An & aliis sit concessum quis nouit? De supermundissima Virgine non existimo dubitandum.* Bene enim Bernardus epist. 174. asserit: *Quod vel paucis mortalium constat esse collatum, non est fas suspicari tantæ Virgini fuisse negatum.* Hinc retorqueri potest argumentum: Inter puras creaturas B. Virgo prima vidit Deum: ergo etiam resurgentis filii sui prima gloriam vidit. Quomodo autem intelligenda sint illa Scripturæ testimonia Ioan. 1. 18. *Deum nemo vidit vnquam*; & prima ad Tim. cap. 6. *Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest*, explicauimus citato loco Dominicæ tertiæ.

S. Aug. epist. 112. S. Th. 1. p. q. 12. a. 11. S. Basil. in Hex. hom. 1.

Beatificam visionẽ nemo ante Christum habuit.

S. Th. 2. 2. q. 175. art. 3. 4. & 5.

B. Virgo inter puras creaturas prima Deũ vidit.

43. Dices Exodi 33. 11. dicitur; *Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum*: & Iacob. Genes. 32. dixit: *Vidi Dominum facie ad faciem.* Visio autem Dei facie ad faciem est visio clara, & intuitiua ex Apostolo 1. ad Corinth. 13. 12. *Videmus nunc per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte; tunc autem cognoscam sicut cognitus sum.* Respondetur citato Apostoli loco visionem facie ad faciem ideo significare visionem intuitiuam, quia ibi eam Apostolus contradistinguit à cognitione per speculum in ænigmate, hoc est, per medium obscurè repræsentans. Ideo Mosis locutio cum Deo facie ad faciem absolutè posita, sine prædicta contradistinctione, visionem intuitiuam non infert. Si enim intuitiuam visionem inferret, Mosi Dominus ibidem non dixisset vers. 20. *Non poteris videre faciem meam; non enim videbit me homo & viuet.* Quare locutio facie ad faciem significat tantùm familiarem sermonem, non per intermediam personam, qualis erat locutio Prophetarum dicentium: *Hæc dicit Dominus.* Rectè autem dici potest loqui facie ad faciem, seu vt Chaldeus legit, *Verbum ad verbum*, homo ad amicum suum; dummodo locutio fit immediatè nullo intermedio nuncio; sed tantùm præsentis cum præsenti sit sermo; quamuis ob defectum lucis, vel ob aliquod aliud impedimentum loquens non videatur. Dices: Moses Deuter. cap. 5. vers. 4. Israelitico populo dixit: *Deus facie ad faciem locutus est nobis in monte de medio ignis. Ego sequester, & medius fui inter Dominum, & vos in tempore illo, vt annunciarem vobis verba eius: timuistis enim, & non ascendistis in montem*; ergo falsum est quod diximus locutionem facie ad faciem significare tantùm locutionem sine vllo intermedio nuncio. Respondetur quamuis præcepta iudicialia, & cæremonialia à Mose acceperit populus, cum territus à

Moses in mortali vita Deum an vidit: hic. & seq.

Facie ad faciem loqui quid significet

A B C D E

monte

monte discessisset; Decalogus tamen immediatè ipsi populo promulgatus est. Moses enim ibidem post promulgatum Decalogum populo dixit: *Hæc verba locutus est Dominus ad omnem multitudinem vestram in monte de medio ignis, & nubis, & caliginis voce magna.* Postea tamen subdidit: *Dominus ait ad me: Vade, & dic eis: Reuertimini in tentoria vestra: tu verò hic sta mecum; & loquar tibi omnia mandata mea, & ceremonias, atque iudicia, quæ docebis eos.* Præterea cum Ezechiel. 20. Deus ait: *Iudicabor vobiscum facie ad faciem*, sensus est: Meum iudicium transigi patiar vobiscum velut inter partes æquo iure, sublato omni timore, ac verecundia minoris erga maiorem; omnique auctoritate, & maiestate maioris erga minorem. Genes. 32. cum Iacob se vidisse Deum facie ad faciem affirmat, Sanctus Thomas prima part. quæst. 12. art. 11. ex Sancto Dionysio 4. de cœlesti hierarchia docet Iacob vidisse Deum sub aliqua figura sensibili, scilicet sub humana forma; cum ibi dicatur: *Vir luctabatur cum eo.* Dices, hic, qui cum Iacob sub humana specie luctabatur, fuit Angelus, non autem Deus: nam Oseæ 12. de Iacob dicitur: *In fortitudine sua directus est cum Angelo; & inualuit ad Angelum, & confortatus est.* Respondeo non solùm luctam cum Iacob, sed etiam Dei cum Mose, & populo locutionem in monte Sina, de qua supra diximus, fuisse per Angelum: nam ad Galatas 3. Decalogi lex dicitur *ordinata per Angelos in manu mediatoris*: idest Mosis iuxta Cyrillum, Nazianzenum, & alios: Moses enim legis interpretationi, & executioni præpositus fuit. Immo Sanctus Dionysius supra citatus, & Sanctus Augustinus lib. 16. de Ciuit. cap. 39. vniuersaliter docent Deum in veteri testamento nunquam per se; sed per Angelos apparuisse: dicebatur tamen tunc Deus locutus, vel visus; quia licet Angelus personaliter esset; repræsentatiuè tamen Deum, non Angelum referebat: ideo sensu repræsentatiuo erat immediata Dei locutio; qualis non erat illa, quæ per Prophetas fiebat. Quare quamuis Angelus Decalogi legem promulgaret Exodi 20. quia tamen Dei personam sustinebat, dixit: *Ego sum Dominus Deus tuus; qui eduxi te de terra Ægypti.* Sic passim in forensibus tribunalibus decreta prodeunt, quibus ministri regias vices gerentes Regis nomen inscribunt.

Deus per Angelos sub humana figura, nunquam per se in veteri testamento apparuit. Cyrill. lib. 12. Thesauri c. 10. Naziãz. Orat. 6.

44. Dices, Num. 12. de Mose Deus dixit: *Ore ad os loquor ei; & palam, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt.* Propter quam Mosis prærogatiuam in fine Deuteron. dicitur: *Non surrexit vltra Propheta in Israel, sicut Moyses; quem nosset Dominus facie ad faciem.* Si ergo Moses palam, & non per ænigmata, & figuras Dominum vidit; talis Mosis visio intuitiua fuit: intuitiuam enim in patria visionem ænigmaticæ cognitioni supra citatus Apostolus opponit dicens: *Videmus nunc per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem.* Respondetur Mosem intuitiuè non vidisse diuinam essentiam, sed futurum Messiam, Deique filium; qui quoniam sub humana natura, sicut futurus erat, Mosi repræsentabatur; ideo eius repræsentatio non ænigmatica fuisse dicitur. Ænigmatica autem, & per figuram futuri Messiæ repræsentatio illa dici potuit facta Abrahamo Genes. 22. 13. cum in monte

Moses futurũ Messiam sub humana specie vidit.

A Moria, hoc est Caluariæ monte iuxta Hieronymum, & Augustinum: *Vidit arietem inter vepres hærentem cornibus; quem assumens obtulit holocaustum pro filio; appellauitque nomen loci illius: Dominus videt. Vnde vsque hodie dicitur: In monte Dominus videbit.* Bene enim Ambrosius ait: *Ecce aries vnus suspensus cornibus in virgulto Sebec. Quis significatur nisi ille, de quo scriptum est Psalm. 148. Exaltauit cornu populi sui? Cornu nostrum Christus est eleuatus, & exaltatus à terris: hunc vidit Abraham in isto sacrificio; huius passionem aspexit; & ideo ipse Dominus ait de eo: Abraham diem meum vidit, & gauisus est. Vnde ait Scriptura: Vocauit Abraham nomen loci illius: Dominus* B *vidit; vt dicunt hodie: In monte Dominus apparuit; hoc est quod apparuerit Abrahæ reuelans suam futuram passionem corporis, qua mundum redemit; demonstrans etiam genus passionis, cum suspensum ostendit omnibus arietem. Virgultum illud patibulum crucis est:* Allata de Mosis visione interpretatio confirmari primò potest, quia tali modo explicata Mosis visione, Vulgatæ sensus cum Hebraïca lectione concordat. Legunt enim Hebræi iuxta Abulensem citato Numer. cap. 12. *Ore ad os loquor ei palam, & non per ænigmata*: & hîc prior periodi pars terminatur. Facta autem interpunctione subiungitur: *Et figuram Dominus vi-* C *det*, seu *considerat*. Confirmatur secundò eadem de Mosis visione interpretatio, quia quamuis Sanctus Augustinus, epist. 112. cap. 12. & S. Thomas prima part. quæst. 12. art. 11. asserant Paulum raptum ad tertium cœlum vidisse intuitiuè diuinam essentiam; nihilominus alii Patres allati à Suario lib. 2. de attributis negatiuis Dei cap. 30. numero 16. id negant; additque Suarius: *Totus ille raptus prout narratur 2. ad Corinth. 12. satis propriè intelligitur, si Paulus eleuatus est ad intuendam Christi humanitatem, & gloriam.* Ergo quid simile de Mosis visione dici potest. Similiter etiam quamuis Isaias cap. 6. dicat: *Vidi Do-* D *minum sedentem super solium excelsum, & eleuatum*; Deum tamen per speciem aliquam corpoream; non intuitiuè vidit; vt Theophylactus, & Euthymius docent in illud Ioannis cap. 1. *Deum nemo vidit vnquam.* De quo fusius vide Gregorium 18. Moralium cap. 37. Ex dictis igitur concluditur præter Christum; neminem ante Beatam Virginem habuisse claram Dei visionem: ex quo etiam à pari, immo à fortiori deducitur eamdem B. Virginem primam fuisse, quæ sanctissimum filium resurrexisse viderit: ita vt neque Magdalenæ, neque aliis mulieribus, neque ipsis iustis è limbo liberatis, priusquam matri suæ, se rediuiuum E ostenderit. Quare bene Leo Imperator. hom. de Christi resurrect. sic B. Virginem alloquitur: *Adesto Deipara Virgo, & Mater: exime gladium, qui cor tuum transfodit; cum filium è cruce pendentem videres. Nunc quæ, & quanta euenerint intuere; gloriæque, & exultationis particeps effice.*

Hier. apud Aug. l. 16 de Ciuit. c. 32.

Ambros. l. 1. de Abrahã cap. 8.

Ioan. cap. 8.

Paulus Apostolus in raptu iuxta aliquos diuinã essentiã, iuxta alios Christi humanitatẽ tantũ vidit.

45. Obiicitur tertio; Cum Euangelistæ alias Domini post resurrectionem apparitiones retulerint, si B. Virgini apparuisset, id referre non omisissent. Respondet Anselmus supra citatus. *Si aliquis quærat, quare Euangelistæ non referant ipsum piissimum filium à morte resurgentem suæ dulcissimæ, dilectissimæque matri, vt eius*

B. Virgini cur Christũ apparuisse Euangelistę nõ scripserint, tot omnes quatuor.

Ægyptum, & inde reditum, puerorum innocentium cædem; Dominum in templo inter Doctores disserentem; eiusdem Domini ieiunium, & alia multa. Lucas autem, cum multo plura, quàm Euangelistæ, & Apostoli Matthæus, & Ioannes, non vidisset, eaque auditione tantùm accepisset; suam Euangelicam historiam aliorum potius, qui plura viderant, testimonio, & auctoritate, quàm sua munire voluit; ideoque dixit: *Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt.* Porrò licet alii negent S. Lucam vnum ex 72. Domini discipulis fuisse; nihilominus oppositum asserunt S. Epiphanius hæresi 51. Origenes dialogo primo de recta in vnum Deum fide. S. Gregorius præfatione in Iob. Theophylactus hîc, Nicephorus, & Metaphrastes supra citati. Confirmari id potest ex eo, quòd Ecclesia in S. Lucæ festiuitate Euangelium illud ex eodem Luca legit: *Designauit Dominus & alios Septuaginta duos.* Huic confirmationi opponit Maldonatus solere Ecclesiam, quæ de aliis dicta sunt ad alios per similitudinem accommodare. Quare quod de Maria Magdalena scriptum est Lucæ 10. 24. *Maria optimam partem elegit*, Ecclesia in assumptione B. Mariæ Virginis legit. Præterea verba, quæ Matthæus 12. 46. de vera Christi matre, eiusque consanguineis refert: *Ecce mater tua, & fratres tui foris stant quærentes te*; Ecclesia S. Felicitati, eiusque septem filiis accommodat. Respondetur exempla allata, cum ad literam intelligi nequeant, per accommodationem esse intelligenda. Secus verò cum in designatione Septuaginta duorum discipulorum S. Lucas numerari possit; eaque designatio in eius festo legatur; Euangelica verba sensu literali, & historico potius quàm accommodatitio sunt intelligenda.

S. Lucas fuit ex numero 72 discipulorum: hîc, & seq.

Lucæ c. 10

3. Dices, cum Lucas ait: *Qui ab initio viderunt, & ministri fuerunt sermonis*, nomine sermonis, seu λόγου, vt est in Græco textu Christum Dominum Dei Verbum intelligunt Origenes hom. prima in Lucam, Hieronymus præfat. in Matthæum, Ambrosius, & Euthymius in Lucam. Ergo alios, non se ipsum Lucas Christi ministros fuisse ait. Respondet primo Toletus nomine sermonis intelligi debere Christi doctrinam, non autem Christum; *quia maior captatur auctoritas ab iis, à quibus res fidei audita sunt, per hoc, quod ministri sunt prædicationis facti, & Doctores ad ea constituti; quàm per hoc, quòd Christo ministrarunt, ipsi inseruientes, & adhærentes. Mulieres enim multa ministrarunt Christo, quæ non fuerunt ministræ sermonis, & prædicationis à Christo constitutæ.* Sed auctores contrariæ sententiæ respondere possunt Lucam per ministros Christi non significare eos, qui in temporalibus Christo inseruierunt, vt mulieres; sed eos, qui à Christo ad Euangelicæ doctrinæ prædicationem constituti sunt. Quo significatu Apostolus dixit: *Propter gratiam, quæ data est mihi à Deo, vt sim minister Christi Iesu in Gentibus sanctificans Euangelium*: & 2. ad Cor. 11. 23. Ministri *Christi sunt, plus ego*: & ad Coloss. cap. 1. 7 de Epaphra ait: *Qui est fidelis pro vobis minister Christi Iesu.*

Ad Rom 15. 16.

4. Respondetur secundo ex eo, quòd Lucas alios Christi ministros, & discipulos, nempe Apostolos, à quibus multa acceperat citet; non proinde se à Septuaginta duorum discipulorum numero excludere. Respondetur tertio quamuis λόγος tum sermonem tum Verbum significet; cum tamen Christum Dei Verbum significat, in Vulgata non sermo, sed Verbum ponitur; idque cum aliquo addito, vt Ioan. epist. 1. cap. 1. *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de Verbo vitæ*: quia, *In ipso vita erat*, vt idem Ioann. sui Euangelii initio dixit. Vbi etiam dicens: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum*, id non nisi de increato Verbo Dei filio intelligi debere ostendit expresse addens; *Et Deus erat Verbum.*

5. Dices Sapientiæ cap. 18. 14. dicitur: *Cum quietum silentium contineret omnia; & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus à regalibus sedibus, durus debellator in mediam exterminii terram prosiliuit.* Quæ fere verba Ecclesia in officio Natiuitatis Christi vsurpat: ergo sermonis nomen etiam diuino Verbo tribuitur. Respondetur ibi ad literam Dei sermonem significare Dei imperium, ex quo media nocte Ægyptiorum primogenitorum cædes contigit; vt ex antecedentibus; & consequentibus illius loci aperte deducitur. In sensu tamen accommodo non literaliter eadem verba Christi Domini natiuitati, quæ media etiam nocte contigit, ab Ecclesia tribuuntur. Cumque ibi non absolutè, & sine vllo addito, vt citato loco apud Lucam; sed omnipotens Dei sermo dicatur, hinc Dei Verbo tribui bene potest.

6. Quæri hîc potest cur Cleopha comite nominato, suum nomen Lucas reticuerit? Nam sicut Matthæus, cum publicani munus exerceret, & inde à Domino vocatus esset; id referens suum expressè nomen retulit dicens: *Vidit Iesus hominem sedentem in telonio Matthæum nomine; & ait illi: Sequere me*: ita Lucas cum ei, & Cleophæ Dominus dixisset: *Stulti, & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ*; ex humilitate suum nomen reticere non debuit. Respondetur: Quamuis Lucas se in Domini resurrectionis fide nutantem ex humilitate proprio nomine appellare debuisset; nihilominus quia proximè, postquam apparuit Petro, ei Dominus apparuit, antequam Apostolis in Ierosolymitano cœnaculo congregatis appareret, & quia sacram Eucharistiam ipso resurrectionis die à rediuiuo Domino accipere dignus inuentus est; ne huiusmodi priuilegiis, quibus se minime dignum existimaui, gloriari videretur; suum potius nomen humiliter occultare voluit, quàm referre. Similiter suo in Euangelio Ioannes, cum non semel priuilegia à Domino sibi facta referret, se proprio nomine appellare omisit. *Consuetudinis est scriptori sacræ Scripturæ, vt de proprio nomine non multam faciat mentionem: sicut etiam Ioannes se non nominat; sed dicit: Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus*, ait hîc Sanctus Bonauentura.

S. Lucas cur Cleopha nominato, suū nomen reticuit?

Matth. c. 9.

Ioan c. 21.

6. *In castellum nomine Emmaus.* Nicephorus lib. 10. cap. 31. ait: *In Palæstina ciuitas est Nicopolis nomine, quæ vicus antiquitus fuit, sacro Euangeliorum libro cognitus, in quo Emmaus nuncupatur. Eum quippe Romani postea, Iudæis fortissimè deuictis, Metropolique eorum Ierusalem capta, atque euersa, ex euentu nomine imposito Nicopolim vocarunt. Ante ciuitatem istam, in triuio, vbi Christus post resurrectionem à mortuis cum Cleopha, comiteque eius iter faciens, in vicum alium se properare finxit, fons quidam est morborum hominibus omnium, atque etiam variorum animantibus ipsis languorum auxilium.*

Fons ex Christi pedibus in eo ablutis contra morbos saluberrimus.

Hic Christum dicunt cum discipulis suis, ubi de itinere longiori fessus esset, cum nobiscum in terris versaretur, pedes lauisse: atque ex eo tempore salubrem ad ægritudines depellendas eam mundam esse factam. Quare si de Christi iustitiæ solis radiis Malachias dixit: *Sanitas in pennis eius:* Sanitas in pedibus eius, etiam dicere possumus. Eiusdem fontis, eiusque salubritatis meminit historia tripartita lib. 6. cap. 42. *Apud urbem Emmaus Iudas Machabæus fugauit exercitium Antiochi*, ait Adrichomius in Iuda numero 112. At Christus Dominus in eodem castello Emmaus, non Antiochenum exercitum fugauit; sed Antiochenum Lucam à resurrectionis fide aliquantulum aberrantem ad se reduxit; eumque Christianæ militiæ aduersus Satanam acerrimum militem constituit. Iuxta eumdem Adrichomium, & S. Hieronymum in eodem Emmaus castello dicitur ipse Christus Cleophæ domum in Ecclesiam consecrasse. Profectò piæ illi domui hoc priuilegium debebatur; eo quòd in eo primùm Christi corpus non passibile, vt in Ierosolymitano cœnaculo; sed iam immortale, & gloriosum in Eucharistiæ sacramento duobus illis discipulis, ipsius Christi manibus datum fuerit, vt infra videbimus.

Malachias c. 4. 2.

1. Machab. c. 3. 4. & 9.

Adrichom. in Iuda n. 112.

Hier. ep. 27. ad Eustoch.

Christi corpus gloriosum in Eucharistia qui primi acceperint.

Et ipsi loquebantur ad inuicem de his omnibus, quæ acciderant. Et factum est, dum fabularentur, & secum quærerent, & ipse Iesus appropinquans ibat cum illis.

7. HI Domini discipuli de Christi passione loquentes seruarunt Apostoli monitum, illudq; sibi vtilissimum experti sunt: *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat; sed si quis bonus ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus.* Cum enim in discipulis istis fides de Domini resurrectione nutaret, verè iis de Domini passione sermo bonus ad ædificationem fidei fuit; nam ob bonum inter se colloquium meruerunt Christo adueniente vacillantem fidem firmiter stabilire. Addit Apostolus: *Vt det gratiam audientibus.* Propterea ob mutuam sancti colloquii auditionem duobus istis colloquentibus discipulis Christus gratiæ auctor ad eos illuminandos in itinere se eis comitem addidit.

Ad Ephes. c. 4. 29.

Sermo bonus valde vtilis.

8. *Dum fabularentur.* Iuxta S. Bonauenturam, *Dicuntur loquendo fabulari, propterea quod loquebantur verba quæ certitudinem non habebant*, cum scilicet de Domini resurrectione, & Israelis redemptione dubitando disserent. Sed fabulari à fando deductum non semper incerta, seu fabulosa loqui significat; sed absolutè tantum verba facere significare potest, vt videre est apud Latinos auctores.

Oculi autem eorum tenebantur ne eum agnoscerent.

9. DE hoc oculorum impedimento diximus in Commentario Dominicæ passionis in illa Ioannis verba: *Iesus itaque sciens omnia. &c. dixit eis: Quem quæritis?* Præter ibi dicta, S. Augustinus lib. 3. de consensu Euangelistarum cap. 25. ait: *Non autem incongruenter accipimus hoc impedimentum in oculis eorum à Satana factum fuisse, ne agnosceretur Iesus: sed tamen à Christo est facta permissio vsque ad Sacramentum panis: vt vnitate corporis eius participata, remoueri intelligatur impedimentum inimici, & Christi passio agnosci.* Piè credi potest, dum horum discipulorum oculi grauarentur, ne Dominū, qualis erat, verè viderent, & agnoscerent, sanctos eorum custodes Angelos preces Dauidis sæpius iterasse: *Faciem tuam illumina super seruos tuos.* Ps. 118. 135.

Et ait ad illos: Qui sunt hi sermones, quos confertis ad inuicem ambulantes, & estis tristes?

10. SImilis interrogatio Caïno facta est à Deo Genes. c. 4. 6. *Cur concidit facies tua?* Hoc est, cur mœrore tanto afficeris, tristitiamque deiecto ad terram vultu prodis? Cum Deo clementissimè interroganti mœroris causam, animique vultus Caïn detegere noluisset; miserrimè in tristitia perseuerans non resipuit. Secus verò pii hi discipuli sincere Domino, vnde tristarentur, aperientes, ab eo saluberrimam mœrori medelam acceperunt.

Et respondens vnus, cui nomen Cleophas, dixit ei: Tu solus peregrinus es in Ierusalem, & non cognouisti, quæ facta sunt in illa his diebus?

11. HÆc verba per interrogationem & admirationem dicta debent intelligi ita vt significent mirum quid esse, quòd aliquis etiam peregrinus, & exteræ regionis repetiatur, qui ea, quæ Ierosolymæ facta sunt, ignorarit. Similis interrogatio apud Romanum oratorem est illa: *An verò tu solus ignoras? Tu hospes in hac vrbe versaris? Tuæ peregrinantur aures; neque in hoc peruagato ciuitatis sermone versantur?* Pro Milone.

Quis fuerit Cleophas, an etiam Alphæi nomen habuerit, diximus Feria tertia post Dominicam Passionis, cum de Domini fratribus ageremus.

Quibus ille dixit: Quæ?

12. IVxta communem Patrum sententiam præcipuè Nysseni orat. de ascensione, Domino in cœlum ascendente S. Angelis dictum est: *Attollite portas, Principes, vestras, & eleuamini portæ æternales; & introibit Rex gloriæ.* Psal. 23. 7.
Quibus vocibus S. Angeli responderunt: *Quis est iste Rex gloriæ?* Non quidem, quòd Christum Dominum gloriæ Regem esse ignorarent; sed quòd ita interrogando eos vehementer delectabat iterum, atque iterum Christi Domini excellentiam, & gloriam celebrari; cum iis diceretur: *Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio; Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.* Similiter hîc, cum Domino diceretur: *Non cognouisti quæ facta sunt in Ierusalem his diebus?* respondit: *Quæ?* Non quòd ea, quæ ipsemet passus erat, ignoraret; sed quòd, cum libentissimè pro humana salute crucis passionem subiisset; iucundissima eius commemoratione gaudebat.

Christus Dominus valde suæ passionis commemoratione gaudet.

Et dixerunt: de Iesu Nazareno, qui fuit vir Propheta.

13. Prophetæ nomen plures significatus habet; iuxta quos omnes Christus Dominus verissimè se Prophetam ostendit. Primò Propheta dicitur, qui diuino instinctu futura prædicit: deriuatur enim Græcum Prophetæ nomen à πρὸ idest ante, & à φημὶ idest dico. Iuxta quem significatum Dominus sæpius se Prophetam esse probauit: præcipuè cum ea, quæ à Iudæis passurus erat particulatim prænunciauit; vt Matth. 20. dicens: *Ecce ascendimus Ierosolymam, & filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, & Scribis, & condemnabunt eum morte. Et tradent eum Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum; & tertia die resurget.* Præterea Iudæ proditionem, & perditionem multò antea Dominus prædixit, vt Ioannis 6. 71. *Nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis vnus diabolus est? Dicebat autem Iudam Simonis Iscariotem; hic enim erat traditurus eum.*

Prophetæ nomē quid significet.

Christus Dominus quadrupliciter Propheta.

14. Secundò Propheta etiam dicitur, qui cordis secreta vel occulta quælibet, licet non futura, sed præsentia vel præterita manifestat. Cordis secreta se Dominus nosse sæpius ostendit, vt Matth. 9. *Quidam de Scribis dixerunt intra se: Hic blasphemat. Et cum vidisset Iesus cogitationes eorum, dixit: Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Similiter cum Simon Pharisæus Magdalenam ad Domini pedes prouolutam videns intra se diceret: *Hic, si esset Propheta, sciret vtique quæ, & qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est:* Dominus prauam Pharisæi cogitationem, vt iniquam damnando, eam se bene nosse monstrauit.

Lucæ c. 7.

15. Tertiò Propheta dicitur, qui ex supernaturali lumine diuinam legem docet, quique est sacræ Scripturæ interpres, diuinæque voluntatis promulgator. Propterea de Christo Domino, vt de futuro Messia, & Euangelicæ legis promulgatore, & doctore, Moses Israelitico populo dixit: *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus; ipsum audies.* Quod de Christo ad literam intelligendum esse patet ex Actor. cap. 3. 22. & c. 7. 37.

Deut. 18. 15.

16. Quartò vir sanctus, Deoque familiaris Propheta etiam dicitur. Quo sensu Deus Pharaoni de Abrahamo dixit: *Redde viro suo vxorem, quia Propheta est, & orabit pro te, & viues.* De Christo autem Domino Angelus B. Virgini dixit: *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Idipsum dæmon confessus est dicens: *Quid nobis, & tibi, Iesu Nazarene, venisti perdere nos? Scio qui sis, sanctus Dei.*

Genes. 20. 7

Luc. 1. 35.

Marci 1. 24

Potens opere, & sermone coram Deo, & omni populo.

17. Potens miraculis, & doctrina. Ideo Christo Domino dixit ex Pharisæis Nicodemus Princeps Iudæorū: *Scimus quia à Deo venisti Magister: nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis.* Et Marci c. 1. 22. cum Christus Dominus in Synagoga doceret, *stupebant super doctrina eius; erat enim docens eos quasi potestatem habens, & non sicut Scribæ.* Domini autem doctrinæ, sermonisque efficacitas, & suauitas tanta fuit; vt quatuor millia virorum eum sequentium

Ioan. 3.

A spatio dierum trium habuerit, vt dicitur Marci 6. & Matth. 14. quinque millia virorum exceptis mulieribus, & paruulis.

18. Cum præclaris allatis titulis de Domino duo hi discipuli testimonium protulerint, quæritur cur non etiam eum Dei filium esse dixerint? Respondet dupliciter Beda: *Filium Dei tacent, vel nondum perfectè credentes; vel soliciti, ne inciderent in manus Iudæorum persequentium; quia nesciebant quis esset, cum quo loquebantur.* Prima Bedæ ratio placet; claram enim & certam de Christo, vt naturali Dei filio fidei cognitionem hos discipulos non habuisse valde probabile est. Nam quod expressè, & certa fide Petrus Domino dixerit: *Tu es Christus filius Dei viui;* tamquam ob singularem talis testimonii

B fidem meruit ab ipso Domino beatus appellari, Ecclesiæque caput constitui, vt habetur Matth. 16. 16. Altera allata à Beda ratio non probatur: Si enim hi duo discipuli nescii cum quo loquerentur, ob Iudæorum metum de Christo, vt Dei filio reticuissent; profectò ob eumdem timorem neque eum Prophetam, & potentem in opere, & sermone coram Deo, & omni populo fuisse testati essent.

Et quomodo eum tradiderunt summi Sacerdotes, & Principes nostri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum.

C 19. Non addunt iniustè id eos fecisse, licet ipsi *ita sentirent, & crederent; ne, si peregrinus hic sit explorator, eos apud Principes accuset quasi rebelles, & tumultuarios, & apud eos mortis reos peragat*, ait Cornelius. Contra tamen est, quia dicentes Christum Prophetam potentem opere, & sermone, non solùm coram populo, sed etiam coram Deo fuisse crucis morte damnatum; vtique iniustè id factum esse aperè significarunt. Nam Matth. 21. 46. *Principes Sacerdotum, & Pharisæi quærentes Christum tenere, timuerunt turbas; quoniam sicut Prophetam eum habebant;* atque adeo ex tali de Christo vt Propheta existimatione, iniustè illum

D comprehendi à Sacerdotum Principibus, & Pharisæis turbæ meritò iudicassent.

Nos autem sperabamus, quia ipse esset redempturus Israel.

20. De rerum temporalium abundantia, & felicitate verissimè pronunciauit Apostolus; *Quàm quidam appetentes errauerunt à fide.* Ideo cum iuxta Theophylactum hi duo discipuli non spiritualem à peccatis redemptionem; sed temporalem à Romanorum seruitute libertatem à Domino expectarent; quòd nimis temporalibus bonis essent intenti, cognita Domini passione, eiusque resurrectione non-

1. ad Corin. 6. 10.

Temporalium bonorum cupiditas noxia.

E dum visa, in fide vacillarunt. Propterea quasi fide, speque nutantes dixerunt: *Nos autem sperabamus.* Quare duobus istis discipulis dicere bene Dominus potuit: *Conuertimini ad munitionem vincti spei:* Vos qui me sequentes, mihique spe deuincti in me sperastis, *conuertimini ad munitionem*, scilicet ad munitam illam arcem, de qua Sapiens dixit: *Turris Fortissima nomen Domini:* ibique profectò spes vestra irrita non erit. Verissimum enim experiemini Dauidis monitum, & testimonium: *Sperent in te, qui nouerunt nomen tuum; quoniam non dereliquisti quærentes te, Domine. Conuertimini ad munitionem*

Zach. 9. 12.

Spes firma in Domino habenda.

Prou. 18. 10

Ps. 9. 11.

vincti spei, cum Dominus dixisset, subdidit: *Hodie quoque annuncians duplicia reddam tibi:* nempe si dubitatione omni reiecta in me speratis, vnicuique vestrûm duplicia reddam. Duplicia, iuxta Origenem, in sacra Scriptura multa, & magna significant. Quare Isaiæ 40. 2. vbi dicitur: *Suscepi de manu Domini duplicia*, Chaldæus *multa, & magna*, legit. Et prima ad Timoth. 5. 18. cum Apostolus ait: *Presbyteri duplici honore digni habeantur*; Chrysostomus, Theophylactus, & Theodoretus duplicem honorem multiplicem interpretantur. Verissimè autem duobus his discipulis à dubia ad firmã spem conuersis multiplicia Dominus reddidit; tum in hac vita eos supernaturalibus bonis ditando; tum in vita altera eos ad beatificam gloriam eleuando.

Origenes *hom. 12. in Ierem.*

A B

Et nunc super hæc omnia tertia dies est hodie, quòd hæc facta sunt.

21. SEnsus est. Præter Christi passionem ad nostram spem concutiendam additur, quòd Christus cum prædixisset se tertia die resurrecturũ, tertia hæc dies iam aduenit, nec eum resurrexisse vidimus. Hoc autem non dixissent si Prophetæ monito credidissent: *Apparebit in finem, & non mentietur: si moram fecerit, expecta illum; quia veniens veniet, & non tardabit. Veniens veniet*, reduplicatio est iuxta Hebræam phrasim Domini desiderium, & celeritatem ad nos veniendi significans. *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* Interrogatum est à Domino Zach. 13. 6. Si nos similiter à rediuiuo Domino interrogemus: Quid sunt plagæ istæ in medio pedum tuorum? Respondebit profectò stimulos esse, quibus ad celeriter homines solandos, iisque opitulandum amanter vrgetur.

Habacuc c. 2. 3.

Christi in pedibus plagæ cum ad celerem nobis opem ferendam vrgent.

C

Sed & mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum; & non inuento corpore eius, venerunt dicentes se etiam visionem Angelorum vidisse, qui dicunt eum viuere.

D

22. M*Vlieres quædam ex nostris.* Ioannes Hayem in apparatu Euangel. cap. 68. viginti quinque S. Lucæ priuilegia ex S. Hieronymo, Beda, & Adone recenset: inter quę fuit perpetua virginitas, ob quam B. Virgini valde dilectum, & familiarem fuisse docet. Hinc Euthymii sententia refellitur dicentis hos discipulos *mulieres ex nostris* suas vxores vocasse. Quare cum Matthæus c. 27. 55. dicat: *Erant ibi mulieres multæ à longè, quæ secutæ erant Iesum à Galilæa ministrantes ei; inter quas erat Maria Magdalene; & Maria Iacobi, & Ioseph mater, & mater filiorum Zebedæi:* has ex nostris à discipulis illis vocatas esse dicendum est.

S. Lucæ perpetua virginitas.

E

23. *Terruerunt nos.* Cum mulieres nunciantes ex Angelorum testimonio Dominum resurrexisse, solari potius, quàm terrere hos discipulos debuissent; cur ex tali nuncio se territos fuisse dixerunt? Huic difficultati vt respondeant interpretes, ad Græcum textum recurrunt; vbi non *terruerunt nos*, legitur; sed *stupidos, attonitos, & animi dubios reddiderunt.* Nihilominus in vulgata lectione insistendo, dico terrere non semper significare timorem ex ingrato nuncio incutere; sed circa arcanum aliquod mysterium ignaris, & dubitantibus admirationem, & venerationem afferre. Sic Genes. 28. 17. Iacob pauens dixit: *Quàm terribilis est locus iste! Non est hîc aliud nisi domus Dei, & porta cœli.*

Terrere interdum non tam metũ quam admirationẽ, & venerationem afferre significat.

24. *Quæ ante lucem fuerunt ad monumentum.* Cum Marcus c. 16. de his mulieribus dicat: *Veniunt ad monumentum orto iam sole:* quæritur quomodo Lucas dicat: *Ante lucem fuerunt ad monumentum?* Cum enim non dicat venerunt, sed *fuerunt ad monumentum*; nisi aliquid addatur, non videtur planè satisfacere responsio in præcedenti Euangelio, citato Marci loco allata; nempe quòd mulierum è domo egressus ad monumentum fuerit valde manè; quamuis ad monumentum peruenerint orto iam sole. Respondeo, quod alibi etiam adnotauimus, in sacra Scriptura iuxta Hebraicum idioma verba interdum significare actum inchoatum, interdum continuatum, interdum planè perfectum; vt patet Exodi 12. 42. Num. 33. 3. Deuter. 16. 6. vbi iuxta traditam regulam egressui Hæbræorum ex Ægypto diuersa tempora tribuuntur. Hac posita regula, cum à Marco dicitur *orto iam sole*, primus solis ortus vix inchoatus significatur: quod mirum esse non debet, cum ipsa aurora *orta dies* ab Ausonio appelletur.

Euangelii textuum conciliatio. *In Cõmentario passionis num. marginali 435.*

Ambigeres, raperetne rosis aurora ruborem;
An daret, & flores tingeret orta dies.

Ausonius Idilio 14.

Contra verò cum à Luca dicitur, *Ante lucem*, ante solarem lucem perfectè orizontem illuminantem intelligere debemus. Præterea aptari hîc etiam potest responsio ex Chrysologi sententia in præcedente Euangelio allata: vbi etiam de visione Angelorum dictum est.

Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum, & ita inuenerunt sicut mulieres dixerunt; ipsum verò non inuenerunt,

25. I*Psum verò non inuenerunt.* Hoc ad imminuendam de Domini resurrectione fidem dictum esse aliqui interpretantur: probabilius mihi videtur pro Domini resurrectionis fide id eos dixisse; sicut etiam superiora verba de mulierum nuncio, & Angelorum testimonio. Cum enim, vt Theophylactus ait, *in valde ambigua essent sententia* circa Domini resurrectionem, pro, & contra argumenta protulerunt. Quare sicut pro parte negatiua dixerunt: *Nos autem sperabamus*, &c. ita pro affirmatiua parte addiderunt à mulieribus prius, deinde à discipulis, nempe Petro, & Ioanne in sepulchro Dominum inuentum non fuisse; vnde nisi rediuiuus non abfuisset. Suspicari enim non poterant è monumento exanime Domini corpus aliò fuisse translatum: idque neque à Iudæis, qui magna sollicitudine ad custodiendum Christi corpus, monumentum obsignauerant, milites[q]; custodes addiderant: neque à discipulis, qui posita militum custodia id ausi non essent, & si fuissent ausi, prohibiti à militibus fuissent. Dices, Ioan. 20. 15. Magdalena exanime Christi corpus ab hortulano fuisse sublatum existimauit. Sed id non rectò, sed turbato fœmineo iudicio benè tribuit Hieron. dicens: *Vide quanta ignorantia: Quem custodiebat cohors militum; cuius sepulchro Angeli præsidebant, ab vno hortulano arbitrabatur ablatum.*

Magdalena non rectò, sed turbato iudicio ab hortulano Christi corpus sublatũ suspicata est. *Hieron. epist. 150 ad Hedibiã quæst. 5.*

A

Et ipſe dixit ad eos : O ſtulti, & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti ſunt Prophetæ!

26. OB fidei defectũ meruerunt hi diſcipuli à ſuauiſſimis alioquin Domini labiis acri obiurgatione configi; vt verborum aculeis eorum tarditati ad credendum ſtimuli adhiberentur. Bene enim Sapiens pronuntiauit: *Stultus labijs verberabitur*; vt corrigatur, & reſipiſcat. Cum teſte Apoſtolo, *Iuſtus ex fide viuat*; viuifica fide deficiente ſpiritualis mortis putredo accedit: ad huiuſmodi putredinem expellendam myrrha illa adhibenda erat, quæ de Chriſti Domini cœleſtis ſponſi labiis ſtillabat: de eo enim dicitur Cant. 5. 13. *Labia eius lilia diſtillantia myrrham primam.*

Prou. 10. 10

Ad Roman. 1. 17.

Myrrha è Chriſti labiis diſtillans ſpiritualem putredinem arcet.

Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?

27. APoc. 1. Ioannes ait: *Vidi ſimilem filio hominis. Pedes eius ſimiles aurichalco, ſicut in camino ardenti.* Vbi Rupertus per caput Chriſti diuinitatem intelligi docet: *Caput Chriſti Deus*, inquit Apoſtolus: per pedes autem eiuſdem Chriſti humanitatem ſignificari ait, & addit: *Iſti pedes, iſta eius humanitas ſimilis aurichalco rectè dicitur; quia ſicut aurichalcum multis ignium impendijs ex ære perducitur ad colorem auri; ita & illa humanitas per multas tribulationes paſſionis, & mortis perducta eſt ad gloriam diuinitatis, per quā aurum ſolet intelligi; vt ſit iam & ipſa immortalis, incorruptibilis, impaſſibilis.*

1. ad Corin. 11. 3.

Chriſti pedes cur ſimiles aurichalco.

28. Cant. 3. 10. de Salomone Chriſtum Dominum præfigurante dicitur: *Ferculum fecit ſibi Rex Salomon, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum. Thronum fecit ſibi Rex Salomon*, Syrus legit: *Ad aureum*, cœleſtis throni *reclinatorium multis laboribus peruenitur, multis tribulationibus aſcenditur; ita, vt ſi neceſſe fuerit, etiā ſanguis effundi permittatur. Ideo aſcenſus rectè purpureus eſſe dicitur*, ait Gregorius. Tali aſcenſu, pretioſo effuſo ſanguine ad ſui regni thronum Rex ipſe gloriæ Chriſtus aſcendit. Quare S. Bonauentura monet: *Si oportuit pati Chriſtum ad introeundum in gloriam ſuam; quantò magis oportet & nos pati, vt intremus in alienam?* Ideo Actor. 14. 2. dicitur: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Hinc bene deducit Hieronymus: *Si per multas tribulationes quibuſdam cœleſtis regni aditus aperitur; illis vtique clauditur, qui nolunt ſuſtinere vel pauca. Delicatus es, ſi & hic vis gaudere cum ſeculo; & poſtea regnare cum Chriſto*, ait idem Hieronymus. At non ſolùm delicatus es, ſed amens, cum iuxta Chryſoſtomum impoſſibile quid velis. Nam vt veriſſimè pronunciauit Apoſtolus: Erimus *cohæredes Chriſti; ſi tamen compatimur, vt conglorificemur.* Ethnicus Seneca naturali lumine teſtatus eſt: *Nihil eo infelicius eſſe, cui nihil adueniat aduerſi. Argumentum enim eſt à Deo contemni, & imbecillem eſſe, & ignauum.*

Tribulationum perpeſſio aditū ad cœlum aperit.

S. Bonau. in L. c. 24.

Hieron. ep. 9. epiſt. ad Oceanum de ferendis opprobr. 1.

Hieronym. epiſt. 1.

Chryſoſt. lib. 2. de de prouid.

Ad Rom. 8. 17.

Seneca lib. de prouidēt.

Et incipiens à Moyſe, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipſo erant.

29. SAnctus Baſilius meritò ſacram Scripturam officinæ inſtructiſſimæ comparat; ex qua omnia cuiuſuis morbi generi ſaluberrima pharmaca haberi poſſunt. Cum ergo incredulitatis morbo hi diſcipuli laborarent, ad eos curandos è ſacra Scriptura Dominus medica pharmaca adhibuit. Quæritur autem quomodo tam breuis itineris tempore eis Scripturas omnes, quæ de ipſo erant, interpretari potuerit? B Reſpondet Maldonatus *Dominum delibaſſe ex ſingulis Scripturæ libris ea, quæ de ipſo erant.* Reſpondet Cornelius *Dominum explicaſſe pleraque; & non omnia, hoc enim operoſum, & prolixum fuiſſet.* Sed præ omnibus S. Bonauenturæ reſponſio placet, qui ait: *Quòd interpretabatur in omnibus Scripturis, non ad omnia, quæ de Chriſto dicuntur referendum eſt; ſed ad ea, in quibus euidentius, & manifeſtius Chriſti paſſio, & reſurrectio prophetantur.* Adde præterea celerrima mentis illuſtratione diuinitus his diſcipulis communicata, temporis, ſermoniſque breuitatem Dominum ſuppleuiſſe.

Breui temporis quomodo Scripturas omnes, quæ de ipſo erant, Dominus explicauerit.

C *Et appropinquauerunt Caſtello, quò ibant; & ipſe finxit ſe longius ire.*

30. QVæritur hic quomodo fictio Chriſto tribuatur; cum omnis fictio ſiue verbis, ſiue factis, falſitas ſit, adeoque damnabilis; præſertim cum ex fictione videntes, aut audientes in opinionem contra veritatem incurrunt? Reſpondetur, cum aliquis aliud abſolutè exequi decreuit, & aliud ſe decreuiſſe oſtendit, verè eſſe mendacium. Contra verò, cum aliquid non abſolutè, ſed tantùm conditionatè decernitur, ſi deinde ſublata conditione oppoſitum fiat, mendacium non eſt. Quare cum Dominus verè vlterius progreſſus fuiſſet, ſi à diſcipulis ad hoſpitium inuitatus non eſſet; hinc D ab eo oſtenſa diſcipulis vlterior progreſſio falſitas, & mendacium non fuit. Sicut etiam ob conditionatam prætereundi voluntatem, neque falsò de Domino dicitur Marci 6. 48. *Volebat præterire eos.* Dices: Si vera vlterius progrediendi in Domino conditionata voluntas fuit, cur ergo fictio dicitur? Reſpondetur ex Scripturæ regula cum Deo aliquid ab eo omnino alienum tribuitur, id intelligi debere non ſecundùm internum Dei affectum; ſed ſecundùm effectum à Deo ad extra prouenientem. Quare Geneſ. 6. 6. cum de Deo dicitur: *Pœnituit eum, quòd hominem feciſſet in terra*: & 1. Reg. cap. 15. 11. cum ipſe Deus ait: *Pœnitet me, quòd conſtituerim* E *Saul Regem*: id non intelligendum eſt, quòd Deum immutabilem, & omnia præuidentem facti alicuius pœniteat: ſed quòd Deus circa effectum ad extra ſe gerat, tamquam ſi eum facti pœniteret. *Vbi legitur, quòd pœniteat Deū, mutatio rerum ſignificatur, immutabili præſcientia manente diuina*, ait Auguſtinus. Similiter Pſal. 43. 23. cum Deo dicitur: *Exurge, quare obdormis Domine? Exurge, & ne repellas in finem. Quare faciem tuam auertis, & obliuiſceris inopiæ noſtræ?* Deo ſomnus, faciei auerſio, & obliuio tribuūtur; eo quòd opem non ferendo tamquam dormiens, faciem auertens, & oblitus ad extra ſe gerat. Iuxta eamdem regulam Chriſtus his

Fictio quomodo Chriſto tribuatur.

Deo obdormire, obliuiſci, pœnitere, & alia huiuſmodi, quo ſenſu tribuantur.

Auguſt. lib. 17. de ciuit. cap. 7.

finxisse dicitur; non quòd internam fictionem habuerit; cum verè vlterius progredi voluisset, si à discipulis ad remanendum cum eis inuitatus non fuisset; sed quòd ita statim cum inuitantibus discipulis remanserit, tamquam vlterius progredi finxisset.

31. Secundò ad difficultatem propositam responsio desumi potest quærendo, quo signo Christus Dominus ostenderit se longius ire? Respondet Maldonatus: *Credibile est Dominum aliquot passus progressum esse longius, quasi vltra processurus.* Probabilius mihi videtur verbis Dominum se vlterius ire ostendisse, discipulis dicendo: *Iubeo vos bene valere*; quod comitibus humaniter dici solet, cum viator ab iis disiungitur. Sed quoniam etiam iisdem verbis Dominus iubens eos bene valere, ab incredulitatis morbo conualescere eos debere significari voluit; ideo æquiuocus talium verborum sensus fictio dicta est. Fingere enim dicitur cum quis aliud videtur dicere, & ad aliud principalius significandum mentem intendit.

Et coegerunt illum dicentes: Mane nobiscum, quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies.

32. Coegerunt non vi, sed humanissimis verbis, & amica persuasione. Sic etiam 1. Regum 28. Rex Saul præ vehementi tristitia ad terram prostratus, eum ad cibum capiendum inuitaretur, & renuisset, dicens: *Non comedam; coegerunt serui eius, & mulier*, verbis vtique non vi: *& tandem audita voce eorum surrexit de terra.*

33. *Mane nobiscum, quoniam aduesperascit.* Similiter Bethlemita suo hospiti dixit Iudicum 19. 9. *Considera, quòd dies ad occasum declinior sit, & propinquat ad vesperum; mane apud me hodie.* Cum ex tenebrarum Principe mentis obscuritatem, peccatique noctem imminere cognoscimus, Christo Domino iustitiæ soli dicere debemus, *Mane nobiscum, quoniam aduesperascit*, mentisque nobis obtenebratio esse indi incipit. Similiter, cum cubitum imus; quoniam somno rationis lumen obtenebratur, Domino dicamus: *Mane nobiscum, quoniam aduesperascit*; vt hinc dicere possimus: *Ego dormio, & cor meum vigilat*: ad meam scilicet custodiam Christus Dominus, cor meum, ipsoque meo corde mihi carius vigilat. Similiter cum ad vitæ occasum nos quotidie appropinquare cernamus, vt Dei amici mortalem vitam terminemus, Christo Domino dicamus: *Mane nobiscum, quoniam inclinata est iam dies.*

Tentatione imminente quid Deo dicere debemus.

Somno capti quid Domino dicere debemus.

Cantic. 5. 2.

Morte accedente quid Domino dicere debemus.

34. Ioannis 8. 39. Dominus dixit: *Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* Pii hi discipuli humanissimè cogentes Dominum, vt cum ipsis hospes maneret, tamquam veri Abrahæ filii, progenitoris sui imitatores se præstiterunt. Genes. 18. de Abrahamo sedente in ostio tabernaculi sui in ipso feruore diei dicitur: *Cum eleuasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum; quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi sui, & adorauit in terram*: conuersus autem ad medium, qui inter eos tamquam eorum caput eminere videbatur, dixit: *Domine, si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum. Sed afferam pauxillum aquæ, & lauate pedes vestros; & requiescite sub arbore; ponamque buccellam panis, & confortate cor vestrum.* Mira hic hospitalitatis humanitas in Abrahamo eluxit. Primò dicitur Abraham sedisse, suum scilicet iuxta consuetum morem, *in ostio tabernaculi sui, in ipso feruore diei*, scilicet, vt transeuntes peregrinos videret, & ad hospitium inuitaret; idque in ipso diei feruore, nempe meridie, cum eo maximè tempore defatigati peregrini refectione indigeant. Secundo visis peregrinis Abraham concurrit in occursum eorum, vbi bene Chrysostomus ait: *Currit, & volat senex, vidit enim prædam, quam venabatur. Non vocauit famulos: quasi diceret: Magnus thesaurus est, magna negotiatio; per me ipsum hanc mercem inferre debeo, ne elabatur tantum lucrum*; scilicet ingens hospitalis charitatis meritum. Tertiò suis hospitibus Abraham non solùm humaniter benignum, sed humillimè reuerentem se exhibuit, eos venerans pronus in terram. Cuius humillimam erga hospites venerationem imitandam esse suis discipulis S. Benedictus præcepit dicens: *Omnibus venientibus, seu discedentibus hospitibus inclinato capite, vel prostrato toto corpore in terra, Christus in eis adoretur, qui & suscipitur.* Quartò Abraham multò plus exhibuit hospitibus, quàm iis antea obtulerat. Significans enim mensæ suæ tenuitatem, vt notat Chrysostomus, dixerat, *Ponam buccellam panis*; & tamen postea *cum festinasset in tabernaculum ad Saram dixissetque ei: Accelera, tria sata simila commisce, & fac subcinericios panes: ipse ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum, & optimum, deditque puero, qui festinauit, & coxit illum. Tulit quoque butyrum, & lac, & vitulum, quem coxerat, & posuit coram eis: ipse verò stabat iuxta eos sub arbore*, tamquam mensæ minister. *Neque dignum seipsum censuit, qui consideret eis; sed illis considentibus adstabat ipse sub arbore: adstabat centenarius comedentibus illis. Vide liberalitatem Abrahæ; vitulum mactauit, & fermentauit farinam. Audi alacritatem; per seipsum, & per vxorem hoc facit. Considera etiam quàm alienus est à fastu; adorat, & obsecrat. Omnia illa habere oportet hospitio excipientem, alacritatem, festinitatem, liberalitatem.* Similiter Hieronymus ait: *Abraham non seruis, & ancillulis imperabat, vt ministrarent hospitibus: nec bonum, quod exercebat, per alios minuit, sed quasi reperta præda cum Sara sua, humanitati solus incubuit: ipse pedes lauit; ipse pinguem vitulum portauit humeris de armento: stetit vt seruus peregrinis prandentibus; & Sara manibus coctos cibos ieiunaturus apposuit.* Denique tres peregrini, quibus Abraham eximia hospitalitatis officia præstitit, quamuis verè Angeli essent, Deum trinum, & vnum repræsentantes iuxta Ambrosium; nihilominus eos ex assumptis humanis figuris homines esse, non Angelos Abraham existimauit; & hinc magis eius humilitatis, & charitatis præstantia emicuit. Ideo Ambrosius ait: *Qui scis, an Deum suscipias, cùm hospitem putas? Abraham, dum peregrinantibus defert hospitium, Deum, atque Angelos suscepit hospitio. Quamuis & cum hospitem suscipis, Deum suscipis. Sic enim scriptum in Euangelio legis, dicente Domino Iesu: Hospes eram, & collegistis me; quod enim vni minimorum fecistis, mihi fecistis.* Similiter Hieronymus ait: *Abraham post crebra hospitalitatis officia, dum non refutat homines, suscipere meruit Deum.*

Hospitalitas eximia in Abrahā.

Chrys. hom. 41. in Gen.

S. Benedict. in regula.

Chrysost. supra.

Hieronym. epist. 26. c. 5. ad Pammachium.

Ambros. lib. 1. de Abrah. c. 5.

Matth. 25.

Hiero n. sup.

35. Inter Abrahæ conuiuium Angelis exhibitum, & discipulorum cœnam exhibitam Christo Domino, discrimen hoc fuit; quòd

Abraham

Abraham suis hospitibus optimum vitulum oppofuit: Contra verò Christus Dominus à discipulis inuitatus ipse eis saginatum vitulum, suum scilicet in Eucharistiæ sacramento corpus in cibum dedit, vt infra videbimus. Quare Chrysostomus in parabola de conuiuio à patre, prodigo filio exhibito: ait: *Addit vitulum saginatum ingulandum in conuiuij exhibitione; sine dubio Dominum nostrum Iesum Christum, quem dedit Pater in victimam pro salute nostra: quem vitulum nominat propter hostiam corporis immaculati: saginatum autem verè dixit; quia pinguis, & opimus in tantùm est, vt pro totius mundi salute sufficiens sit, ad odorem suauitatis.*

Chrys. hom. de prodigo filio in Lucâ c. 15. Vitulus saginatus Christi Domini Symbolum.

36. Sanctus Ambrosius supra citatus in benignæ hospitalitatis commendationem addit: *Vnius hora hospitio vidua illa, quæ suscepit Eliam, & exiguo cibo, perpetuum toto tempore famis inuenit alimentum; & mercedem accepit mirabilem, vt nunquam farina de hydria deficeret.* Si propter hospitii exhibitam humanitatem vidua è farina diuinitus multiplicata panem habuit; multò pretiosiorem panem, nempe Eucharisticum ob hospitalitatis officium hi discipuli à Domino habuerunt. Pergit Ambrosius: *Eliseus defuncti pignoris resurrectione donata hospitij resoluit pensionem.* Si Sunamitis mulier ob hospitalitatem ab Eliseo rediuiuum filium habere meruit; multò felicius hi duo discipuli ob hospitalitatis officium rediuiuum Dominum secum habere meruerunt.

3. Reg. c. 17. Hospitalitatis præmium.
4 Reg. c. 4.

37. Iob Abrahæ progenitoris sui imitator de se testatur: *Foris non mansit peregrinus: ostium meum viatori patuit.* Vbi Chrysostomus ait: *Hominis hospitalis, & ex Abrahæ nobilitate orti hoc est insigne. Domum inquit, habui communem, mensam communem; mea non mea, sed Domini ratus. Dominus enim dedit; ergo cum conseruis sunt partienda cibaria. Vidisti humilitatem; vidisti humanitatem; vidisti clementiam; vidisti liberalitatem? Dixeram omnibus porrigebat, domum cunctis patefaciebat. Non enim, quod plerique factitant, vt eos, quos suscipiunt hospitio, curiosius scrutentur, hoc idem Iobo familiare erat: quin potius cunctis domus illius patebat; nec quisquam foris immorabatur.* De Ephratæo peregrino Leuita cum vxore dicitur Iud. 19. 14. *Occubuit eis sol contra Gabaa: quò cum intrassent, sedebant in platea ciuitatis, & nullus eos recipere voluit hospitio.* Cum ergo tam inhumani erga peregrinos Gabaonitæ essent; bene dicuntur viri ciuitatis illius *filij Belial*, hoc est diaboli. Diabolus ab omni hospitalitatis officio auersus est; excepto tamen Gehennæ hospitio; quod quantum in se est omnibus exhibet.

Iob c. 31. v. 32. Chrysost. in Catena Græca in Iob. Hospitalitas Iob eximia.

38. Sanctus Ambrosius lib. 5. Hexam. cap. 16. cum retulisset cornicum erga ciconias raui benignam hospitalitatem, vt pro suis hospitibus contra rapaces aues se certamini, & vulneribus exponant, subdit: *Discant homines hospitalia seruare iura; & ex auibus cognoscant quid religionis hospitibus sit deferendum, quod obsequium deputandum; quibus cornices etiam pericula sua negare non soleant. His igitur nos ianuas claudimus, quibus aues etiam animas suas conferunt? Et quos illa consortio prosequuntur discriminis, eos tectis prohibemus hospitio? Et quorum illæ bella suscipiunt, his nos bella frequenter inferimus? Mentior, si non Sodomitanis hæc fuit causa supplicij; aut Ægyptius furor gentis hospita,* nempe

Hospitalitas erga ciconias mira in cornicibus.
In hospitalitatis supplicium.

A Israelitis, *dum bellum conatur inferre, in hospitalitatis pœnas infida naufragio plebis exoluit:* scilicet in rubro mari submersis Ægyptiis Israelitas, eorum antea hospites persequentibus. Ambrosii sententiam comprobat Ezechiel cap. 16. 49. vbi cum dixisset: *Hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium;* vltimò tamquam pessimum addidit: *Manum egeno; & pauperi non porrigebant:* Sed scelestissimè hospitibus vim inferre conabantur, vt habetur Genes. 19 5.

39. Apostolus epistola ad Hebræos monet fideles: *Hospitalitatem nolite obliuisci. Beneficentia, & communionis,* seu communicationis,
B *nolite obliuisci;* communicationis scilicet vestrorum bonorum cum egenis, vestrique hospitii cum peregrinis: *talibus enim hostiis promeretur Deus:* misericordiæ enim operibus veluti sacrificiis Deo gratissimis diuinam gratiam, Deique beneficentiam promeremur. Deum hospitalitatem mirificè remunerantem experta est Rahab; quæ cum exploratores à Iosue Iericho missos hospitio excepisset, eosque à manibus Ierichuntini Regis seruasset; veram Israelitarum fidem amplexa meruit, vt eam Salmon tribus Iudæ Princeps in coniugem acciperet: ex quo coniugio tot postea Israelitarum Reges prognati sunt. Et quod inæstimabile, & supra meriti condi-
C gnitatem præmium fuit, ex eadem stirpe Dei filius nasci voluit. *Talibus hostiis promeretur Deus.*

Ad Hebr. c. 13 v. 2. & v. 16.
Iosue c. 2. Hospitalitatis ingens præmium.

40. Seraphinus Bazius refert pios quosdam ciues ad hospitalitatem tam fuisse propensos; vt adueniente peregrino plures simul ad eum suam in domum excipiendam accurrere consueuerint. Quare ne inter eos contentio oriretur; fixa est in foro columna pluribus ex ea pendentibus annulis, singulis alicuius ciuis nomine inscriptis; vt ciuis ille ad peregrinum hospitandum aliis præferretur, cuius annulo sui peregrinus equi frænum alligasset. Potuit profectò columna illa instar Herculeæ, non ad Oceani,
D sed ad humanitatis metam indicandam erigi.

Hospitalitatis exemplū eximiū.

41. Sed ad Discipulos Dominum ad hospitium inuitantes redeamus. Domini in Bethleem nascituro *non fuit locus in diuersorio.* Nos non Bethleemitas Domino hospitium negantes, sed pios hos discipulos Dominum hospitio excipientes imitemur. *Si vis habere vitam, fac quod fecerunt, vt agnoscas Dominum: hospitio susceperunt. Habebant illi Christum in conuiuio, nos intus in animo. Plus est Christum habere in corde, quàm in domo: cor enim nostrum interius nobis est, quàm sit domus nostra,* ait Augustinus.

Lucæ c. 2. 7. Hospitio cordis Christus excipiendus est. *August. ser. 140. & ser. 144. de tempore.*

Et intrauit cum illis. Et factum est dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit; & porrigebat illis.

E

42. NOn communem panem, sed suum sanctissimum corpus sub panis specie Dominum discipulis hic dedisse communis Patrum, & interpretum sententia docet. Inter quos Hieronymus in Epitaphio Paulæ, August. de consensu Euangelistarum lib. 3. c. 25. ser. 140. de tempore: epist. 59. sub finem, & alibi. Beda hîc in Lucam: Strabus ibidem. Chrys. hom. 9. in varia Matthæi loca. Imperfectus in Matth. hom. 17. Hesychius lib. 2. in Leuit. Euthymius hîc in Lucam: Theophylactus ibidem. Vide Bellarminum lib. 4. de Eucharistia cap. 29.

Eucharistiā Dominus, non cōmunem panem discipulis dedit.

43. Porrò Eucharisticum panem à Domino

discipulis datum duo potissimum verba indicāt, scilicet quòd panem Dominus benedixisse, & fregisse ab Euangelista dicatur. Cum enim Dominus benedicere dicitur, benefacere debet intelligi. Quare cum in Euangelio legitur panem Dominus benedixisse, vel illum diuinitus multiplicauit, vt Matth. 14. 19. cum *respiciens in cœlum benedixit, & fregit, & dedit discipulis panes*: vel illum consecrauit, in suum scilicet corpus panem transsubstantiando, vt Matt. 26. 26. vbi dicitur: *Accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit, dedítque discipulis suis, & ait: Accipite, & comedite: hoc est corpus meum.* Cum igitur hìc duobus discipulis panem similiter Dominus benedixerit, & fregerit, non tamen multiplicauerit; illum similiter in suum corpus consecrasse dicendum est. Potiò panem frangere, Eucharistiā cōmunicare in sacris literis significare patet ex 1. ad Cor. 10. vbi Apostolus ait: *Panis, quem frangimus nonne participatio corporis Domini est?* Et Act. 2. 42. de fidelibus dicitur: *Erant perseuerantes in doctrina Apostolorū, & communicatione fractionis panis, & orationibus.* Vbi Syrus legit: *Communicabant in oratione, & in fractione Eucharistiæ*; Præter catholicos interpretes, & Doctores, præcipuè S. Antoninum, allata ex Actis Apost. verba de Eucharistia intellexerunt hæretici Lutherus ser. de Eucharistia, & Caluinus lib. 4. Institutionum c. 17.

S. Antoninus 1 p. hist. tit. 6. c 2.

Eucharistiæ communio cur panis fractio dicitur.

Dicitur autem Eucharistiæ communis panis fractio; eo quòd à priscis Sacerdotibus non separatæ hostiolæ, vt nunc fit, sed ex eadem consecrata hostia in fidelium communionem partes diuidebantur. Sed præter antiquam hanc consuetudinem, quæ nostro tempore desiit, alio magis arcano sensu Eucharistiæ sacramentum panis fractio, seu diuisio dici potest; eo quòd per consecrationem ita panis diuiditur; vt remanentibus panis speciebus eius substantia non remaneat.

44. Contra allatam sententiam afferuntur verba ex eodem capite 2. Act. Apostol. versu 46. vbi de fidelibus etiam dicitur: *Quotidie perseuerantes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panes sumebant cibum cum exultatione & simplicitate cordis.* Vbi cum dicitur: *Frangentes panes*, certum est de communi pane esse sermonem. Respondetur, quamuis etiam hoc loco panis nomine Eucharistiam intelligant S. Antoninus, Gignæus in Acta Apostolorum, & Baronius tomo primo annalium: & quamuis huic sententiæ consonare videantur regia Biblia, vbi legitur: *Domi frangebant munus benedictum*: nihilominus citato loco panem vsualem assentior significari. Sed ex hoc potius deduci debet in antecedente textu de Eucharistia esse sermonem. Primo quia non ita proximè bis de vsualis panis communi inter fideles participatione mentio facta esset. Secundo quia in illo præcedente textu de spiritualibus tantùm sermo est; nempe de perseuerantia in Apostolica doctrina, & oratione, quibus communis panis comestionem addere dissonum omnino fuisset. Eo igitur in loco vbi concorditer oratio fiebat, ibi in panis fractione, hoc est in Eucharistiæ communione perseuerabant. Cum autem vsualis panis fidelibus diuidebatur, dicitur panis fractio facta non in orationis loco, in quo vnanimiter conueniebant; sed facta dicitur circa domos. Dicitur autem in regiis Bibliis vsualis panis fidelibus diuisus *munus benedictum*; quia ad illud benedicendum prius breuis aliqua oratio adhibebatur, & postea ex debita charitate fidelibus mittebatur.

S. Antoninus supra.

45. Quæri hìc potest, an in hac cum duobus discipulis cœna fermentatum Dominus panem, an azymum consecrauerit? Ratio dubitandi est, quia iam tertia dies erat post Pascha, & consequenter post azymi panis vsum. Respondetur etiam in Emmauntis villa, sicut antea in Ierosolymæ cœnaculo Dominum azymum panem consecrasse; talis enim panis vsus non vnico Paschatis die, sed diebus septem perdurabat iuxta Domini mandatum Leuitic. 23. *Quinta decima die mensis huius solemnitas azymorum Domini est: septem diebus azyma comedetis.*

Azymū panem tam in Ierosolymæ cœnaculo, quā in Emmaūtis villa Dominus cōsecrauit.

Azymi panis vsus septē diebus obseruabatur.

46. Eucharistiæ sacramentum sacrificium etiam esse Dominus voluit, in quo iterum ipse æterno Patri sicut in passione pro humana salute offerretur. Nam sicut in passione ex flagellatione, & clauorum confixione pretiosus Christi sanguis ab eius corpore diuisus est; ita in Eucharistiæ sacramento ex vi verborum sanguis etiam à Christi corpore diuiditur; cum ex verborum vi sub panis speciebus Christi tantum corpus; & sub vini speciebus Christi tantum sanguis veniat. *Rex, vel potius tyrannus Busiris suis diis suos hospites immolabat*, ait Augustinus 18. de Ciuit. cap. 12. Scelestissima illa hospitum immolatio ex Busiridis detestanda sæuitia proueniebat: ex eximia Christi Domini Charitate factum est, vt ipse horum discipulorum hospes per Eucharistiæ sacrificium Deo gratissima hostia offerretur.

Eucharistia sacramentū cur etiam sacrificium.

Busiris hospites suos diis immolabat: Christus hospitio exceptus sē ipsū pro hospitibus immolauit.

47. In augustissimo Sacramento, simúlque sacrificio iuxta Ecclesiæ testimonium, *recolitur memoria passionis Domini.* Quare Dominicæ passionis, & Eucharistiæ sacramenti beneficio, quo dignatus est Cleophas, vt vices rependeret, in eadem domo, in qua mensam Domino parauerat, pro confessione illius gloriosa morte occisus sepultus est; vt in Romano martyrologio 25. Septembris habetur. Socium Cleopham imitatus est Lucas, cum apud Pataras Achaiæ vrbem suæ ætatis anno 84. illustre martyrium subierit, vt ex Nazianzeno, Paulino, Gaudentio, Glyca, & Nicephoro docet Baronius Christi anno 61.

SS. Cleophas, & Lucas Martyres.

Et aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum.

48. *Aperti sunt oculi eorum*, scilicet tum corporis ablato impedimento, ne enim agnoscerent, de quo supra dictum est; tum etiam mentis oculi per internam illustrationem. Eucharistiæ sacramentum ob spiritualem eximiam, quam continet suauitatem, mysticè mel dicitur, ideo Cant. 5. cum dicitur: *Comedi fauum cum melle meo*, id de Eucharistiæ sacramento explicant Rupertus & Nyssenus ibi, & Ambrosius lib. 5. de sacr. cap. 3. cui interpretationi consonant Septuaginta ibi legentes: *Comedi panem cum melle meo.* Primo Reg. 14. 27. cum præ inedia, & lassitudine Ionathæ oculi caligassent, *extendit summitatem virgæ, quam habebat in manu, & intinxit in fauum mellis, & illuminati sunt oculi eius.* Multò excellentius horum discipulorum oculos mysticum Eucharistiæ mel illuminauit. Post præuaricationem de primis parentibus dicitur Genes. 3. 7. *Aperti sunt oculi amborum.* Vetiti pomi comestio primis parentibus ad dolorificam confusionem

Eucharistiæ sacramētum mel is nomine mysticè significatur.

oculos aperuit. Secus verò Eucharisticus cibus duobus his Domini Discipulis eum redisiuum cognoscentibus ad ingentem lætitiam oculos aperuit. Vide præterea, quæ diximus in commentario Passionis in illa verba: *Cœnantibus autem eis accepit Iesus panem.* &c. paragrapho. 6.

Et ipse euanuit ex oculis eorum.

49. EVanescere perire, seu desinere esse significat. Hinc cum quis sperare definit, eius euanescere spes Romanus Orator dixit: itemque euanuisse Oratoris alicuius orationes, cum non extant. Dominus autem hîc ex oculis euanuisse dicitur, eo quòd visibiles species eum aliorum oculis repræsentantes ab eo subtractæ, esse desierint. Caluinistæ Hæretici, *qui euanuerūt in cogitationibus suis*, negant præsens sub lumine corpus inuisibile reddi posse; quodque Christus in Sacramento non videatur, ibi esse posse negant. Sed concedatur coloratum obiectum agens esse necessarium; ita vt dum præsens est, suas non immittere species nequeat; nonne planè absurdum, & stultum est Deum etiam circa hoc agentem necessarium constituere; ita vt neque Deus præsenti Beati alicuius corpore, iuxta illius voluntatem nequeat ad visibiles species emittendas, seu conseruandas generalem concursum denegare. Præterea Christus Dominus si non subtractis speciebus inuisibilem se reddidit, quæritur quomodo à Discipulorum oculis se repente subduxerit? An latibulo, an fuga, an volatu? Videant Caluinistæ quàm absurdi hi omnes dicendi modi sint, & Euangelistæ verbis minimè consoni: si enim Caluini sententiam significare Euangelista voluisset, non ei latendi, fugiendi, & auolandi verba defuissent.

Præsens corpusque-modo euanescés, hoc est inuisibile reddatur. *Ad Rom. c. 1. 21.*

50. Ioannis 16. suis discipulis Dominus dixit: *Si non abiero, Paracletus*, hoc est consolator, *non veniet ad vos*, Similiter hîc si Dominus non se ab horum Discipulorum oculis subduxisset; ipsi de Domini resurrectione oculati nuncij, & consolatores, ad Apostolos non abijssent.

Et dixerunt ad inuicem: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas?

51. EX radiante Domini præsentia eis apertè manifestata lucem, quam oculis hauserant, cordis ardore confirmant: *Factus est sermo Domini in corde meo, quasi ignis exæstuans, claususq; in ossibus meis.* Apud Ieremiam etiam quàm verè Dominus dixit: *Nunquid non verba mea sunt quasi ignis, & quasi malleus conterens petram?* Fuit profectò his Discipulis Domini sermo quasi ignis eorum corda incendendo; & quasi malleus conterens petram, eorum ex incredulitate cordis duritiam frangendo. Porròquamuis Domini eloquium quasi ignis horum Discipulorum corda incenderit; quia tamen idem matutino rori comparatur: *Fluat vt ros eloquium meum:* ideo eorumdem Discipulorum incensa corda idem diuinum eloquium iucundissimè refrigerauit. *Nonne ardorem refrigerabit ros?* dicitur Ecclesiastici 18. 16. *Marinas conchas impleri roscido conceptu, partumque earum esse margaritas pro qualitate roris accepti*, docet Plinius. Dominus efficaci correptione horum Discipulorum incredulitatem arguens, suumque eloquium veluti rorem infundens, veluti prætiosa margarita in eorum cordibus fuit. *Margaritum fulgens, qui arguit sapientem*, cum scilicet sapientem reddendo, ait Salomon. *Hac pretiosa*, quam amissam putabant, *margarita inuenta*, socios Discipulos hi duo conuocarunt eorumque certatim quisque dixit: *Congratulamini mihi, quia inueni gemmam, quam perdideram.*

Ieremiae c. 20. 9
Ierem. c. 23. 29.
Sermo diuinus, vt ignis incendit, vt ros refrigerat.
Deuter. 32.
Plinius lib. 9. c. 35.
Prou. 25. 12. Mat. 13. 14. Luca 15.

52. Quomodo Christi imitatores, diuinique sermonis ministri pii, efficacibusque verbis, auditores incendere, non autem inani, & fucato ad iactantiam sermone delinire debeant, diximus fer. 3. post. Dom. secundam Quadrag. *Ardeat Orator, si iudicem velit incendere*, Romanus Orator dixit. Diuino zelo, diuinoque charitatis feruore ardeat Ecclesiastes, si sacratum scripturarum eloquio auditores incendere velit.

Cicero de Oratore.

Et surgentes eadem hora, regressi sunt in Ierusalem

53. DE Deipara post Gabrielis nuncium dicitur Lucæ 1. *Exurgens Maria abyt in montana cum festinatione, & intrauit in domū Zachariæ.* Vbi Ambrosius ait: *Quò iam Deo plena, nisi ad superiora cum festinatione contenderet? Nescit tarda molimina sancti Spiritus gratia.* Similiter hi duo Discipuli iam Deo pleni, quem sua intra viscera in Eucharistia acceperant, statim surgentes cum festinatione Ierosolymam ascenderunt; vt iucundissimo Dominicæ resurrectionis nuncio alios Discipulos solarentur. Ad piam eorum solicitudinem cognoscendam, eos perpendamus aduesperascente in castellum peruenisse; vbi donec pararetur, & peragеretur cœna, nox aliquantùm processerat. Quare, quamuis præterito itinere defatigati, & Emmaus iuxta Euangelistam spatio stadiorum sexaginta ab Ierusalem distaret; nihilominus totum illud itineris spatium, nempe septem milliaria cum dimidio, nocturno, & hyemali tempore, accliui via alacres peregerunt. Minuebat quidem piis illis viatoribus noctis tenebras plenilunii tempus, quod tribus ante diebus præcesserat: sed insuper eos nocte media, veluti sub meridiana luce ambulasse dicere possumus; cum fidem à Domino antea corroboratam ducem haberent, de qua cum Ambrosio canit Ecclesia: *Fides velut meridies.*

Sedulitas in operibus charitatis
In hymno Fer. 2. ad Laudes.

Et inuenerunt congregatos vndecim, & eos, qui cum illis erant.

54. SVspenso Iuda, & absente Thoma, cui Dominus post dies octo apparuit, decem tantùm Apostoli erant; cur ergo eos vndecim Euangelista nominat? Similiter cur 1. ad Corin. 15. Apostolus de Domino ait: *Visus est Cephæ, & post hoc vndecim?* Immo ad augendam difficultatem in Græco textu legitur: *Visus est duodecim. Ita*, inquit Cornelius, *legit Augustinus.* Quare cum Augustino propositæ difficultati respondet Cornelius: *Licet Iudas esset mortuus, censentur tamen duodecim, quia fuerunt duodecim.* Sic dicuntur Decem viri conuenire, licet septem, vel octo ex eis tantùm sint præsentes. Eadem responsio est, cum dicuntur vndecim; quia Apostolorum collegium ob Iudæ defectionem ad talem numerum iam erat redactum. Ad idem confirmandum neotericum addi potest exemplū.

Apostoli, quibus Dominus apparuit, cur dicuntur vndecim absẽte Thoma, & suspenso Iuda.

Bononiæ enim Nobiles Quadraginta dicuntur, eo quòd talis eorum numerus initio fuerit; licet nostra ætate numerum illum excedant. Similiter Romæ centum Patres senatores dicti sunt; quamuis postea maior eorum numerus fuerit. Sicut igitur aucto numero ex priori tamen numero nomen retinetur; ita etiam numero diminuto.

Chrysost. hom. 38 in epist. Pauli

55. Chrysostomus, cum citato Pauli loco etiam duodecim legisset, ait: *Apostolos duodecim cur facit? Nam post assumptionem*, hoc est post Domini ascensionem, *Matthias tandem non post resurrectionem statim electus est. Verisimile est post assumptionem etiam visum: ut igitur Apostolus post assumptionem & vocatus est, & Dominum vidit. Itaque non quocumque tempore, sed promiscuè visum narrat.* Chrysostomi igitur sententia est ad complendum Apostolorum numerum, de quo loquitur Paulus, Matthiam esse numerandum. Quod autem Chrysostomus ait tantùm post Domini assumptionem Matthiæ Dominum apparuisse, non probatur: nam Actorum 1. 21. Petrus dixit: *Oportet ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intrauit, & exiuit inter nos Dominus Iesus; incipiens à baptismate Ioannis vsque in diem, quo assumptus est à nobis, testem resurrectionis eius nobiscum fieri vnum ex istis. Et statuerunt duos: Ioseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Iustus, & Matthiam. Et cecidit sors super Matthiam, & annumeratus est cum vndecim Apostolis.* Quòd si Matthias tantùm post Domini ascensionem Dominum vidisset, vt censet Chrysost. testis eius resurrectionis esse non potuisset; & consequenter ad Apostolatum neque electus, neque propositus fuisset. Præterea Epiphanius hæresi 28. & Nicolaus primus epist. 2. ad Michaëlem Imperatorem, expressè docent Matthiam ex Septuaginta duobus discipulis fuisse: & consequenter ex hoc etiam improbabile videtur Matthiam Domini discipulum abfuisse cum Dominus *visus est plusquam quingentis fratribus simul*, quod iuxta communem sententiam ante Domini ascensionem fuit. Insuper improbabile etiam est Matthiam abfuisse, cum duo discipuli ex Emmauntis castello *regressi inuenerunt congregatos vndecim*, nempe Apostolos, *& eos, qui cum illis erant*, nempe alios Christi discipulos. Hinc valde probabiliter dicendum videtur, Lucam non respiciendo ad tempus, quo id contigit; sed ad tempus, quo ipse scribebat, quando iam Matthias inter Apostolos numerabatur, eum in vndecim Apostolorum numero intellexisse.

Epist. 1. ad Cor. c. 15. 6.

56. Aliter ad propositam difficultatem respondet idem Augustinus supra citatus, Beda, Thomas, & alii, cum quibus Hugo Cardinalis ait: *Cum Dominus intrauit, Thomas non erat cum eis. Quando autem duo discipuli inuenerunt duodecim congregatos, tunc erat cum illis. Intellige ergo Thomam paulò ante exiisse, cum ipsi narrarent* A *ea, quæ gesta erant, & interim Dominus alijs apparuit.* Exiisse potius dicerem Thomam, non cum ipsi narrarent ea, quæ gesta erant; sed postquam narrassent; non enim Thomas duorum discipulorum de Domini resurrectione nuncium adeo paruifecisset, vt eos narrantes discedendo audire omisisset. Fuit igitur iuxta allatam sententiam Thomæ discessus post duorum discipulorum narrationem, & ante Domini apparitionem. Dices, Lucas de duobus discipulis ait: *Dum autem hæc loquuntur, stetit Iesus in medio eorum:* Thomas vel aduenientibus duobus discipulis non adfuit; vel si adfuit, iuxta allatam sententiam discessit antequam duo discipuli, quæ gesta erant narrarent; quod, vt diximus, est improbabile. Respondetur ad saluandam Augustini, & aliorum solutionem: cum B Lucas ait, *dum hæc loquuntur*, id non intelligendum est de narratione duorum discipulorum, sed de promiscuo omnium sermone, qui de Domini resurrectione post duorum discipulorum narrationem consecutus est. Patet hoc ex allatis Lucæ verbis: *Dum hæc loquuntur, stetit Iesus in medio eorum, & dixit eis, pax vobis.* Sicut enim in medio eorum intelligitur non in medio duorum, sed omnium discipulorum, quibus omnibus dixit: *Pax vobis:* sic etiam cum dicitur: *Dum hæc loquuntur*, id non ad duos tantùm discipulos, sed ad omnes promiscuè referri debet. C

Dicentes, quòd surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni.

57 Apostoli, & qui cum illis erant, visis duobus discipulis, antequam hi quidquam dicerent, eis Dominum resurrexisse ex oculato Petri testimonio nunciarunt. Verè *præuenerunt eos in sermonibus dulcedinis.* Ps. 20. 4. Vicissim duo discipuli audito de Domini resurrectione testimonio, suum etiam addiderunt, propterea subditur:

Et ipsi narrabant, quæ gesta erant in via, & quomodo cognouerunt eum in fractione panis. D

58. Narrabant, *quæ gesta erant in via*, scil. incredula ipsorum verba, Domini de ipsorum incredulitate obiurgationem; additam insuper Scripturarum interpretationem, ardoremque cordis inde ab ipsis conceptum; *& quomodo cognouerunt eum in fractione panis*; qua participata statim ad Dominum cognoscendum illuminati sunt. Interpretes quidam asseruerunt Christum in fractione panis cognitum fuisse, quòd panem ita manibus diuisisset, quasi cultro scidisset. Sed quid tam eximium, ad Dominum cognoscendum fuisset manibus panem æqualiter quasi cultro partiri; quod quidem bonus, vel etiam malus Angelus facere potuisset?

FERIA III. POST PASCHA.

Stetit Iesus in medio eorum; & dixit eis: Pax vobis, &c.
Lucæ 24.

EVANGELII NEXVS, ET ORDO.

1. DOMINVS discipulis in Ierosolymæ cœnaculo congregatis apparens se verè resurrexisse quadrupliciter comprobat. Primò ostendendo in manibus pedibusque plagas in passione acceptas: *Videte manus meas, et pedes meos, quia ego ipsesum.* Secundò gloriosum suum corpus palpandum exhibendo: *Palpate, et videte, quia spiritus carnem, et ossa non habet, sicut me videtis habere.* Tertiò coram ipsis discipulis manducando: *Obtulerunt ei partem piscis assi, et fauum mellis: et cum manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis.* Quartò denique explicando sacræ Scripturæ testimonia, quæ de ipsius morte, passione, & resurrectione erant: *Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas, et dixit eis: Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et resurgere à mortuis tertia die.*

Stetit Iesus in medio eorum, et dixit eis: Pax vobis: ego sum, nolite timere.

2. QVando stetit Iesus in medio eorum? *Dum hæc loquuntur*, ait S. Lucas, tunc scilicet cum Cleophas, eiusque comes ex Emmauntis castello regressi vna cum congregatis in Ierosolymæ cœnaculo discipulis de Domini resurrectione colloquerentur. Ex quo patet, cùm Dominus post sui manifestationem, Cleophæ, eiusque comitis oculis se subduxisset, eos Ierosolymam reuertentes vel inuisibiliter in itinere comitatum esse; vel potius sua agilitate præuenisse: noluisse tamen Dominum se congregatis Ierosolymæ discipulis manifestare, antequam Cleophas, eiusque comes ipsum Dominum à seipsis visum resurrexisse testarentur, vt hinc fidei meritum haberent.

3. *Et dixit eis: Pax vobis, Ego sum nolite timere.* Luc. 18. Apostolis Dominus præcepit: *In quamcumque domum intraueritis, primùm dicite: Pax huic domui: & si ibi fuerit filius pacis, requiescet super eum pax vestra.* Quod Apostolis mandauerat Dominus, idem ipse in eorum cœnaculum ingrediens seruauit, pacem eis tam verbis annunciando, quàm verè largiendo. Et quia ibi filii pacis Apostoli erant, reiecta omni, quam conceperant turbatione, pax Domini super eos requieuit. Christus Dominus Isaiæ 9. 6. *Princeps pacis* appellatur. Cœlestis noster pacis Princeps adeo pace delectatur, vt non alibi, quàm in pace suam Regiam collocarit: *Factus est in pace locus eius.* Similiter sui regni terminis Pacem custodem adhibuit; ideo cœlesti, terrestrique Ierosolymæ, triomphanti, & militanti Ecclesiæ dicitur: *Posuit fines tuos pacem.* Et quoniam in

Pacis Princeps Christus Dominus pace maximè delectatur. Psal. 75. 3. Psal. 147. 14.

A suorum fidelium cordibus regnat, eorum corda pacis custodia seruat: quod noscens Apostolus ait: *Pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum custodiat corda vestra.* Pacis amantes Princeps pacis in suos filios recipit. *Pacifici filij Dei vocabuntur:* vberem pacem diuinam legem seruantibus in præmium elargitur: *Pax multa diligentibus legem tuam:* contra verò diuinæ legis præuaricatores pacis expertes reddit: *Non est pax impijs, dicit Dominus. Viam pacis non cognouerunt.*

Epist. ad Philipp. 4. 7. Matth. 5. 9. Ps. 118. 165. Isa. 48. Ps. 57. Ps. 133.

4. Ioannis 14. 27. Apostolis Dominus dixerat: *Pacem relinquo vobis; pacem meam do vobis; non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum, neque formidet.* Hanc Domini pacem, quæ turbationem omnem, ac formidinem expellere debet, quia conturbati, & conterriti B discipuli partim amiserant, ideo eis Dominus pacem iterum elargitur dicens: *Pax vobis; nolite timere.* Porrò cum dixisset Dominus. *Pacē relinquo vobis, pacem meam do vobis*: bene subdidit: *Non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Pax enim à Christo data vera est pax, quæ nos Deo reconciliat, animique nobis tranquillitatē affert. At mundana pax falsa est, & fallax: nam mundi sectatores *cum dixerint: Pax, & securitas; tunc repentinus eis superueniet interitus. Dicentes: Pax, pax; & non est pax.*

Epist. 1. ad Thessal. c. 5. Ezech. c. 13.

Lucæ 2. 14. Ad Ephes. c. 2. 17.

5. Dices Si Dominus *Princeps pacis* est, & pacis amans; ita vt propterea statim vt in terris natus est, C sancti Angeli pacem in terra nunciarint canentes: *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*: & ipse Dominus teste Apostolo *veniens euangelizauit pacem iis, qui longè, & pacem ijs qui prope*: cur ergo Matthæi 10. 34. idem Dominus dixit: *Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium.* Respon. sicut Christus Dominus per Euāgelicam legem, pacem & reconciliationē hominibus attulit: ita per eamdem Euangelicæ legis illuminationem vt ab hominibus pacem, & concordiam cum mundo, & diabolo, prauisque carnis affectibus omnino remoueret, aduenisse. *Nescitis, quia amicitia huius mundi inimica est Dei?* D *Quicumque ergo voluerit amicus esse seculi huius, inimicus Dei constituitur*, ait Iacobus Apostolus c. 4. v. 4.

De pace plura diximus feria 5. post. Dom. pass. in illa Dominī verba Magdalenæ dicta: *Vade in pace.* Præterea sicut hoc cap. 24. Lucæ conturbatis, & conterritis discipulis Dominus dixit: *Ego sum, nolite timere*: ita Marci 6. conturbatis etiam discipulis dixit: *Confidite, ego sum, nolite timere.* Vide ibi dicta Sabbato post cineres.

Conturbati verò, & conterriti existimabant se spiritum videre.

6. Videtur in horum numero, qui conturbati, & conterriti se spiritum videre existimarunt, Petrus non fuisse; quia ei antea Dominus apparuerat, vt hoc cap. v. 34. dicitur. Quod si quis etiam Petrum conturbatum se spiritum videre existimasse dicat, talis Petri turbatio, & existimatio prouenire potuit ex eo, quòd cum Dominus apparuit, *fores essent clausæ*, vt ait Ioannes cap. 20. vers. 19. antea autem Dominus Petro quidem apparuerat, sed non cum aliis congregato; & consequenter extra cœnaculum in loco, vbi vel ianua, vel ianuæ obseratio non erat.

7. *Ideo territi sunt, quia cum mortuum in cruce viderant; & quia venerat ianuis clausis*, ait S. Bonauentura. Secunda ratio admittitur, prima non probatur. Iam enim vt eodem capite habetur, discipuli Dominum antea mortuum resurrexisse crediderant, *Dicentes quòd surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni*; & discipuli duo redeuntes ex Emmaunte, *narrabant, quæ gesta erant in via, & quomodo cognouerunt eum in fractione panis.*

Et dixit eis quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra?

8. His verbis Dominum se cordis secreta cognoscere, adeoque Deum se esse monstrasse notat Euthymius, & Titus in Lucam: Titus quidem non Bostrenus, sed alius, vt probat Bellarminus. Verumtamen alibi quidem se abditas mentis cogitationes Dominus nosse ostendit; vt Matthæi 9. 4. vbi intra se dicentibus Scribis: *Hic blasphemat: cum vidisset Iesus cogitationes eorum dixit: Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Aliaque similia in Euangelio exempla leguntur. Sed cum conturbati, & conterriti Discipuli externo aspectu turbationem, & terrorem ostenderent; hinc non vt absconditæ, sed vt manifestæ per signum, eorum cogitationes à Domino nosci poterant; eamque notitiam sanus quilibet humanus intellectus consecutus facillimè foret.

Bellarm. de scrip. Eccle.

Videte manus meas, & pedes meos, quia ego ipse sum. Palpate, & videte; quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere.

9. Subtilitatis dos in remotione impedimenti per quod in eodem loco corpus vnũ cum alio esse non potest, cõsistit, vt diximus in Euangelio Paschatis sub titulo illo: *Qua gloria ornatum Christi Domini corpus resurrexerit*, tale impedimentum ad Beatorum libitum à Deo remoueri ibi dictum est. Quare cum Christus Dominus non exercens subtilitatis dotem, suum gloriosum corpus palpandum discipulis obtulit, penetrationis impedimentum sublatum non est.

10. Porrò quamuis spiritus carnem, & ossa non habeant, adhuc conflatum ex addensata materia corpus assumere possunt; & consequenter se palpandos exhibere; sicut Genes. 18. tres Angeli suos ab Abrahamo pedes abluendos exhibuerunt. Ergo dicens discipulis Dominus: *Palpate, & videte*; certum suæ resurrectionis ar-

Palpabile Christi corpus quomodo certum signum eius resurrectionis fuerit.

A gumentum non dedit. Vt huic difficultati satisfiat, alia similis difficultas proponenda est ex 3. Reg. 18. vbi ad reuocandum populum ab Idolorum cultu, propositis in sacrificium hostiis, & igne non supposito Elias dixit: *Deus, qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus*, à vobis scilicet vera fide, & religione colendus. Quod deinde in Eliæ, non autem in Idololatrarum sacrificio contigit. *Cecidit enim ignis Domini, & vorauit holocaustum.* Hîc etiam quis obiicere posset ab Elia non certum veræ religionis signum fuisse propositum; cum etiam dœmones ex aere ignem ad hostiam absumendam demittere potuissent. Respondetur tamen in huiusmodi casibus, vbi à
B sanctis viris signum aliquod ad veram religionem comprobandam assumitur, immundos spiritus impediri, ne similia facere possint. Quare citato 3. Reg. loco nullo modo dæmonum opera Idololatræ illi tota die clamantes suum in impium sacrificium ignem deuocare potuerunt. Similiter hîc dicendum est, cum ad veram Domini resurrectionem comprobandam gloriosum eius corpus palpandum offerretur; id à nullo immundo spiritu assumpto simulato corpore effici potuisse.

11. Respondetur secundo quamuis spiritus corpora assumere possint, nihilominus ab eo, qui perfectissimo tactus sensu polleret, bene
C posse à vero viuificato corpore fictitium corpus palpando discerni. Huiusmodi autem perfectissimum tangendi sensum tunc discipulis à Domino communicatum dicendum est. Propterea cum dixisset Dominus: *Palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet*, subdidit: *Sicut me videtis habere.* Tali enim vero modo viuam carnem, & ossa spiritibus habere non datur.

12. Quæri hîc potest, cum Dominus dixisset: *Palpate, & videte*, an discipuli ad eum palpandum accesserint? Respondent aliqui discipulos, quibus Dominus antea non apparuerat, vt dubitatione omni sublata de Domini resurrectione omnino certi forent, ad eum tangendum acces-
D sisse: alios verò, vt Petrum, duosque discipulos ex Emmaus reuersos, cum sine vlla dubitatione Dominum rediuiuum crederent, certam resurrectionis Dominicæ fidem tactu confirmandam non curasse. Probabile mihi videtur omnes accessisse; licet aliqui non ad resurrectionis dubitationem expellendam; sed ad amanter Dominum amplectendum accurrerint. Sicut Ioannis 20. quamuis Magdalena Dominum verè resurrexisse crederet, ad eius tamen pedes ex amoris affectu amplectendos, & deosculandos procidit; ibique cum diu hærere vellet, ei Dominus dixit: *Noli me tangere*, diu scilicet hîc mecum morando; *sed vade ad fratres meos*. vt sis eis prima meæ resurrectionis nuncia. Incredulos discipulos ad Dominum palpandum accessisse
E asserit August. serm. 18. de verbis Domini cap. 2. dicens: *Eo vsque discipulorum eius nutabat infirmitas, vt quem videbant iam resurrexisse, etiam contrectandum putarent, vt crederent. Non sufficiebat oculis, quòd viderent; nisi & manus admouerentur membris, & cicatrices recentium vulnerum tangerentur.*

Discipuli an ad rediuiuũ Dominum tangendum accesserint?

Et cum hoc dixisset ostendit eis manus, & pedes.

13. VT in manibus, & pedibus vulnerum visis cicatricibus illum ipsum, quem cruci affixum nouerant, resurrexisse crederent: *Cicatrices ostendebant eum, qui omnia vulnera in aliis sanauerat*, ait Augustinus. Apud homines ex inflictis vulneribus vltiones, pugnæ, discordiæque incendia difficillimè extinguibilia prodeunt. Christus Dominus, vt è suis vulneribus vltionem nullam, discordiamque prouenisse significaret; pacem, antequam vulnera ostenderet, prænunciauit. *Aug. supra.*

14. Ostendisse Dominus dicitur manuum, pedumque cicatrices, eas gestu indicando; non autem quòd eæ antea oculis abditæ fuissent. Si enim cicatrices apparente Domino latuissent, & postea eas repente Dominus manifestasset; ex illa repentina cicatricum apparitione suspicari discipuli poterant eas apparentes esse, non veras. Si autem apparentes tantum existimatæ fuissent in testimonium certum veræ Domini resurrectionis admitti non poterant. *Tunc falsæ cicatrices fuissent, si nulla vulnera præcessissent: & tamen nec ipsæ essent, si eas esse noluisset. Voluit autem certa dispensationis gratia, vt eis, quos ædificabat in fide non ficta, non aliud pro alio; sed hoc, quod crucifixum viderant, resurrexisse monstraret*, ait Augustinus. *Aug epist. 49 q. 1.*

15. *Ostendit eis manus, & pedes*, ait Lucas: *ostendit eis manus, & latus*, ait Ioannes. Ex his ergo Lucæ, & Ioannis verbis; & ex illis à Domino Thomæ dictis: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas; & affer manum tuam, & mitte in latus meum*, apertè habetur Dominum post resurrectionem quinque vulnerum cicatrices retinuisse; quas post ascensionem etiam in cœlo seruasse est communis Patrum sententia; inter quos Ambrosius ait: *Quomodo non corpus, in quo manebant insignia vulnerum, vestigia cicatricum, quæ Dominus palpanda obtulit? In quo non solùm fidem firmat, sed etiam deuotionem acuit; quòd vulnera suscepta pro nobis in cœlum inferre maluit, abolere noluit, vt Deo Patri nostræ pretia libertatis ostenderet. Talem sibi Pater ad dexteram locat, trophæum nostræ salutis amplectens; tales illic martyres nobis cicatricis suæ coronas monstrauit.* *Ioann. c. 20 v. 20.* *Vulnerum cicatrices quinque resurgens Dominus, & in cœlū ascendēs retinuit.* *Ambros. in Lucā c. 24.*

Nam etiam beatos martyres sui martyrii insignia retenturos Augustinus docet 22. de Ciuit. cap. 20. dicens: *Nescio quomodo sic afficimur amore martyrum beatorum; vt velimus in illo regno in eorum corporibus videre vulnerum cicatrices, quæ pro Christi nomine pertulerunt, & fortasse videbimus. Non enim deformitas in eis, sed dignitas erit; & quædam, quamuis in corpore, non corporis, sed virtutis pulchritudo fulgebit. Nec ideo tamen si aliqua martyribus amputata, & ablata sunt membra, sine ipsis membris erunt in resurrectione mortuorum, quibus dictum est: Capillus capitis vestri non peribit. Sed si id decebit in illo nouo sæculo, vt indicia gloriosorum vulnerum in illa immortali carne cernantur; vbi membra, vt præciderentur, percussa, vel secta sunt, ibi cicatrices, sed tamen iisdem membris redditis, non perdita apparebunt.* Subdit itaque Augustinus: *Non sunt deputanda, vel appellanda vitia virtutis indicia.* *Martyres in cœlo vulnerū cicatrices retinebunt.* *Luc 21. 18.*

16. Idem Augustinus serm. 179. de tempore post allata illa verba Actorum 1. *Viri Galilæi,* A *quid statis aspicientes in cœlum? Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet quemadmodum vidistis eum ascendentem in cœlum*, subdit: *Non vos terrebit aduentus, quos consolatur eius ascensus. Sic veniet clauorum vulnera illæsa demonstrans, & foraminum cruenta monilia. Vobis filii sponsi cum coronam cœlestis exhibebit imperii, crucis vulnera non mutabit, quia signum filii hominis fulgebit.* Similiter de Christo ait serm. sequenti: *Profectus est desiderabilis, non veniet vobis terribilis. Vulnera portauit, ipsa iterum reportabit. Crucem retulit cum triumpho: signum filii hominis vobis parebit in cœlo: vobis veniet in amore, impiis in tremore.*

B 17. Præter Patrum testimonia, vulnerum cicatrices in cœlo Dominum retinere probatur ratione. In vulneribus enim quæ post resurrectionem Dominus discipulis ostendit, vera clauorum, & lanceæ foramina erant; alioquin Thomæ Dominus non dixisset: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas; & affer manum tuam, & mitte in latus meum.* *Ioan. 20.* Vbi Dominus digito, & manu, non vulnera tangenda tantùm obtulit: sed in vulnera inferendum digitum, & mittendam manum dixit, quod nisi perforatæ manus fuissent, perforatumque latus, dici non potuisset. Confirmatur: nam ea verba Dominus dixit, vt Thomæ satisfaceret, qui non dixerat: Nisi C vulnera tangam, non credam: sed dixerat: *Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in loca clauorum, & mittam manum meam in latus eius.* *Ioan. 20.* Hoc posito, si retenta post resurrectionem vulnerum foramina, eadem in cœlo Dominus non retinuisset; ex clausis, seu repletis vulnerum foraminibus, admitteretur in Christi corpore immortali, adeoque immutabili intrinsecè facta mutatio; quæ omnino est neganda.

18. Obiicitur primo Augustinus asserens Christum post resurrectionem cicatrices, non vulnera demonstrasse dubitantibus: cicatrix autem obductum iam vulnus, eiusque clausum D hiatum significat. Eodem cicatricis nomine retenta Domini vulnera alii Patres appellant. Præterea supra citatus Ambrosius non cicatrices, sed *cicatricum vestigia* retenta à Domino dixit. Respondetur primo cicatricis nomine Domini vulnera appellari, non quòd vulnerum hiatus obseratus fuerit; sed quod vndique margines vulnerum hiatum ambientes impassibiliter fuerint obfirmatæ; nec inde amplius, vt antea, sanguis effluere possit. Ideo Augustinus dixit Dominum cicatrices non vulnera demonstrasse. Idem autem Augustinus infra citandus expressè Domini vulneribus, seu cicatricibus in cœlo retentis foramina tribuit: Ambrosius autem, quæ antea cicatricum vestigia dixit, ibidem postea absolutè, E vulnera appellauit. *Aug epist. 49 q. 1.* *Cicatrices cur dicuntur retentæ à Domino plagæ.*

19. Obiicitur secundo si in Domini manibus, pedibus, & latere, vulnerū hiatum admittamus, eius corpori debita integritas esset deneganda: quam certè glorioso Christi corpori integritatem denegare, rationi consonum non videtur. Respondet primo Suarius. *Quamuis ibi desit aliquid carnis; ita sunt illæ partes dispositæ, vt nullam deformitatem, sed potius decorem singularem habeant. Vnde illæ non reputatur defectus, aut imperfectio aliqua; cum nec pulchritudinem minuat, neque optimam dispositionem, tam ad existendum, quàm* *To. 2. Suar. 3. p. disp. 47. sect. 2.* *Christi in retentis plagis an aliquid carnis desit.*

ad operandum tollat. Respondendum mihi videtur hiatum in corpore fieri posse vel per detractionem partis intermediæ; vel nulla sublata intermedia parte, tantùm per partium cum aliqua inter se distantia discontinuationem. Primo modo in statu mortali Christi vulnera fuerunt: Secundo modo sunt nunc in statu glorioso. Dices cum Suario: Si nulla pars intermedia nunc in Christi vulneribus deest: ergo partes illæ, quæ vulnerum vacuum replere debebant, nunc vulnerum foramina ambientes densiores sunt, quàm earum natura exigat. Respondeo ex ipsa natura exigi, vt extremæ partes hiatum aliquem ambientes densiores sint, quàm si cum aliis continuatæ intermediæ forent. Adde etiam ad hominem argui posse; ait enim Suarius *speciali miraculo factum esse, vt illa foramina non impediant, quo minus nerui, arteriæ, & venæ continuæ sint, optimeque dispositæ, tum ad continendum sanguinem, tum ad omnes actiones, & motus vitæ.* Optimè quidem dispositas esse non est negandum; sed tamen mutasse dicendum est dispositionem, & locum, quem habuissent, si foramina intermedia non fuissent. Sicut igitur talis dispositio, alioquin non requisita, admittitur; ita etiam marginum circa foramina aliqualis densitas admitti potest.

20. Obiicitur tertio: Nullis positis foraminibus ex subtilitatis dote poterat Dominus suas manus, pedesque cum latere, & digitis, manui Thomæ penetrandos afferre. Respondetur tunc Thomæ à Domino non oblatum esse experimentum fixuræ clauorum, & lanceæ; cum talis penetratio in qualibet Christi corporis parte fieri potuisset; & consequenter experimentum illud ad probandum præcedentes clauorum, & lanceæ fixuras fictum fuisset; quod à Christi Domini sincera veracitate erat omnino alienum.

Affectus pii erga Domini vulnera

21. De Christi vulnerum foraminibus apud Augustinum tom. 9. Manualis cap. 21. legitur: *Tuta, & firma requies est infirmis, & peccatoribus in vulneribus Saluatoris. Securus illic habito; patent mihi viscera per vulnera: quidquid ex me mihi deest, vsurpo mihi ex visceribus Domini mei: quoniam misericordia affluunt; nec desunt foramina, per quæ effluant. Per foramina corporis patent mihi arcana cordis; patet magnum pietatis sacramentum; patent viscera Misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto.* (Luc. 1. 78.) *Vulnera Iesu Christi plena sunt misericordia, plena pietate, plena dulcedine, & charitate.* Cum quinque Christus Dominus in cœlo vulnera retinuerit; caueamus, ne illis, quantùm in nobis est, alia addamus *rursum crucifigentes filium Dei*, vt ait Apostolus. (Ad Hebr. c. 6. 6.) Augustinus explicans Christi verba illa Psal. 68. *Super dolorem vulnerum meorum addiderunt*; quærit *super quem dolorem vulnerum?* Respondet: *Vulnera sua peccata dixit.* Cur Christus resurgens, & in cœlum ascendens vulnera retinuerit, quatuor ex Beda causas affert S. Bonauentura, quibus ipse tres alias addidit explicans hoc Lucæ caput.

Peccata sūt Christi vulnera.

22. *Ostendit eis manus, & pedes.* Manuum etiam pedumque indiciis Christum Dominum cœlestem sponsum olim indicauerat sponsa Cantic. 5. Cum enim ab ea quæreretur: *Qualis est dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum?* Respondit: *Manus illius tornatiles aureæ plenæ hyacinthis: crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas.* At post passionem idem Dominus resurgens non manuum auro, sed manuum vulnere; non hyacinthis, sed plagis; non pedibus velut aureis basibus; sed confixis vulnere pedibus se cognoscendum obtulit. Cum scriptum sit: *Iustorum animæ in manu Dei sunt*; (Sap. cap. 3.) veteres quidem iusti in aureis Dei manibus hyacinthis plenis erant: propterea iustis illis, vt Abrahamo, Dauidi, aliisque largius affluente rerum temporalium copia opulentos viuere dabatur. Sed in Euangelica lege cum Christus Deus, & redemptor noster in manibus, non aurum, non hyacinthos, sed plagas ostendat; si in eius manibus esse volumus; in eius vulneribus procul à deliciis, procul à temporalium rerum affluentia esse debemus.

Iustis in veteri lege cur opulentos esse dabatur.

23. Ex ostensione Christi vulnerum discipulis facta, ipsoque Christo Domino se ad palpandum oblato soluitur dissonantia, quæ inter Lucæ, & Ioannis verba esse videtur. Lucas enim hîc viso Domino discipulos conturbatos, & conterritos fuisse ait: Ioannes verò cap. 20. ait: *Gauisi sunt discipuli viso Domino.* Respondet S. Bonauentura: *Non est contrarietas; quia primo sunt territi; sed post ostensis manibus, & latere sunt gauisi.* Idem in Lucam docet Ambrosius.

Euangelii textuum conciliatio.

Adhuc autem illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio, dixit: Habetis hic aliquid, quod manducetur?

24. Ex non credentibus excipi debent Petrus, duoque discipuli, qui antea Dominum viderant, eumque verè resurrexisse crediderant. De eadem Christi apparitione Ioannes ait: *Ostendit eis manus, & latus. Gauisi sunt ergo discipuli viso Domino.* Gaudentibus ergo discipulis viso Domino, & tamen iuxta Lucam adhuc non omnino credentibus bene Dominus dicere potuit: Vt resurrectionis meæ *gaudium in vobis sit, & gaudium vestrum impleatur*; (Ioan. 15. 11.) indicium aliud meæ resurrectionis addam: *Habetis hic aliquid quod manducetur?* Quæri hîc potest quomodo in discipulis cum gaudio de Domini resurrectione, circa eamdem resurrectionem incredulitas coniungi potuit? Respondetur eos non planè incredulos fuisse; sed viso Domino ad eum rediuiuum omnino credendum, vel omnino non credendum ancipites fuisse. Ex ea parte igitur, quo ad rediuiuum Dominum credendum animus inclinabat, in eis gaudium proueniebat. Porrò quamuis ancipites ad credendum essent, absolutè à Luca non credentes dicuntur: vera enim fides credendo dubitationem omnem debet excludere.

At illi obtulerunt ei partem piscis assi, & fauum mellis.

25. De parte piscis cuiusdam assi Raphael Angelus Tobiæ dixit cap. 6. *Cordis eius particulam si super carbones ponas,*

fumus eius extricat omne genus dæmoniorum. A Christus *Deus noster*, præcipuè noster ob humanam nostram carnem assumptam, *ignis consumens est*, vt ait Apostolus. Huic diuino igni piscis assus, iterumque mysticè assandus admotus dæmones incredulitatis spiritum discipulis suggerentes procul omnino expulit.

Ad Hebr. 12. 29.

Prou. 24. 13.

26. *Et fauum mellis. Comede, fili mi, mel, quia bonum est; & fauum dulcissimum gutturi tuo*, ait Salomon. Discipuli autem Domino dicere poterant: Pater noster cœlestis, qui pro nobis ante fel degustasti, mel, quia bonum est, & fauum comede, in se quidem dulce, sed tuo in gutture dulcissimum omnino reddendum. B Augustinus explicans Psal. 118. verba: *Quàm dulcia faucibus meis verba tua! super mel, & fauum ori meo!* ait: *Mellis est similis aperta doctrina sapientiæ; fauo verò, quæ abstrusioribus sacramentis, tanquam de cellis cereis ore differentis velut mandentis exprimuntur.* Quia igitur Dominus, vt infra subditur: Discipulis *aperuit sensum, vt intelligerent Scripturas*: ad hoc mysticè significandum mandens è fauo mel exprimere voluit.

Mel, & fauus quid mysticè significent?

Et cum manducasset coram eis, sumens reliquias, dedit eis. C

27. Circa hæc verba affert Augustinus hanc Gentilium obiectionem: *Si post resurrectionem status beatus futurus est nulla corporis iniuria, nulla necessitate famis; quid sibi vult cibatum Christum fuisse, & vulnera monstrauisse? Sed si propter incredulum fecit, finxit: si autem verum ostendit; ergo in resurrectione accepta futura sunt vulnera.* Respondet Augustinus *contrarium non esse, & Christum post resurrectionem cibatum, & in resurrectione* D *ciborum indigentiam non futuram: cum & Angelos legamus eiusdem modi escas, eodemque modo sumpsisse; non ficto, & inani phantasmate, sed manifestissima veritate; nec tamen necessitate, sed potestate. Aliter enim absorbet terra aquam sitiens, aliter solis radius candens: illa indigentia, iste potentia. Futura ergo resurrectionis corpus, imperfectæ felicitatis erit, si cibos sumere non potuerit; imperfectæ felicitatis, si cibis eguerit.* Similiter idem Augustinus 13. de Ciuit. cap. 22. ait: *Corpora iustorum, quæ in resurrectione futura sunt, neque vllo ligno indigebunt, quo fiet, vt nullo modo, vel senectute inueterata moriantur; neque vllis alijs corporalibus alimentis, quibus esuriendi, aut sitiendi qualiscumque molestia depellitur. Quoniam certo, & omnimodo inuiolabili munere immortalitatis* E *induentur; vt non nisi velint possibilitate, non necessitate vescantur. Quod Angeli quoque visibiliter, & tractabiliter apparentes, non quia indigebant, sed quia volebant, & poterant, vt hominibus congruerent, sui ministerij quadam humanitate fecerunt. Neque enim in phantasmate Angelos edisse credendum est, quando eos homines hospitio acceperunt. Vnde quod ait Angelus in lib. Tobiæ: Videbatis me manducare; sed visu vestro videbatis, idest necessitate reficiendi corporis, sicut vos facitis, me cibum sumere putabatis.*

Aug. epist. 49. q. 1.

Comestionis corporalis ciborum discrimen inter Angelos, & homines, vel beatos, vel mortales: hic, & seq.

Gen. 18

Tobiæ c. 12.

A 28. Quod Augustinus ait, eodem modo, quo Christus, Angelos cibum sumpsisse, absolutè non est admittendum: nam Christus verum corpus habens per potentiam, quæ ad animam, prout vegetatiua, vel sensitiua est, spectat, cibum in os assumptum, ibique mansum deglutiens in organizatum stomachum, vbi vera animæ nutritiua potentia, erat, demisit; quamuis ea deinde in actu secundo, versus non sit. Secus vero de Angelorum comestione dicendum est. Bene enim Theodoretus de Angelis hospitio ab Abrahamo receptis, Genes. 18. ait: *Scriptura asserit, quòd viros Abraham viderit. Si litteram nudam at-* B *tendamus, viri non Angeli comederunt: si verò mentem explicemus, visi sunt comedere. Quemadmodum enim illi naturæ cum sint incorporeæ, tamen visi sunt habere corpora: sic visi sunt edere, non cibum inferentes in os, & ventrem; neque enim corpora habebant; sed consumebant cibum prout illis placuit.* Visi sunt ergo Angeli comedere, quia simulatis, non veris manibus cibum in simulatum, non in verum os ingerebant: ingestum autem cibum verè non mandebant; sed clam consumebant, vel aliò inuisibiliter transferebant.

Theodoret. q. 81. Gen.

C 29. Sanctus Thomas prima part. quæst. 51. art. 3. numero 5. sic dubitationem proponit: *Comedere est proprium opus animalis: vnde Dominus post resurrectionem in argumentum resumptæ vitæ, cum discipulis manducauit. Sed Angeli in assumptis corporibus apparentes comederunt; & Abraham eis cibos obtulit, vt habetur Genes. 18. Ergo Angeli in assumptis corporibus exercent opera vitæ.* Respondet S. Doctor: *Nec comedere propriè loquendo Angelis conuenit, quia comedere importat sumptionem cibi conuertibilis in substantiam comedentis. Et quamuis in corpore Christi post re-* D *surrectionem cibus non conuerteretur; sed resolueretur in præiacentem materiam: tamen Christus habebat corpus talis naturæ, in quod posset cibus conuerti: vnde fuit vera comestio. Sed cibus assumptus ab Angelis neque conuertebatur in corpus assumptum; neque corpus illud talis erat naturæ, in quod posset alimentum conuerti: vnde non fuit vera comestio. Et hoc est quod dixit Angelus Tobiæ cap. 12. Cum essem vobiscum, videbar quidem manducare, & bibere; sed ego potu inuisibili, & cibo vtor. Abraham autem obtulit eis cibos, existimans eos homines esse.* Discipuli verò à Deo illuminati veram à simulata comestione diuersam bene dignoscere potuerunt: quam quidem illuminationem Abraham non habuit.

E 30. Porrò ad veram comestionem non requiri actualem cibi conuersionem in comedentis substantiam, patet in ægris, qui purgatiuos cibos verè comedunt, purgatiuosque liquores verè bibunt; quamuis talis cibus, & potus postea egeratur; nec in comedentis, vel bibentis substantiam conuertatur. Quare non necesse est asserere cum Durando in 3. dist. 22. quæst. 6. ad secundum, & in 4 dist. 1. quæst. 4. In Christi comedentis corpore veram digestionem, cibique conuersionem factam esse, quia alioquin eius comestio vera non fuisset, nec verum rediuiuæ carnis argu-

mentum. Hoc inquam asserere necessarium A non esse iam probauimus. Secundò allata Durandi sententia falsa est; quia omnis cibi conuersio, vel est tantùm nutritio, vel est augmentatio. Non fuit in Christo tantùm nutritio; quia nutritio tantùm sine corporis augmentatione fit, cum partes caloris vi consumptæ reparantur. In Christo autem cum iam ad immortalem vitam resurrexerit, talis partium consumptio admittenda non est. Rursus vel ex cibi conuersione in Christo prouenit augmentatio; & tunc sequeretur Christum statim ac resurrexit, non habuisse mensuram illam corporis, de qua Apostolus ait: *Donec occurramus in virum perfectum in mensuram ætatis*, seu, vt ex Græco, & Syro legitur, *in mensuram staturæ plenitudinis Christi.* Secundo neque necesse est asserere cum Valdensi tom. 2. de Sacr. cap. 71. cibum à Christo comedente fuisse transsubstantiatum. Si enim talis transsubstantiatio aliquid Christi corpori addidit; contra Valdensis sententiam militant rationes allatæ contra Durandum. Si verò transsubstantiatio nihil addidit; tunc impertinenter se habet ad comestionem: cumque fuisset miraculosa, sine rediuiuo corpore fieri à Christo potuisset.

Ad Ephesios 4. 13.

31. Vltimò cum Augustinus supra dixit: *Neque in phantasmate Angelos edisse credendum est; sed manifestissima veritate*: sensus esse debet Angelos humanis oculis non præstigiis illusisse; ita vt viderentur tantùm cibum manibus assumere, illumque ori admouere; idque revera non facerent, sed facere viderentur. Vere enim Angeli per assumptas manus in assumptum os cibum ingerebant. Quo sensu, vt vera admitti potest sententia Alensis secunda part. quæst. 35. membro quarto; Scoti in 2. dist. 8. & Emiseni hom. in dedicatione Ecclesiæ veram Angelis comestionem tribuentium.

32. Sed quoniam apud Augustinum supracitatum præter comestionem, vulnera etiam rediuiuum Dominum monstrasse Gentiles obiiciebant; qualia fuerint ea vulnera, immortali, & impassibili corpori non disconuenientia, & cur ea Dominus retinuerit, iam supra ostendimus. Huiusmodi autem Domini vuulnera Christianis obiicere Gentiles pudere deberet; qui suis Diis immortalibus reputatis non incruenta, & doloris expertia, sed sanguine manantia vulnera, doloremque ingentem afferentia tribuerunt. Inter quos apud Homerum Iliados 5. Venus inducitur in Troiano bello à Diomede sauciata, & ex vulneribus præ dolore inconditè cla E mans. Quorum vulnerum satis memor Venus similia iterum infligenda veluti timens Ioui dixit:

Vulneribus obnoxios suos esse deos Gentiles dixerūt.

Æneid. 10.

Atque iterum in Teucros Ætolis surgit ab Arpis.
Tydides. Equidem credo mea vulnera restant:
Et tua progenies mortalia demoror arma.

Ideo Clemens Alex. exhortatione ad Gentes ait: *Rectè admodum conijcit Homerus introducens Venerem propter vulnus acuta, & magna voce clamantem; & narrans bellicosissimum Martem fuisse à Diomede in ventre sauciatum. Polemon autem dixit etiam Mineruam fuisse vulneratam ab Ornyto. Quin etiam dicit Homerus Plutonem fuisse vulneratum ab Hercule, & Eleum Augeam. Iam verò Iunonem quoque coniugalem refert idem Panyassis ab eodem Hercule fuisse vulneratam in Pylo arenoso. Sisibius autem dicit etiam Herculem fuisse in manu sua sauciatum ab Hippocoontidis. Quòd si sunt vulnera, est etiam sanguis. Sanies verò poetica, quam ἰχῶρα vocant,* B *est etiam sanguine turpior. Putrefactio enim sanguinis sanies intelligitur.* Hæc quidem pudenda sunt Deorum vulnera, non ea quæ doloris omnis expertia, victoriæ, gloriæque insignia resurgens Redemptor noster retinuit. Et quoniam cibatum etiam post immortalitatem Dominum Gentiles obiecerunt, quid contra ipsos idem Clemens obiiciat audiamus: *Fuit humana mensa particeps apud Æthiopes, inhumana autem, & nefaria conuiuio à Lycaone exceptus ipse Iuppiter, humanis certè carnibus impletus non lubens. Nesciebat enim Deus, quòd Lycaon Arcas eum conuiuio excipiebat; & interfectum suum filium ei epu*C*landum apponeret.*

Apud. Aug. supra.
Iuppiter humana carne cibatus.

33. *Sumens reliquias dedit eis.* Quanto saporis fœnore cibi reliquiæ à Domino discipulis redditæ suauiores redieruut! Mellis quidem fauus in beatis Christi manibus multò suauius dulcescere bene potuit. Redditas autem discipulis reliquias, ni sensu caruissent, quàm iustè partibus aliis in Christi ore relictis inuidisse dici posset! Cum in Ierosolymæ cœnaculo, vbi Christus apparuit, præter decem Apostolos, discipuli alii congregati, essent teste Luca versu 33. ex paucis illis semipiscis, & mellis faui reliquiis exiguas particulas à singulis illius discipulo D rum numeri sumptas esse dicendum est: neminem autem ab illis degustandis exceptum fuisse credi debet. Sed quamuis modicæ valde cibi illius particulæ forent; sanctis tamen discipulis quolibet lautissimo conuiuio gratiores longè fuerunt.

Et dixit ad eos: Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum; quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis & Psalmis de me.

34. CVm me videatis tertia die post passionem resurrexisse; hoc certe complementum verborum est, quibus vobis quid de me iuxta Scripturæ vaticinia factum est, antea prædixi dicens: *Ecce ascendimus Ierosolymam; & filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, & Scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum; & tertia die resurget.* Propterea cum meam passionem Petrus gladio impedire vellet, id vetui

Matt. 10. 18.

Matth. 26. 54. Ioan. 14. dicens: *Quomodo implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri. Dixi vobis priusquam fieret; vt cum factum fuerit, credatis.*

Tunc aperuit eis sensum, vt intelligerent Scripturas.

35. SEnsus in sacra Scriptura sæpe mentem, & spiritualem intelligendi facultatem significat: vt 1. Paralip 22. 12. *Det tibi Dominus prudentiam, & sensum:* Sapientiæ 9. 15. *Terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem:* Ad Rom. 12. *Reformamini in nouitate sensus vestri:* Ad Philipp. 4. *Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum.* Similiter hic, cum dicitur: *Aperuit eis sensum*; eorum mentem ad sacræ Scripturæ intelligentiam illuminasse Dominus significatur. Quamuis autem in nostro vulgato textu anceps significatio videri possit, cum etiam sensus ad Scripturas referri possit; ita vt Scripturæ sensum nempe significatum discipulis aperuisse Dominus diceretur: nihilominus ex Græco textu, vbi *Aperuit eorum sensum*, dicitur, apertè ad discipulos, non ad Scripturas verbum illud referri debet. Indigebant autem hac mentis illuminatione non solùm discipuli reliqui, sed etiam Apostoli; nam Lucæ 18. cum ante passionem Dominus eis dixisset: *Ecce ascendimus Ierosolymam, & consummabuntur omnia quæ scripta sunt de filio hominis. Tradetur enim Gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur, & postquam flagellauerint, occident eum, & die tertia resurget:* subditur: *Et ipsi nihil horum intellexerunt; erat enim verbum istud absconditum ab eis; & non intelligebant quæ dicebantur.*

Sensus pro intelligendi facultate sumitur.

36. Quæri hîc potest, an in ista discipulorum mentis illuminatione discipuli duo ex Emmaunte reuersi comprehendantur? Ratio dubitandi est, quia, vt hoc eodem capite antea dictum est, Dominus *incipiens à Moyse, & omnibus prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant.* Respondetur sacram Scripturam comparari abysso; ideoque iuxta Hugonem, & alios Psalm. 41. dicitur: *Abyssus abyssum inuocat*; id est à nouo testamento testamentum vetus inuocatur, ab eoque testimonium veritatis accipit. Cum ergo, vt Augustinus ait, abyssus sit profunditas quædam impenetrabilis, & incomprehensibilis; adeoque talis etiam sit sacra Scriptura; hinc est, vt ad eam semper vlterius penetrandam, & intelligendam, noua, & noua illuminatio requiratur. Ideo duo illi discipuli quamuis antea ad Scripturæ testimonia intelligenda illuminati fuerint; adhuc hac secunda Domini illuminatione eorum mens vlterius illustrari potuit. De progressu in arcanis Dei mysteriis intelligendis dicitur Prou. 4. 18. *Iustorum semita, quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectum diem.* Nam, vt Gregorius ait: *In eorum animis bonum desiderium, atque intellectus lucis intimæ iam pars diei est: Sed cum vsque ad finem vitæ in virtute proficiunt, ad perfectum diem tunc veniunt; quando ad cœlestia regna perducti, in ea luce, quam desiderant, iam minus aliquid non habebunt.* Similiter Dionysius de diuinis nominibus cap. 4. ait: *Dicendum est, vt intelligibilis lux bonum ipsum dicitur, quod omnem supercœlestem spiritum spirituali impleat luce, omnemque ignorantiam pellat, erroremque abigat ex animabus, quibus se insinuauerit, eisque sacra lucis consortia trahat, spiritualesque illorum oculos purget, obductamque ignorantiæ caliginem tergat; tradatque illis primum quidem exigui consortio luminis; deinde vbi illæ degustauere lucem, maiorique eius tanguntur desiderio, sese eis magis infundat, & copia vberiore lucis infulgeat; quia dilexerunt multum; semperque eas ad anteriora intendat.*

Abysso sacra Scriptura cur comparatur?

Greg. in Ezech. hom. 5.

Et dixit eis: Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die; & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes.

37. NOmen in sacra Scriptura primo auxilium, & protectionem significat, vt Genes. 48. *Inuocetur super eos nomen tuum.* Secundo efficaciam, & virtutem vt Psalm. 128. *Benediximus vobis in nomine Domini.* Tertio gloriam, vt Genes. 12. *Magnificabo nomen tuum.* Quarto meritum, vt Matth. 10. 4. *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet: & qui recipit iustum in nomine iusti mercedem iusti accipiet: & quicumque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine discipuli; amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Sub omni huiusmodi significatu pœnitentia, & peccatorum remissio erat à discipulis in nomine Domini prædicanda. Ideo de Christo Domino Actor. 10. 42. Petrus dixit: *Præcepit nobis prædicare populo, & testificari, quia ipse est, qui constitutus est iudex viuorum, & mortuorum. Huic omnes prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius, qui credunt in eum.* Similiter Actor. 2. 38. Petrus dixit: *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum.*

Nomen auxiliū, efficaciā, gloriā, & meritum significat.

38. *In omnes gentes.* Hinc bene dici potest: *Misericordia Domini plena est terra*: cum ad peccatores omnes in terra viuentes, terræque carnali affectu affixos suam misericordiam, & peccata remittendi voluntatem Dominus extendat; nullumque prorsus excludat. Tanto Domini charitatis ardore cognito, non sit, *qui se abscondat à calore eius*; ne tandem in horrendum, sempiternumque gehennæ ardorem miserrimè corruat; vbi diuini ignis contemptores pœnali igne perpetuò cruciantur.

Ps. 118. 64.

Psal 18. 7.

FINIS.





INDEX
RERVM, ET VERBORVM.

In quo numerus marginalem numerum indicat. Vbi nihil additur, intelligitur commentarium in Domini Passionis Euangelium.

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, in quo etiam Euangelij textus extra proprium locum citati ponuntur.

Numerus marginalem numerum indicat. Vbi nihil additur, intelligitur commentarium in Euangelium Dominicæ Passionis.

EX VETERI TESTAMENTO.

EX GENESI.

EX EXODO.

EX LEVITICO.

EX LIBRO NVMERORVM.

EX DEVTERONOMIO.

EX LIBRO IOSVE.

EX LIBRO IVDICVM.

EX LIBRO PRIMO REGVM.

& non

EX PSALMIS.

EX PROVERBIIS.

EX ECCLESIASTE.

EX CANTICO CANTICORVM.

EX LIBRO SAPIENTIÆ.

EX ECCLESIASTICO.

EX ISAIA.

EX IEREMIA.

EX THRENIS IEREMIÆ.

EX BARVCH.

EX EZECHIELE.

EX DANIELE.

EX OSEA.

EX IOELE.

EX AMOS.

EX ABDIA.

EX IONA.

EX MICHÆA.

EX SANCTO IOANNE.

EX ACTIS APOSTOLORVM.

Ex Epistola Pauli Apostoli ad Romanos.

EX EPISTOLA AD GALATAS.

EX EPISTOLA AD EPHES.

EX EPIST. AD PHILIPPENSES.

EX EPIST. AD COLLOSSENSES.

EX EPISTOLA I. B. PETRI Apostoli.

EX EPISTOLA II. B. PETRI Apostoli.

EX EPISTOLA B. IACOBI Apostoli.

EX EPISTOLA I. B. IOANNIS Apostoli.

EX APOCALYPSI B. IOANNIS Apostoli.

FINIS.



